
GULIELMI PISONIS
MEDICI AMSTELÆDAMENSIS
DE
INDIÆ UTRIUSQUE
RE NATURALI ET MEDICA
LIBRI QUATUORDECIM,
Quorum contenta pagina ſequens
exhibet.
AMSTELÆDAMI,
Apud Ludovicum et Danielem
ELZEVIRIOS.
A°. CIↃ IↃ C LVIII.

AVTORES ET TITVLI
Librorum, qui hoc Volumine exhibentur.

GVLIELMI PISONIS,
Medici Amſtelædamenſis,

I. De Aëribus, Aquis, & Locis.

II. De Natura & cura Morborum, Occidentali Indiæ, imprimis Braſiliæ, familiarium.

III. De Animalibus, aquatilibus, volatilibus, & terreſtribus, edulibus.

IV. De Arboribus, fructibus, & herbis medicis, atque alimentariis, naſcentibus in Braſilia & regionibus vicinis.

V. De Noxiis & venenatis, eorumque Antidotis. Quibus inſertæ ſunt Animalium quorundam vivæ ſectiones; Tum & aliquot Metamorphoſes Inſectorim.

VI. Mantiſſa aromatica &c. Poſita poſt Bontii tractatus.

GEORGII MARGRAVII De Liepſtadt

I. Tractatus Topographicus & Meteorologicus Braſiliæ, cum Obſervatione Eclipſis Solaris.

II. Commentarius de Braſilienſium & Chilenſium indole ac lingua &c.

IACOBI BONTII,
Bataviæ in majore Java novæ Medici ordinarii,

I. De Conſervanda valetudine.

II. Methodus medendi.

III. Obſervationes in cadaveribus.

IV. Notæ in Garciam ab Orta.

V. Hiſtoria Animalium.
VI. Hiſtoria Plantarum.
} Quibus ſparſim inſeruit G. PISO Annotationes & Additiones quà icones atque res neceſſarias.

SENECA: *Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia.*

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO GULIELMO:

DEI GRATIA MARCHIONI BRANDEBVRGICO: S: ROM: IMP: ARCHICAMERARIO ET ELECTORI: MAGDEBVRGI: BORVSSIÆ: CLIVIÆ: IVLIÆ: MONTIVM: STETIN: POMERANOR: CASSVBIOR: VANDALORVM: ET IN SILESIA CROSNÆ AC IAGERSDORFFII DVCI: BVRGRAVIO NORIBERGENSI: PRINCIPI HALBERSTADIENSI AC MINDENSI: COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGI: DYNASTÆ IN RAVENSTEIN: &c.

SERENISSIME PRINCEPS, ELECTOR AVGVSTE:

AVguſta res eſt Hiſtoria Naturalis, utpote eiſdem, quibus hoc Vniverſum, terminis comprehenſa. Quo ipſo conſtare arbitror, quantæ molis opus ſuis ſibi humeris imponant, qui eam poſteritati tradendam ſumunt. Fecit olim, & tam felici ſucceſſu, quam ſtupendo auſu, Plinius major. Etiamne perfecit? Certe non potuit: non fatiſcente animi qua facile vel alterum valuiſſet Orbem complecti, magnitudine; ſed deficiente rerum materia. Defectus illius cauſa fuit, non una; potiores tamen duæ. Altera, quod Indiæ, jam tum notæ, non ſatis tamen eſſent cognitæ, nedum perſpectæ. Vtpote adiri ſolitæ, non mari, non pace, ſed terra atque bello. Quorum nihil eſſe aut iſto difficilius atque mille diſcriminum plenius, docuere integri per ſo-

litudinum vaſtitates & omnium rerum egeſtatem deleti exercitus: aut illo inimicius ſcientiarum propagationi, omnium temporum hiſtoriæ loquuntur; ut ne dicam, experientia quotidiana. Altera, quod major terræ pars, univerſa America ſcilicet, ſpiſſis ignorantiæ tenebris involuta, velut in Chao deliteret. Quæ temporibus avorum reperta, patrum detecta, noſtro luſtrata, præbuit uberrimum priſcis adjiciendum copiæ rerum cornu. Quarum quia ipſe non contemnendam partem fui & inſpector & notator, ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Io. Mauritii, Naſſavii Principis, & Braſiliæ, terra marique, Præfecti, Tuæque nunc Celſitudinis ad Imperii Comitia Legati, certe non debui hoc talentum, quod mihi Deus ad enarrandam gloriam ſuam concredidit, abſcondere, & ſervum me facere inutilem. Quod à me amoliri crimen ſatagens, cœpi ex obſervationibus illo tempore collectis concinnare Hiſtoriam, cum Naturalem, tum Medicam, eorum, quæ Occidentalis India ſuo in ſinu fovet ſalubria humanæ ſaluti. Quæ nunc, cum Orientalis Indiæ deſideratis Naturæ theſauris ſimul in lucem prodire geſtiens, Sereniſſimam Tuam Celſitudinem adeundam ſibi putavit, quo ſub tanti nominis non ſolum auſpiciis decus, ſi quod habet, tueri; ſed & patrocinio ac favore tuta, facilius ſe atque efficacius probare aliis poſſit. Id vero audendum ſibi tanto fidentius exiſtimat, quo minus, præſentis ſeculi calamitate, & perſtrepentibus undique bellorum procellis, ſecuri ac tranquilli ſeceſſus conceduntur Muſis his, quæ ſanitati imprimis prodeſſe, &, ſi fas eſt dicere, fatalia ac decretoria vivendi tempora, quaſi novis rationibus propagare velle, oſtendunt. Qua etiam de cauſa, & quod non interpretem ſe eorum, quæ ad ſenſuum blandimenta ac voluptatum illecebras ſunt excogitata, vel ad pompam

& oſten-

& oſtentationem vanam comparata, ſed ſimplici ſtylo circa ſummi Creatoris opera verſari profiteatur, indigna non debet videri, quæ Tuum Nomen geſtet in frontiſpicio, & ſub tam auguſtæ inſcriptionis tutela vivere ac vigere in oculis hominum deſideret. Fuit illa priſcis ſeculis Regiæ dignitatis pars non infima, Cælique Terræque tractus & Marium ſpatia atque proprietates percontari, eorumque interpretibus bene velle; & combinatis pacis bellique ſtudiis firmiorem ac beatiorem imperii poſſeſſionem ſibi aſſerere: idque non adeo multa literarum peritia, quam ex vero earum uſu. Eruditi audiebant Tiberius, Nero, Domitianus, aliique; maximo interim humani generis exitio nati. Trajanus contra & Alexander, eorumque ſimiles, etſi minus eruditi, lucem tamen vel imprimis mundo intulerunt. Eadem ratione recentiores inter multi Chriſtiani Principes longe potentioribus prævaluerunt, & ſupra Mortalitatem ſe tantum non extulerunt, potentiæ ſemper animi cultum adjungendo, & ad ſuam ſuorumque ſalutem, in omnibus ceu Cynoſuram intendendo. Quæ procul dubio cauſa eſt, quare omnium largitor Deus homines docuerit tot ſcientias & artes, ingenio item & ſapientia atque prudentia inſtruxerit. Tu certe, PRINCEPS CELSISSIME, qui copiis, & imperio tam late patenti, non vi & ſanguine quæſitis, ſed ab avis & atavis longa ſerie, veluti per manus, traditis, ac vigore animi corporiſque carus ſimul & ſuſpiciendus factus, magnum & illuſtre ejus exemplum præbes, dum premendo majorum veſtigia, tantarum felicitatum cumulo, tanquam colophonem ſuperaddere illam ſapientiæ partem contendis, quæ in contemplatione operum Dei naturalium conſiſtit. Quod in Celſitudine Tua ſtudium procul dubio non parum promovit, recens ejuſdem commatis documentum Illuſtriſ-

ſimi Io. Mauritii, qui publicæ omnino ſalutis intereſſe exiſtimavit, ſi impoſterum Europæis non lateret, quam longe lateque per univerſum terrarum Orbem diffuſa ſit immenſa rerum Natura. Quod ut effectum daret erectioris animi Princeps, inveſtigationum difficultates ſumptibus ſuis & auctoritate non ſolum ſublevavit olim in India Occidentali; ſed & omnes illos, qui agricultura, venatu, aucupio, piſcatu vitam tolerarent, mihi parere juſſit. Quid mirum, ſi tanti Heroïs ſtudium atque favor me inflammarint, ut & volumen hoc ad umbilicum perducerem, & confectum atque meliori cura excultum, additis quamplurimis, hactenus aut incognitis, aut neglectis, neque tumido aut præcipiti conamine in umbra excogitatis, ſed propria ut plurimum experientia atque uſu comprobatis, ad Tuos pedes deponerem. Quod ſi ſuſcipere dignaberis, perque otium inſpicere, & vel umbra favoris Tui proſequi, certe nihil vel auctori optabilius vel operi honorabilius evenire poterit. Quod ſupereſt, DEUM OPT. MAX. veneror, ut Celſitudinem Tuam impleat omni benedictione, proſperitate, felicitate.

SERENISSIMÆ & AUGUSTÆ
CELSITUDINI TUÆ

Devotiſſimus cliens

GULIELMUS PISO.

GVLIELMVS PISO

LECTORI SALVTEM.

QVanto cum molimine , ac vitæ diſcrimine olim majores noſtri extremos mundi cardines per immenſa marium ſpatia adierint ac luſtrarint ; quantaque etiam nunc regnandi rabies , & auri ſacra fames pectora mortalium accendat ad ſubigendas Orientis & Occidentis Indias , neminem latere opinor. Verum quanto contra neglectui permulta ſtupenda Dei & Naturæ opera , interque ea inſolitæ marium ſiderumque imprimis reciprocationes & , quæ inde fluunt , virtutes inferiorum moderatrices , ſubjaceant , illi potiſſimum experiuntur, qui lucubrationes ſuas Phyſicas poſteritati reponere , & tantæ novitatis arcana morbis medendis applicare geſtiunt. Cum porro cujuſcunque ingenui Hiſtoriographi ſuprema lex & cura ſit, veritatis ſe antiſtitem præbere , & illa omnino evitare , quæ genuinam rei geſtæ , & pari ratione in ea , quam nos jam tractamus, materia , naturæ faciem obfuſcare poſſint : nihilominus id genus ſcriptorum ob tantam rerum caliginem in ſcopulos facile impingunt; unde quidem errores præter opinionem propagant , imo etiam ſubleſtæ fidei ſuſpicionem incurrunt, imprimis ſi aliqua, vel citra veterum auctoritatem, vel ſupra conſuetam naturæ vim & ordinem facta exponantur. Quæ omnia tantum abeſt, ut me ob rei difficultatem & argumenti novitatem à propoſito abſterrere potuerint, ut materiæ illa ipſa novitas ac difficultas , propter utilitatem & dignitatem , animum addiderint. Præſertim cum non alienæ fidei vel famæ (quæ tam ficti & pravi tenax eſt, quam recti conſcia) ſed ſenſuum ſtabilitus ſuffragio , quæcumque ex ampliſſimo illo Naturæ Theatro vel ipſe obſervavi , vel à veteranis indigenis accepi , examini & praxi ſubjecerim. Indignum quippe non tantum , ſed & deteſtabile eſſe autumo , in re ſeria , & in qua tot hominum ſalus verſatur , ea docere , quæ experimentis haut congruunt , vitamque ægrotorum

torum ob inanis gloriolæ aucupium exponere periculo poſſunt. Ideoque, ut telam hanc felicius pertexerem, partem oneris derivaram in domeſticos meos, præ cæteris in doctiſſimum & diligentiſſimum D. Georg. Markgravium, Matheſios & Medicinæ candidatum, quem in Indias mecum adduxeram, ut, præter exercitia Aſtronomica & Geographica, penſiculate obſervaret externas potiſſimum figuras illarum rerum naturalium, quarum ego virtutes internas præſidiaque medica firmandæ vel reſtituendæ valetudini nata, ſollicite experirer. Animalium denique, & avium ac piſcium exta crebris ſectionibus luſtravi, tandemque aviis terrarum peragratis nulliuſque antè pede tritis, imagines ad vivum à pictore, mecum per mediterraneas ſolitudines peregrinante, expreſſas adjunxi. Cum autem nihil frequentius ſoleat evenire rebus exoticis minus perſpectis, quam ut temere, vel ad ſuperſtitionem uſque extollantur, vel infra meritum deprimantur, & abjiciantur: omnino intereſſe putavi, quo ne confuſa Muſarum ſupellex apud civilioris notæ populos proſtituatur, ut, id quod ante decennium in editione Hiſtoriæ Naturalis Braſiliæ (nimis præcipitanter, per meam à prælo abſentiam in lucem protruſæ) promiſeram, nunc tandem præſtem; ſcilicet utilia ab inutilibus, vera à dubiis & ſuperſtitioſis, ſalutaria à noxiis ſeparem: tum, ut ea ſimul promam, quæ difficilioris argumenti, & altioris indaginis, in ſchedis hactenus meis, ob enarrata impedimenta, delituerant. Quod an pari facultate perfecerim, qua alacritate ſuſceperim, aliorum erit judicium. Quidquid ſit, ego amoto omni ſcrupulo, tandem laborem hunc, licet alias ſatis occupatus, ſubivi, ſolidiſque rationibus commotus, ſatius fore duxi, paucis quibuſdam diſplicere, quam magnorum eruditorumque virorum deſideriis non ſatisfacere. Etenim immuni à cacoëthe ſcripturientis ævi animo hæc, ad ulteriorem rerum cognitionem acquirendam, veternumque ingeniis excutiendum, exhibentur. Præſertim autem, cum tot quotidie Europæi Indias peragrantes, atque per commercia perpetua peregrini cum indigenis infinita in uſum humanum commutantes, fruſtra tamen beatitudinem ex earum divitiis quæritent, niſi bona ac vitæ utilia ſeligere, atque nocitura vel imprimis fugere & declinare didicerint. Tantum vero abeſt, ut vel ab Indis petita Aromata, vel ab externis accepta populis remedia, putem noſtræ domi natis præferenda,

ferenda, ut potius exiſtimem, ubique gentium majorem habere cum humana natura conſenſum, & plus in eam poſſe, quæ propter ſolum cælumque commune illi ſunt familiariora; & ea propter eſſe turpius in his, quam in illis cæcutire. Certe nulli, ut egregie Cornelius vere Celſus obſervavit, adeo ſe Natura præbuit novercam, cui non ſufficientia & medicamenta & alimenta ſuppeditaverit. Quo & alludit illud Regum ſapientiſſimi: Creavit, ut eſſent omnia ubique, & ſanabiles fecit nationes terrarum. Verum perpetuus ille diverſarum undique gentium concurſus & mutua ſocietas effecerunt, ut vix aliqua reperiatur terra ſuis contenta bonis, & quæ non, ſub neceſſitatis prætextu, omni pæne luxu & intemperantia, hyberno velut flatu, ſit occupata. Unde tandem pertinax conſuetudo obtinuit, ut exotica ſimul ac patria pari zelo, tanquam vitæ & valetudini tuendæ unice neceſſaria, promiſcue expetantur.

Quod cum ita ſit, ego, quo multis ſimul prodeſſem, conterranei mei Iacobi Bontii, olim in Batavia Nova Medici primarii, ſchediaſmata hactenus ſepulta à blattis tineiſque vindicavi, atque ſimul curas ejus priores & poſteriores Operi huic aſſociavi. Primo, ut defuncti tum cineribus ſua redderentur, tum memoriæ debita perſolverentur præmia. Deinde, ut ipſius Iavæ & Braſiliæ (quæ utraque ſub ejuſdem quaſi latitudinis gradu poſita eſt) dona ſalutifera juxta ſe poſita clarius eluceſcerent, atque inde cuique innoteſceret, in quibus vel diſcrepet vel conveniat Oriens ab Occidente. Nam, ſicut multæ Indiarum partes circa naturalia inter ſe congruunt, licet ratione ſitus toto cælo differant: ita & vicini earundem loci ſupra fidem aliquando diſcrepant, & peculiare quid præ ſe ferunt, quamvis videantur prima fronte maxime inter ſe concordare. Quod ſi cui inſtituta comparatione videbitur Bontium præ nobis felicius aliqua, tum animalia, tum vegetabilia cum Europæis contuliſſe; eum cogitare velim, illi, non mihi glaciem fuiſſe fractam: illi Aſiaticam antiquitatem obſtetricatam, mihi nil niſi Novi Orbis ipſiſſimam barbariem novercatam fuiſſe. Unde & neglectum ſtyli nitorem ipſa facile argumenti aſperitas excuſabit, cum Naturæ indagationis quam elaboratæ Orationis potior mihi cura fuerit. Quamobrem mercibus his hederam appendere nihil neceſſe eſt, multo minus in editione poſthumi Bontii fœtus jejune ſuperbire, quum ſolummodo

parentis

parentis luſtrici vices ſubivi, ne quid illi temere accederet aut decederet. Quippe etiamſi ob immaturam Auctoris mortem non omnibus partibus perfecte conformatus prodeat, tamen ex eo facile patebit, quam

— tenui rerum ſub imagine multum
Naturæ fatique ſubeſt, & grandis origo.

Annotationes autem & Appendices per me inſertæ & Latinitate donatæ, à fidiſſimis Indiæ Orientalis Præfectis ſuppeditatæ ſunt, quas illi ab exercitatiſſimis indigenarum Medicaſtris obſervarunt.

Si per qualecunque hoc opus, combinatis viribus peractum, remotiſſimas Aſiæ & Americæ cæli ſolique regiones à craſſis illis ignorantiæ nebulis paulatim vindicatas, & ſic aditum ad meliora factum cenſueris, ſatis ſuperque hoc labori noſtro præmii arbitrabor. Etenim quamvis admirandam univerſæ Naturæ œconomiam, ejuſque occultos conſenſus, pro majeſtate Divini Artificis penetrare humana conditio non ferat: attamen, ex quo erudita induſtria in rimandis Macrocoſmi & Microcoſmi viſceribus occupari cœpit, haut pœnitendos exinde fructus ad humanum genus quotidie redundaturos, inficiari nolent, niſi quibus efficacia erroris & ignorantiæ impoſuit, vel male feriata mens veritatis & ſcientiarum imperat contemptum.

CONSTANTINVS HVGENIVS
Eques, Dominus Zuylichemii &c.

IN

GVILIELMI PISONIS,

D. M.

Indiarum Hiſtoriam Naturalem.

LECTORI.

IMpiger extremos fuge, vel ſpectator, ad Indos
 Currere; res facta eſt futilis iſte labor.
PISONI placuit quidquid ſub cardine naſci
 Sciverat Eoo, viderat Occiduo,
Sic Belgis præſtare ſuis, quaſi pareat uni
 Naturæ prope nos & procul imperium.
Ecce breves Tabulas majeſtas extera rerum,
 Vno ſic Batavo præcipiente, ſubit;
Vtraque ad Amſtelias acceſſitur India ripas,
 Vtraque quas juſſa eſt promere promit opes;
Promit opes, quas fida bonas, infida nocentes
 Terra dat, has fugias, ſcilicet, has ut ames,
Hìc ſtupeas, ubi nacta novas animalia formas
 Gaudeat inventis Naſo favere ſuis.
Nec tamen hoc Tabulæ, Lector, ne fallere, dicunt,
 Sola nec has vires muta papyrus habet:
Quod ſpectas nihili eſt; has quà facundia tanti
 De tota meruit poſteritate Viri,
Has Tabulas reverenter habe: præſtantior omni eſt
 Icone qui docto manat ab ore lepor:
Hoc duce deductus per tot miracula grandi
 Materiâ, dices, grandior iſta manus.

CONSTANTER.

THEODORI GRASWINKELII,

EQVITIS &c.

Ad Belgas ſuper editionem Hiſtoriæ Naturalis & Medicæ adlocutio.

VEſtigatricis ſublimia munera curæ,
Depoſitum cæli nobile, BELGA tenes:
Quique vides diteis quas ſufficit utraque gazas
India, ſe cumulis addere rite tuis;
Omnem in Naturam penetrantis acumina mentis
Ingeniique ſimul judiciique ſtupes.
Optima ſumma foves: nihil hic niſi præmia deſunt:
Hæc Themis, hæc Muſæ, Numina caſta, velint.
Tollat prima Deus, ſuccedat in altera, rerum
Dia parens: primus proxima PISO ferat.

ALEXANDER MORVS

Eccleſiaſtes & ſacrarum litterarum Profeſſor.

IN

D. GVILIELMI PISONIS,

De Vtriuſque Indiæ Re Naturali & Medica,

LIBROS.

QVis novus hic Myſtes Naturæ arcana parentis
E latebris dîas in luminis eruit oras?
Quæ certat cum Sole manus? quod pagina nomen
Præſcribet, ſi promit opes, quas condit Eoo,
Condit & Heſperio flagrans ſub cardine tellus?
Quod niſi PISONIS, *vel* APOLLINIS? *auctor Apollo*
Pæonii, Aoniique Chori, Medicæque repertor
Artis, amœnarumque Pater. quem PISO *Sacerdos*
Non ſimplex bis rite colit, Muſiſque Salutem
Conſociat felice jugo: mea gaudia PISO,
Delitiæ Phœbi: non & Phlegethontis avari,
Quem Dîtem nimis eſſe vetat, vacuumque relinquit
Quà datur, & magis atque magis deludit hiantem:
Evocat ille animas mediis ex faucibus Orci
Pallentes: fatisque moram, quis credere poſſit?
Injiciens, reddit Superis, & luce redonat.
Non habet ille parem doctæ dulcedine linguæ
Multiplicique ſono. ſeu priſcæ nobile gentis
Eloquium, noſtrumve petis: ſeu nomina priſco
Et pariter noſtro placeant incognita ſeclo.
Doctor adeſt, aperitque libens quod maximus olim
Neſciit Hippocrates; non ipſe Epidaurius heros,
Phœbigenæque duo: charos docuiſſet alumnos
Talia, ſed PISONE *prior neſcivit Apollo:*
Si qua fides, ipſas fugiunt tot barbara Muſas,
Surdaque, nec vulgo tantum ignorata profano
Mille ſed utilium peregrina vocabula rerum,
Pæne timenda ſono, guttur læſura loquentis:
Res tamen ipſa magis guttur læſura bibentis;
Quam bene! ſi vitam fugientem in pectore ſiſtat.
Non ego, qui teneras cantu demulceat aures,
Mellitos globulos, & ſparſa papavere multo
Verba, ſed ægroto minus auxiliantia fundens,
Viſcera cum febris torret ſitibunda, requiro:
Hunc volo, qui pollens facundæ munere linguæ,
Intempeſtivus non utitur: utitur herbis,

Et morbos paribus tetros medicatibus arcet.
Dulce ſonat, ſi quæ potuit conferre ſalutem
Vox mihi: Cannibalûm quamvis ſit nata ſub oris,
Magajataſve inter duros, & pinguia labra
Tuppinaquûm, facili verſu quos dicere non eſt,
Pattagonaſque truces, & nudos membra Tapuyas.
Hos ubi per populos Victoria læta vehebat
MAVRITIVM *Heroëm, bene tu comes additus ibas,*
Corporis Auguſti ſervator, & axe ſub illo
Vtilis haud raro monitor, cuſtoſque ſalutis.
Ille ſed indomito dum pulſat robore Solem
Occiduum, & fuſco nigrantes veſpere frontes,
Braſiliæque domos, & forti vulnera dextrâ
Hoſtibus imponit Patriæ, tu vulnera quæris
Quo pacto ſanare queas, vireſque ſub illo
Plantarum, ſuccoſque notas, & ſemina cælo:
Sic redivivo aderas Chiron redivivus Achilli.
Pugnat MAVRITIVS, *dat leges, oppida condit,*
Barbaricis fulgens ſpoliis, lauroſque recentes
Invenit Orbe Novo: tu bellum indicere morbis
Auſus, in his ipſis collecto milite campis
Gramineo, & tanquam telis radicibus uſus,
Febriculoſa fugas procul agmina: ſæva malorum
Peſtiferûm dat terga cohors: prænuntia lethi
Victa jacet legio, debellatique dolores:
Ipſe Ducem victor ſequeris, pariterque triumphas,
Nec minus æterna præcinctus tempora lauro.
Nam, quod pace tua liceat mihi dicere, ſanguis
NASSAVIVS, *qui nunc ad Mœni fluminis oram*
Imperio quæris Caput, & de Cæſare certas:
Magna tui ſuperant illis veſtigia terris
Et manſura diu: tamen ævum proferat ultra
Cognatum PISONIS *opus. fundataque moles*
Regifico luxu, & nigris ſudata lacertis
Hoc durante cadet: quæ tu faſtigia cælo
Eduxti, & vario poſuiſti ſplendida ligno,
Vndique marmoreis centum ſuffulta columnis,
Multum Tamarica, multum admirante Paryba,
Tandem æquata ſolo tempus feret: atraque ſaxis
Mors veniet: non huic veniet, me judice, chartæ.
Donec erunt morbi: dum Solem promet ab ortu
Memnonis alma parens, Thetyſque ſub æquore condet,
PISONIS *mea Muſa mei celebrabit honores,*
Vivet inocciduo PISONIS *gloria Phœbo.*
Nec ſolum extremis, qua Sol oriturque caditque,
Gentibus à toto diviſis Orbe, ſed Orbis
Quà patet, inluſtrans mortalis commoda vitæ,

Non

Non Batavis tantum, patriæque ſalutifer oræ,
Vive Liber, mundumque levans & ſecula morbis.
Tuque adeo, quem non lucri maleſana cupido
Compulit, aut fulva pretioſum littus arena
Ire per Auroræ thalamos, Soliſque cubile:
Qui nec pallentis penetralia cæca metalli
Effodis, & quicquid prudens Natura recondit
Sub pedibus, meliuſque latet, producis in auras,
Tot ſcelerum cauſſam: ſed quod Nova Terra benigno
Extulit effuditque ſinu ſub Sole propinquo
Acceſſis, noſtroſque bonus diffundis in uſus:
Non piper, aut cæſus lacrymans opobalſama cortex,
Non Americcana qui manat arundine ſuccus,
Hyblæum ſuperans nectar: tot pabula luxus,
Et recte gladio plures occidere dictæ
Scitamenta gulæ, merces tibi ſumma laboris:
Humani ſed amor generis, ſtudiumque juvandi
Egit in ignotas alio ſub ſidere Terras,
Trans Indos, extraque vias & Solis & anni,
Ac mirum in varias fingens animalia formas
Naturæ ludentis opus: populiſque ſalubres
Arborei fœtus: inviſaque littore noſtro
Squamigeri gens uda gregis: nec dulcibus herbæ
Indolis inſolitæ purgantes viſcera ſuccis.
Magne opifer; ſic læta fluant tibi tempora vitæ,
Fortunate operum! certe digniſſimus unus
Qui fuit in Batavis Phœbi exornare Lycæum,
Seu quà Rhene fluis, ſeu qua Padus amne ſuperbo
Labitur Euganeis, ſeu quà mons Pelion ardet:
Si non Amſteliæ prohiberent otia terræ
Aurea, totque ſalus populorum, & gratia florens,
Nec Procerum ſpernendus amor, ſanctique penates.
Has ego PISONIS *laudes, laudeſque medentum*
Ex animo cecini: noli dubitare legendo:
Quiſquis enim dubitat, verbo mihi victus abibit:
Audiat hoc unum, quæſo: dictavimus ægri.

Ex grabato meo Proprid.
Kal. Jun. ÆRÆ VVLG.
A. MDCLVIII.

FRANCISCVS DE VICQ,

M. D.

Ad Collegam ſuum

G. P I S O N E M.

ADmiranda, ſitum, mores, populoſque locoſque
Braſiliæ tractûs noſcere quiſquis avet:
Te legito. Dicet: O terque quaterque beatos!
Quiviſſent Batavi ſi ſua noſſe Bona.
Nunc quid noſſe juvat? Luſii dominantur in oris,
Quas chartis PISO *tollis ad aſtra tuis.*
Attamen hæc olim forſan ſcripſiſſe juvabit;
Vt ſtimulent Batavi Vindicis arma, manus.

IN

Hiſtoriam Naturalem & Medicam

A

GVILIELMO PISONE

Conſcriptam

ELEGIA.

A*Via mutandis dum mercibus æquora fervent,*
Quæ lucri cupidâ puppe Batavus arat;
PISO *meus (non ille ſequi mortalia natus)*
A fragili tutas tempore captat opes.
Fama viro nomenque placent, queis fata moretur:
Per mare nec dubiam ſternit in aſtra viam,
Hoc vehit Occiduo ſpolium prædator ab Indo:
Has illi exuvias victa paravit humus.
Quamlibet immenſum non fruſtratura laborem
Præmia mercedis fert dator ipſe ſuæ.
Incitat hortatrix, validumque, capacia laudis
Pectora quo ſtimulet, Gloria calcar habet.
Otia Lethæâ nil diſtant ſorte, quieſque
Turpibus aſſimilat nos taciturna feris.
Carpere ſæcla labor Superis parcentia ſolis
Nominis æterni conciliator amat.
Vixque favet votis ſudore carentibus æther,
Ardua plus humili quem prece cœpta movent.
Ignea mens natale ſolum ſibi vindicat orbem,
Et patrio ſpatium pro lare Solis habet.
Sic aditæ magno ſe jactant Hercule Gades,
Et ſtabula Heſperii Geryonêa boves.
Nec Bacchum ſua cepit humus. vos cinnama teſtes,
Thuraque, longinquo munus ab orbe datum.
Quod fuit Atridæ medicis Podalirius herbis,
Sævaque conſilio bella regente, potens;
Luctantem exagitant dum longa decennia Troiam:
Id tibi, Naſſavi maxime, PISO *fuit.*
PISO *ſagax, Natura tuos fugitiva receſſus,*
Et tacitâ cæcos pandere nocte ſinus;

Belligeri comes arma Ducis non victa ſecutus,
Præcipites Phœbi quâ rota mergit equos.
Dumque per optatæ diſcrimina lucis emendas
Et rapit, & raptas quiſque recondit opes;
Duxque triumphator dum diruta Marte Batavo
Mœnia dat flammis, Nerea claſſe premit;
PISO *Machaoniæ meditatur prælia luctæ:*
Fauſtaque cum Lacheſi, cum Styge bella gerit.
PISONEM *famæ ſitis intempeſta fatigat:*
Cura viro ſomnos efficit illa breves.
Hæc trahit, hæc ſtudio victoria quæritur omni,
Palmaque, ſed nullo facta cruore nocens.
Iamque ſub examen, quodcunque dat Indica Tethys,
Mittitur, & tellus barbara quicquid alit.
Vt neque ſit regio pretioſis orba metallis;
Gramine nec campi, fruge nec arva vacent:
Arceat ut nimium denſa nemus arbore Solem:
Æquet arundineus cerea mella liquor:
Præpete quam variâ tranetur Americus aër:
Obſeſſam coluber ſente quis adflet humum:
Quadrupedum ſaltus ut inundet turba ferarum:
Bellua piſcoſas quæ populetur aquas:
Plaga quibus ſuccis, vel ab aſpide fixa vel arcu,
Cedat, & in certam febris itura necem.
Denique conſpicui ſi quid novus educat orbis,
Pectora non pigeat quo ſtudioſa capi.
Morborum domitor, Naturæ Myſta latentis
Intime, quæ titulis Muſa ſit apta tuis?
Laudis avaritie qui mentem raptus honeſtæ,
Nulla quod evertant ſæcula, condis opus.
Viſcera qui rerum rimaris inhoſpita: per quem
India jam noſtræ non peregrina domi eſt.
Sic te dos celebret non unica; ſive potentis
Eloquii, medicæ ſive ſit uſûs opus:
Te lector volvatque frequens, placitumque revolvat;
Rara nec annumeret bibliotheca ſibi.
PISO, *pater Venerum, cor amabile,* PISO, *Leporum;*
Seria ſive libet promere ſive jocos:
Pectora ſordentis non fracta cupidine lucri
Altius humanâ fer ſuper aſtra viâ.

Quod

Quod facis, aſſuetam jam plauſibus erige mentem,
Mnemoſyne quo te laudis amica vocat.
Ipſe tibi præſta, ſenium lature, medenti,
Plurimus acceptam quam tulit æger opem.
Longum iter extremos cum ſis molitus ad Indos,
Pagina conficiet plus tibi docta viæ.
Huic nil per terras, per terris latius æquor,
Vaſtus, inacceſſum, qua patet orbis, erit.
Indue barbariem domitura nepotibus arma:
Naviget exemplo poſtera turba tuo:
Cedat amans latebras inſcitia: cedat, iniquo
Pallada qui Livor rodere dente ſolet.
E debellato conſpectius hoſte tropæum
Nemo tulit. Dux hoc non neget ipſe tuus.

NICOLAVS HEINSIVS, DAN. F.

Ad

GVILIELMVM PISONEM,

M. D.

Cum ſore Opus hoc juris brevi publici, ex itinere ſorte inaudiviſſem.

ELEGIA.

FAndo aliquid, Vir ſumme, meas pervenit ad aures,
(Perplacuitque meis auribus ille Sonus)
Te ſuperaturis in ſæcula tradere chartis,
Occidui, Eoi cardinis Hiſtoriam.
Quid Natura ferat, quid & hinc Medicina, notaſſe
Dicere, Naturæ filius atque parens.
Filius; illa dedit genium tibi nempe: parenſque;
Scilicet, in lucem quod venit illa, tuum eſt.
Viveret, o, Phryx ille, ſuis animalia linguis,
Si qua fides, faciens cum ratione loqui!
Quadrupedes, bipedum miſti, mi PISO, *catervis,*
Proferrent laudes voce repente tuas.
Quando creaturæ, Medicorum Maxime, mutæ
Deficiunt, homines & vocat iſte labor,
Primus inexhauſtam celebraret Barbarus artem,
Si Latii poſſet Barbarus ore loqui.
Primus anhelaret mundo narrare, medelas
Quot ſibi, quam dextre fecerit iſta manus.
Primus anhelabam tua dicere, meque volentem
Impulit in modulos ſueta Thaleia novos.
(Cunctorum licet illa foret bene conſcia; cuncta
Nam meminiſſe queunt, & memorare Deæ)
Iam male tentabam deductum dicere carmen,
Tardior & ſolito pes erat atque manus.
Miranti, quo forte forem vel fulmine tactus,
Carmine vel Magico mens mihi tacta foret,
Adſtitit, & torvum ridens mihi Cynthius aurem
Vellit, & admonuit, increpuitque Lyra.
Tune velis, inquit, tot oloribus anſer adeſſe,
Tune interſtrepere hos, ſtridere tune velis?
Debeat Hugenius te deterrere: nec unus;
Inſtar cunctorum ſit licet ille tibi.
Ille, alii plures, quorum veſtigia adoras,
Hanc merito laudem præripuere tibi:
Qui tot nominibus, toties ſuperatur ab iſtis,
An decet hunc inter nomina tanta legi?
Sic pater Aonidum: tonitru ſic tactus amaræ
Vocis, Io, dixi, parce, O Apollo, precor.
Si veniam, veniam ſi neſciviſſe meretur,
Neſciit, & Bruno deſiit eſſe nocens.
Cum magnis nequii tam dicere magna; fatendum eſt.
Sit ſatis, in magnis quod voluiſſe ſat eſt.
Si tamen affectu primo poſtrema probentur,
Non deceat me poſt nomina tanta legi?
Annuit, & placido ridens jam Cynthius ore:
LVMINA TV POSSIS HÆC, SED VT VMBRA, SEQVI.

HENRICVS BRVNO.

IN

D. GVILIELMI PISONIS LIBROS,

De utriuſque Indiæ Re Naturali & Medicâ.

PISO peragrati promit miracula mundi,
Clarior & ſero Veſpere Phœbus adeſt.
Non ſat Naſſovium ſervaſſe Heroa putavit.
Profuit, excuſſis omnibus, una ſalus.
Doctior indigenis, tenues, queis veſcimur, auras,
Et necis & vitæ fercula noſſe dedit.
Dic: quando Indarum hæc congeſta volumina Rerum
Evolviſſe manu, lumine, mente juvat,
Et luſtras gentes, geminus quas educat Orbis;
Brutaque, quæ terras, aëra, aquaſque colunt;
Et quæ Veſta ſinu parit, & penetralibus abdit;
Quæque notanda ferunt lucida regna Poli;
An te Natura diffuſa potentia Matris
Plus capit? an nunc tot grandia corde capi?
Cuncta prior perſpexit Adam, puri Arbiter ævi;
Dein Salomon, cui non æmulus alter erit.
Non erit: ut ſacræ produnt oracula chartæ.
Primus, qui pandit plurima, PISO redit.

PRUDENTER.

ΕἸΣ

ΒΊΛΕΛΜΟΝ ΠΕΙΣΩΝΑ,

ἸΑΤΡΟ'Ν ΟΥ' ΤΥΧΟ'ΝΤΑ.

Ὡς τὰς Λητοΐδης βίβλους ἤθρησεν Ἀπόλλων,
ΠΕΙΣΩΝΟΣ πινυτῇ γραψαμένας παλάμῃ,
Ὥς πολὺ θαύμασεν, καί μιν λάβε θάμβος ἰδόντα,
Ἠδὲ βαρυστενάχων τοῖον ἔλεξεν ἔπος·
Ὠ ἰόμην δύστολμος ἐγὼν εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
Ἰδμοσύνης νούσων, ἰδμοσύνης βοτανῶν,
Καὶ πᾶσαν πάντεσσιν ἐν ἀνθρώποισι δύνασθαι
Νοῦσον παυέμεναι, νοῦσον ἀλεξέμεναι,
Ἡμετέρῃς βοτάνῃσιν· ἀτὰρ πεπνυμένος ἀνὴρ
(Πλασμένον ἐκ σοφίης ἔρνος ἀπειρεσίης,
Ὃς πολέων ἀνδρῶν καὶ ἄστεα καὶ νόον ἔγνω
, Καὶ πελάγη, γαίῃ τηλέθεν εἰν ἀπίῃ,)
Νῦν αὐτὸν (τίς κεν τόδε πιστεύσειε;) διδάσκει
Φοῖβον, ἀλεξικάκου ἀρχὸν ἀκεστορίης,
Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά,
Καὶ νεαρὰς νούσους, καὶ νεαρὰς βοτάνας·
Τοὔνεχ᾽ ἕως Ἰνδῶν φανεροῦ σέλας ἠελίοιο
Γαῖαν ὑπαὶ δύσῃ πάντροφον Ἑσπερίων,
Τείως μοι κλέεος καὶ τιμῆς μιν θέμις ἐστὶν
Ἢ ἴσων, ἢ καὶ λαμπροτέρων λαχέμεν·
Ἔστι γὰρ Ἀστεροπαῖος ἐν ἰητροῖσι, νέης τε
Ἠδὲ καὶ ἀρχαίης ἴδρις ἀκεστορίης.

Φιλίας ἕνεκα ᾖδον

ΜΑΤΘΑΊΟΣ ΣΛΑ'ΔΟΣ, Ἀμστελοδαμαῖος.

GVLIELMI PISONIS,

Medici Amſtelodamenſis,

HISTORIÆ

Naturalis & Medicæ

INDIÆ OCCIDENTALIS

LIBRI QVINQVE.

GULIELMI PISONIS
HISTORIÆ
NATURALIS & MEDICÆ
LIBER PRIMUS.

De Aëribus, Aquis, & Locis.

MEdicinam ignotos inter homines feliciter ſive conſtituendi ſive faciendi aptior fabricari norma non poteſt eâ, quam Hippocrates, omnis in arte boni auctor optimus, tradidit initio l. de Aëre, Aquis & Locis. Quicunque artem Medicam, inquit, integrè conſequi volet, hæc faciat oportet. Primo quidem temporum anni rationem habeat, quid unumquodque illorum poſſit. Nulla enim in re ſimilia ſunt; ſed multum differunt, tum ipſa ad invicem, tum in propriis permutationibus. Deinde etiam Ventos calidos & frigidos, maxime quidem omnibus hominibus communes, mox autem eos, qui unicuique Regioni ſunt peculiares. Aquarum item facultates examinare convenit; Quemadmodum enim guſtu differunt, & pondere: ſic quoque virtute, aliæ aliis longe præſtant. Quare ſi quis ad urbem ſibi incognitam perveniat, circumſpicere oportet ejus ſitum, quomodo ſcilicet ad ventos, & Solis exortus jaceat. non enim idem poteſt, ſi ad Boream jaceat, & ſi ad Auſtrum; neque ſi ad ſolis exortum, neque ſi ad occaſum. Et hæc quidem diligenter oportet perſcrutari; tum quomodo in aquis ſe habeat: utrum paluſtribus utatur & mollibus, an duris: ſive ex ſublimi, ſive ex ſaxoſo loco ſcaturientibus: ſalſis item crudiſve. Terra etiam ipſa conſideranda, nudane ſit & aquis carens, an denſa & aquoſa: item an concava & æſtuoſa, an alta & frigida. Hominum inſuper victus ratio perquirenda, an bibaces ſint an lurcones & otio dediti, an vero exercitiis corporis & laboribus aliis ſtudeant, & edaces, & vini temperantes. Et ab his quidem ſingula conjectare oportet. Nam qui hæc omnia probe cognoverit, aut certe horum plurima, in quamcunque urbem licet ignotam, ingreſſus fuerit, neque morbos ei regioni peculiares & proprios, neque communium naturam, quæcunque tandem ea fuerit, ignorabit: & propterea neque in eorundem curatione vel dubitabit vel errabit. Quorum utrunque illis evenire ſolet, qui non hæc ipſa ſedulo edoctus fuerit.

Quum ergo conſtet, curari morbos non poſſe, ſine prævia cognitione, cognoſci vero nequeant ſine notitia rerum, quibuscum vivere homines conſuerunt: omnino neceſſe habeo, Medicinam Indiis & imprimis Braſiliæ congruam ex propria experientia traditurus, ad exemplum Maximi Medicorum, de Natura Cæli Solique ea præmittere, quæ lectorem meum veluti manuducant in notitiam eorum, quæ curationem morborum iſtis in oris occurrentium propius concernunt. Quod vel ideo neceſſarium duxi, quia ſideribus mire faventibus & regionibus fertiliſſimis omnino ac ſaluberrimis perperam ſolet attribui, quod erat vel incolarum vel advenarum intemperantiæ aut imprudentiæ: eorumque imprimis inſcitiæ imputandum, qui in extremas & incognitas mundi plagas abeunt, & profeſſione artis, ſalutis humanæ facile præſidis, operam præſtent mortalibus; Hippocratis interim præcepti immemores non raro deficiunt in ſanitate curanda, ſive ea conſervanda ſit, ſive erigenda.

Braſiliæ Continens, ut maxima & præſtantiſſima totius novi Orbis pars magno ſuo merito cenſetur: ita, ſi penitius introſpiciatur, non minus jucunda atque ſalubris deprehenditur. Adeo etiam, ut Aëris, Aquarumque & Locorum cum temperie tum ſalubritate poſſit cum quibuslibet Europæ vel Aſiæ regionibus certare. Situm quippe ſi ſpectes, figuramque, à ſecundo circiter ab Æquatore ad quartum ſupra trigeſimum latitudinis gradum excurrens longioris Trigoni ſpeciem refert. Baſin habet ad Orientem: angulis Æquatorem & Septentrionem ſpectantibus. Ab illa Baſi in Occidentem

recta porrigitur: ita ut Angulus extremus ignotis ad Meridiem regionibus abſorbeatur. Quod in Orientem ſpectat latus, Heſperiis objacet Æthiopibus; interpoſito vaſtiſſimo mari. Vnde eſt, quod non minore valetudinis ac vitæ commodo, quam animi oblectamento habitetur. Etenim tota ejus frons blandum & benignum Subſolanum, ab auris matutinis natum, continenter recipit. Is mirum in modum homines cæteraque animantia demulcens, atque ab intolerabili Solis, vertici perpetuo imminentis, æſtu vindicans magnum quid ſanitati tuendæ confert. Flatus ille, ſiquidem accedat mare, ſummo mane: ſin recedat, adultiori demum aurora exoritur, totoſque dies pervadit. Neque enim, ut multis Indorum in locis, circa veſperam langueſcit: quin intenditur adeo, vireſque ſumit eundo & comitante Sole, ut ultra medias noctis horas non raro vigeat, & aëris nocturna condenſatio nequeat dilatationem ipſius & motum naturalem facile hebetare ac ſuperare.

Alterum latus (quod à Peruano Regno celſiſſima montium juga & immenſa diſterminant ſpatia) Zephyrus perflat, ventuſque Mediterraneus ſera nocte infeſtat. Qui licet ob admixtos infinitis è paludibus ſurgentes vapores, habeatur inſaluber; adeo tamen à montibus mari vicinis coërcetur, & propulſatur à ſuccedente marina aura, ut vix queat ad littora uſque penetrare. Quodſi ob pluvioſas quandoque malacias per diem integrum (quod rarum eſt valde) ſpiraſſe contigerit, remotiores à mari, & Occidenti objectos, vehementius; maris vero accolas, atque imprimis nautas, una vix leuca à littore remotos, clementius exercet.

Quemadmodum vero annuis temporibus integri ſemeſtris mutationes haud magnæ: ita diurnis & nocturnis evidentiores contingunt; eo quod dies & noctes non magis pares ſint ſpatiis, quam differentes calore & frigore. Nam Sol altius aſcendens, poſtquam terrarum & hominum poros aperuit, profundius & pari intervallo ſe occulit; unde condenſatus aër extremam noctis partem magis rorifluam efficit. Hinc rigidum & penetrans frigus corpora ferit inde à tertia nocturna, maxime vero circa gallicinium, uſque ad exortum Solis. Ideoque incautioribus advenis hanc terram recens ingreſſis perquam moleſtum atque noxium eſſe ſolet, & tantum non omnem ſpem præcidere vitam in hiſce vel aliis Indiarum oris beatam tranſigendi. Hujus rei non ignari indigenæ, focum perennem juxta lectos penſiles alunt, ejus ut beneficio inſecta non ſolum venenata, ſed etiam nocturnum frigus, ſimul & terræ fuligines arcere à ſe queant.

Porro rectus aſcenſus & deſcenſus Solis breviſſima facit crepuſcula, nocteſque adeo diebus pares, ut ne quidem unius horæ diſcrimen agnoſcant. Noctibusq; æſtivis, frigus intenſius: hybernis, quod mirere, mitius ſæpe perſentiſcitur: aëre ſcilicet tranquillo, & nubibus undiquaque preſſo pluviaſque minante. Ruricolæ poſt noctes ſolito frigidiores, dies ſerenos & ſementi proficuos: Medici vero firmam, validamque corporis conſtitutionem pollicere conſuerunt: contra, ſi tepidæ noctes præceſſerint.

Pluvialis temporis initium fit menſe Martio vel Aprili; finis eſt Auguſto. Quo Sol redux ex Cancro materiam pluviæ ex parte diſſolvit in ventos, unde procellæ & turbines ſubinde naſcuntur. Has mox vernum tempus excipit, blandiſſimeque componit. Diverſitatem quidem umbrarum, nunc in Auſtrum, nunc in Septentrionem projectarum, experiuntur Braſiliæ cæterique Tropicorum Incolæ, (Amphiſcii propterea dicti) nullam tamen, ut Doctiſſ. Scaliger, aliique non infimæ ſortis Philoſophi, fuere arbitrati, circa anni tempeſtates mutationem; bis nempe accedentis, & bis recedentis Solis; ſed tunc ſolummodo cum abit ab Æquatore ad Tropicum vel Cancri vel Capricorni, uſque dum eo redierit & Æquinoctium abſolverit. Proſper Alpinus duplicem æſtatem quod uno anno dari teſtetur in Ægypto, id non tam à Solis quam admirando Nili acceſſu & receſſu provenire exiſtimandum eſt.

Tempora anni non niſi duo ſunt, calidum & ſiccum æſtas dicitur: alterum quod calidum & humidum, ac Veri Europæo ſimile, brumæ vicem ſupplet. Idque veriſſimum omnibus in Indiis intra utrumque Tropicum deprehenditur. Hiemis enim & æſtatis initium atque finis licet ob particularia incidentia loci, tum & Æquatoris majorem vel minorem vicinitatem, non in idem tempus incidant: plerumque tamen annus ſex fere menſibus ad humidum & totidem ad ſiccum vergentibus abſolvitur. Adeo ut vel hinc etiam veritas Strabonis dicti confirmetur, nullum ſcilicet annum in Indiis inveniri utroque tempore ſine pluviis. Et quidem ea ratione, ut hic non, ſicut in multis Africæ & Aſiæ, ejuſdem nobiſcum Latitudinis, oris,

maxi-

maxima exinde intenſio & remiſſio æſtus, ſed nulla vel ſaltem exigua percipiatur, (Sole licet Braſilienſium zenith menſe Octobri & Februario tranſeunte, radiiſque ſecundum angulos acutiſſimos reflexis feriente terram.) Quæ diverſitas iſtarum regionum Incolis, ob crebras malacias noxioſque tepores, interitum: harum contra ob dominatricem auram ſalutem promittit perpetuam. Vnde facile eſt colligere anni tempeſtates eſſe non tam immediate ex Sole & aſtris eorumque motu æſtimandas; quam ventorum ſpecie & diverſitate, Regioniſque qualitate ac ſitu peculiari. Eadem cauſa ſolemnibus illis Torridæ Subſolanis vel Favoniis reddi poteſt. Quin in locis hiſce Mediterraneis paulo verſus occidentem noctes non ſolum, ſed & dies aliquando ſunt frigidiores, quam in orientalibus littoralibus, uſque adeo ut pruina aliquibus quandoque capillos riguiſſe conſtet. Etenim in Indiis cum multa ſint admiranda, illud tamen vel imprimis videtur omnium phyſicorum ingenia ſuperare, quod in eadem Cœli plaga, Solis acceſſu & receſſu pari, iiſdemque anni menſibus ab orientali parte quidem circa Oceanum æſtas & ſiccitas ſit; ab occidentali vero trans juga montium & paludes Braſiliæ, hiems, nebulæ & pluviæ. Vt in tanta locorum vicinitate, quod ad rationem tempeſtatum attinet, iidem pæne populi ſibi mutuo antipodes videantur eſſe. Quam miram diſſonamque naturæ varietatem, atque alia ejuſcemodi, ſi quis diligentius apud ſe reputet, profecto intelliget, Antiquos multa de Æquinoctiali circulo & Torrida zona falſo opinatos eſſe. Cum, contra quam Ariſtoteles & Plinius aliique ſunt arbitrati, non ſolum habitabile hoc Clima, ſed & temperatum ac fertile utique reddant tum rores perpetui, tum pluviæ & jucundi à pelago flatus, dum vapores mane ſurgentes & nebulas tempeſtive diſcutiunt, æſtumque meridionalem temperant, ac Soles puriſſimos & nitidiſſimos reddunt. Hinc vero humorum, qui in nobis ſunt, à putredine conſervatio. Neque tamen præcipua ſalubritatis vel longævitatis ratio, ut quidam voluerunt, Æquatoris eſt vicinitas, ob æqualitatem quam imaginantur tempeſtatum. Nam multis ſub linea Æquinoctiali locis habitatis nec Solum nec Cœlum ad ſalubritatem favet: ſicut Inſula D. Thomæ, Guinea aliæque provinciæ teſtantur, ubi corpora à torrente calore areſcunt & reſolvuntur, minimeque longæva fiunt. Etenim attracti à Sole verticali & præſentiſſimo vapores ob perpetuas malacias non diſperguntur, neque aquæ agitantur, ſed ſtagnant. Tum ſi qui perflant venti, languidi ſunt, & veluti longo itinere feſſi, ventis ſubitis aut mediterraneis facile ſe ſubmittunt. Vnde tepores vaporoſi, nebulæ & putredines enaſcuntur. Quod ſub Æquatore navigantes non ſine miſeria experiuntur in penu & aqua imprimis, quæ putredine fœtoreque concepto bis terve ſolet corrumpi in vaſis recens infuſa, priuſquam incorrupta & durabilis haberi queat. Braſiliæ vero vaſtiſſimus Oceanus tum pluviis, tum ventis perpetuam ad exhilarandum littus materiam ſuppeditat, non tepidam, ſicut extra Tropicos ſolet, ſed egelidam & ſiccam, eamque à Sole illuſtratam ab oriente in occidentem ad milliaria aliquot ſpirat. Accedit, quod paluſtribus & male olentibus pluviis ex continenti ortis, nunquam infeſtetur. Denique, ut multæ Orientalis Indiæ & Africæ partes, non cingitur vicinis Inſulis, neu ventis agitatur turbidis & procelloſis.

Cœlum ſæpe quidem nubibus, ex oriente in occidentem latis, obductum videas, ſed rariſſimis & tenuiſſimis, inque ſublimia aëris elevatis, præterquam diebus pluviis. Sol oriens & occidens inconniventibus oculis adſpici poteſt: tumque fere ordinario apparet ut colore, ita & magnitudine; adeo ut perquam commode Diameter ejus menſurari queat. Mira undique ſerenitas eſt, præſertim circa veſperam. quæ nullos unquam ſuccedenti Lunæ tradit vapores vel nebulas: ſed noctes reddit adeo claras ut uno eodemque die Luna vetus & nova conſpici, litteræque ad Lunam quadratam ſatis recte legi poſſint. Eadem Aſtronomo & ad cæleſtia intento promittit multa circa Eclipſes & Nubeculas Magellanicas, Veneremque poſt emerſionem à Sole falcatam, Mercurium ſcintillantem & corniculatum, acceſſus denique Lunæ ad ſtellas cum fixas tum Planetas, cæteraque Phainomena, partim antea Europæis non viſa: ſicut multoties fuit à nobis obſervatum ex ſpecula eminentiori Aſtronomicis uſibus per Illuſtriſſimum D. I. Mauritium Naſſaviæ Principem, exſtructa, & à domeſtico meo accurate deſcripta, ad quem curioſum lectorem remitto.

Æther pro diverſitate aſpectuum Planetarum, accedentibus cauſis inferioribus, ſuas recipit intemperies. Crebris fulguribus Cœlum ſub veſperam coruſcat, tempeſta-

 te

te vel maxime ſerena, ſed ſicca. Tonitrua ſi quæ circa Æquinoctia ſuboriantur, rariſſime in Pernambuco & ſine fragore audiuntur, utut imbres effundat: in Maranhan ceu propiore Æquatori, vehementius & crebrius intonant. Multæ Irides, Halones, Dracones ignei volantes apparent. Grandines vix unquam conſpiciuntur. Nec eſt, qui obſervaverit altiſſima montium cacumina nive tecta, aut brumalem oſtentaſſe canitiem.

Pluviarum guttæ admodum ſunt magnæ, gravique decidunt impetu, quas moleſtus aliquando tepor præcedere vel ſequi ſolet. Ros Europæo, cum pinguior, atque adeo fæcundior, ſic ob nitri quo impregnatur copiam penetrantior multo ac tenuior, præcipue æſtate, exiſtit. Manifeſtum hoc in ferro imprimis, multo magis in materiis minus ſolidis. Quæ ſub dio poſita facile corroduntur & exeduntur. Intenſior enim Solis radiorum fervor, poros corporum ſublunarium aperit uſque adeo de die ut nocturno rori ſubtiliſſimo facilem uſque in profunda aditum faciat. Vnde per quotidianam viciſſitudinem humiditatis & caloris illata putredine, vermium diverſorum generum fit generatio. Quantum vero omnibus his noxius eſt ros, tantum gramini & paſcuis proficuus, imo neceſſarius, ne æſtate inopia pluviarum torreantur. Hoc ſolo enim arentia loca & humorem ſitientia refocillantur. Nihil item rore magis alimentoſum, quo ſolo tot beſtiolæ & infinita inſecta vivunt: quod & divinus Poëta dixit; *Quantum ros nocte reponit*. Eſtque adeo eximiæ efficaciæ ros matutinus, ut & pecora & homines æſtuantes, ac ſpirituum profuſione fractos mirifice roboret. Concentrando enim calorem nativum ingeminat, atque appetitum acuit, adhæc urinam provocat.

Eteſiis ceu anniverſariis ventis ſereniſſimis hæ oræ diverſis temporibus gaudent. Semeſtri enim hiberno ſive pluvioſo, ex nubiloſa auſtrina plaga intenduntur & Vulturni velut naturam induunt. Hinc vehementius quam Aquilo, menſibus æſtivis, dominantur, aëriſque imperium obtinent. Adeo etiam ut ductus aquarum inde à menſe Martio ad Octobrem illis obſequia præſtent. Reliquo anni tempore ex Septentrione in Auſtrum maria coguntur. Circa Africæ latus occidentale, Braſiliæ oppoſitum, plane diverſo modo ſe res habet. Quippe ab Aprili ad Iulium menſem, verſus Septentrionem rapidus eſt fluxus; inde ad Octobrem tranquillum mare. Hinc ad Ianuarium verſus Meridionalem plagam Oceanus truditur: mox circa medium Aprilis denuo nullum *Currens* maris. (ut fluxum illum generalem Verulamius appellat) experiuntur nautæ. Atque hæ diverſitates potiſſimum quidem intra Tropicos libero æquore navigantibus percipiuntur. Adeo ut hi venti generales, Tropæi dicti, minime ſegnes, partim regendo *Currens* maris, partim proprio flatu (non ſpontaneo aliquo raptu ab ortu in Occaſum, ut Scaliger & ante eum veteres quidam imaginati ſunt) id efficiant, ut hinc navigantes verſus Africæ, vel Europæ oras, eadem redire, qua venerant via, nequeant.

Æquor Braſilienſe ut plurimum tranquillum eſt. Cui temeritas Barbarorum ſe fidens, gemino ligno ſuberoſo, *Iangáda* dicto, inſidentes, ſecure piſcaturam exercent aliquot leucis à littore remoti. Cærulea & ſubnigra ejus facies exterius eſt, interius viridis. Agitatum noctu igneſcit, magnoque lumine refulget. Salſius quoque deprehenditur quam verſus Polos, adeoque pellucidum, ut piſces ultra viginti orgyarum profunditatem aureo colore micantes, ex altis puppibus commode conſpiciantur, meridiano tempore, Soleque ſplendente. Ac tum ſimul intueri licet, quam diverſus & contrarius ſubinde ſit motus in profundo mari, ab eo qui in ſuperficie à tumultuariis fit ventis. Quod jactas bolides, aliaſque artis nauticæ conjecturas non parum eludit.

Si mare circa Æquinoctium nimis languidum deprehendatur, admodum inſidioſa habetur illa tranquillitas. præſertim, ubi atræ & ſordidæ nubes conglobatæ, ut fit, accedant, quæque univerſo repente impetu ſeſe effundant, unde momento immenſæ rates evertuntur.

Licet autem juxta littora æſtu ſatis vehementi ſalum intumeſcat, non tamen agros invadit, aut vicinas terras depreſſas inundat, ſed ingenti fremitu rupem quandam ſive maris teniam, *Reçiffo* Luſitanis dictam, pulſat maximoque impetu verberat. Illam ſummo naturæ miraculo & beneficio ibi poſitam fateri, quotquot videre, coguntur. Crepido enim cautium longo tractu excurrens, inſtar muri ſe violentiæ barbari & indignantis elementi objicit, fidaſque ac tutas navibus ſtationes & portus præſtat. Largiſſimam præterea ædibus materiam, qua Olindæ & Paraybæ templa ac monaſteria ſuperbiunt, ſuppeditat. Maximam Braſiliæ partem eadem nunc interrupto & flexuoſo, nunc continuato

tinuato rectoque ductu tuetur. Ejus latitudo (quæ planiſſima eſt, & quaſi arte ſuperficie tenus polita) ad paſſus viginti, ſubinde triginta & ultra ſe extendit. Tantæ vero altitudinis eſt, ut vix maximo æſtu inundetur.

Nova plenaque Luna mare ad duodecim pedum altitudinem (quod in Paranambucenſi littore fit circa quintam) attollitur, pariterque deprimitur. Verum non rite obſervata ſex horarum viciſſitudine, ſed pro ratione decurſus fluviorum & pelagi intemperie, vel citius vel tardius æſtum vaſtiſſimus Oceanus abſolvit. Ita tamen, ut menſibus æſtivis acceſſus: hibernis vero receſſus ſint & longiores & vehementiores. Quid, quod fluxus lunares, paucis tantum à littore miliaribus; *Currens* vero maris per univerſum æquor perſentiſcant navigantes.

Cæterum ad extricandas perpetuas nautarum controverſias circa longitudinem hujus Continentis, ſcire intereſt, magis ad Occidentem à natura collocatam eſſe quam peritiſſimi quique Geographi & Hydrographi hactenus ſunt opinati. Operæ pretium itaque duxi illud addere, quod ex ſedula obſervatione Eclipſium Lunarium nobis conſtat. Initium ſiquidem deliquii, quod in vigeſimum Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi incidit, inter Olindam Paranambuci, & Vranoburgum Daniæ, tribus horis & quatuor minutis differre deprehendimus. Vnde reducto calculo, facile erit colligere, quæ cauſa ſit erroris; cum plerique naucleri ultra quinquaginta minuta à nobis diſcrepent.

Vniverſa Braſilia (cujus Incolæ Antœci ſunt Hiſpanis & Æthiopibus; Periœci Iavenſibus: Antipodes Aureæ Cherſoneſi populis) Coloniis & Præfecturis quatuordecim, totidemque circiter fluviis diſtinguitur. Horum beneficio territoria fertilitate & commoditate differunt. Præter quamplurimos amnes, fontibus inclytis & utcunque herboſis habitata Orientalis pars ſcatet; iiſque paſſim, mira divina bonitate irrigatur, potumque hominibus juxta ac pecoribus abunde ſubminiſtrat. Armenta ſilveſtria ſiti æſtuantia eo confugiunt, ſeque ad luxum inebriantia aquis, præda fiunt venatoribus. Rapidi ſunt plerique fluvii menſibus pluviis, & tunc de ſubito in altum excreſcunt ac ripas egrediuntur. Econtra vero is, qui Paranambucenſis Præfecturæ terminator & D. Franciſco ſacer, totius Braſiliæ facile maximus eſt: menſibus quidem æſtivis rapidiſſimus ſimul & altiſſimus exiſtit, ruptiſque obicibus valentius ruit in campos & mare. Menſibus autem pluviis, quod mirandum ſane, aquas decreſcere, modiceque tantum in pelagus ſeſe exonerare videas. Cujus inauditæ diverſitatis cauſam, alii aliam perhibent. Sed ſub accuratiſſimis Regionum luſtratoribus & ipſis Philoſophis etiam nunc lis hæret. Quamvis autem tanti fluminis fons aut origo nondum à quoquam fuerit luſtrata, tamen evidens ratio videtur evincere ex intima parte hujus Continentis deſcendere, & quidem è Lacu illo mediterraneo à multis celebrato, qui omnes fluvios, ut & hunc noſtrum, ab altiſſimis Peruviæ montibus verſus ortum demiſſos, recipit & in Oceanum emittit. Noſtrates hoc flumen celocibus aliiſque ratibus *Canóas* dictis ad quadraginta milliaria aſcendentes adhuc ſatis latum & profundum, inſuliſque amœnum & ſcopulis horridum invenerunt. Indigenarum quoque & Luſitanorum fide conſtat circa quinquaginta milliaribus à mari, ipſum de altiſſimis rupibus ſeu cataractis, *Cacoéras* vocant, præceps ruere nec altius ab iis qui è mari veniunt aſcendi poſſe. Supra cataractas fluminis alveum porro pergere verſus *Corum* ad aliquot milliaria, uſque ad ingentem illum Lacum, in quo multæ ſint inſulæ perquam fertiles & habitatæ. Inque hunc Lacum aureas arenas à rupibus auriferis verſus Peruviam jacentibus detritas per infinitos torrentes deduci.

Cæteri plerique fluvii vel potius rivi, qui ad hanc Braſiliæ oram in Oceanum effluunt, ad minimarum etiam navium onera è mediterraneis deferenda ſunt inepti, quod aquis deſtituantur. Illi enim paucis exceptis, licet tribus aut quatuor milliaribus non abſint à fontibus ſuis, nihilominus in oſtiis magnorum fluminum ſpeciem præ ſe ferunt. Quod fit propter maris acceſſus, fauces illorum illudentes. Exemplo ſit *Rio formoſo*, item *Rio grande*, & alii, omnes magnarum navium qua oſtia capaces: qui tamen, ut verſus mediterranea vix duabus leucis à littore abſunt, ita pedibus genu tenus tranſeuntur. Cum nulli tamen alii in hac Americæ parte reperiantur, qui tantos imbres alveo ſuo excipiant. ſed conſtat ratio. Vaſtiſſima montium juga procul à littore demittunt vim illam pluviarum à tergo, & exonerant ſe verſus Occidentem. Mox ver-

verſus Orientem ad rapidiſſima, ne dicam & totius mundi maxima: uno quidem brachio verſus Septentrionem in Amazonum & Maranhan flumina: altero ad divi Franciſci, atque illa quæ *de la Plata* & *de Ianeiro* dicuntur, verſus Auſtrum erumpunt. Hæc receptis in ſe quibuſdam amnibus invaleſcunt & aliquando ad milliaria triginta in Oceanum labuntur, tanto impetu, ut in ipſo mari dulces à nautis hauriantur latices, ac ſi è fonte aliquo ſalirent. Porro Lacus juxta littus reperiuntur, qui mari licet vicini & quaſi contigui, aquis tamen ſunt dulciſſimis. Præterea putei, paucis ante annis, circa ipſum littus, & quo æſtus maris pertingit, effoſſi, potabiles aquas & dulces ignoto vel dubio venarum commercio, impertiunt. Vnde percolatas omniſque ſalſedinis expertes prorſus haurire datum: quæ licet fontanis inferiores ſint, domeſticis tamen officiis ſufficiunt. In remotiſſimis vero deſertis rivuli quidam è lacubus oriundi, hieme dulces, ſubſalſi æſtate exiſtunt; quod ſtagnantes Solis aſſiduitate adurantur.

Tellus hæc ex diverſo naturæ luſu conſtat. Qua enim in planitiem longe lateque ſternitur, gleboſo ponderoſoque & præpingui ac irriguo eſt ſolo *Vergea* Luſitanis dicta: multorum fructuum ferax: cannas ſacchareas imprimis, tum & credita quæque ſemina multiplici reddit fœnore. Aprici campi minus æſtate, ſed menſibus potiſſimum pluviis (licet terra tunc habitantibus triſtior videatur) lætiſſime vireſcunt, prataque meſſem negantia pabulis vigent. Frumentum & ſecale nimis celeriter in germen evocantur à jugi perpetuoque ſolis fervore & indulgentia agri. Qui proinde multa verſatione (nec autem interquiete unquam indiget) fatigari debet, additaque potius arena quam ſtercore, ferendis frugibus aptior reddi. Secus enim germinatio nimis feſtinata aduritur vel exhauritur. Qui ab exoticis ſeminibus & his quæ diutius in terra foveri debent, proventum expectant, maturationem retardent oportet. Ne foliis luxurient plantæ, ac granis poſtea & ſeminibus caſſæ reperiantur, atque ita ſpem votaque agricolarum deſtituant. Committere terræ plantas & ſemina oportet menſibus Februario & Martio, quum nempe finem æſtatis excipit tempeſtas humida. Fieri vero utrumque debet prima veſpera, non de die, nec adulta nocte. Quæcunque profundius & quo radii ſolares non pertingunt, inhumant, in vitæ diſcrimen ea incurrunt, quod ſub cute ſua intenſe frigida terra, præcipua æſtate, taleas & ſemina facile enecet. Cujus rei advenæ & novitii experimentum non ſine magna jactura fecerunt. Semina ſicut & fructus colligunt diverſo plane tempore in locis acclivis & ſitientibus quam declivioribus & uliginoſis. Quid quod horum plurima toto anno & omni tempore plantentur & germinent: felicius licet vel infelicius, pro locorum & plantarum diverſitate. Quod evidentiſſime apparet, præſertim circa proceras illas arbores, quas *Cocos* & *Palmitas* nuncupant. Etenim hæ citra ullam anni temporis, ſeniique arborum obſervationem tranſplantatæ vireſcunt jucunde, & fructibus eximiis abundant, in littore ſterili gaudentes foveri; modo radices, quas infinitas & breviſſimas habent, leviter tantum terra cooperiantur. Harum enim cæterarumque Indicarum arborum radices adeo à frigore ſubterraneo abhorrere deprehenduntur, ut nonnunquam Solis deſiderio foras prorumpentes, terra ſe condi vix patiantur. Nonnullæ arbores & quidem nobiliores, ſicut *Acaiú, Vbapitánga, Cajá, Andá, Içapucáia*, , *Mureçý*, *Ietäibá*, *Araticú*, *Ibabirába*, Ficus & Myrtus ſylveſtres *Iamacarú* & *Cambuý* dictæ: Planta quoque *Ananás* & alia ſemel dumtaxat in anno florent, tempore verno, quod circa Octobrem eſt: mox fructus proferunt, Sole ingrediente Capricornum, & durant ultra tres menſes, poſteaque quieſcunt. Solus, quantum conſtat, fructus *Guitycoroí* ſemel biennio; fructus autem arboris *Ibiraée* quod eſt Guajaci Braſilienſis, vix quadriennio producitur. Pauciores arbores nativæ hactenus ad ſativas relatæ: ſylveſtres tamen cum ſint, fructus elegantes, & gratiſſimi ſaporis proferunt, maxima quidem ex parte frigidos, cum aſtringendi facultate. Quaſi natura benigna hæc mortalibus immodice æſtuantibus ſolatio dederit, proruentibuſque humoribus frenum impoſuerit. Plurimæ arbores & frutices toto fere anni tempore flores & fructus feliciter protrudunt, ſimulque Ver, Æſtas & Autumnus in iis conſpiciuntur. Horum facile principes, *Murucujá, Mangába, Pacóba, Banána, Ianipápa, Araçá, Pindóva, Cocos, Mamáon Pinhoins, Piementa*. Quibus annumerantur, Vitis, Citrus, Malus Medica, Ficus, Cucumeres, Melopepones, Citrulli Malogranata bifera & trifera, aliaque plurima ex Luſitania & Angola olim, & nuper è Belgio adducta legumina, radices & olera paſſim in hortis exculta, atque

in culinis domeſtica facta. Imo & Piper orientale, & alia infinita exotica, tam ſata Europæa, quam Aromata Aſiatica benigne fert tellus. Sed regio quondam diplomate ne vileſcerent propter abundantiam, prohibita & prorſus eradicata. Qui racemos per totum annum deſiderant, vineas diverſas, diverſis putant menſibus, maturaſque poſtea uvas colligunt. Vnde non ignobile vinum, creticum æmulans, exprimitur. Quin & omnis generis fructus atque frumenta etiam noſtratia ſingulari fertilitate explerent colonorum ſpem, ſi quod univerſale remedium contra Formicarum illam Strumam inveniri poſſet. Nam locis anguſtis & quoque uliginoſis vel ignis vel aquæ beneficio per impigrum agricolam facile arcentur. Sed cum nulla regio ab omni parte beata, vix credo potentiſſimum hunc hoſtem ſuperatum iri poſſe. Quod non tam à Soli quam Solis vi procedat, qui ubicunque ſub zona torrida, etiam in Indiis Orientalibus, atque in vicina Peruvia, infinitas Formicarum turmas generat. Partes autem Indiæ, ut quoque Braſiliæ, extra Tropicum ſitæ, Formicas vix norunt; unde & fruges ibi uberrima. Vtinam natura plures feras formicavoras collocaſſet, quæ ſimul tot myriades abligurirent, ſicut mira illa aſpectu animalia quadrupedia *Tamendoá* dicta, quæ Canis magnitudine, longis inſtructa unguibus, alte fodiendo formicarum latebras detegunt, iiſque illico exertam trium fere dodrantium linguam immittunt exilem, opertamque Formicis repente contrahunt, deglutiuntque deceptas. Formicæ autem hæ (*Rey do Braſil* Luſitanis non immerito dictæ, quod perpetuam tyrannidem exerceant) aliquæ Europæarum plane ſimiles, aliquæ triplo majores & alatæ, omnivoræ ſunt. Aggeres quoque & tumulos ingentes, in modum metarum fœni, è terra ab illis exſtructos, videas. Huc inopi metuentes ſenectæ, non tecto vel calle anguſtis, ut Virgilius eleganter de ſuis Formicis cecinit, ſed auguſtis convectant atque reponunt quidquid populant nigra hæc Formicarum agmina; ita ut in campis, in ſylvis, aliquot leucarum ſpatio, perpetuæ ſemitæ, opere earum ferveant. Quam vero noctu Luna plena operentur, interlunioque ceſſent, quam celebres undique earum conventus, quam diligens cum obviis collocutio atque percontatio, quam denique futurorum quidam ſenſus, cum, imminentibus menſibus pluviis, tumulos ſuos cavernoſos altiores ſtruant, &, quod omnem fere intelligentiam ſuperare videtur, granorum in penu reconditorum umbilicum, quo germen emitti ſolet, ſollicite excidant, hic conſpicere datur. Ita ut vel ſtupidiſſimus ſpectator Salomonis proverbium in memoriam revocet, ubi ignavos ex earum œconomia incitamentum laboris capere jubet. Plura de mirando regimine dicenda forent, niſi jam dudum propoſiti limites tranſiiſſem.

Qua lacuſtris eſt hæc Regio, ob perpetuam uliginem funditus æque ac in ſuperficie viret. Tum diverſo plane herbarum fruticumque paluſtrium genere, adeoque mira naturæ ſolertia luxuriat, ut herboſam terram, non aquam diceres, amphibiorum æque & piſcium latibulis deſtinatam. Non omnia loca paludoſa & lacuſtria inſalubria eſſe, monumenta veterum quoque confirmant in Italia, ubi inſignia quædam & fertiliſſima habitacula paludibus proxima, incredibili tamen ſalubritate fruebantur, propterea quod commercium haberent cum mari, & motione perpetua non paterentur ſtagnantes putreſcere. Circa oſtia vero fluviorum, ubi paludem aqua marina ſingulis æſtibus inundat, ab immenſa Oſtreorum & Cancrorum multitudine perreptatur, atque tortuoſo illo arborum genere, *Mangle* dicto, ita obſidetur, ut viatoribus & piſcatoribus prorſus ſit inacceſſa.

Qua montoſa, raro ſterilis vel otioſa apparet, ſed in acclives & amœnos colles (exceptis vaſtiſſimis montium jugis in deſertis mediterraneis) exſurgit. Contingit quidem arbores & gramina menſibus pluviis læte virentia, æſtivis ob ardores ſolares emori, eaque incenſa ingenti ſpatio ſubinde incendium producere; ſed ipſi Incolæ iis incommodis proſpicere norunt, dum loca illa exciſarum & recenter combuſtarum cineribus fœcundant, ut frugibus Cerealibus Americanis aptiora fiant.

Qua arbuſtis ſylviſque denſiſſimis veſtitur, multo olim labore Luſitanos ad pyxidem nauticam iter ſuum inſtituere coëgit. Quod noſtratibus etiam nunc & mihi uſui fuit, in muniendis viis per deſerta, patentque nemora in longitudinem aliquando ultra ducentas & trecentas leucas. Qua ad arborum vaſtitatem, cymbæ uniligneæ ex iis fiunt centum & quinquaginta hominum capaces. Qua ad altitudinem, ſagitta à fortiſſimo emiſſa quarundam ſummitatem haud facile ſuperat. Arbores denique variæ magnitudi-

tudinis indiſcriminatim hinc inde per campos & ſylvas videre eſt, earumque ramos variis carduis, imo & integris diverſæ ſpeciei arbuſculis frugiferis onuſtos & ornatos. Haud dubie, quia tot volucrum cohortes, cum excrementis ſimul alvi nucleos ſeminaque fructuum ibi deponunt: quæ in fervido earum ventriculo præmacerata, facilius germinant. Ex hiſce nemoribus fragrantiſſimæ quoque arbores balſamis & gummi gravidæ, non tantum medicinæ gratia, ut *Copaíba*, *Cabureíba*, *Içicaríba*, ſed lucri cauſa ob colores & tincturas varias, alioſque uſus eximios ad Europæos apportantur. ut ſunt *Ibirapitánga* arbor illa Braſilienſis κατ' ἐξοχὴν ita dicta, & rubra tinctura nulli non nota. *Tataíba* ſive lignum flavum. *Araríba* cortice rubro. *Vrúcu*. *Iacarandá*. *Antinuba* ſive Cedrus alba, & aliæ multæ quæ ædificiis navibuſque ſtruendis aptiſſimæ, quod aquis minus perviæ ſint & ferant ætatem. Ex quarundam corticibus nunc funes igniarii, in militantium uſum, nunc in navium neceſſitates torquentur, & rudentibus materiam ſubminiſtrant. Denique è colliſis lignis *Caraguatá*, *Tataíba*, *Ambaíba*, aliiſque ferulaceis plantis ibidem naſcentibus, ignis luculentius, quam ex concuſſo ſilice, à Barbaris elicitur.

Si quæ loca ſint aridiora, mirabiles illas Climaces, ſeu funes potius ἀφύλλους, generali nomine *Timbó* & *Çipó* appellatos proferunt, quæ ſua flexilitate & tenacitate apud fabros & vietores ligaminum, contuſa apud piſcatores, coriarios, & naupegas, rhoïs & ſtupæ vicem ſupplent. Inter has Climaces, non minus notatu digna illa quæ *Guembé* nomen à Braſilianis accepit. Texitur enim Cannabis & Sparti modo, cum alios in uſus, tum præcipue in anchoralia: neque materia ulla ad nauticos funes & maris impetus aptior; namque ut ſalſuginem amat ea planta, funis quoque ex illa confecta marinis aquis immerſa, identidem revireſcit. Et anchoris alligata, fluitantes in ſalo naves egregie continet, non tam ab innata duritie, vel operis firmitate, quam viriditate ipſa, & lentitia quadam ad inſtar corii: ut ſeſe vel in altum elato navigio, modo in tenuitatem extendat, vel reſidente rurſus in craſſitudinem contrahat: quod ſecus in noſtris evenit rudentibus, quæ nimirum ipſa vi ac pertinacia ſæpe rumpuntur.

Nemorum pleræque arbores, cum ab Autumni & Veris viciſſitudine nihil fere patiantur, frondibus tamen & foliis non eodem ſimul tempore veſtiuntur & ſpoliantur. Præterea non unaquæque arbor foliis ſimul omnibus orbatur, ſed parte una decidente altera tam diu manet, donec prior repullulet. Mirari quoque ſubit, primum naturæ hoc fœcundiſſimum theatrum contemplantem, herbas & plantas in Europa à natura molles, hic caulibus ligneſcentibus luxuriare: Earum quoque non paucas ratione loci inter ſe plurimum diſcrepare; nam quæ vix fruticis magnitudinem æquarent in pratis, in denſis nemoribus ſummæ videri proceritatis. Accedit, quod varii generis Hederæ fabiferæ, Phaſeolique pulcherrimi, ſuprema arborum cacumina ſcandentes, topiarii inſtar operis perpetuam umbram præbeant. Inter hæc virgultorum opaca, ipſis Faunis conſecrata homines pariter ac feræ ſe abdunt vivuntque ſecure. Multi enim in illis ſunt ſecreti tramites; qui ſui gnaros haud parva in venando voluptate perfundunt. Quæ ſylvarum fontiumque prærogativa multis Indiarum regionibus denegata eſt, maximeque occidentalis Africæ parti habitatæ, ac propterea Torridarum regionum nomen merito obtinent: ab immodico enim & ingenti æſtu dehiſcunt illæ, ut ad fluvios umbroſoſque ſaltus diſſitiſſimos pecorum greges amandari neceſſum ſit. In agro enim arenoſo longe majores ab incolis perferuntur calores, quam ſi terreus eſſet eodem Solo, Cælo & Sole. Ita & montoſa differunt à planis & nemoroſa à nudis, ac perinde ut humilioribus aut altioribus montibus aſſurgunt, magiſque aut minus ſylvis veſtita ſunt, frigus aut calorem aëri majorem aut minorem conciliant.

Porro ſicut Peruvia crebro ex æſtuantibus cavernarum latebris: ita nunquam Continentis hujus tractus orientalis terræ motum fuit expertus. Metallis enim & igne ſubterraneo, ſpirituum & vaporum genitore paſſim deſtituitur. Excipe montes in Præfectura *Ceára* adeo argentiferos, ut theſauros hactenus pollicitos, nunc cum fœnore Batavis præſtare cœperint, atque etiam nunc præſtarent, modo Plautinum illud minus in nos quadraret.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Atque hæc de diverſitate terræ nobis cognitæ.

Illa autem deſerta & ſolitudines frequentibus jugis arduas, inque Occidentem porrectas

rectas Anthropophagi tenent. Europæi qui inveſtigando loca incognita vaſtiſſimos iſtos & fragoſos ſaltus penetrarunt, teſtantur, ſe non minus fertiles ibi, herboſoſque montes & convalles vario animalium genere occupatos vidiſſe, quam in littoralibus & habitatioribus locis. Quod ipſum poſtea verum comperi: hoc tamen diſcrimine, quod quo ad mediterranea loca penetres altius, eo plura quidem mineralia eaque ignobiliora ſe offerunt, ſed fontium inopia atque ob auras devigeſcentes æſtus diurnus major, & noctium frigus intenſius: frequentiores denique lacus piſcoſos hybernæ pluviæ, in æſtivam penuriam, ſuppeditant. Mediterranea enim opem plurimam à cælo imbrido habent, non circa vegetabilia ſolum, ſed & ferarum atque piſcium miram obæſitatem, ut condimento proinde minori indigeant. Mel quoque ſylveſtre, fructus *Iaçabucájo*, *Ietaíba*, Palmæ & ſylveſtres Ficus, defectum fructuum *Acajú* in deſertis locis ſupplent. Quæ teſquis & rubis, cæteriſque ſpinoſis fruticibus paſſim adeo horrent, ut vi via facienda ſit. Inter cætera, *Caragúatá*, aliique cardui, rorem & aquam pluvialem copioſe concavis foliis, calicis inſtar perpetuo continent, quæ deficientibus rivis & pluviis ingenti ſolatio hominibus æque ac animalibus exiſtunt.

Duæ tantum indomitæ feræ (ſerpentibus exceptis) in tam vaſta Regione extimeſcendæ reperiuntur, Tigres & Apri. Quarum illæ inſidioſæ, velocitate valent: hi tardiore ſunt curſu. Vtræque autem famelicæ exiſtunt. Eædem paſtæ, quod mirere, adeo fiunt ignavæ & meticuloſæ, ut ab ipſis Tapuyeris, & gregariis etiam canibus, in fugam confeſtim agantur & capiantur. Vſque adeo ſatietas non homines tantum ſed & feras enervat. Inter belluas marinas vero, plures invenias feroces & prodigioſas ſatis. licet enim ſummè admirabilis Dei potentia atque ſolertia in rebus cœleſtibus, iiſque quæ in aëre & terra fiunt, unicuique pateſcat; maxime tamen ea in mari prælucere videtur, in quo tam variæ & ſtupendæ rerum formæ conſpiciuntur, earumque vires & proprietates deteguntur, ut quærendi & contemplandi nullus unquam futurus ſit finis, meritiſſimoque jure ea quæ dignoſcitur pars, illius quæ ignoratur minima dici poſſit. Sunt autem Thynni, Delphini incredibili velocitate cæteros ſuperantes. Serræ porro, & Lamiæ ſive Tuberones inter rapaces primum locum obtinent. Hi formidabili rictu piſces non tantum, ſed & urinatores devorant, nimiæque voracitatis pœnas aliquando dant; quod piſces echinati, cornuti, tum quoque venenati, deglutiti eos interimant. Sicut eleganter Oppianus olim cecinit:

Occiſa occidunt hoſtem, perimuntque necantem.

Serræ vero perpetuum cum Cetis bellum gerentes, eorumque præcordia gladio radiis acutiſſimis horrido fodicantes, mare tingunt cruore.

——— *His eſt audacia tanta.*
Hi fortem Ponti Regem formidine nulla
A grege ſejunctum aſpiciunt, ſolumque vagantem:
Atque catervatim veniunt ad martia bella.

Cetorum vero menſibus præſertim pluviis magna apparet copia, quod fœtus ibi edant. Quos cum maris receſſu contingit hærere in vadis, multum olei inde redundat. His quoque monſtris annumerantur Vaccæ marinæ & Nereides, Braſilianis *Iupipiápre*, Luſitanis *Peixemulher* dictæ. de quibus Virgilius,

Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.

Notatu dignum, quod eximiæ tot arbores, frutices & herbæ, figura, foliis & fructibus à veteris orbis vegetabilibus, paucis exceptis, diſſimiles appareant. Idem in avibus, animantibus & piſcibus deprehenditur: ut & inſectis alatis atque non alatis. Quaſi ex diverſitate Climatum, non tantum hominum, ſed etiam ſenſitivorum & vegetabilium prodirent differentiæ, idque non adeo ex aſtrorum ſynergia, quam vi Solis & Soli genio peculiari. Quæ omnia ut ineffabili colorum pulchritudine, ſic & infinita multitudine hiſce in oris generantur, partim nota nobis, partim incognita. Quorum aliqua, ſapore & dignitate Europæa ſuperant; aliqua longe inferiora exiſtunt. Ex quibus utique apparet, quam mirus & varius luſus ſit in orbe terrarum. Meritoque beati Incolæ haberentur ſi omnium horum Creatorem cognoſcerent. Quum è contrà tam fauſto ſub cœlo, tam agreſtia & diſtorta illis ſint ingenia.

Hæc breviter de Aëre, Aquis & Locis dicta ſufficiant. Quorum utique temperies optima parum eſt ex ſe culpabilis. Neque enim Solis calore torretur hæc terra, neque

ſqua-

ſqualore vel aquarum penuria reſiccatur, neque frigore extinguitur, ſed rore perpetuò imbribuſque multis ac fontibus irrigatur. Vnde & feraciſſimum eſſe, & multa illic tempeſtive naſci oportet. Præterquam enim quod Balſamis nativis, oleis, mellibus non unius generis abundet, herbarumque ac radicum medicarum & ad tutandam valetudinem potentium ferax ſit: quæſtuoſiſſimam inſuper culturam facit, quantum ex aliquot retro annorum meſſibus colligi potuit. Animalium denique omne genus ac boum imprimis armenta in maximum numerum augeri & crebrius parere, certum eſt. Quæ loci ſalubritatis fama non paucos olim ſenes alioſque minus proſpera utentes valetudine, ex Hiſpania, & Indiis aliiſque diſſitis locis excivit ad aërem & aquas has Cœlo datas, tamquam ad duo validiſſima vitæ & valitudinis præſidia. Perquam mature enim pubeſcunt Incolæ: ſeneſcunt tarde, idque ſine canitie aut calvitio. Quo fit, quod longe ultra centeſimum ætatis annum, viridi ſenecta, non Americani tantum, ſed & ipſi Europæi fruantur, totumque adeo territorium Macrobium dici mereatur. Non aliter ac ſi fervor juvenilis frigore ſenectutis repreſſus, temperatiorem illam in calidioribus hiſce plagis efficeret. Advenarum enim proles crebris licet morbis infeſtentur, multique ſuccumbant, imprimis noſtrates infantes, non tamen id tam debet Cœli intemperiei, quam præpoſtero nutriendi modo imputari. Exemplo ſunt vel maxime Braſilianorum liberi vivaciſſimi. Qui cum ventre duro ſint & prominulo, ſolidiſque toris, quamvis ſubucula tantum leviori induantur, nihilominus injurias Cœli ſecure contemnunt. Rident matres ineptam noſtratium & veſtiendis & educandis parvulis induſtriam, qua perſpirationem impediri & catarrhos multos generari aiunt. Nulli inter illos, ſtrabones, luſcioſi, claudi, gibbove deformati inveniuntur: cum tamen infantes nunquam aut linteis involvantur, aut involuti faſciis Europæorum more ligentur. Frigida frequenter lavantur. Idem provectioribus uſitatiſſimum eſt: cum ob innatam genti munditiem, tum ad firmandam & tuendam corporis ſanitatem. Porro alacres ſunt & ſucculenti omnes, vaſiſque amplis, brachiis cruribuſque lacertoſis & firmiter compactis, minus tamen pinguedine farctis. Qui nobiſcum militant maris accolæ, non admodum ſunt aut moribus agreſtes, aut corpore proceri, ſuntque mares invicem maribus, mulieres mulieribus ſimiles: eo quod paucioribus anni tempeſtatibus obnoxii, etiam rariora vitia in ſemine ſeminiſque efformatione concipiant. Plerumque enim ut hominum inſtituta & mores, ita quoque naturam pro varia Regionis conſtitutione mutari videmus. Præter longævitatis beneficium & alterum eſt quod rariſſime adverſa valetudine afficiantur. Primo quod fortibus naſcantur, & incomparabili aëris ventorumque ſerenitati atque æqualitati exponantur: tum quod tantum non ignorent, quid curæ ſint, quid animi affectus, quid corporeæ voluptates. Sub eodem tecto, eoque levi & ad inverſæ modum carinæ palmis inſtrato, multæ ſimul familiæ degunt. Has caſas peregrinaturi deſerunt ad tempus, ſupellectilem quam curtam habent & liberos humeris impigre portantibus fœminis. Eodem ſemper victu & amictu, eoque ſimplici gaudent. Quippe ſolum goſſypium ad veſtitum illis ſufficit, juxta illud Lucani ſcilicet:

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis &c.

Nullus denique illis habendi amor, paupertatique ſe addicunt voluntariæ, ea quidem æquitate, ut cui plus eſt, lubens impertiat minus habentibus, pari dandi & poſcendi invicem facilitate. Radices omnes alimentoſas, quod dignitate *Mandiocæ* cedant, imo ipſum panem ex oryza aut milio, Aſiaticis tantopere expetitum, contemnunt. Omnibus fructibus poma ſilveſtria, *Acajú* dicta, præferunt, quod egregie ſuccoſa ſint, & ad victum æque ac potum ſufficiant. Nam ſiceram ipſis ſuppeditat, in multos menſes, fæcibus depoſitis, duraturam; & præſtantiſſimas caſtaneas, penu recondi aptas. Alii etiam fructus, præſertim *Pacóba*, *Ananás*, *Mangába*, *Ianipába*, *Caraguatá* expreſſi ſimile vinum vel ſiceram ſuppeditant, nec minus inebriando idonea. Fiunt & alia ex radicibus *Mandiocæ*, *Patáta*, Milio Turcico, Oryza, quæ maſticata multa cum ſaliva exſpuuntur. Sputum hoc vaſis tandiu conditur, donec ferveat, fæceſque ejiciat. Vina vero hæc citius aut tardius ad fermentandum inſurgunt, prout dulciores, acidiores vel acerbiores ſunt ſucci ex hiſce plantis fructibuſque expreſſi. An non à ſimili materiæ conditione dependeat quoque anticipationis & poſtpoſitionis ratio in febrium paroxyſmis, viderint Medicorum ſcholæ.

Servitutis jugum nequaquam tolerant. Tripudiis inconditis & potationibus impendio

pendio

pendiò ſunt dediti. Cibum capiendi ſtata tempora ignorant. Recte aut perperam factis, nihil poſt mortem præmii aut ſupplicii ſupereſſe exiſtimant. Vane interim fabulati, eorum, quos ſua mors extinxit, animas immortales fore. Otium amant, magnoſque labores declinant, ſecure & in diem viventes. Cujus rationem cum Hippocrate eam eſſe arbitror, quod rerum ac temporum uno modo ſe habentium facies eadem ingeneret ſocordiam, varietas autem animum & corpus ad labores excitet. Quin etiam otio & quiete creſcit ignavia; exercitatione vero, mentis & animi robur alitur. Ætatem ac vitæ decurſum æſtimant ex Heliaco Pleiadum exortu, qui fit menſe Maio. Numerum autem annorum ætatis ſuæ ut retinere poſſint, ſingulis annis reponunt unam caſtaneam de *Acajú* ſemel duntaxat in anno circa Ianuarium provenientem. Fœminæ pudicæ non deformes ab octennio ultra ſexageſimum annum ſupra fidem fœcundæ; imo ſeptuagenariæ orbos infantes lactantes viſæ ſunt. Facili negotio & nemine obſtetricante pariunt, rariſſime abortientes. Pleræque puerperæ ſtatim poſt partum ſurgunt, ad proximum flumen properant ablutum corpus, & impigre, cum ad cætera domeſtica officia redeunt, victum hinc inde conquirendum. Liberos defunctos ultra biduum aut triduum non deplorant, matribus miſerando ejulatu totam domum implentibus. Lachrymis, quas in poteſtate habent, profuſis, cognatos reduceſque excipiunt amicos, eorumque labores peregre exantlatos, multis ſuſpiriis atque gemitibus deflent, circumdatis collo brachiis & capite ad pectus adpreſſo. Olim antequam Luſitanos agnoſcerent numeroſi & pæne infiniti erant, ac pagi undiquaque adeo frequentes, ut Indiarum luſtratores ſagaciſſimi dubitarint an ulla orbis pars Braſilia populoſior fuerit unquam. Nunc autem ad paucitatem redacti; nam Luſitanorum ſævitia, alii pæne ad internecionem deleti, alii in miſeram ſervitutem abrepti, alii fuga ſibi conſulere & intra Continentem latere ſunt coacti. Qui inter Luſitanos & Belgas degunt Neophyti, Chriſto quidem dant nomen, ejuſque ſacra ſequuntur; ſed frigidius. Quin adulti circa ea adeò ſunt remiſſi, ut merito putes, ore duntaxat, non corde Chriſtum colere. Vix etiam placita noſtra, niſi tenellæ ætati, nondum præoccupatis animis, remotiſque parentibus, inſtillari poſſunt. Lingua inter ſe haud differunt. Et quamvis quondam ex feroci proſapiâ fuerint orti, mutuo tamen cum Europæis commercio & conſuetudine uſque adeo ſunt cicurati excultique, ut exuta barbarie, humanitate nonnulli cum noſtratibus contendant. ut & hic illud Taciti uſurpare liceat, Mitius circa Oceanum vivitur. Qui etiam nunc litterarum & characterum ignari, nihilominus antiquitatis memoriam, tam pace quam bello geſta accurate conſervant. diligentiſſime namque junioribus tradunt quæ à majoribus acceperunt, imo ſenes dies noctesque integras in illis tradendis conſumunt, juniores vero tradita facile accipiunt, & retenta fideliter aliis quoque inculcant.

Mediterranei contra, immanes, truculenti, ſine lege, ſine religione, ferino prorſus ritu in hunc uſque diem, nulla ſtabili aut fixa ſede morantur, quin vagantur huc illuc, prout victus ubertas aut penuria tenuerit aut abegerit illos. Soli vivere amant. Tuguria nec latibula ferunt, ſed ſub dio perpetuo victitant. Ita ut pauca quæ de ipſis dici aut ſcribi mereantur occurrant. Piſcibus & feris mira tam odoris quam curſus ſagacitate inſidiantur. Iacula validiſſimis lacertis atque ſtupenda arte, ſine arcu torquere norunt. Mari non niſi nantes utuntur, qua in exercitatione tantum valent, ut truculentum illud maris monſtrum Tuberonem ſive Lamiam aſſequantur & capiant, ſiniſtra ad natandum utentes, dextra acuminatum palum geſtantes, quem obvio hoſti contra ipſos expanſo rictu horrendoque hiatu inſurgenti inſidioſe in os immittunt; bellua interim marina manum apprehendere ſatagens tali artificio decepta, ſeſe profunde defigit, & capere cupiens, vel ab inertibus barbaris capitur, qui dorſo furentis inſilientes (pugna ſane admirabilis, & ancipitis eventus) jumenti inſtar illam circumagendo per undas, minores piſces in eſcam venantur. Præterea adeo ſtrenui ſunt urinatores, ut ſi piſcis vel aliud quid in fundo quærendum ſit, patentibus oculis vrinentur totius horæ ſpatio. Quod Lectori non incredibile erit cum de Ægyptiis proditum ſit, per totam diem in aquis poſſe deliteſcere, & ubi ad ſummitatem aquæ enataverint, capite non prolato reſpirare. Viri pariter ac fœminæ fuſis capillis, diverſa licet tonſura, cæteris corporis partibus depilatis, vix ullo circa pudenda velamento, incedunt, aviumque diſcolorum plumis ſe exornant. Colore quodam fuſco ex *Ianipápa* pomo expreſſo, corpus turpiter pingunt, ut terribiliores in bello videantur. Et ne facies ornamento de-

ſtituatur, lapillos viliſſimos & longiſſimos, perforatis à prima infantia auriculis, labiiſque inferiobus & maxillis inſigunt. Quod licet viſu fœdum, illis tamen regium videtur. Ominibus & auguriis dediti, ariolis, ſagis & impoſtoribus quæſtui ſunt. Alii Tonitru, alii Vrſam minorem, aliaque ſidera pro numine habent. Tanta eſt inter illos confuſio & diverſitas linguarum, ut exinde ſolum atrociſſima bella & crebra naſcantur, inimicitiasque inter ſe exerceant perpetuas, ſupraque fas humanitatis & odii ſævas: imo vel ipſos ludos aliquando in ſerias clades convertant. Ad bella ituri, miro quidem ſilentio & ordine ſimplici procedunt. Ad manus ubi ventum eſt, horrendo fremitu & ululatu aërem feriunt, imbreſque ſagittarum utrimque emittunt, tam lethali veneno infectas, ut vel leviſſime vulneratos crudeliſſime interimant. Fœminæ lactantes & prægnantes deinceps à virorum conſortio abſtinent. Vbi autem pepererint, ſecedunt in ſilvam, & infanti umbilicum concha præcidunt, & una cum ſecundinis coctum devorant. Maritus tempore puerperii uxoris loco decumbit primis à partu diebus, & puerperæ inſtar bellariis & epulis fruitur, ſubindicans neceſſitatem lapſas vires reſtaurandi. Cum in morbum eorum quis inciderit, amici accedunt, quiſque ingenium advocat, remedia quorum notitiam experientia ſibi comparavit, profert. Mox ſpinis arborum *Carnaiba*, piſciumque dentibus, quibus ſagittas aſperant, in toroſis brachiorum & femorum partibus alte cutem ſcarificant & incidunt, membraque à laſſitudine potiſſimum vindicant. Idem fere præſtant per validam ſuctionem, ore pando parti dolenti applicato. Vomitum vi concitant contortis ſilveſtribus foliis, gulæ immiſſis. His & ſimilibus remediis fruſtra adhibitis, nihil ultra tentant, nec tamen ægrum relinquunt, ſed unanimi conſenſu, tamquam de ejus ſalute deſperantes, clavis ligneis illum crociter interimunt: gratificantes tamen illi, & ille ſibi, quod maſcule interire ipſi contingat, omnibuſque miſeriis eripiatur. Hoc enim lætabundi in ipſo mortis articulo, quaſi de Euthanaſia, gloriantur. Non minori cum applauſu in parentis quam victi hoſtis cadaver ſæviunt, illud præ turpi amore, hoc præ immani vindicta crudeliſſimarum ferarum ritu dilaniantes & intra ſe ſepelientes. Vtriuſque carnes (modo non à veneno extincti) oſſa tenus dentibus abraſæ diræ ipſis epulæ exiſtunt. Optimatum vero cadavera ab aliis optimatibus toſta comeduntur, præter oſſa; quæ à proximis conſanguineis ſervantur ad nuptialia convivia, & tunc in minutiſſimas particulas contuſa, bellariorum loco devorantur. Quibus nondum conſumtis, capillos ſibi, in ſignum luctus, evellunt. Vix poſſum, quin his addam, quibus præſtigiis verbipotentes Sagæ (quas quoque Medicorum loco in pretio habent) & alii Sortilegi miris artibus populo imponant, miſeriſque perſuadent, ſe ex eorum corporibus, animantia, lapides aliaque exſugere, quæ ipſis videntibus evomunt. Imo Reguli ipſi quoque ſibi medendi facultatem arrogant, ad quos matres ſuos infantes ægros adducunt, qui ab illis fricati & Tabaco conſputati, ſi interea moriantur, à matre & conſanguineis comeduntur.

Nemo itaque mirabitur ſi majorem herbarum cognitionem habuerint Aſiatici, quam Americani: cum hi animantibus non contenti, in rationalia quoque ruant. Illorum autem multi ex inſtituto Pythagoræ vel abjectiſſimo parcentes inſecto vegetabilibus vitam ſuſtineant.

Non abs re fore exiſtimavi, ſi facta à propoſito pauliſperdigreſſione, aberraverim, barbariemque illam miſeram, tum quæ huic genti paterna & innata ſunt, paucis expoſuerim: præterea ut conſtet, nullis creaturis adeo voluiſſe novercari naturam, quin abunde alimenta & medicamenta ſuppeditaverit, eaque exacte à venenis diſtinguere docuerit. Quod cum in animantibus & plantis quam plurimis ſolertiſſime, tum in radice *Mandihóca*, Americæ primo alimento, imprimis videre eſt. Denique ut demonſtrem, longe hanc à nobis diverſam vivendi rationem & temperamenta diverſos aliquando morbos & medendi modos ſuppeditare.

Reſtat ut conſideremus, quæ valetudini potiſſimum vel proſint vel averſentur, & unde originem ducant morbi. Inquit enim Hippocrates, Corrivatio una, conſpiratio una, conſentientia omnia. Quorum ſi vel unum deficiat, tota hominis ſtructura facile corruit. Enimvero cum ſub Zona torrida, omnia aſtra verticalia vehementius agant, &, quoad motum annuum, exceſſu ſubinde ſiccitatis & humiditatis: quoad motum vero diurnum, perpetua viciſſitudine caloris & frigoris: non poteſt non eoſdem effectus microcoſmus experiri. Vt enim planta novella, Soli genium, tamquam naturæ ejus minus conveniens, licet in melius tranſplantata, ſæpe non fert: ita multi Europæi,

pæi,

pæi, aut imbecillitate naturali, aut rite vivendi imperitia vel intemperantia, aëri & aquis hiſce ſaluberrimis, primariiſque vitæ fulcris, minus aſſueſcere poſſunt. Vnde non raro illis de laſſitudine ſpontanea primæ querelæ, quæ ex ſententia Hippocratis, νόσους φράζουσι. Boreales, licet æque ac Meridionales corporibus ſint compactis, mollitiem carnium tamen ex intemperie incurrunt, niſi tempeſtive ea cacochymia exturbetur, miſſis compoſitis, ſolis ſimplicioribus tenuiorumque partium alimentis ſe tradant, ne cruditas & craſſities humorum fomitem obſtructioni, obſtructio perſpirationi & circulationi ſanguinis impedimentum adferat. Adeoque ſi Hippocratis effatum, ξύμπνοια μία, locum habeat, hic ſane ejus, tam neceſſitas, quam perpetua veritas eluceſcit. Quippe immodico exiſtente calore, ſi perſpiratio undique eſt libera, nulla exinde perſentiſcitur moleſtia; ſin minus, ponderoſius fit corpus, ac brevi materia morbi futura colligitur. Circulatione enim naturæ perpetua impedita, & humoribus ſpiritibuſque, ſive ab interna ſive externa cauſa, cohibitis, ingeminatur fervor, pejusque inde quemlibet ſe habere oportet. Quod ſicut in omni vitæ officio veriſſimum, ita in ſomno manifeſto deprehenditur. Idem cogita ſi laſſo vel febricitanti intempeſtive medicamentum vel cibus exhibeatur. Ab his itaque ſequentibus vitæ inſtitutum fiat.

Quisque excelſiorem locum & contra occidentem opertum, atque in Orientem apertum eligat ad habitandum: talem inquam ubi Continentis craſſum ventum ab ædibus arcere, tenuem vero & ſoliſequam marinam auram perpetuo admittere commode poſſit. Adeo denique mediterraneis locis maritima à veteribus quoque prælata fuiſſe conſtat, ut Vitruvius narret, tranſlatum oppidi & quatuor tantum milliarium propius mari admotum, ſalubritate morboſum ſtatum mutaſſe. Pectoris ac ſtomachi regionem probe tectam quiſque domi ac foris habeat: quod nihil hiſce corporis partibus magis inimicum, quam poſt æſtum diurnum, frigus nocturnum. Quo fit, ut clauſis cutis meatibus, ſudores retro pulſi, varios morbos progenerent. Quibus enim tempeſtive ſudores fluunt, rarius valetudinem adverſam incurrunt, aut ſi quando in morbum incidant, minore negotio reſtituuntur. E contra fit iis qui difficulter ſudant. Partes veſte, umbra aut quavis alia re tectæ exudant: eæ vero quas Sol ferit, inſenſibiliter perſpirant. Per vim enim à Sole ſudor elicitur, ſervatur à tegumento.

Aquæ thermales vel balneæ hactenus incognitæ ſunt. Artificiales humidæ & ſiccæ, contra externa mala magno ſalutis commodo in uſu exiſtunt. Quæ nunc ex pura puta aqua, nunc compoſitæ ex odoriferis herbis (quas Braſilia producit eximias) conficiuntur. Cavendum tamen, præſertim noviciis & advenis, ab immoderato vel frigidarum vel calidarum uſu. Quarum illæ torpores & obſtructiones, materiam intus cogendo: hæ membrorum languores, carniumque effæminationes faciunt ob ſpirituum exolutionem. Quamobrem ne humor alimentarius facile foras evocetur, temereque reſolvatur, Incolæ cavent oleis balſamiſque nativis. Quaſi barbaries commune quid habeat cum erudita antiquitate, cui familiaris olim fuit, licet nunc exoleverit, unctionis uſus.

Porro exercitia vehementiora ſedulo vitanda ſunt. Aura hæc licet blandiſſime terram exhilaret, Soliſque ardores clementer mitiget, tamen motu defatigatis obeſt. A vento enim adiapneuſtia: ab immoderatiori vero exercitio, ſumma humorum ſpirituumque accenſio & acrimonia proficiſcitur. Tempus ambulationis opportunum eſt matutinum, modo maris acceſſus auram intendat & maturet, exhalationesque nocturnæ prius diſpellantur: tunc enim blande ſtringitur & concentratur calor naturalis. Maxime autem ambulare circa Solis occaſum prima veſpera conducit: quod vires corpori, robur & appetitum ſtomacho reſtituat, ob temperiem optimam aëris & auram intenſiorem: Cum tamen aliis Europæ & Africæ regionibus calidioribus veſpertinus flatus, *Seren* Luſitanis dictus, merito extimeri ſoleat. Labores & motus vehementiores tum animi tum corporis, maxime obeſſe: lucubrationibus quoque mentem citius turbari, memoriamque labefactari aſſerunt. Hoc certum eſt, difficilius vigilias & labores ob citam virium exhauſtionem tolerari ſub Zonis torridis, quam temperatis; torporemque advenas & deſidiam primo quidem inviſam, at poſtea placitam contrahere. Somnus diurnus brevis, quem in lectis penſilibus promiſcua multitudo capit, commendatur. Inſuetis tamen aliquando obeſt, ac propterea multum concedendum hac in re conſuetudini. Corporis vigilantis decubitus merito præferendus ſomno, præſertim eo loci ad quem aura marina, non radii Solares poſſunt pertingere. Somnus nocturnus in

lecto molliori, & plumis avium referto, admodum improbatur, quod viſcera accendat. Qui Sanitati conſultum vult, pedibus coxiſve nudis ne jaceat, præſertim poſt mediam noctem. Denſato enim corporis habitu à nocturno vento venæ arteriæque per ſe meanti ſanguini tranſitum, tum & perſpirationi inſenſibili atque ſudori exitum præcludunt: ac tum quidem, ob tranſpirationem cohibitam, poſtridie pejus & gravius habent. E diverſo illi qui mediocriter cooperti ſomnum capiunt, jucunde ac optime valent, levioreſque ſe ſentiunt, emiſſo præſertim ſudore levi & roris inſtar tenui. Adeo ut facile ſit in hiſce Regionibus, concedere Sanctorio, Per tranſpirationem inſenſibilem plus evacuari, quam per omnes ſenſibiles junctas.

Qui Veneris æſtui frenum injicere neſciunt, hujus cæli temperiem ferendo non ſunt, ardorem juvenilem extinguunt, ſenectutem ante tempus maturant, perſpirationemque remorantur. Vnde cruditates ad ambitum effunduntur, catarrhos in cerebro, in corde palpitationes moventes.

Inediam Incolæ impatientius ferunt. Ante omnes bilioſis vehementer obeſt. Qui ſi ſtomacho forte vacuo ſomnum capiunt, facile tum capiti, tum cordi mala acceſſunt. Proinde ægris juxta & ſanis conducit modice & ſæpiuſcule cibum & potum capere. qui quo minus compoſiti vel calidi, eo conducibiliores ad ſanitatem. Quiſquis enim ſeram & beatam Senectam attingere deſiderat, ſive advena, ſive indigena, caveat ſibi à vini & carnium uſu quotidiano. Quæ enim ex nutrientium & caleſacientium ſunt genere, ſiquidem vincantur, corpora quidem ſanguine & calore replent: Sed ſin minus, frigidi & aquoſi ſolent naſci humores. Calida omnia & amara atque acria mane imprimis vitanda. Poma vero Aurea, Limonia, Citria, *Mangába Murucujá*, melopepones, Citrulli, reliquaque refrigerantia, ſive cruda ſive condita utiliter comeduntur à jejunis, quibus inter delicias ſacra habentur, quod cordi conferant, tum & menſibus præcipue æſtivis ad jucundiſſimam maturitatem perveniant. Vnde abiit in proverbium, Non intrat ædes medicus, in quarum veſtibulo crebri Arantiorum cortices mane conſpiciuntur. Sedulo cavendum ne fructus ulli colligantur, antequam radii ſolares ab exhalationibus nocturnis eos repurgaverint. Præſtat illos, aſtringentibus exceptis, ante potius quam poſt paſtum, & ſaccharo conditos quam crudos apponere. Fugaces enim cum eorum multi ſint, facile corrumpuntur, imprimis iis, quibus imbecillis & intemperatus eſt ventriculus. Ego quidem Galenum imitatus, pepetuo ſuaſor fui amicis, ut rarius horariis fructibus ſeſe oblectarent: unde ipſis diu multumque bene fuit. In quotidiano uſu potiſſimum ſunt (nam reliqui ad Hiſtoriam Naturalem pertinent) *Ananas*, *Mangába Acajú*, *Araçá* major & minor, *Guajába*, diverſæ ſpecies *Murucujá*, *Ibapitánga*, *Maſarandíba*, *Acajá*, *Araticú Guiticarói*, *Biringéla*, *Pinoguaçú*, *Cocos*, *Banána*, *Pacóba*, ficus quoque ſilveſtres. Hi omnes inter patrios habentur, eorumque maxima pars ſponte provenit: nonnulli à Batavis & Luſitanis in hortis excoluntur tam feliciter, ut ipſi fructus vileſcant. Inter ſubterranea ſunt Radices *Patáta* & *Vmbú*, tum glandes Americani *Munduy* optimi ſaporis & nutrimenti, atque ſecundæ menſæ deliciæ. Non procul à littore in locis arenoſis & ſalſa æquoris unda imbutis, adeo ſponte luxuriat Portulacæ & Braſſicæ marinæ ſive Soldanellæ quoddam genus, ut pro acetariis quotidianis ſufficiant.

Inter feras plurimæ exiſtunt, quæ victui ſervire queunt. Apri majores & minores, umbilico in dorſo præditi, carnibus optimis & ſaluberrimis cenſentur. Amphibii porci, *Capiverres* Luſitanis dicti, licet dignitate cæteris inferiores, integris militum & Barbarorum cohortibus alimento probo ſunt. Idem de Erinaceis dictum volo. Antæ etiam lucifugæ, mira viſu animalia, carnes bubulas referunt. Capreæ, tum Lepores & Cuniculi, Europæis haud cedunt. Tatuſiæ denique diverſæ ſpeciei loricatæ, & inſignes illæ lacertæ, corrupte *Leguána* dictæ, in delicatiores epulas expoſitæ. Neque hæc tantum, ſed & alia identidem ſilveſtria & domeſtica, catervatim in ſaltibus oberrantia, nuper ab Europæis invecta ſunt pecorum armenta, imprimis boves, porci & arietes. quæ bifera & trifera utcumque exiſtunt. Inter hæc nefrendes teneritate carnis excellunt uſque adeo, ut ægrorum diætam ingrediantur, & ovillæ longe præferantur. Experientia enim conſtat, multa quadrupedia, piſces ac aves in cœnoſis & paludoſis locis viventia, non idcirco adeo poſtponenda eſſe montanis & fluviatilibus, ſicut plerumque fit in ſeptentrionali Europa, quod in hiſce regionibus calidioribus eximia aëris temperies & ſerenitas correctorii vicem quaſi ſubire videatur circa naturam ejuſmodi animalium.

Avibus

Avibus ſilveſtribus, partim in nemoribus, partim in aquis viventibus, optimi guſtus, haudquaquam deſtituuntur. Licet non ſit hujus inſtituti eas prolixe enarrare, tamen præterire nolo, quæ palato & ſanitati ſerviunt. Vt ſunt quæ in montanis habitant, Phaſiani, Perdices, Accipitres diverſæ ſpeciei, ac carne optima & tenerrima. His ſuccedunt Pſittaci, Coturnices, Turtures, Palumbi, Turdi, Fringillæ, Columbæ ſilveſtres, quæ omnes toſtæ menſis inferri ſolent. Ex amphibiis celebrantur Anſeres & Anates diverſæ ſpeciei, quarum quædam Europæas dignitate & magnitudine ſuperant, quædam vero iis cedunt.

Cæterum inter tot volatilium genera riparia & littoria (eorum licet aliqua ſint carne minus tenera) Ardeæ ſtellares & non ſtellares, Ruſticulæ atque Gallinæ paluſtres, & ſimilia, minus ſunt prætereunda. Adde & Struthiones primarios Ambræ griſeæ prædones. Nobile illud Bituminis genus Ambra dictum, Spiritibus imprimis vitalibus reſtaurandis per omnes Indias celebre, ex ignotis Oceani faucibus copioſe in Braſiliæ littora eructans, non niſi procelloſo mari alluit. Vnde fit, ut vix ceſſante tempeſtate aves & quadrupedes nonnullæ in ipſo littore certatim eam devorent, priuſquam ipſi maris accolæ iſtuc perveniant. Quod equidem mirum, cum omnis ante inſolationem molle tantum gluten ſit Ambra, ingratoque adeo odore nares feriens ut ab inexpertis plane reſpuatur: animalia tamen dulcem ejus odorem, licet hominibus adhuc latentem, prius perſentiſcant, ejuſque ſapore ſtrenue ſe oblectent.

Enarrato carnium uſu quotidiano, de piſcibus nunc dicendum. Dubito nobilitate & frequentia piſcium an ulla Regio beatior hac cenſeri poſſit; Mari, fluviis & lacubus piſcoſiſſimis, ſquamatos, aſperos, læves, molles, cartilagineos, turbinatos, omne genus abunde ſuppeditantibus. Vnde advenæ æque ac primi Incolæ ægri ac ſani perpetui ſunt Ichtyophagi: quippe non ſolum exhauſto omni penu, pro primario ſuſtentaculo, ſed præ cæteris deliciis, ſicut olim Romani, eos amplectuntur. Inter quos Cyprini, Alburni, Tincæ, Carpiones, Trutæ, Auratæ, Lupi, imo ipſi Aſelli, Europæorum figura & ſapore æmuli, primum facile locum tenent. Tum Orbes, Soleæ, Scombri, Acus, Rajæ, diverſæ ſpeciei. Cancris quoque, Teſtudinibus, Gammaris, Squillis, Conchis, Oſtreis, omnibuſque teſtaceis & cruſtatis, præſertim paludes receſſu maris exſiccatæ, magnopere ſcatent. Congri denique, Scari, Anguillæ, & hujus generis alii, quibus ſuperſedeo.

Qui in ſuperficie maris degunt piſces, menſibus potiſſimum pluviis, quod imbribus gaudeant, capiuntur: iis vero qui in receſſu fluviorum & alto mari ſunt, omni fere anni tempore, ſed ut plurimum æſtate piſcatores inſidiantur; atque, tum melioris pabuli gratia, tum ardoris extimeſcendi cauſa, proxima ſcopulis domicilia inque iis ſalubriora paſcua deligunt, ac proinde ſaxatiles & fundi piſces dicti. Præcipuorum nomina, icones, differentias & proprietates videre eſt in ſequenti libro.

In ſinubus vero & lacubus nec piſcium copia nec varietate à maritimis ſuperantur, quod, licet promiſcue alii aliis celerius pariant, & creſcant, in lacubus tamen his æque ac in fluviis citius, quam in ipſo mari id fieri contingit. Iique licet marinis & fluvialibus dicantur inferiores, dignitate haud multum tamen cedunt, quod non ſtagnantes vere ſint aquæ, ſed perſpirent, indeque fluenta & rivi aliquando egrediantur.

Piſces denique vel Sole exſiccantur, vel ſale (qui copioſe in ſalinis hic colligitur) condiuntur, inque penu conſervantur. Quod ſi crudioris cibi imprimis piſcium concoctioni aquæ potum minus ſufficere experiantur, pulverem ex ſale & modico piperis Braſilienſis præparatum, *Iuquitajá* dictum, intermiſcent, condimentumque inde conficiunt ventriculo ſaluberrimum, atque in omni peregrinatione merito circumferendum. Ita ut veriſſimum tandem in hiſce calidioribus terris compererim illud Galeni teſtimonium de Græciæ piſcibus. Alimentum ſcilicet ex pleriſque pelagiorum & fluvialium proveniens, ſanguinem conſiſtentia tenuiorem gignere, quam quod ex pedeſtribus animalibus producitur, adeo ut non copioſe nutriat, & celerius diſcutiatur. Hæc de cibis ſufficiant.

Potus porro uſitatus & longe ſaluberrimus (ſupra illum quem ex tot fructibus exprimi diximus) aqua eſt limpidiſſima, divinitus hiſce regionibus conceſſa. Quæ jucundo refrigerio, Solis imprimis ardore fractos, refocillare ac ſummopere recreare ſolet. largius & crebrius pota, nullos in ventre vel hypochondriis flatus aut tormina excitat, neque ventriculum debilitat, ſed melius quiſque inde ſe habet: modo ἐνδιάπνευστος, & Regionis temperamento conformis fuerit. Atque hinc quidem ilico ſudores & urinas

nas provocat, adeoque appetitum ſtomacho acuit, ut voraces Incolas reddat. ob miram enim ſuam tenuitatem alimentum in partes liquidiores penetrans intimius dividit, impediens, ne vel pinguior alimenti ſuccus aduratur, vel ejus cruditates ad renes aut membra externa protrudantur. Vnde fit, ut à calculi imprimis & articulorum morbis præſervet, rariſſimæque de duobus illis malis ſint querelæ. Conſtat, plurimos beata admodum ſenecta à tot ærumnis libera centeſimum attigiſſe annum, nec alium potum præter aquam toto vitæ curriculo guſtaſſe. Vnde facile eſt aſſentiri Veteribus, dicentibus, *Μακροβιωτέρας* eſſe gentes quæ aquam ſolam biberent. Cum enim aquæ hæ nive & metallis deſtitutæ è fontibus Orienti obverſis ſcaturiant, longo itinere aſſiduoque Solis ardore excoquuntur, gratiſſimæ & tenuiſſimæ evadunt, nihilque deponunt. Hibernis menſibus minus quandoque limpidæ ob crebras pluvias, nec æque frigidæ: Æſtivis, ob auram intenſiorem, frigidiſſimæ ſunt, nec tamen duræ, ſicut in frigidioribus regionibus; ſed molles, leves atque concoctu faciles. Aquæ ex imbribus collectæ leves quidem ſed calidæ ſunt, & facile putreſcunt, quod ex plurimis & diverſis partibus conſtent; ravimque ſubinde inducunt niſi excoquantur. Sicut enim contingit hominibus nudis ſub Sole ſedentibus tenuiſſimum educi per poros, relictis veluti fæcibus: ita Sol verticalis facile quod leviſſimum ſurſum rapit ex lacubus ipſoque mari, relicto quod ſalſum eſt propter craſſitiem & gravitatem. Quæ ex tumulis & montibus profluunt, iis conducunt, qui ventre ſunt duriore. ſi quæ vero aquæ ſaxa & ferrum recipiant, iis conducunt, qui humidiori & molliori ſunt ventre, quod reſiccent. Ab aquis ſubſalſis & paluſtribus in totum abſtinendum, quod indomitæ & duræ ventres adſtringant. Ac proinde ob imperitiam illi qui ventrem ſolvere exiſtimant, falluntur, quia raro perfluunt, & cum ſtabiles ſunt, à Sole exuruntur, novoque accedente imbre, craſſæ & olidæ evadunt, unde fit, ut bibentibus lienes magni & compacti fiant, ventreſque duri & calidi. Veterani non minus ſolertes ſunt in aquarum differentiis guſtandis, quam Europæi in diverſis vinorum qualitatibus diſcernendis, quos imprudentiæ inſimulant, ſi nullo habito diſcrimine aquas bibant. Illi enim optimas nihilque ſubſidentes hauriunt, quas ſublimioribus locis (ſubterraneis ob teporem neglectis) in urceis fictilibus noctéſque dieſque ſub dio reſervant, ubi invitis radiis verticalibus intenſiſſime ipſo momento refrigerentur, ad Aphoriſ. Hippocr. „ Aqua quæ cito calefit & cito frigefit, leviſſima eſt. Æſtuantibus tamen eam licet gratiſſimam, niſi offa conditurae ante deguſtata, bibere non convenit. Cum è contrario pubes nautica & milites, peſſima omnino conſuetudine, frigida largiſſime hauſta Spiritum vini metu cruditatum ſuperbibunt. Quaſi ejuſmodi vehiculo opus eſſet, eque duobus hiſce contrariis, cordis aliorumque viſcerum tenus nihil pateretur. Præterea Afrorum & Europæorum promiſcua turba, olente illo & nimium familiari potu, qui *Garápa* vulgo appellatur, ſe implent, quem caupones, lucro inhiantes, ex nigro ſaccharo & aqua conficiunt, & vix defæcatum vili pretio divendunt, additis ſubinde foliis arboris *Acajuéra*, quorum calore vapores excitantur, citiuſque inebriare facit. Concedi tamen poteſt, ſi ſumatur modice, ſi rite factum & vetus ſit. Dilutum quoque aliud ex aqua fontana ſaccharo & limonibus confectum ſani pariter ac ægri in deliciis habent. Sicut & illum liquorem quem Lucanus apud Indiæ populos in uſu fuiſſe teſtatus eſt.

Quique bibunt tenera dulces ab harundine ſuccos.

Cereviſiam vero Europæam, Vinum abſinthites, vini quoque Spiritum quidam ceu ſalubriora his oris maximopere commendant, ſed immerito. Vinum Creticum per omnes Indias quod per ſe ſine arte ſubſiſtat, cæteris vinis Europæis eſt præferendum. Cujus uſus modicus ſit veſperi, mane nullus. Nec leviter peccant, qui Torridis plagis paulo plus juſto illud bibunt. Quippe nunquam expertum eſt, potus frigidioris exceſſum, tantum nocuiſſe, quantum calidioris, quidquid naſutiores refragentur, quibus ob malam conſuetudinem & intemperiem jam vini uſu acquiſitam ſecus videtur. Ventriculus enim eorum extenuatus ob inopiam caloris nativi, atque etiam ad ipſum aliunde influentis, cogit eos vino uti, atque in ejus uſu perſeverare. Quod quoque Galenus lib. v. de ſanitate tuenda cap. XII. confirmat. Spiritum enim ex vino vel fructuum ſicera deſtillatum calere non tantum, ſed & ſiccare conſtat; tum potiſſimum quando pituita cruda ac fæculenta colluvies pabulum haud ſufficiens objiciunt, in quo acerrima atque exurens vis ſeſe hebetet. Et tunc viſcera accendit, appetentiam proſternit, & pedetentim nimia conſuetudine exequias ante mortem maturat, ut millies, proh

dolor,

dolor, obſervatum eſt in Indiis. Quin vinum ipſum, ejuſque extractum, tamquam Medicina infirmis tum animi tum corporis, data ſunt: hoc ad nimiam Spirituum diffuſionem verſus centrum in momento revocandum; illud, vel ad hilaritatem excitandam, vel ad laſſitudinem tollendam, vel denique ad ſtomachum in ſenibus roborandum: ſed quia pauci non infirmi, facta ſunt tandem omnibus potus. Ex his itaque ſatis liquere puto, veras longævitatis ſimul & incolumitatis cauſas; cum aër, olera, fructus, animalium carnes aquarum naturam ſequutæ, per continuam generationem eo deveniant ut hominum temperies fere ſit qualis aquarum.

Hactenus de uſu & abuſu rerum, ut inde conſtet, hunc orbem habitanti, quibus & quo pacto tueri ac firmare valetudinem poſſit & debeat. Antequam autem de lapſa reſtituenda agamus, paucis attingendum duxi, quinam morbi quævis anni tempora ac conſtellationes, præcipue Lunæ, æſtuſque aquarum reſpiciant: quique inter diverſas gentes, vel diſcrepantes vel communes ſint. Primum quidem, cum ob conſtantiam & æqualitatem tempeſtatum, hæc plaga ſaluberrimam temperiem ex calido & humido ſit nacta, mutationes nec tam magnæ, nec tam crebræ, ut ſupra dictum eſt, fiunt: unde certa ſalutis & longævitatis indicia proficiſcuntur. Quia, ut ait Hippocrates, Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos; & in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. Semeſtre ſiquidem pluvioſum, licet humiditas prædominetur, tamen à jugi Solis ſplendore moderamen accipit. Quod ſi ex debito & tempeſtive fiat, annum proximum ſaluberrimum, & à multis morbis immunem prænunciat. Semeſtre æſtivum, rore copioſiore imbrium raritatem compenſat. Hiſce temporibus æſtivis, ſicut morbi citius deſinunt, ita acuti ut plurimum & boni judicii ſunt. Secundum illum Aphor. XV. lib. III: Ex conſtitutionibus anni in univerſum ſiccitates aſſiduis imbribus ſunt ſalubriores & minus mortiferæ. Hinc laterales morbi, febres ardentes, raro lethales. Per ſiccitates autem febres acutæ fiunt, & ſi quidem annus maxima ex parte talis extiterit, qualem effecerit conſtitutionem, tales ut plurimum quoque morbos expectare oportet. Licet enim Lepra & Scabies hic incognitæ; impetigines tamen contumaces, pruritus, dyſenteriæ, haimorrhoides, inflammationes ani & oculorum, ex fervido Sanguine generari contingit. Quibus malis medendis aquæ frigidæ vel tepidæ tam externus quam internus uſus cæteris præſidiis facile palmam eripit. Ephemeras, ob accenſionem ſpirituum, vel ex Sole verticali, experimur, quas multa frigidæ irroratione per totum corpus facta, Empirici in Athletis, inſtinctu naturali potius quam Hippocratis vel Galeni præceptis ducti, reſtituunt.

Hibernis menſibus ſi Auſter perpetuus corpora exſolvat, humectet languidaque reddat, qui generantur morbi, præcipue ſunt febres putridæ, multa capitis ac ventris pituita, (juxta Aphoriſm. XVI. lib. III: Aſſiduis imbribus morbi fere fiunt febres longæ, fluxiones alvi, putredines.) prolapſus cartilaginis enſiformis, albus alvi fluxus cœliaco affectui ſimillimus, hydrops, hernia. Omnium autem maxime, oppilatio hepatis & ventriculi imbecillitates: quæ Viſcera ſimul cum anni tempeſtatibus mutationes accipere ſolent. Spaſmus, torpor, ſtupor, cæterique nervorum affectus in Indiis apud advenas frequentes ſunt, atque præ cæteris piſcatores, fabri, piſtores, tum milites humi cubantes, illis infeſtantur. Porro ſicut capitis vulnera & ulcera, vel ſponte vel ſolo gummi Elemni indigena facillime curantur; ita pedum ulcera tantæ ſunt malignitatis, ut vix curationem niſi æſtate recipiant. Omnibus pariter fervidioribus plagis commune videtur, plurima mala tum externa tum interna, quæ infra hepatis regionem ſunt, difficilioris eſſe curationis: contra vero, quæ ſupra; quod à perpetuo deſcenſu humorum acrium ſint libera. Morbi alii ad alia tempora bene vel male ſe habent, & ſine Medicamentis aliquando, auctore quoque Hippocrate, curantur. Pleriſque tamen his morbis æſtas non vacat, juxta Aphoriſm. XIX. lib. III. Atque hi omnes enarrati affectus huic Regioni tamquam patrii ſunt. Febres quotidianæ rariſſime hic inveniuntur. Imo cum Galeno aſſerere audeo, me quoque nunquam Iuvenem ullum, aut Virum natura calidum quoquomodo aut bilioſum, iis febribus correptum vidiſſe: ſed pueros tantum voraciores & hyeme præſertim exiſtente valde humida.

Quantum ad ætatem, infantia & juventus, ut dictum ſupra, morbis frequentioribus infeſtantur: Senes vero rarioribus. ad Aph. III. lib. III. Morbi alii ad alia bene vel male ſe habent: & quædam ætates ad anni tempora & loca, & victus genera. Et

„ Aphoriſm. XXXVIII. lib. II. Magnam partem ſenes juvenibus minus ægrotant. Catarrhi qui frigidis Regionibus ſenes, hic potiſſimum Iuvenes & Infantes infeſtant; unde nervoſum genus quoque inficitur.

Morbi diverſis in nationibus variant. Noſtratibus, imprimis noviciis & mulieribus, ſunt compoſiti plerumque & chronici. Atque eorum longe plures morbis capiuntur frigidis quam calidis, quod à nocturno frigore minus ſibi caveant, & à diurno æſtu calorem innatum evocari patiantur; tum quoque ex nimia nutrientis cibi & potus ingurgitatione, calor naturalis inſtar flammæ imbecillis, cui multum olei confertim infunditur, ſuffocetur: unde corpora non ſolum non caleſiunt, ſed & frigida vitia gignuntur. Quippe in tam pertinaces incurrunt vel viſcerum obſtructiones, vel alvi fluxus, ut paſſim languentes decoloresque ac viva cadavera incedere videas. Luſitanis minus compoſiti, ſed acutiores ſolent obvenire morbi: Braſilianis rari, iique acuti & ſimplices, ac proinde eorum curationes & prædictiones minus fallaces.

Quodſi æſtas admodum ſicca fuerit, bilioſis & melancholicis ob nimiam aduſtionem male ſit. Humidum ſiquidem, quod in ipſorum corpore adhuc reliquum eſt, calor depopulatur & deſiccat, partibus viſcoſis & craſſioribus manentibus. Vnde Tertianæ exquiſitæ & Quartanæ non minus quam in Europa graves. Sed majori cum acumine citiuſque terminum attingentes. Pituitoſis hæc omnia è contrario eveniunt. Hieme autem minus pluvioſa, teporibuſque ob defectum auræ marinæ ſuſcitatis, corpora non conſtringuntur, ſed cerebrum nervique humiditate ac uligine opplentur, quæ æſtatis mutatione ſubito accedente, circa Æquinoctium Autumnale valde noxia. Nam quia venter à redundante humore liberari nequit, aquam intercutem, profluvium album & difficultates inteſtinorum inde naſci oportet. ſic mulieres, licet fœcundæ, non concipiunt tamen, crebroque abortiunt, aut ſi quando parturiant, difficulter fœtum enituntur, eumque debilem brevique interiturum, aut certe valetudinarium. Quod quidem potiſſimum de advenis mulieribus dictum ſit. Quantumvis tempus æſtivum hiberno ſit magis ſalubre, quoniam in Braſilia ſiccitas humiditati prævalet, naturarum tamen aliæ ad æſtatem aliæ ad hiemem bene vel male ſe habent. Proinde mulieres & infantes, cum corpore ſint magis pituitoſo; æſtate melius quam hieme valent. Contra gracilia & bilioſa corpora, melius hieme, pejus æſtate. Et hæc quidem de intemperatis, quæ moderato contrariorum uſu conſervantur, corrumpuntur à ſimilibus. Contrarium vero in temperatis fieri conſuevit.

Cæterum à morbis, qui è vaporibus ex terra aut lacubus ortis naſcuntur, non eſt libera Braſilia. Cœlo enim exiſtente turbido, & vento marino à terreſtri victo, ſubito fiunt febres, catarrhi & raucedines. Incolæ teſtantur, occulta quadam viciſſitudine ſingulis ſeptenis annis humidos admodum & morboſos menſes hibernos dari; & his ſex alios ſalubriores ac ſicciores ſuccedere. Verumque comperi, non contemnenda eſſe ipſorum monita. Ab iis tamen qui Epidemici vere dicuntur, & à tetra qualitate hinc inde eructante, vel à maligno Syderum influxu, certis temporibus ſæviunt, immunis ſemper fuit habita. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, æſtate admodum ſicca, Anthraces non lethales apparuerunt. Variolæ peſtiferæ, quas teſtatur Proſper Alpinus in Ægypto bis in anno graſſari inter pueros, hic incognitæ. Triginta annorum decurſum ſemel duntaxat Africana mancipia huc Variolis laborantes devecta, reliquos, nullo modo contaminatos, ingenti Barbarorum ſtrage, inquinarunt. Pari fere modo contagioſa Lues inter pecora domeſtica, hieme pluvioſa, aliquos greges depopulata eſt. Eo tamen malignitatis contagium aſcendiſſe, ut peſtis, (ſicut in Peruvia non ſolum, ſed & in multis Aſiæ & Africæ partibus contingit) aut morbus peſti affinis, inde exortus fuerit, à nemine unquam compertum eſt. Magnos autem & frequentes illos dyſentericos affectus nunquam in Epidemios tranſiiſſe, admiratione dignum puto. Quaſi aſſiduitas Euri, ex Oceano ſpirantis, aërem ſerenet & verrat adeo, ut ſeminaria contagii impediantur haud aliter à calido & ſicco, quam ſub Zonis temperatis à frigido & ſicco extingui videntur. Vel quia deleteria miaſmata, eximia Aëris puritate abſorpta atque evicta, ſi non in totum pereant, ſaltem vigore deſtituta, vernaculis quidem, ſed non graſſantibus illis morbis pariendis ſufficiunt. Vnde apparet quanto Epidemici cæteris vulgaribus ſunt vehementiores, tanto in aëre ad mutandum corporis habitum, & ad peius aut melius diſponendum, ineſſe vim majorem quam in diæta & cæteris non naturalibus.

Plenilu-

Plenilunio ac novilunio, imo & quadrantibus ſingulis, alterationes manifeſtas corpora recipiunt. Quo fit, ut Medici non niſi neceſſitate urgente, medicamenta propinent. tunc enim dolor exaſperatur, & pejus habet æger. Idem cogita de Solis motu diurno, cum ſupra fidem circa meridiem, biliosi morbi, noctu vero pituitoſi, ingraveſcant. Motus Lunæ diurnus non minus quam menſtruus, mutationes evidentes ſuſcitans, obſervatu digniſſima operatur. Singulis enim ſex horis, accedente mari, morbum ingraveſcere ac dolorem exacerbari: viciſſim ſex aliis, quibus mare recedit, cruciatus paulatim minui & mitigari, ipſi ægri teſtantur. Quod in acutioribus juxta ac minus acutis morbis, præcipue in iis qui è fluxionibus & plenitudine oriuntur, apparet. Adeo accreſcentibus aquis, æſtuque maris in plenilunium incidente confliguntur cum infirmitate nonnulli; ut etiam vitam cum morte commutare videantur: quum tamen vix quemquam tunc interiiſſe obſervatum ſit. Pleroſque autem pelago decreſcente extingui ægrotos, quia præter aliorum teſtimonia ipſe toties experientia comprobatum habeo, confidentius confirmare auſim. Idem in partu fieri ab obſtetricibus obſervatur. Ita ut validiſſimæ hæ influentiæ & occultæ Cœli mariumque qualitates, eoſdem effectus naſcenti & denaſcenti impertiri videantur, & hunc à vitæ anguſtiis, illum à carcere & vinculis uteri materni abſolvant. Hæc eadem de animantibus brutis affirmant, quod à me tamen nondum expertum fateor. Ariſtoteles nullum animal maris æſtu exſpirare inquit. Nec eſt cur Plinio aliiſque veterum hac in re parcamus, quaſi ab Aſtris, vel Lunæ potiſſimum defectibus & auctibus id dependeret. Cum ſidus illud molle, fœmineum, nocturnum, ſi in conchylia, frondes, ſimiliaque ſublunaria agat tanquam cauſa remota; minus veriſimile tamen, in hominem eo uſque vires ſuas exerere, ſed eum potius ex propiore cauſa pati. Cum enim abundat vaſtiſſimus hic vicinus Oceanus, omnia non ſolum quæ proxima ſunt, ſed etiam longius diſſita, multo vegetiora & quodammodo repletiora fiunt, atque alterantur emacianturque illo recedente, præcipue quæ aliquo humore madent, ut cerebella, medullæ, ſanguis, & ſimilia. Sicut in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritualia, ita quoque in profundis vaſti Oceani nares quaſi mundi conſtitutæ per quas remiſſi anhelitus vel reducti modo efflent maria, modo revocent, unde ejus accolæ imprimis non parum afficiuntur. A plurimis haud vanæ fidei expertiſſimis viris accepi, ſenes Empiricos in praxi exercitatiſſimos, ad horæ ſpatium mortem ſibi prædixiſſe, & tunc demum pronuntiaſſe, poſtquam jam aquæ receſſiſſent; cumque illum defluxum evaſiſſent, ſpem certam concepiſſe ad ſequentem receſſum ſe fore ſuperſtites. Quod ipſum ita contigit, temporeque dicto occubuerunt. Hæc, ut admiratione digna, ita Medico perquam neceſſaria, ut de alterius ſalute, ſuoque honore minus periclitetur. Hanc naturæ latentem vim anxie diſputare, non eſt hujus propoſiti: ſufficiat per effectus ſciviſſe, quod perturbatio hæc criticum, aliquando ſymptomaticum quid præ ſe ferat, pro diſpoſitione naturæ aut materiæ morbificæ. Sicut enim nox, ad Aphoriſm. XIII. lib. II. criſin præcedens, ægris moleſta eſſe ſolet, quæ vero ſubſequitur, levis: ita oppreſſio hæc aquis decreſcentibus deſinens, quo gravior fuerit, eo melius & levius diſpoſitum relinquit corpus, ſi modo requiſita ad criſin adſint: ſin minus, mors eo certius ſubſequitur. Obſervandum autem quod hæ perturbationes noctu fortiores, quam interdiu exiſtant. Quaſi hi motus, Lunæ plerumque motum ſequerentur, quæ noctu magis quam interdiu vires ſuas exerit.

Criſium obſervationes frequentiſſime occurrunt, modo morbi natura rite cognoſcatur, principium cæteraque morbi tempora non negligantur. Et totum hoc quidem in ſubjectis ad Cœli Solique hujus temperiem conſtitutis, omniumque maxime in Indigenis, comperies. Criſes ſæpe perfectæ fiunt, & quidem tempore æſtivo potiſſimum, quia magis conſtantia & æqualia tunc ſunt tempora. Quapropter Hippocratis Aphoriſmum lib. III. veriſſimum quotidie experiri datur. Conſtantibus temporibus, ſi ‹‹
tempeſtiva tempeſtive fiant, morbi ſtabiles & boni judicii accidunt: inconſtantibus ‹‹
autem inſtabiles & mali judicii. ſæpe quidem per hæmorrhagias, ſæpiſſime vero per ‹‹
ſudores; quos calidos & magna copia è corporibus fluentes, maxime ſalutares comperi, idque diebus imparibus, juxta Aphor. XXXVI. lib. IV. ſin minus, ut ex defectu virium fit, & citius quam die ſeptimo, malum. Nec minus crebro per fluxus ventris criſes manifeſte apparent. In quantum Symptomatici fluxus alvi, mortales in his terris excruciant, in tantum natura critice aliquando per eandem ſe exonerare

rare amat. Tum, ſicut longo alvi profluvio detento vomitus arte concitatus, prodeſt: ita ſponte ſuperveniens ſæpiſſime ſolvit morbum.

Porro, quemadmodum hodiernæ novi orbis navigationes confirmant, quod ſecundum diverſa illa mundi Climata mores gentium & victus diverſi ſunt;ita & morbi morteſque diſcrepant: Vtque veteres morbos extingui contingit, ita & novos ex inſolita hac ſiderum reciprocatione & inclinatione, atque Terræ Auſtralis temperie generari: quorum aliqui tranſeunt ad alias mundi regiones, aliqui permanent; aliqui vero graſſari deſierunt (ſicut de Ægypto quoque teſtantur authores) ob mutatam victus rationem. Imo, præter hæc quod Cælum, Anni tempora, Aquarum & Ciborum diverſitas, Ratioque vivendi prorſus alia, facile temperamenta immutent, accedit variarum quoque nationum mixtura. Sic Europæi coëuntes cum Americanis fœminis *Mamelucos*, cum Æthiopiſſis *Mulatos*: denique Americani cum Africanis Nigritis *Cabocles* vocatos progenerant. Ex Æthiopiſſis cum Luſitanis aliquando gemellos alterum alba cute alterum nigra, criſpis capillis, oculis cæſiis naſci vidimus. Quaſi non ſolum vegetabilia & ſenſitiva tranſlata degenerarent; ſed & gentes alio traductæ & gentibus externis commixtæ nativum genium amitterent, haud ſecus ac fluvii ſalum ingreſſi propriam perdunt aquarum dulcedinem. Quod cum ita ſit, quis dubitet, ex ejuſmodi variis inſitionibus & ſemente, non diverſas fructuum craſes exſurgere, atque inde nunc implicatos, nunc novos generari morbos; qui exercitatiſſimos quandoque viros ita defatigarunt in praxi, ut circa morbi diagnoſin & prognoſin, quam maxime vacillaverint? Atque in tanta rei incertitudine non minus hi circa morbos Endemios, quam illi ſuam olim in Luce Venerea, Sudore Anglico, Scorbuto, Plica Polonica, Mentagra Ægyptiorum, aliiſque id genus morbis dignoſcendis & curandis, inſcitiam ingenue ſint confeſſi. Donec tandem remediis exquiſitioribus inventis, morborumque temporibus accuratius obſervatis, quoſdam expulerint. Nonnulli morbi ex parte novi videntur, quia periodum, tempus, eademque accidentia, non rite obſervant, curandi tamen ratione non ſemper differunt. Quæ omnia ut recte dignoſcantur, ſolerti & ſagaci judicio, multaque experientia opus eſt. Ego, quantum temporis publicis curis ſubcidere potui, Obſervationibus hiſce colligendis impendere volui. Spe certa fretus, poſtventuros Iatroſophos ſuo ingenio atque induſtria, ea quæ adhuc deſiderantur, aliquando ſuppleturos, aut ſi quæ minus recte dicta, candide reſtituturos.

FINIS LIBRI PRIMI.

GVLIEL-

GVLIELMI PISONIS HISTORIÆ NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER SECVNDVS.

De Natura & Cura Morborum in India Occidentali, Imprimis vero in Braſilia Familiarium.

INTRODVCTIO.

INdia Occidentalis atque Orientalis cum ſit Medicamentis omnium generum & ad omnem curandi neceſſitatem inſtructior, quam Medicis Rationalibus: mirum eſſe nulli debet quod hactenus tam multa inſignium virtutum recondita in ſinu gerat, merita in lucem protrahi. Quamvis enim plurima in hac Barbarie occurrant cruda corruptaque & Hippocratica arte indigna: ſunt tamen non pauca inſuper utiliſſima atque antiquitatis æmula, quæque vel eruditiſſimos Medicos exercere queant. Multarum ſane artium rudimenta ipſis ab animantibus (Quæ benigna mater natura noluit carere arte inſita imprimis curandi morbos ſuos) ad nos redundare fatendum eſt. Quis dubitet ab his etiam mortalibus, licet remotiſſimis à Dogmatica medendi arte, non plurima ſaluberrima & ſecreta remedia atque antidota medendique modos veteribus incognitos ad nos poſſe derivari; quibus paulatim per manus traditis, & tandem quaſi in ſuccum & ſanguinem à Rationalibus converſis, Doctorum Scholæ & Libri ſuperbiant, modo acceptis è vulgo remediis ratio & rectus uſus adhibeatur, in quo Summa artis poſita eſt? Experientia authorumque teſtimoniis conſtat, omnes paſſim Indiarum Incolas Medicinam facere, & Morborum notitiam ex ſymptomatibus venari, ac cauſis neglectis, communi quadam animi notione eruere indicationes ex Morbis, iiſque ſatisfacere contrarium remedium opponendo. Calidius enim & tenuius quod evaſit, refrigerando & incraſſando: quod factum eſt frigidius & craſſius, calefaciendo, attenuandoque: quod abundat aut turget, evacuando conantur reſtituere in integrum. In quibus medendi conatibus, quantum vel ſibi conſtent, vel deficiant, ſolertiores facile viderint, ex hac qualicunque Medicina Braſilienſi, à me per ſeptennium obſervata, & ut potui ſuccincte tradita.

Quantum vero ſeptentrionalium Terrarum Incolæ Indiarum Aromatibus, aliiſve medicamentis atque alimentis calefacientibus, ultra quam decet ſunt dediti: tam è contrario Indi Ægyptiique nimis ſunt proclives in vehementiora refrigerantia, immemores aut ignorantes, ſi par fuerit utrobique error in exceſſu, hunc majorem vitæ noxam minari. Nec dubium eſt, de Braſilia aliiſque Indiarum locis recte dici, quod de Græcia olim Homerus: ſcilicet habere eam & ſuppeditare φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Interim ſeniores & exercitatiores, eximii ſunt Botanici, facilique negotio omnis generis medicamina ex undiquaque in ſilvis conquiſitis conficiunt. Quæ tanta ſagacitate interne & externe illos adhibere videas, præcipue in morbis à veneno natis; ut quis illorum manibus tutius & ſecurius ſe tradat, quam Medicaſtris noſtris ſciolis, qui ſecreta quædam in umbra nata atque educata crepant perpetuo, & ob hæc Rationales dici volunt. Quos quia Andabatarum more cum morbis congredi conſtat, quis dubitet experimenta per mortes agere, & ſe Themiſones ſtrenue præſtare? de quo Iuvenalis;

Quot ægros Themiſon Autumno occiderat uno.

Vt vel hinc videre ſit, quam conſone gentes, Idiotæ licet, ac nullis litteris excultæ, cum

nobis

nobis Medicinam exerceant. Per manus vero tradita ſibi præcepta medendi adeo mordicus retinent, ut vel mortem potius ſubituri ſint, quam in ea re opiniones ſuas abjiciant. Memini in caſtris membra militum globulis ſcolopetarum icta, & jamjam ab Europæis chirurgis tam Luſitanis quam Batavis amputanda, Barbaros recentibus gummi, ſuccis & balſamis à ferro & igne liberaſſe, & feliciter reſtituiſſe. Oculatus itidem teſtis ſum, in noſocomiis relicta ulcera & gangrænas, ab illis vel ſolo ſucco Tabaci curata. Imo moribundos ex venenatorum fungorum aliorumque toxicorum eſu ſolo potu infuſi recentis radicis *Iaborandi* in inſtanti à letho vindicatos, me aliiſque Galeni nepotibus, haud parum pudore ſuffuſis, poſt tot Alexipharmacorum & Theriacalium Antidotalium irritos conatus. Ita ut poſtea ejuſmodi collegas Barbaros ſubinde mihi adjungi paſſus ſim, non adeo quidem Noſtratium valetudinem ad tactum arteriarum moderari, quam dictis modis conſilii copiam præbere ſolitos.

Febres & morbi plerique in hoc Americæ tractu familiares, prognoſi & curatione ab Europæorum ſæpius; ab Indorum Orientalium rarius differunt; iiſque partim ex veterum inſtitutis partim ex more Regionis mederi contingit. Reluctante autem morbi pertinacia, Braſilianorum pater vel mater familias adit vicinos, ut, ſi quis tali morbo vel dolore infeſtatus fuerit, remedium ilico promat, debitæque charitatis officia viciſſim præſtet. Sicut olim in Græcia moris fuiſſe legimus.

Quotquot hanc artem profitentur, ſive Indigenæ, ſive advenæ, ſive mixti generis *Molatæ* & *Mamolucæ*, religioſi ſunt admodum in præſcribenda ægrotantium diæta. Sæpius & ſtatis horis, ob citam virium proſtrationem, cibant. Defectum enim quam exceſſum ægris plus ſemper in Indiis quam alibi nocuiſſe, multis experimentis ratum habent. In quo tamen medium cordatiores tenent. Errores in tenui victu, prævalente indicatione virtutis, deteriores in defectu; prævalente morbo, deteriores in exceſſu: in pari indicatione pares errores. Cum autem in febribus hiſce multiſque aliis morbis acutioribus (raro à ſalſa pituita, crebro à bile ortis) liberior exhalatio fiat, & ſpiritus nimium attenuati, facile ad delirium exacuantur; victus paulo plenior & humidior non abſque ratione conceditur, quod acrimoniam bilis retundat, exſiccationi hecticæ occurrat, & ſpiritui elabenti ſucceſſorem faciat copioſiorem. Huc accedit ſalutaris ille ante enarratus, lotionum, irrorationum, balnearum frigidarum & tepidarum uſus. Adeo denique eos tranſpirationis liberæ cura ſollicitat, ut nihil æque caveant, quam nequis convaleſcentium vel ſolis radiis, vel vento terreſtri nocturno ſe exponat. Ita, ut ex noſtris Belgis quoſdam paulo rigidioris vitæ impatientes ab ipſis prorſus derelictos viderim. Quamobrem morbo licet profligato, exquiſitiſſimam vivendi rationem diutius inſtituunt, ne languidis viſceribus bilis repullulet, & febrilis miaſmatis incrementum fiat.

Cordialia refrigerantia & putredini reſiſtentia, nunc in ſyrupi, nunc in conditi formam redacta, hæc maxime probantur quæ fiunt ex pomis *Murucujá* ſive Granadillis, (ex celebri illo flore paſſionis natis) Limoniis, Arantiis eorumque floribus *Mangábas*, *Vbapitánga*, Ficubus ſilveſtribus fragrantibus *Iamacarú* dictis, pulpa Citrulli, Cucurbitæ majoris & pomorum *Ianipápa*: tum è piris & prunis punicis quæ *Araçá* & *Guajaba* vulgo dicuntur. Radices porro ſucculentæ arboris *Vmbú* (quæ dignitate & ſapore Citrullis haud cedunt) recentes mirifice ardorem & ſitim extinguunt: accedente largiori frigidæ potu, & decantata illa ptiſana ex radice *Mandihoca* facta, quæ vires imprimis reficit.

Si purgandi ſit neceſſitas, abſtinent à medicamento fortiori, imo ultra Tamarindos Mechoacannæque recentis condituram, vel ſimilia laxativa, vix aſcendunt in morbis acutioribus. Qua in re ſolertiores diſpenſant, quaſi memores Aphoriſm. XXIII. lib. I. pro quo magnum eſt quod ſuppeditat Barbarorum praxis. Cæterum conſtitutio & temperamentum Regionis, victuſque ratio ſimplicior & alia plura facile dirimunt litem, utrum majus debeat haberi remedium, Venæſectio an Purgatio: adde quod tum criticæ Hæmorrhagiæ, tum praxis quotidiana, circa morborum rationem & curationem, Phlebotomiæ prærogativam ſatis demonſtrent: Catharſis vero, tarde potius, benigne & raro fiat, tantumque in Meridionalibus terris poſtponenda, quantum in ſeptentrionalibus præponi ſolet, ſive conſervandæ valetudini, ſeu morbo tollendo id fiat. Ad illud Platonis ſcilicet dictum: „ Morbos non magna „ pericula denuntiantes, minime eſſe irritandos medicamentis purgantibus. Quod tamen

men ſtrictius inter primos Incolas, quam Advenas ſeptentrionales, victu craſſiori utentes, chroniciſque morbis à cruditatibus ortis obnoxios obſervandum eſt.

Ad hæc, licet anni tempeſtates inter ſe differant parum, ſimileſque ſibi multum ſint, ut alibi notatum eſt, ſub ſolſtitio tamen hiberno, Sole Cancrum ingrediente, tum quoque ſub Cane & ante Canem, ob ventorum Meridionalium tepores & humiditates prædominantes, non æque feliciter inſtituuntur purgationes. Idem cogita de ſolſtitio æſtivo, quod in Capricorno fit, ob nimias ſiccitates. Æſtate per ſuperiora, quod ob dominium bilis in ventriculo contentæ, plurimi ſint faciles ad vomitum: hieme vero per inferiora corpus purgare convenit, ob redundantiam pituitæ, præſertim ſi materia peccans infra ſeptum tranſverſum hæreat, juxta Aphoriſm. IV. lib. IV. Cujus neceſſitas ſi tanta in Græcia, in Indiis facile major erit. Quippe πικρόχολοι τὰ κάτω qui dicuntur, lævitatibus inteſtinorum infeſtari ſolent, purgationeſque per ſuperiora haud facile ferunt. ad Aphoriſm. XII. lib. IV.

Dubium hæret pleriſque artem medendi profitentibus, quare ſub zonis torridis, medicamenta purgantia, majore licet doſi exhibeantur, minus tamen operentur: Cum à præceptoribus edocti ſint, tutius fortiora medicamenta, majorique quantitate in Terris ſeptentrionalibus quam meridionalibus ſubminiſtrari, ubi lapſus virium, & humorum accenſio minus extimeſcenda. Quam diverſitatis rationem, partim ex diſpoſitione individui naſci crediderim, quod ſub hoc cœlo calor vitalis ab extraneo ambiente attractus, minuſque concentratus, debilius agat in id, quod à circumferentia trahere debet: partim ex effætis medicamentis exoticis, quorum plurima quia minus durabilia, nobiliores partes deponunt, ac terreſtres retinent.

In modo etiam præparandi medicamenta differunt Americani ab Europæis. Præterquam enim quod virentes & recentes herbarum ſuccos perpetuo ad manus habentes, Apothecis facile careant: Remedia quoque ex variis compoſita admodum averſantur; Sed ſimpliciora in quovis medendi genere amplectuntur, à quibus nempe corpora non uſque adeo irritantur. Quam erroneam quorundam Medicamentorum farraginem Fernelius lib. VIII. eleganti ſimilitudine confirmat. Adde, quod nuda & genuina efficacia ſimplicium clarius eluceſcat. Hujus autem indagationi ſtrenue incubuiſſe in hoc novo rerum incognitarum mundo, non infimæ utilitatis eſſe exiſtimo. Præterea Luſitani æque ac Braſiliani, nativi Medicamenti infuſum raro igni, ſed aëri & rori nocturno verſus Orientem exponunt. Vnde frigidiuſcula aura ſubtiliſſimuſque ros vicem correctorii attenuatione ſua præbet, dum medicamenti acrioris & calidioris vires moderatur. Certe cum conſidero gentem hanc ſimplicibus & cuivis obviis ac vilioribus herbis feliciter mederi affectibus contra naturam, tam externis quam internis: non dubito priſcam Medicinam omnino talem fuiſſe, ac maximam partem compoſitorum iſtorum Medicamentorum à recentioribus inventam eſſe, ſuo potius quam ægrotantium commodo. Vt vix me contineam quin cum Plinio exclamem; "Quo Deorum iſtam perfidiam monſtrante, hæc conſtituta ſunt, ut ſæpe contrariis qualitatibus conſtantia medicamenta ſimul miſceantur, niſi ut carnificinam (addo & aurificinam) in humanum genus exerceamus." Quod & alio in loco mecum confirmat, qui vilia Medicamenta primo aſpectu non contemnit. "E contrario attonitus, ut ipſe ait, quorundam perſuaſiones, qui prodeſſe nil niſi pretioſa putant, & ſicut victum ex Artocreis tantum, ita ex ſuperſtitioſis compoſitionibus medelam fruſtra quærere ſatagunt." Sed deſino, ne à non emunctæ naris hominibus hæreticus vel paradoxus in Medicina audiam.

Medendi ſupinitas in febrium ſynochorum & ardentium principiis, ut ubivis terrarum, ita in Indiis imprimis nocet, ad Aphor. XXIX. lib. II. "Incipientibus morbis ſi quid movendum videtur, move; vigentibus autem quieſcere oportet." Nec attendendum ad Avicennæ conſilium, qui non niſi poſt concoctiones, venas ſecandas præcipit, principio & vigore morbi jam elapſis. Febres enim acutæ adeo invaleſcunt ſi in ipſo ſtatim initio magna remedia non adhibeantur, ut non raro lethum ſecum trahant. Quin ſæpe poſt ſecundum diem nihil movendum, quod motum pridie non fuit. Imo in acutiſſimis turgente materia, ſæpe poſt primum, ob exolutas vires, quieſcendum eſt. Cujus rei veritas ut fuit per experientiam deprehenſa à Græcis: ſic indies magis magiſque in Indiis elucet. Et ſanguinis quidem miſſiones in Noſtratibus ac pleriſque advenis noviciis religioſius cautiuſque oportet inſtituere, eo quod Luſitanorum & præſertim

tim Indorum ſolida & compacta corpora amplis vaſis ac rara pinguedine farcta, ferendis fatigationibus & vacuationibus ſanguinis aptiora ſint. A prima namque infantia ad ipſam uſque ſenectam (quæ utraque firma in Indigenis eſſe ſolet) cito, tuto & jucunde, amici amicis omni diei noctiſve hora venas incidunt. In illo Rhaſin, in hoc Avicennam imitantes, invitis tot Galeni aliorumque veterum interdictis. Celſique illud dictum ,, lib. II. c. X. reſpiciendum, Non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ea tamen cautione, ut quanto Europæos ac Boreales ſuperent ſecandi frequentia: tanto cedant illis in quantitate mittendi una vice: ut enim in ea ſunt liberales ſatis, ita hi è contrario parci. Nec unquam Hippocratis exemplum aſſecutos memini, atque ad animi deliquium uſque ſanguinem detraxiſſe; quod requiſita ad id uno in ſubjecto raro concurrant. In juvenili, vegeto ac plethorico corpore vix ſeptem uncias excedunt: quater tamen imo quinquies uno die feliciter inciſionem repetunt. In quo nec Ægyptios plane imitantur, qui à ſumpto cibo; nec Europæos noſtros, qui jejunis utcunque Sanguinem educere amant. Sed ad concentrandas vires & lipothymias evitandas offam conditura cum modico frigidæ potu exhibent.

Raro hirudinibus, quæ ſunt Europæis minores, utuntur: ſcarificationibus autem frequentiſſime, tum & cucurbitalis corneis rite applicatis, phlebotomiæ defectum ſupplent. Solus cornearum cucurbitularum apud Americanos uſus exiſtit, eæque ſunt Taurorum parvæ perpolitæ quibus altera extremitas lata, altera anguſtiſſima parvo meatu conſtat, quas non igne vel aqua calenti, ſed oris ſuctione cuti validiſſime affigunt, reiterantque pro lubitu. Suctum illum ad Medicinam ſpectare novit Homerus, qui de Machaone Menelaum vulneratum curante, Sanguinem, inquit, exſugens, lenia medicamenta adſparſit. Quam vero tutum & validum ſcarificatio ſit remedium contra plurima mala externa & interna, præter Galenum & Celſum, Oribaſius ex Herodoto refert. lib. VIII. c. XVII. Et de ſe ipſe teſtatur Oribaſius, peſte laboranti, duas circiter ſanguinis libras, ſibi cum ſucceſſu per ſcarificationem fuiſſe eductas. Hoc idem Indigenæ faciunt volentes cute ſcarificata ſanguinem demere: hincque copioſior, quam cucurbitulis, educi ſolet. Verum quod ad magnas ſcarificationes, ac citra cucurbitulas abſolvendas, in his non convenit Braſilianis & Europæis, neque in modo neque in quantitate. Raro enim cultello, & ſuperficiarie, ſed ſpinis arborum; vel dentibus piſcis Lamiæ (ſine quibus vix quemquam eorum peregrinari videas) fiunt, altiſque plagis, non adeo in malleolis veterum more, cæteriſque externis membris, ſicut Ægyptii aliique ſolent: ſed femoribus, ſuris, brachiis, omnibuſque carnoſis corporis partibus. Hac ratione libras ſanguinis educunt, non ſecus ac alii per venæſectionem. Plurimumque adeo differunt à cucurbitulis ſcarificatis. Vt vero doloribus ſcarificationis ſuccurrant, antequam opus aggrediantur, non ſolum frictionibus, ſed & manuum verberationibus crebris, ſtuporem quaſi membris inferunt. Peracto opere, vulnera aqua calida irrorant, eaque Balſamis & ſuccis linunt anodinis. Atque his ſolum remediis plurimos affectus reſtituunt, internaſque partes nobiliores à noxis liberant.

Videamus tandem quæ circa Vomitoria, Sudorifera, & Opiata animadverſione digna ſunt.

Qui Incolarum & Regionis temperamentum calidum & humidum eſſe perſpexerit, haud difficile dijudicabit, quando & quibus per ſuperiora ventres exonerare ſit neceſſe. Æſtate enim ſicca bilem qualemcunque, à crebro fructuum fugacium & horariorum eſu in ventriculo collectam, haud tutum exiſtimant per inferiora ducere, præſertim iis, qui πικρόχολοι τὰ ἄνω dicuntur. Cum alias dictum ſit rem Medicam fere hic abſolvi meris vegetabilibus, (quarum copia facile inopiam mineralium compenſat) vomitoria plurima in uſu ſunt. Sed cæteris facile palmam præripiunt celebres illæ radices *Ipecacuanhæ*, in tractatu ſimplicium delineatæ. Ad has primum refugium capiunt omnes pariter Incolæ, utpote tutiſſimas ad exturbandum ſive aſſumtum venenum, ſive cacochymicam ſaburram circa præcordia hærentem. Præ cæteris autem revulſionis gratia exhibentur contra fluxus ventris, nimium in Indiis familiares. Pluribus encomiis hanc eximiam Panaceam extollerem; ſed vereor ne Satyricus quiſpiam id de mea *Ipecacuanha*, quod tempore Catonis de Braſſica nimium laudata dixit: *Braſſica Dia Catonis*. Cæteri fructus vel herbæ uſuales per ſuperiora potiſſimum operantes, ſunt nuces Catharticæ, *Anda*, tum Ricinus Americanus major & minor. Quarum dotes & noxæ in tractatu ſimplicium expoſitæ ſunt. *Caapomonga*, *Iitó*, *Manacá*,

aliæque

aliæque ejuſdem quidem farinæ, ſed indomita exturbandi qualitate præditæ. De quarum ulteriori uſu & abuſu ſedula poſteritas cogitet.

Licet autem de ſudoriferis exhibendis minus ſollicita eſt Medicantium turba; attamen cum oporteat miniſtros naturæ eam recte agentem imitari & eo ducere quo vergit; non difficile erit in Regionibus ad Meridiem & æſtuoſum cœli aſpectum tendentibus ſudores promovere cum Euphoria. Medici multis abhinc annis in praxi exercitati ipſi adeo Theriacæ ſimiliſque compoſitionis ſudoriferis temperatius & minus compoſitum unum atque alterum longe præferendum arbitrantur, eoque tanquam ad ſacrum febrifugum cuivis obvium confugiunt. Quod fit ex aqua fontana, & ſacchari momento, cum multo recenti limonum acerrimorum ſucco ad mellis fere conſiſtentiam cocto, eamque ſatis calidam bis terve de die, præſertim initio exacerbationum, reiterant. Atque hoc modo ſudores copioſe educunt, ac turgentes fervidos humores aciditate ſimul frenant ſedantque. Quod ego multoties, paucis generalibus præmiſſis, feliciſſime imitatus ſum, ſtupendoſque effectus à tam Euporiſto remedio, addito ſubinde ſale prunellæ vel oleo tartari, contigit videre. Etiamſi enim culpanda ſit futilis illa credendi cacoëthes, quæ in Indiis mire afficere ſolet mortales, de febrifugis ſuperſtitioſis, ſympathicis amuletis & ſimilibus; tamen vel inviti cogimur fateri, quarundam rerum eſſe eam vim, ut paroxyſmum febrilem ſine noxa infringant & putredini ſimul reſiſtant. Quomodo creta vitium aceſcentis cereviſiæ emendet: quomodo ſuccus limonum vehementiſſimæ ebullitioni ſacchari in capaciſſimo cacabo reſiſtat: Spiritus item vitrioli cum ſale tartari miſtus aciditatem perdat, & multa alia, quibus brevitatis cauſa ſuperſedeo, haud facile erit pronunciare. Interim argutulos illos acerrimos abſtruſarum rerum, ſi Dis placet, inveſtigatores, qui occultas proprietates pro ignorantiæ aſylo perpetuo reputant, omnemque cauſam ad manifeſtas qualitates acceptam referunt, invito, ut me hæc & quædam ſupra enarrata naturæ arcana edoceant.

Cum vero perpetuæ vigiliæ & doloris vehementia, magnis illis remediis evacuantibus contraindicent, ſomnum nunc per interna ſoporifera & anodyna, nunc per externa quæ cogendis ſint ruentibus humoribus, conciliant. Quod totius corporis, præcipue capitis, frigidæ irroratione, & unctione viſcidæ cujuſdam & frigidæ materiæ, è planta *Vrucatú*, tum è ramis Cardui littoralis contuſæ, inſtituunt Barbari, quibus uſus opii nondum innotuit.

Quia autem narcotica non immerito tantopere extolluntur per omnes Indias, ubi morbi acutiſſimi cum ſpirituum & humorum orgaſmo, præſertim ventris illi fluxus ſanguinei malemorati, Catarrhi & Hæmorrhagiæ contumaces graſſantur, operæ pretium erit circa eorum abuſum breviter quædam monuiſſe, ne temere ad auram popularem captandam, ut ſæpe fit, adulatoris potius quam veri Medici officium præſtent, & in graviſſimos ſcopulos impingant. Non ſine noxa datur iis, qui ex craſſis humoribus & frigidis morbis laborant; tum quoque quibus vires ſive à morbi vehementia, ſive ab immoderata forte Venere nimis exhauſtæ ſunt. Neque tuto exhibetur, quibus in morbis à fluxione natis non aliquæ generales evacuationes præmiſſæ ſunt, quod pectus opprimant, hoſtem includant, cum evidenti ægrotantis periculo. Verum ſi dolor atrox & vigiliæ ex ſpirituum & humorum tenuitate, æſtu & mordacitate ferociente, natæ ſint; eos non tantum ſedant, ſed & naturam armant contra inimicum, eumque obortis ſudoribus, quod in Regionibus calidioribus haud raro fit, propellunt ad extima, ſpirituſque victor foras diffunditur, unde morbi ſimul & ſymptomata tolluntur. Certe enim quam amica eſt ſpiritibus ac humoribus coagulatis diſſolutio, tam grata acceptaque diſſolutis coagulatio, quæ ſubtiles halitus denſat, efferos ichores figit, mordaces ſuccos mitigat.

Atque hæc de modo curandorum morborum acutiorum, & Febrium potiſſimum, in genere dicta velim. Deſtillationes & Oppilationes illas chronicas, ex quibus febres, fluxus ventris, aliique morbi graviores non raro pullulant, advenæ intemperanter viventes haud facile evadunt. Eo quod Cruditates, quæ vera ſemina ſunt morborum, ob ſupra enarratas cauſas, non rite præcavent. Ex iis enim educti vapores faciunt Inflationes: iidem in capite condenſati Deſtillationes: in aliis membris & viſceribus Obſtructiones: unde ſequitur aut Putredo aut Inflammatio. Atque ab aliqua harum cauſarum, intemperies humorum, exindeque naſcentes morbos, provenire dixerim.

CAPVT II.

De Catarrhis.

QVum inſtituti noſtri ratio poſtulet, proſequi Cruditates, Obſtructiones, cæteraque mala inde pullulantia; videndum quid notatu dignum circa Catarrhos.

Rariſſimis deſtillationibus veterani incolæ, creberrimis advenæ juvenes & pueri moleſtantur: Eæque vel à frigore nocturno, aſtricto, & compreſſo capite: velà caloribus diurnis rarefactis carnibus exoriuntur. Quæ plurimas ſæpe noxas vel per ſe vel ratione partis in quam fluunt, ſecum trahunt. Æſtivo æque tempore, ac pluvioſo oriuntur, humoribus capitis in fauces, quandoque in aſperam arteriam parteſque diſſitas decidentibus. Quemadmodum enim omnia oppleti capitis ſymptomata in primigenia febre (teſte Hippocrate) ſtatim enaſcuntur; ita non minus aliquando vis Solis ciere catarrhos animadvertitur, è cujus aſſiduitate maxima interdum mala oriri ſolent. Vt enim aquæ ſtillatitiæ, ſubtracto aut extincto igne, profluere ceſſant; ita catarrhus ab intenſiſſimo ſolis calore ſuſcitatus, non prius aliquando ſubſiſtit quam æſtus deferbuerit. Hyeme pluvioſa, perpetui redundantes humores viſcera laxiora pervadunt, unde tuſſes, tabes præcordiorum, maxime vero ventriculi oppletiones, alvique albi fluxus, (qui cerebrales vulgo practicis dicti) cum phlegmate ex capite deſcendente, proficiſcuntur: ad Aphor. XXX. lib. VII. *Quibus per diarrhœas ſpumoſa ſunt alvi excrementa, iis à capite fit defluxio.* Quid quod ipſa nervorum paria, ſpinalemque medullam invadunt, quod humores oppido mobiles, partiumque facultates retentrices minus validæ in his terris deprehendantur. Maxime vero homines recens ſanitati reſtitutos, recidive quaſi, iteratoque corripiunt Catarrhi, tanto impetu, ut omnes pene nervos occupent, unde cæcitates in opticis, ſtupores & tarditates in ſenſoriis & motoriis excitantur. Atque hæc omnia graviora oriri exiſtima, ſi ventus è continenti oriundus ante diluculum, apertis ſudariis caput & pectus frigido malignoque vapore ſubito feriat, tranſpirationemque cohibeat.

Porro ſi quando contingat virilem vel ſenilem ætatem ſtillicidiis è capite, vagiſque artuum doloribus (*Curimentos* vocant Luſitani) tentari, diuturni & curatu difficiles eſſe ſolent: qui tempore plenilunii, tum accedente æſtu maris, præſertim poſt Solis occaſum, exaſperantur uſque adeo, ut miſſa cauſa, ſolis ſæpe ſymptomatibus occurrendum ſit: quippe ſpatia inter articulos non ſolum alternatis vicibus, ſed & viſcera interna doloribus profundis afficiuntur. Ita ut Rheumatiſmum vere experiantur de quo Hip. l. de locis in hom. & Gal. de diff. feb. c.7. agunt. Qui ob analogiam quam habet partim cum catarrho, partim cum arthritide, vulgo medicorum non raro imponit. Non quod plane negandum ſit à cerebro ſubinde humores iſtos immediate deſcendere, cum pateat ſæpe dolores in cervice incipere, & poſtmodum ad humores deſcendere, ſed primam ſeroſorum & acrium humorum generationem fieri in hepate fervidiori; unde debilius redditum, non ſatis conveniens nutritioni alimentum generat. quæ duo tam nobilis viſceris incommoda, quam ſint nimis frequentia in calidis regionibus, alias ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Affectus porro hic utcunque comitem habet febrem lentam ſymptomaticam, & propter diuturnitatem potius quam vitæ diſcrimen extimeſcendam.

In principio curationis abſtinendum à quocunque validiori medicamento. Evacuationes enim ſive per alvum, ſive per ſudores, nunquam niſi in morbi declinatione profuiſſe, expertum eſt. Quapropter poſt reiteratas venæſectiones, pro re nata, materia morbifica eſt præparanda, mitiganda; intemperies corrigenda, omneſque partes tam mandantes quam recipientes roborandæ. Interim ad obtundendam humorum acrimoniam, & ſedandam agitationem, julepi celebrantur ex Aqua cannæ ſaccareæ, Granatorum, *Ianipapæ* & Ptiſanæ ex radice *Mandihoca* præparatæ cum tamarindis. Quibus ſuccedant decocta ex *Iupicánga* & Salſaparilla ad ſudores proliciendos.

Hæc breviter inſerenda judicavi, ne ea quæ de catarrho dicta ſunt cum hoc affectu confundantur. In curatione enim catarrhi proprie dicti, ſi utroque remedio, ſcilicet purgationis & venæſectionis utendum ſit, præcedat Venæſectio, ut moti humores divertantur, fluxuſque è cerebro excidentes ſiſtantur.

Catharticum unum atque alterum pituitam ducens ex nuce *Andá*, vel ex catapotiis quæ Mechoacanam, Colocynthidem, Aloën & Guttam camboidem recipiunt, inſti-

tuiſſe ſufficiet. His ſuccedat Syrupus Tabaci ad magis incidendos viſcidos humores, atque ad arcendos aſthmaticos affectus. Quod ut tuto fiat, cautione opus eſt circa tam validum medicamentum. Scilicet ut gradatim doſis ſyrupi augeatur, atque præparatio ejus rite inſtituatur. Sicut in hujus libri calce docebitur. Quibus ſi forte ruens acris humor refragetur & gravius periculum minetur à ſtupefacientibus, quod eximii ſint in ſimili neceſſitate profectus, non ulterius abſtinendum; quia tabificam pruinamqua pulmones madens cerebrum ſubinde perpluit, intercipiunt. Quæ tamen cautius exhibenda, quandiu ſigna repletionis in capite & pectore apparent: nam tunc eorum loco ſudorifera, frictiones & unctiones præferendæ: maxime vero, ubi deſtillationes viſcera & membra jam diu obſederint. Recipe ſummitates *Tupeiçava*, radices *Aningæ*, *Betis*, *Iaborandi*, *Aguaxima*, cortices arboris *çebipira*, folia *Iaparandiba*, *Caaróba*, *Camará*, *Pimente ſilveſtre longo*. Ex quibus, accedentibus foliis Myrti, & radicibus *d'Araça*, balnea & fomenta concinnentur, parteſque dolentes aliquoties laventur. Mox ſpiritus vini, infuſo Pipere Braſilienſi, ſtupa aſpergantur. Frictones denique ex oleo Tabaci, Ricini, Chamomeli & Myrti Americani, in quo thus aliquandiu maceratum ſit, inſtituantur. Præ cæteris probatur linimentum, quod ex pinguedine vermium toſtorum *Iarumai*, & venenoſa rana *Cotorá*, conficitur. Poſtea emplaſtrum ex præſtantiſſimo Elemni gummi *Iciçaiba*, Anime, Pipere Braſilienſi & adipe capræ, partibus afflictis apponendum. Quod ab empiricis, & rationalibus, proſpero eventu inſtituitur.

Fonticulorum denique neceſſitas, ſi ullibi, his terris magna eſt, modo temporius, ob majorem humorum mobilitatem, inferioribus æque ac ſuperioribus membris applicentur, quod ſeroros humores à nobilioribus partibus derivant, & æque exiſtenti quam fienti morbo opem ferunt. Adde maſticatoria, quorum principem locum facile obtinet *Iaborandi* decantata illa radix, quæ mane modice manducata, grato acore pituitam attenuat & educit. Sternutatoria quoque ex pulvere Tabaci felici cum ſucceſſu uſurpantur.

Cibus ſit temperatus ad caliditatem & ſiccitatem inclinans, totaliſque abſtinentia à Venere & Baccho. Ad hæc ab illa perpetua viciſſitudine noctis atque diei ſibi caveant, ne modo calor, modo frigus, quid moveant; quod incautis advenis familiare eſt. Poſtremo potus ſit defæcatus ex aqua fontana, quemque *Vbiraceé* ſive *Guajaci* cortices, ſarſaparilla, ſaſſafras, liquiritia nativa ingrediantur.

Cæterum cum cerebrum pituitæ eſſe fontem Medicorum princeps affirmet; eam partim gignit, partim calefactum, ut ſæpenumero hic fieri ſolet, è toto corpore trahit, ac rurſus in pulmonem demittit, eumque exulcerat aliquando, unde Tabes enaſcitur. Cujus peculiarem curandi modum operæ pretium duxi paucis addidiſſe. Cum enim non minus beato cælo ſoloque hic Americæ tractus gaudeat, quam Italia vel Græcia, Galenum imitari lubuit. Qui ut tabidos ad Inſulam Tabiam, ita ego ad ſaluberrimum montem mari vicinum, pulmone laborantes ablegare ſum ſolitus, ædibus verſus ortum apertis, Euroque expoſitis, occidentem vero ſpectantibus, obtectis. Quod quidem non menſibus pluviis ſed æſtivis fieri convenit, cum eximia illa aëris tenuitas & ſiccitas, pulmonis ulceribus amiciſſima, collapſis viſceribus vitalibus robur reſtituat. Aërem enim pro reſpiratione attractum, non minus ventriculum & inteſtina ingredi, quam pulmones, eleganter probat Hofmannus in Inſtitut.

Inter ſquillas, cancros piſceſque cartilagineos, ii qui facilioris concoctionis ſunt eliguntur; ut & aves montanæ, phaſiani, columbæ & palumbæ, atque aliæ, exceptis carnivoris & altius ad æthera volitantibus, utpote calidiſſimis. Lac caprinum, præ cæteris vero pulmenta, emulſiones, boleti, placentæ *è Tipióca* exſiccantes & conſolidantes, reliquis alimentis medicamentoſis facile palmam præripiunt. His addantur aquæ florum Aurantiæ & *Ibabirába*. Loco conſervæ Roſar. illa quæ ex fragrantibus prunis & piris Granatenſibus fit præſtantiſſima, ſubſtitui ſolet. Navigatio quoque modica circa littus, cælo ac mari clementiori, animo & corpori proficua habetur.

Licet autem ſyrupi Tabaci ſupra enarrati præparatio diverſis modis inſtituatur, diverſaſque aliquando recipiat compoſitiones pro varietate affectuum vel temperamentorum: Ego relictis cæteris ſequentem præferre ſolebam quem ex ſucco Tabaci maris rec. expreſſi ℔j. Aquæ Cannæ ſaccariferæ rec. ℥iij. Mell. ſilveſt. (grato ſuo acore oxymel ſuperantis) ℥j. Præparari juſſi ſecundum regulas artis. addita tamen ea perpetua cautione ut ſucci Tabacini exquiſitiſſima fiat primum digeſtio, qua vomitiva & purgativa atque alia qualiſcunque violenta qualitas infringatur, ſicut in aliis multis validis medicamentis fieri ſolet.

CAPVT III.

De Oculorum malis.

MErito quidem Hippocrates lib. de Aëre, aquis & locis, oculorum mala, tum imprimis lippitudines duras ac vehementes meridionalem plagam habitantibus familiares eſſe, tum quoque iis quibus carnes calidæ & ſiccæ ſunt, teſtatum reliquit. Inter primas noviciorum in Indiis querelas haud poſtremum locum ſibi vindicant oculorum vitia cum videndi facultate depravata vel ſublata. Ex his quidam Sole occidente, quod minus lucis præbeatur, quam opus eſt, maxime tempore plenilunii: nonnulli crepuſculo matutino videre deſinunt. Prior affectus νυκτάλωπία, poſterior ἡμεράλωπία Græcis dictus. Quibus ſi pertinax capitis dolor accedat & non in tempore remediis ſuccurratur, periculum eſt ne prorſus tandem cœcutiant, vocaturque *Gutta Serena* ſive ἀμαύρωσις. Omni quidem anni tempore ſed æſtate potiſſimum ſicca quæ aquarum exors ſit, hic oculorum affectus advenas, vix indigenas, infeſtat, rariuſque nunc quam olim dominatur. Quod noſtrates quondam adventitii, Solis & Soli Indici ignari, multorum morborum origines nondum habuere perſpectas, quas poſtea edocti evitarunt, eorumque principia declinare didicerunt. Νυκτάλωπία hæc ſponte ſua curatur, aliis ad ſeptimanas, ſex imo menſes totidem protrahitur, nec raro recidiva eſt. Duplex eſt hoc malum. Externum, quando nubeculæ tranſparentes vel non tranſparentes ſuperveniunt. Internum, cum nihil omnino exterius in oculo apparet. Poſterius hoc priori frequentius infeſtat, & difficilius curatur. Vtrumque externam & internam cauſam fomitem habet. Pauperes & milites gregarii, corruptis ſalitis ſæpe alimentis, aquis præterea ſtagnantibus, vinoque ardenti rancido ac fœculento veſcuntur. Addo quod intolerabilis ille Solis verticalis percuſſus, ad torridum littus (quod non raro plantas pedum viatoribus comburit) oculorum aciem vehementer obfuſcet & debilitet, catarrhoſque ad nervos uſque opticos ſolvat. Sicut ſæpiſſime in caſtris Illuſtr. Principis Naſſav. à me eſt obſervatum. Mox delaſſatis, poriſque apertis, & totas ſæpe noctes ſub dio, luna plena, ſtante mediterraneo vento, recubantibus, fluxiones figuntur.

Hæc incommoda oculorum atque caligines, incolarum ritu, hoc modo tolli vel emendari ſolent. Primo interdictis illis alimentis, quæ diu in penuariis recondita, mucorem atque ſitum contraxerunt, in eorum locum recentia, ſicca, temperata ſubſtituuntur, quod labefactato ventriculo ſpiritus viſorii craſſis & vaporoſis halitibus facile inficiantur. Præterea tam æſtum diurnum, omneque objectum juſto fortius; quam frigus nocturnum, quod caput replet, arcent. Ad hæc, cephalica purgantia aliquoties repetunt. mox venas temporum & poſt aures aperiunt. Dein raſis capillis, aſpergines, cucuphas adhibent. Sternutatoria ex pulvere Arboris *Ibabirába* & Tabaci momento, cæteriſque ſimilibus exſiccantibus apprime præparant. Maſticatoriis item ex radice *Iaborandi* non leve ſolamen adferunt. Cucurbitularum cornearum & hirudinum quoque uſus, imprimis in cervice, commendabilis eſt. Setones in nucha, veſicatoria, fonticulos denique eodem modo quo in Europa applicant. Tum in hoc externo & interno; tum in aliis oculorum affectibus, aquam, quæ ex fragrante illo flore arboris *Ibabirába* & è canna Saccharifera recenti deſtillat, eximia virtute pollere, quotidie experimur. Ros ſimplex, vel dilutus ceruſſa cum lacte mulieris; denique liquor ille præſtantiſſimus ex ſpinis arboris *Samouna* expreſſus, oculiſque infuſus vel circumcirca illitus, viſum acuunt & corroborant. Externo autem oculorum vitio cum nubecula ovum recens adhibent ad duritiem coctum, additis tribus Sacchari Candi & pulveris *Ibabirába* partibus, & una vitrioli albi. Ex quo liquor exprimitur, qui cubitum ituri oculis adhibetur. Idem quoque præſtat aqua *Manipuéra* ex radice *Mandihoca*, quæ licet pota venenoſa habeatur, oculis tamen prodeſt, viſumque emendat. Quodſi malum ulterius renitatur, fumus contriti carbonis è cortice *Ibabirába* & Tabaci in oculos ægroti inſufflatur; mox maſticato allio jejuno ore, linguæque impoſitis *Ibabirába* cineribus, cilia ejus identidem lambuntur. Præter remedia modo dicta, Luſitani æque ac Barbari ſyncraſia quadam viſum reſtitui teſtantur jecore piſcis Lamiæ recenti, vel ſale paulum condito, manducato. Quod ipſum I. Bontius de Indis Orientalibus memorat.

rat. Quo videtur quoque ſpectare illud Hippocrat. dictum lib. de Viſu. *Vnum aut duo fruſta prout maxima devorare poteſt de hepate bubulo cruda, in melle tincta exhibeto.* Mihi utriuſque enarrati remedii felicem ſubinde effectum videre contigit. Hiſce potiſſimum ſubſidiis accedente tenui diæta curatio abſolvitur; modo æger à ſupra dictis cauſis externis & internis ſedulo, diuque etiam reſtitutus ſibi caveat, præſertim cum intus dominatur affectus, nervuſque opticus dudum receperit fluxiones. Atque hæc quidem mala plenilunio imprimis ingraveſcunt. Vnde humores moti non parum augentur, quo tempore caputpurgia evitare præſtat.

CAPVT IV.

De Spaſmo.

CVm nihil fere moderatum ſub hoc cœlo ea corpora ſublunaria recipiant quæ æſtus diurni & frigoris nocturni viciſſitudinibus expoſita ſunt, fit, ut, ſicut acutiſſimi & calidiſſimi, ita frigidi imprimis & Chronici morbi in Indiis magis ſint familiares. Inter acutos quidem facile primus fatale hoc Spaſmi genus, Græcis τετανός, Belgis **de Klem** / nuncupatum: quod frequens admodum eſt, dictoque citius hominem ſtantem ſedentemve invadit, & rigidum tanquam ſtatuam, nunc Tetani, nunc Opiſthotoni inſtar, tenet. (Vide Hofman. Inſtitut. lib. 3. cap. 86.) Ita ut per intervalla miſerando ſpectaculo retrahatur & concidat. Vnde tandem fit, ut ſpaſmo cynico interveniente, ablataque reſpirationis ac deglutiendi facultate, (ob convulſum credo diaphragma & œſophagum) terrifica nonnumquam ſymptomata concurrant, & murmur quoddam horridum, Epilepticorum ritu, exaudiatur. Nonnulli vero tardius, citraque tot dicta accidentia, corripiuntur, dentibus primum ſtridentibus, ore mox diſtorto, adeoque occluſo, ut vi ac ſpecillo ferreo effringi debeant. Tunc quidem non raro ſuffocationis periculum incurrunt, excrementaque retinere nequeunt. Infeſtantur potiſſimum hoc affectu vel leviſſime vulnerati, Piſcatores, Fabri, Piſtores: tum quod interdiu madidi ac ſudore æſtuantes, ab ingruente nocturno frigore ſibi non cavent; tum quod craſſiori & veteri alimento aſſueti obſtructiones lienis graviores incurrant, indeque quibuſdam noviciis calamitoſum Scorbuti ſymptoma ſe jungat. (Vide Sennert. de oris convulſ. & Scorbuto.) Tempeſtive itaque remedium adhibeas oportet: ſin minus, ante quartam & viceſimam à convulſione horam æger ſuccumbit.

Primum, ſi nullum grave contraindicans obſtet, confeſtim vena ſecanda eſt, mox acribus clyſteribus, aliquoties reiteratis inſiſtendum. Poſthæc ſudorifera ex Alexipharmacis exhibenda. Symptomata enim, & curatio, malignum quid adeſſe teſtantur. Quodſi protrahatur morbus, decocto Salſaparillæ, corticum Guajaci, *Iupicánga*, Saſſafras, *Iaborandí*, *Betis*, *Nhambi*, aliiſque nativis ejus generis herbis, ſuccurrendum eſt. Hæc ſubſequantur balnea humida & ſicca, ſuffumigia è ſtercore caballino, cum gummi Anime, & ſimilibus aromaticis. Poſtea ſudoribus alte abſterſis, frictiones validæ inſtituendæ ſunt. Mox inunctio colli, ſpinæ dorſi, partiumque vicinarum ſuccedat ex oleis & balſamis appropriatis, nativis & exoticis, imprimis vero oleo corticum Arantiorum cum ſucco Tabaci recentis. Æger probe cooperiatur, corpore perpetuo ſudore diffluente. Sæpe & modice cibetur, ob lapſum virium, bibatque calidum. Neque raro, ſi prædicta obſerventur, eluctatur: præcipue vero ſi febris, vel alvi quoque profluvium ſuperveniat, quod evacuet materiam convulſivam tranſlatam è nervis ad venas. (Hippocrat. lib. IV. Aphoriſm. 57. *Spaſmo aut Tetano vexato, febris ſi acceſſerit, morbum ſolvit.* Et Coac. 358. *Convulſiones autem derepente ortas febris ſolvit, ac alvi fluxus.*) Sin minus; medicuſque ac ipſe æger vel aſtantes officii immemores; vel leviſſimo errore, antequam materia peccans victa fuerit, commiſſo, certo certius de vita erit actum. Quod aliquando accidiſſe memini ore arcte clauſo, ac motu convulſivo immaniter per paroxyſmos, maximis cum doloribus & ejulatibus, inſurgente.

CAPVT V.

De Stupore Membrorum.

INter Chronicos morbos in America familiares eſt ille qui nervos tentat, altumque membrorum torporem inducit. Cujus naturam nemo, quod ſciam, tradidit. Eum Luſitani appellant *Air*, quod ab aëris inclementia & ex incompleta obſtructione, intemperieque frigida nervoſarum partium oriatur. Pituita enim lenta & glutinoſa, loco ſpirituum, nunc ex capite promanans, nunc è ſpinali medulla in artus deſtillans, facile nervos occupat, ac tendines brachiorum vel pedum, vel utrorumque ſimul infeſtat: accedente refrigeratione non tantum nervorum, ſed & venarum, arteriarum, carnis, membranarum, cutis. Id ex diſſectione Æthiopis, ex hoc ſtupore dum viveret laborantis, animadverti, cujus nervi frigido & tenaci phlegmate obducti erant. Senſus non in totum tollitur, pulſu exiſtente exiguo & debili, cum profundo & obtuſo dolore, pondereque membrorum ſummo; ac cum titillatione ſubinde ſenſus oberrat. Stupentis ſenſus ac titillationis vera ratio ex Rod. à Veiga Comm. in Galen. de locis affectis petenda. A paralyſi differt quod ſenſus hic perpetuo adſit, licet ſæpe moleſtus. A Spaſmo quod convulſivis motibus utcunque deſtituatur, quia artus prolongantur, non contrahuntur, humore frigido & humido in juncturas ſe inſinuante, ita ut ligamenta & nervi inde laxentur. A *Beribery* diſtinguitur, quod hoc malo divexatis membra minus contremiſcant. Aliquando præter medulloſam nervorum ſubſtantiam, membranoſam quoque cum paroxyſmis ac vehementibus doloribus tentari comperi, præcipue circa veſperam ac æſtus maris viciſſitudinem. Vſque adeo invaleſcit aliquando hoc malum, ut ob maximos atque continuos cruciatus, facultates omnes de tono dejiciat. Affectus potius ærumnoſus ob diuturnitatem, quam lethalis per ſe; niſi forte recidivus ex alio morbo, ut ſæpe fit, ſpirituumque defectus ſubſequatur: cum mentis & vocis interceptione, ad ſententiam Hippocratis lib. 1. de prædiction. *Vocis interruptiones cum exſolutione, ſtupore detinente, ſunt periculoſæ, tum & illa quæ ſubito in utramque partem tranſlabuntur.* Multis enim ex obſtructione morbis ſupernaſcitur, iiſque præ cæteris ſuccedit, qui mali judicii ſunt & tranſlatione ſymptomatica formidabiles fiunt. Quibus ſi accedant gravitates & acuti capitis dolores, convulſiones fieri ſolent, quod ab Hippocrate in Coac. confirmatum eſt. Citius evadunt ægri, ſi febris acceſſerit, quæ non talis ſit, ut fruſtra ciendo tenaces humores oppreſſionem faciat, ſed acuta, quæ nervos & muſculos iis liberare, intemperiemque frigidam exſiccando corrigere valeat. Illis vero qui calori diurno aut frigori nocturno caput & lumbos derepente exponunt, ſolutione vel compreſſione pituita in nervos parteſque vicinas labitur, ibique radices agit. Adeo ut paucos ante trium vel quatuor menſium decurſum, quoſdam ne anni quidem intervallo, reſtitutos viderim. Vix ſubito unquam, ſed plerumque ſenſim & per gradus invadit magnus hic morbus, ac magnis generoſiſque remediis propulſari poſtulat, quibus defectus virium non raro contradicit.

Primo, aër non niſi à ſolis radiis repurgatus admittatur. Noctu aër ſuffumigiis tepefiat. Potus ſit vinum dilutum actu calidum, vel decoctum ligni Saſſafras nativi. Cibus optimi, ſicci tamen eſto nutrimenti. Aves montanæ, perdices, phaſiani, palumbi, cæterique id genus alites, toſti ægro exhibeantur. Si elixatis plus delectetur, aromatibus condiantur. Allium quoque & cepas piperque Braſilienſe, ſi febris non impediat, atque evacuationes jam inſtitutæ fuerint, adjiciantur, quæ ex juſculis & lacte caprino pota, robur addidiſſe ac multum profuiſſe memini. Semel atque iterum purgationes inſtituantur ex Mechoacana, quæ recens & ſucculenta ſit, additis correctoriis è Spica Nardi & Zinzibere, tum & ſtimulis ex Hermodactylis & Coloquintide, ſi extractum Mechoacanæ in pilulas redigatur.

Ad hæc balneis & ſuffumigiis ſiccis potius quam humidis, imprimis ex accenſa herba *Ambiaembó*, vel ſtercore caballino, cum gummi Anime cæteriſque ſimilibus accenſis ad decem plus minuſve dies utatur. Mox poſt hauſtum decoctum Sarſaparillæ & Saſſafras, altis frictionibus ſudores abſtergantur, collum, ſcapulæ, totaque dorſi ſpina ad focum fideliter inungantur: accedente adipe colubrorum, & infuſo Piperis Braſilienſis ex ſpiritu vini. Conſultum quoque validiſſimo per cucurbitas corneas ſuctu

ſpiritus attrahere, tum imprimis per altas illas ſcarificationes partem affectam liberare. Tandem, ſi neceſſitas urgeat, ferro candenti cutem pertundente, membra languida roboranda, lentaque nervorum pituita digerenda eſt. Convaleſcente ægro, noctes dieſque partes affectæ ita obtectæ ſint ut nullum aërem admittant, ſitque exercitium & membrorum perpetua agitatio. Mira equidem tum tuendæ ſanitatis ergo, tum in pleriſque morbis ſanandis, frictione & unctione frequenti incolæ præſtant; illam in frigidioribus & chronicis, hanc in acutioribus adhibentes. Quæ remedia lubenter advenæ imitantur, & ut par eſt ex legibus artis, hæc & plura medendi Empiricorum genera moderantur. Quæ paſſim docet Galen. lib. 2. De ſanitate tuenda, & Celſus cap. 14.

CAPVT VI.

De Obſtructionibus viſcerum naturalium.

VBique Terrarum conſervatio humani corporis, inter alia in Sanguinis & ſpirituum motu perpetuo conſiſtit, qui ſi impeditus vel inordinatus fuerit, pertinaciores plerumque & graviores vel obſtructiones vel fluxiones concitare ſolet. Hinc oppilationes illæ hypochondriacæ ac pernicioſi ventris fluxus, non immerito Indiarum peſtes habentur, cum inter populares morbos, nulli tanta vehementia dominentur, aut plures Mortales è medio tollant. Qui quoniam ex variis cauſis, potiſſimum vero ex impedita tranſpiratione primam originem trahunt: de frequentioribus obſtructionibus ex cruditatibus natis & viſceribus naturalibus ſupervenientibus, antequam ad fluxus deſcendo, quædam neceſſario præmittenda exiſtimavi. Hepar, Lien, Inteſtina, præ cæteris Pancreas & Meſenterium, à Ventriculo multa patiuntur mala: qui, licet per ſe tot morborum cauſa non ſit, tamen ab intemperantia vivendi toties tentatus, vegeto ſuo calore tandem deſtituitur, craſſiſque ac crudis humoribus obſitus, officio rite fungi non poteſt. Neque ventres hieme in his terris calidiores ſicut in aliis, teſtante Hippocrate: ſed frigidiores potius ſunt, multoque humore abundantes ob crebras pluvias aëremque calidum & humidum, ac proinde pauciori alimento indigent. Iuvenes & advenæ maximopere hoc malo affliguntur: (veteranos enim & ſenes obſtructionibus rarius infeſtari videas) tam ob ſaburram ſcorbuticam in itinere conceptam: quam ob cacochymiam ex immoderato cibi potuſque fæculenti & compoſiti uſu contractam. Enimvero promiſcua multitudo, nunc ad vitam neceſſariis deſtituta, modo eiſdem nimium abundans, facillime cruditates atque obſtructiones incurrit. Potu præterea viliſſimo (quem *Garápa* vocant) ex ſacchari fæcibus & aqua confecto, tum & Spiritu urenti ex eodem potu concinnato, multi avidiſſime ſe implent, unde ebrii ac æſtuantes, totique ſudore diffluentes, humi procumbunt, ac malignis vaporibus ex terra aſcendentibus corpus denudatum per integras noctes exponunt. Quo fit, ut venis arteriiſque corporis occluſis, circulatio & tranſpiratio illico impediantur, moxque tonus ventriculi & robur hepatis enerventur. Vnde debilitas cum tanto labore & laſſitudine ſpontanea atque nauſea oritur, ut ferendis cibis & medicamentis impares ſæpe exiſtant. accedit quod clam gliſcat malum, & paulatim ſine ullo fere ſenſu doloris primum invadat. Hinc neglecto facile morbi principio, multa mala ſubſequi videas, manente tamen priori calamitate. Chylus ſiquidem craſſus, & crudus, venas lacteas tranſire non potens, eas obſtruit: Iecori, Inteſtinis, Pancreati, cæteroque corpori, non quam debet ſed quam poteſt miniſtrat. Vnde functiones naturales non ſolum impediuntur, ſed & ob diaphragmatis ſympathiam ex pondere hepatis & lienis enatam, magna comitatur reſpirandi difficultas, & ex infarctu Pancreatis perpetuæ querelæ. Accedunt Sudores frigidi in partibus ſuperioribus, ſummus virium languor, canina appetentia, durities atque murmur utriuſque hypochondrii: denique longo ventilationis defectu, febris, ſitis & inflammatio. Quid quod ſuffuſio flavæ bilis ex ſcirrhoſo hepate prognata, & hydrops ſæpe ſe jungat. Idem de India Orientali (cum qua India Occidentalis plurimos morbos habet communes) teſtatur Dr. Bontius. Si quem à tot ſimul ærumnis vindicatum iri conſtet, hoc non adeo manu Medici, quam ſingulari Naturæ beneficio, idque ſæpiſſime per liberale birioſum alvi profluvium, critice fit. Hinc obſtructiones fluxu tolluntur. Scilicet in gravioribus & longis morbis

morbis exhauſta Medici ſcientia & fatigata arte, ſæpe ſic ſolet Natura velut è machina adeſſe ægris, & ſanare deſertos poſt longam & inſanam curationem. Quorum exempla paſſim obvia, etiamſi non memoriæ ſint tradita. Forte quod nihil præ ſe laudis habent.

Si quis autem Medicamentis locus ſupereſt, antequam ad eorum adminiculum confugimus, optima & ſtricta prius diæta per multum temporis inſtituenda eſt, quæ potiſſimum ſit ex cibo & potu recentibus partiumque tenuium ac digeſtu facillimis, accedente mane & veſperi motu corporis liberali, quem ob difficilem reſpirationem declinare ſolent. Venæ ſectionem, ſi non præſens febris, ſaltem futura ſæpe poſtulat. Etenim materia morbi quamvis ex ſe ſit frigida, non raro vel calidis humoribus augetur, vel ipſa fervorem concipit poſtmodum, ut hepatis quoque inflammatio merito extimeſcenda ſit. Blandioribus primo medicamentis incidentibus & aperientibus, ne vires dejiciantur, tormina cruditateſque ex alto provocentur, inſiſtendum, ut ſunt radices herbarum ***Acariçoba***, ***Iuripeba***, ***Pagimirióba***, ***Tapyrapecú***, ***Aguapé***, & ***Aguaxíma***, ut & Cortices Rad. Arborum limonum, liquiritiæ, ***Araçá***, ***Ibiraée***, & ſimilium, unde Apozemata reiterantur cum ſucceſſu. Et quia in his implicatis morbis ſæpe ſcorbutici quid intercurrit, herbæ & fructus minus fugaces ſed acidiores aſſumendi, ut ſunt Braſſica marina & Portulaca aceto conditæ. Inter hæc primas tenent nuces quas *Cocos* appellant, quarum liquor recens medullaque, præterquam quod gulæ lenocinentur, ſaluti proſunt: ut & mala Aurantia, Citria, Citrulli, ***Caraguatá***, ***Guajába***, ***Ánanas***, ***Murucujá***. Deinde conducit ut Pharmacia cathartica Diætam excipiat ex more Regionis, & materia præparata exturbetur per ſuperiora vel inferiora. Id autem nullo remedio tutius vel convenientius fit, quam infuſo duarum drachmarum radicis ***Pecacuánha***, vel nucleo nucis ***Andá***. Exinde ipſius mali quaſi antidotum per triginta dies & ultra, ſi morbi pertinacia expoſcat, exhibeatur, quod fit ex pulvere corticis ***Ibiraée***, ſcoriæ ferri, ana ℥ i j, Milij Indici ℥ j. Fabarum minorum, cucurbitæ amaræ, ſem. & pulp. fol. ſen. ana ℥ j. Quæ trita in pulverem exhibeantur à ʒ i j ad ℥ ß mane & veſperi cum liquore convenienti. Huic mox exercitium corporis ſuccedat, curſus ſcilicet aliquot paſſum, qui indies, accreſcente liberaliori motu diaphramatis major inſtituitur. A quo redeuntes cibis facilis digeſtionis refocillentur, præſertim pulte è farina ***Tipíoca*** cum ſaccharo. Nemo miretur remedio tam populari, tam gravem morbum exſtirpari. Medicamenti enim hujus baſis eſt Chalybs & Cortex ***Ibiraée***, (quod eſt Guajacum Braſilienſe:) quorum hic cum primo gradu calidus, tenuium partium, dulcis & aromatici ſaporis ſit, valide aperit: ille lentos in viſcerum oppilatione humores incidens, merito cæteris præfertur. Inter Topica (quæ magni hic uſus eſſe ſolent) Emplaſtrum ex gummi Elemni, ***Içicariba*** & balſamo ***Capaiba*** vel ***Cobureiba*** cum melle ſilveſtri applicatur ventriculi & hepatis regioni. His omnibus accurate obſervatis, plurimi convaluerunt, niſi forte aliquid pejus in hepate deliteſcat, quod accedentibus reliquiis & debilitate viſcerum, recidivam faciat. Quapropter conſultum eſt, ſublato mali fomite, morboque ſecundum præſcriptum artis expugnato, decoctum Salſeparillæ Braſilienſis aliquandiu exhibere. Tametſi autem hæc medicamenta eorumque utendi methodus, neque ratione, neque experientia, deſtituta ſint, & minime improbanda, neceſſe tamen ad rationis amuſſim ea exigere, & nonnihil inventis addere vel demere.

Cum vero hæ obſtructiones ex iiſdem cauſis enarratis pronatæ, mulieres quoque Europæas gravidas æque ac non gravidas exerceant, quid mirum ſi generationi deſtinatus uterus per intemperiem magno illi naturæ operi ineptus cloaca fiat multorum excrementorum & cruditatum, unde variæ calamitates maxime vero uteri profluvia alba ſuccedunt: Quod dum pudore vel negligentia ægræ occultare ſtudent, fiunt pallidæ & triſtes atque ingratæ viris. Temporis decurſu conduplicatur & eo uſque augetur malum, ut non minus de corroborantibus viſcerumque tonum reſtituentibus, quam de evacuantibus remediis cogitandum ſit. Quod quidem, partim balneis artificialibus factis ex fragrantibus herbis indigenis calefacientibus & aſtringentibus, partim ſupradictis medicamentis deoppilantibus, accedente ſyrupo Tabaci & melle ſilveſtri, vel ſimplici vel cum aromatibus mixto, abſolvitur. Non neglectis interim quibuſdam pituitoſam cacochymiam evacuantibus, tum cum profluvia hæc modum, tempus & colorem variant, ſecundum Aphor. XXXVI lib. V.

Infantes autem noſtrates præter hæreditaria genitricum mala, facile ex præpoſtera educatione ſuperius enarrata nova accumulant. Vnde aquoſo humore inflantur, duriſque

que hypochondriis paulatim contabeſcunt antequam ad pueritiam attingunt. Si quæ medendi præſidia ex ſupradictis adhiberi contingat, raro proſunt, exceptis quibuſdam ventris externis frictionibus & unctionibus deobſtruentibus; & præ cæteris, ſi, remota matre, Braſilienſes & Æthiopiſſæ nutrices lacte ſuo vegeto eos ad biennium circa educant.

CAPVT VII.

De Hydrope.

INter morbos qui ex obſtructionibus pronaſci ſolent, & in hac cum alterius mundi parte communes ſunt, eſt ille qui Latinis Aqua Intercus dicitur, advenas pueros atque juvenes præcipue infeſtans. Illis enim potiſſimum ex imperita educatione & tranſpiratione impedita; his ex ſupradicta vivendi intemperantia, viſcera ſanguificationis affliguntur, omniſque generis Hydrops vel primario inducitur, vel ſecundario aliis morbis, ut Cachexiæ, Ictero, Dyſenteriis, Quartanis, febribuſque acutioribus male expurgatis, ut Hipp. paſſim comprobat l. de affect., ſuccedit. Quemadmodum omnes hepatis affectus in Indiis facilius & crebrius quam in frigidioribus plagis generantur; ita non adeo infeliciter curationem recipiunt ii qui non ex alio morbo nati fuerint. Facilius tamen quam cæteri morbi recidivam patiuntur. Hinc cautio in prognoſi & curatione exſurgit, ſecundum illud Hipp. effatum. *Hydrops qui Medicinæ revenit ac concedit, deſperatus eſt: præcipue ſi ex alio morbo, quod ſæpe fit, profectus fuerit.* Quippe ſi atonia hepatis vel ſcirrhus, extinctio item caloris naturalis, omnes denique alienatæ vel impeditæ virtutis ſanguificæ cauſæ inferantur, multum quidem ſolatii ea remedia ægrotanti tunc conciliant, quibus abdomen & pedes detumeſcunt: ſed ceſſante Medicina (à qua neceſſitas fractæque vires ſæpe medicum recedere cogunt) morbus à perennitate cauſæ morbificæ renaſcitur. In cadaverum diſſectione, eorum imprimis, qui ex Anaſarca aut Aſcite interierant, quandoque hepar colore albicante rimiſque fatiſcens reperi, ne veſtigio quidem ſanguinis in jecinore apparente. Vnde facile liquet quæ ſpes à viſceribus captanda ſit. Contrarium vero non raro contingit, ſi malum hoc cadat in ſubjectum viſceribus bene moratis, quando Aſcites de ſubito naſcitur iis quibus ex aqua inordinate ingurgitata ſanguificus calor læditur. Tunc enim & per cognitas & latentes vias inſperatæ excretiones, medicamentorum virtute, tum per alvum utramque egeruntur. Quas vias ſi ſponte ſua natura inveniat, non exiguum ſolatium ægrotanti præſtat; quod verba Hipp. in Coac. de Hydrope c. XIX. ſentent. VIII. comprobant. *Iam vero ineunte Hydrope, ſi aquoſa incidat diarrhœa cruditatis expers, morbum exolvit: ſecus enim æger, non morbus, tollitur.* Si vero medicamentorum adminiculo opus, conſultius hoc per Perirrhœam quam Diarrhœam inſtituitur, quoniam difficile eſt excretionem illam hydropici humoris ſuſceptam, ex lege critica per inteſtina perficere. Tum alvus, arte liberaliter mota, merito in Indiis ſuſpicionis plena habetur, quod in diuturnum imo lethiferum profluvium non raro degeneret. Perirrhœa tutius aquæ educuntur; tum ob majorem in viſceribus pororum apertionem; tum ob eximiorum medicamentorum indigenarum affluentiam, quæ aperiendo, ſiccando, aſtringendo mirabiliter ſane curationem abſolvunt. Quippe non raro contigit, ut ſola radice diuretica *Caapêba* (in tractatu ſimplicium dicta) ex vino vel aqua, ſubinde ægro propinata, latex intercus fuerit eductus. Idem præſtant Mirabilis Peruvanæ, *Caapomonga*, *Iaborandi*, Saſſafr. Sarçaparilla, Liquiritia, cortic. Limoniorum & prunorum Granatenſium, radices *Iuripêba*, *Aguaxíma*, *Guabipocaíba*, *Ivapecanga*. Quibus nativis, utpote recentibus & validiſſimis, plus confidentiæ, quam exoticis effætis & ad nauſeam ſæpe reſervatis, ponendum eſt. Alvus purgatur commode ſequentibus remediis. Pilulis, quæ recipiunt Guttam Camboid in aceto maceratam, cum Zalapæ & Mechoacanæ recentis vel fæcula, vel extracto. Quorum ulteriorem præparandi modum videre eſt in capite de fluxu albo. Syrupus itidem Tabaci, ſive ſimplex, ſive compoſitus, tenaces & viſcidos humores tuto & potenter educit, ſi reiteratis vicibus cochleatim exhibeatur. His ſuccedant aromatica & diaphoretica, quæ tranſpiratione recuperata diſſolvendi vim habeant tenuiores humores ſeroſos, eoſque per laxiores abdominis & viſcerum poros expellant cum Euphoria. Balnea conducunt quæ parantur ex foliis piperis longi, Mali aureæ, *Betel*, Artemiſiæ,

miſiæ, ſalviæ ſilveſtris, *Camará*, *Tupeiçavá*, altheæ, *Albahâca*, *Iaborandiba*, aliiſque quam plurimis. His adſtringentia addi ſolent, ut ſunt *çebipira*, radices *Araçá* fructus & folia Mytri Silveſtris. Inunctiones ex prædictarum herbarum oleis. Accedit Spiritus ex corticibus Auriac. & Citri deſtillatus, valide corroborans ſive extus ſive intus exhibitus. Sed ut dicam quod res eſt, ad miraculum fere Paracentheſis, quæ maxime Aſciti convenit, ſolet inſtitui, idque ex lege Magni Præceptoris, ubi ſexto Epidemion *Aquoſos cito ſecari debere præcipit*. Quod per epicraſin ter quaterve uno die, mediantibus perpetuis corroborantibus, in ipſo umbelico toties cum inopinato ſucceſſu factum vidi. Sin minus ob virium jacturam licuerit, pedibus ex leucophlegmatia tumentibus, cutis ſupra & infra talos, in carnoſis quoque membris, ex more Regionis inciditur. Plurimi ex ulcere in crure, modo ſponte orto, modo igne comparato, curantur. Quidquid enim Paracentheſis (adeo apud Authores & hodiernos paſſim practicos decantata) vane utcunque promittit, in ſeptentrionalibus præcipue Europæ regionibus, ubi hydropes calamitoſæ ex diutina plerumque vivendi intemperantia & fervidiori potu clam gliſcunt: id illa in Indiis ob enarratam cauſarum diverſitatem feliciſſime ſæpe præſtat, ut ego cum multis aliis rei medicæ peritis teſtari poſſum; modo requiſita, tam in ſubjecto ægri quam in moderamine medentis, concurrant, antequam ea tentetur, ne ſalutare remedium hoc, ut aliquando fit, proſtituatur.

Cæterum Herniæ in ventrem inferiorem, præcipue vero in ſcrotum deſcendentes, non raro hydropum comites ſunt. In expeditionibus per aſpera & confragoſa loca milites armati iter facientes hanc calamitatem incurrunt: mox fracti, toto corpore æſtuantes, frigidiſſimam reſtinguendo calori affluentius hauriunt; ſomnumque ſub aperto Iove capiunt. Hinc cruditates & flatus generantur, & peritonæum nonunquam rumpitur. Ratio vero curandi eadem quæ in Europa, fomentis ſcilicet, inunctionibus, ligaturis & ſimilibus.

CAPVT VIII.

De Prolapſu Cartilaginis Mucronatæ.

MOrbus ille cujus Codronchius, Sennertus & alii videntur meminiſſe, *Spinela* Luſitanis appellatus, interque Endemios habitus, non infrequens in his terrarum oris graſſatur. Fernelius quoque VI. Patholog. cap. 3. ſingultus orti ex compreſſione ventriculi à coſtæ extremo meminit. Hanc cartilaginem prolabi non poſſe, incurvari poſſe, putat Hofman.

Corporis totius languorem inducit, cum dolore Stomachi, aliquando vomitu, ſumma reſpirationis difficultate, quæ ex refrigeratione pectoris muſculorum, tum imprimis mucronatæ cartilaginis compreſſione oritur. Hinc mox ex dejectione appetitus magna virium imbecillitas ſubſequitur, & atrophiam minatur. Chronicus eſt morbus & frigidus, non tamen per ſe lethalis, paulatim invadens, & cognitu in principio difficilis.

Empirici primarium, ut putant, ejus ſignum ex inſpectione & contactu colligunt brachii ægroti, in quo ſi valvularum inſtar nodos comperiant, morbum hunc adeſſe pronuntiant. Differt ab oppilatione cachectica, quod pectoris hoc vitio moleſtati, vultu tametſi dejecto & triſti, non tamen decoloro & livido ſint, nec pondus aut duritiem utriuſque hypochondrii ſentiant: tum comedendi quoque concupiſcentia primæque concoctionis inſtrumentum langueat. Frequentius forte graſſatur quod pauci ſententiam Celſi lib. I. cap. 2. tam ſtricte obſervari debere exiſtimant, quando ait; *Si quis interdiu ſe implevit, poſt cibum neque frigori neque æſtui neque labori ſe debet committere.* Curatio autem diſcutientibus, calefacientibus & corroborantibus, tam internis quam externis abſolvi poſtulat. Interna ſunt Pilulæ ſtomachicæ, Mel ſilveſtre, Syrupus Tabaci: Vinum generoſum & guttæ aliquot Balſami de *Copaiba* diſſoluti: decocta Salſaparillæ, Saſſafras, cum ſemine Aniſi & Cinnamomo, pugilloque pulveris *Ibiraée* & *Nhambi*. Iuſcula, quibus utitur æger, croco terreſtri *Vrucú*, pipere Braſilienſi ſativo & ſilveſtri, &, ſi nihil impediat, cæpis atque allio condiantur.

Externa ſunt, cucurbitulæ ſiccæ reiteratæ, mammarumque regioni appoſitæ. Mox

ſtomachi

ſtomachi & pectoris inunctiones ex oleo cortic. Tabaci, Aurant. Artemiſiæ & Mentaſtri. Scutum dein ſtomach' le, ex herbis corroborantibus. Atque confortans tandem emplaſtrum ex prædictis gummi & balſamis toties enarratis ſuccedat.

Non indigna eſt obſervatu topicorum & externorum omnium remediorum neceſſitas, quod eorum efficacia cutis & carnis poros patentes altius penetret, quam in frigidioribus regionibus; Cucurbitulas quoque corneas, quæ ſolo ſuctu ex alto trahant, omnes pariter incolæ feliciſſimo ſucceſſu applicant. Ego tot proſperis effectibus motus, uſum harum imprimis Chirurgis noſtris commendavi, iiſque in colicis cruciatibus & ventris fluxibus ſanguineis ſiſtendis, atque principio atrophiæ membrorum occurrendo, inſigni profectu ſum uſus.

CAPVT IX.

De Ventris Fluxibus.

VIſcera naturalia oppilata, ac toties ab humoribus qualitate & quantitate peccantibus laceſſita, tandem exonerationem moliuntur. Et tunc quidem fluxus varii, pro diverſitate partis affectæ & naturæ humoris vel bene vel male morati, ſequuntur. Vnde vel critici, vel ſymptomatici judicantur. Sicut enim ex cruditate ventriculi, & chylificationis fruſtratione, ſymptoma Lienteriæ ſe prodit, & fluxum hepaticum læſa hepatis ſubſtantia & venarum meſaraicarum regurgitatio profert: Præterea ſicut inteſtinorum eorumque venarum eroſio, ulcus dyſentericum; ita ani exeſio inflammationem & putredinem cauſatur, quæ *Bicho* Luſitanis dicitur. Adhæc orgaſmus acerrimi humoris ex aëre & fructibus calidis & humidis prognatus, choleram, multaſque colicas paſſiones producit. Horum omnium proximæ & immediatæ cauſæ impeditæ tranſpirationes vel obſtructiones non ſunt; ſed illorum potiſſimum qui diarrhœæ & fluxus alvi vocantur. Sin vero ab aliqua acrimonia & malignitate materiæ morbificæ, vel atonia partium, incidant tales, qui Dyſenteriæ, Fluxus hepatici vel Choleræ appellantur, ſymptomatici & ſæpe lethales habentur. Diarrhœa ſimplex, vel ex arte, vel per ſe facile & cito curationem recipit; ſin minus, in pejores fluxus degenerat, qui vel ex calida aut frigida materia oriuntur. Qui ex frigida, album alvi profluvium ſine febre vocatur, (excipitur autem ille quem Galenus ab adipe, à calore igneo liquefacto, proficiſci teſtatur) quando nimirum crudus ac pituitoſus humor perpetuo delabitur, ægrumque magno dolore paulatim langueſcere facit. Atque hic quidem fluxus omnem promiſcue ætatem, hyberno potius quam æſtivo tempore infeſtans, ad multos ſæpe menſes, nonnunquam ad annos durat. Tametſi ſine febre minuſque lethalis ſit quam cæteri, non inter eos cenſeri debet tamen, quem Hipp. in prædict. l. 2. ſ. 2. mitem & parum durabilem eſſe tradit; quod hic diuturnus & difficilis admodum deprehendatur; cum hujus mali cauſa ſit cruditas pituitoſa redundans ex frigore, quæ tranſpirationem & circulationem impediat, collecta, & à præcipuis corporis partibus ad inteſtina abeat. Curatio primo à clyſteribus abſtergentibus qui mel ſilveſtre imprimis recipiant, incipit. Interim corpus ſyrupis aliquandiu ſimilibus præparatur. Dehinc ad radicem *Ipecacuánha*, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum, qua nullum præſtantius aut tutius, cum in hoc, tum in pleriſque aliis, cum, vel ſine ſanguine, fluxibus compeſcendis, natura excogitavit remedium. Quippe præterquam quod tuto & efficaciter tenaciſſimos quoſque humores per ipſam alvum, ſæpiſſime autem per vomitum ejiciat, & à parte affecta derivet, vim quoque aſtrictivam poſt ſe relinquit. Non enim vomitus ſolum ſponte ſuperveniens, ut ait Hipp. Aph. 15. l. 6. ſed & arte concitatus, ſub eodem Aphoriſmo comprehendi poteſt. Illud vero hoc modo perficitur. Drachmæ duæ radicis *Ipecacuánha* in ℥ iiij. liquoris appropriati coctæ, vel per noctem maceratæ, cujus infuſum cum vel ſine oxymelis ℥ j. exhibetur. Poſtridie ſemel atque iterum pro re nata, ſecunda imo tertia ejus decoctio repetenda; tam quod ægri debiliores eam facilius ferant; quam quod aſtrictoria ejus vis tunc magis efficax appareat. Cæterum nuces *Munduy-guaçú* ſive vomicæ (quibus vulgus imperitum non tam utitur quam abutitur, cum vehementer per vomitum & ſeceſſum exturbent) ſi ex præſcripto exhibeantur, haud exiguum commodum præſtant. Rec. nucleos ſex vel ſeptem: ablata tam interiori quam exteriori tunica, conterantur amygdalarum inſtar pro emulſione, addito momento ſacchari & fol. ſen. ʒ j. vel

ʒj ß. ſeminis aniſi ʒ ß. in pulverem trita miſceantur, fiatque paſtillus in furno ſiccandus. Sic nuces *Andá*, quarum nuclei, etiam citra ullam præparationem, dignitate illis non cedunt. Syrupus itidem Tabaci oppido conducit, iis imprimis quibus humores tenaces abſque multo calore peceant. Dein ol. de *Copaiba* guttæ aliquot ſaccharo diſſolutæ, ori ex ovo ſorbili, ſive ano per clyſterem immittuntur. Quod ſi remedia hæc enarrata, forte non in promptu ſint, eorum locum Mechoacanna, vel pugillus ſeminis Ricini Americani in ſpiritu vini macerati, ſupplere ſolent; hoc ſiquidem humorem vitioſum ac redundantem fortius, illud vero benignius educit. Non parum quoque hoc morbo exhauſtos reficit decoctum ligni *Iacarandá*, & Saſſafras indigena, quod evacuata materia morbifica tonum reſtituat viſceribus languentibus; comitante diæta facilis digeſtionis & paulo aſtringentis. Emplaſtrum ſuper ventriculo imponatur ex Gummi *Içicarúba*, balſamo de *Cabureiba* & *Copaiba*, vel ex paſta de *Tipioca*, vino de *Acaju*, pulpa item prunorum *Araça*, flore *Nhambu*, atque ovorum vitellis. Adhæc toſta potius quam liquida aut frixa alimenta eligantur, idque ſæpe & parum. Vino indantur guttulæ aliquot olei cort. arant. præcipue tum, cum ventris cruciatus inſtar colici adſit, quem veſparum quoque Braſilienſium nidus ex vino potus, vel ventri impoſitus, clementer mitigat. Idem feliciter præſtant herbæ caſtæ in aceto frixæ. Quando neceſſitas ad magis corroborantia & aſtringentia compellit, his & ſimilibus remediis nativis, utendum. Summitates fructuum *Bacóba* aut *Banána* ſemitoſta aut arefacta ex vino de *Acaju* & immaturo pomo *Ianipába*. Teſtæ teſtudinis fluviatilis toſtæ raſuram, in hoc fluxus genere, Barbari propinant, quod valide aſtringant. Sicut & jecur capreæ toſtum, & caſtanea arboris Cedri Braſilienſis.

CAPVT X.

De Teneſmo.

CVm omnia quæ ad ventris fluxiones ſpectant, in examen revocaſſe neceſſum ſit, operæpretium duxi, ea quæ circa Teneſmum notatu digna cottidie obſervavi, paucis exhibere. Morbus nimium familiaris & merito formidabilis prægnantibus, quod fœtum ſimul cum fœta, miſere extinguat. Irritus enim hic conatus ex quovis acri & ulcerifero humore ano adhæreſcente natus, nullam aliquando niſi ſpumæ vel ſanguinis aut puris excretionem comitem habet. Interdum vero ex pituita acida & bile mordaci dyſenteriam præcedit. Quibus, ſi oculi nictantes, inquietudines, cruciatus, longæ vigiliæ atque excubiæ nocturnæ accedant, tunc ægre finiri ſolet. Ex aliis ſubinde dyſentericis fluxionibus naſcitur hic morbus, quibus medetur ac finem imponit, curatuque tunc eſt facilior, quando tantum ſunt reliquiæ & ſanies ulceris inteſtini recti; quæ fomentis & enematibus facile ſuperantur. Quando ex ſuperioribus ventris partibus, videlicet ventriculo, meſenterio & inteſtinis, materia cruda delabitur; præter inceſſiones & reliqua quæ anum reſpiciunt, cauſa fovens revulſione per vomitum tollenda, idque uſitatiſſimo illo remedio, Radice *Ipepacuánha*. Eadem porro curandi ratio fere circa externa, quæ eſt in ſanguinis profluvio, eaque anodynis ſuffimentis & fomentis aſtringentibus tepefactis ex foliis arboris *Aroeira*, *Araçá*, *Acajá* & ſimilibus, ſi protuberet aut hiet anus; ſi ulcus adſit, ſacculis ex lacte, malvæ, & *Baſoure* ſummitatibus inſtituitur. His enim, tum intus tum foris continue admotis, multum promovetur; quippe quod ſymptoma ipſumque adeo morbum tollunt. Allium quoque aſſatum, ſi cauſa plane frigida, cum ſucceſſu admovetur. Somnus qua fieri poteſt, concilietur; primo pultibus ex *Carimá* & hordeo. Quibus ſi minus provocetur, lenocinia ſoporifera addenda ſunt, interponendo clyſteres abſtergentes. A motu quoque & exercitio corporis abſtinendum. quo ſpectat illud Celſi conſilium haud quaquam negligendum: *Cum in omni fluore ventris, tum in hoc præcipue Teneſmo, neceſſe eſt, non quoties libet deſidere, ſed quoties oportet, ut hac ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.* Si tandem aſtringentibus remediis internis fluxibilitatem humorum cohibere conducat, præter ſuccum ſtillatitium pomi *Ianipabæ* immaturi, raſura inſuper ligni notiſſimi *Iacarandá*, ut & nuclei fructus *Gueticorói* triti & jejune ex convenienti liquore hauſti, eximie proſunt.

C A-

CAPVT XI.

De Cholera.

PErnicioſus nec infrequens his quoque regionibus eſt fluxus ille qui Cholera dicitur. Morbus ſemper ſymptomaticus & vere acutus, ab aëre calido & humido, corpus perpetuo ambiente, immodicoque fructuum fugacium & horariorum eſu proficiſcens. Omnem ætatem omni anni tempore infeſtat. Æſtate tamen ab æruginoſa porracea atque æſtuante bile, potu calido intempeſtive accedente, juventutem vehementius exercet, cum ſubita quadam ſpirituum effuſione ac lipothymia ex tetris & fuliginoſis vaporibus orta; adeo ut, ſi ante viginti quatuor horas non evadant, ſuccumbant. Quod ex manifeſta diagnoſi conſtabit, ſi nimirum pulſus debilior, aut impedita reſpiratio, exteriorum membrorum, tum ſudorum frigiditas, ſummum interiorum circa cor incendium, convulſioneſque interveniant. Hunc humorem efferum & quaſi orgaſmo ad ſuperiora & inferiora delatum compeſcere, res profecto haud exiguæ difficultatis eſt. Primum ad ea remedia quæ cor, ventriculum ac inteſtina modice refrigerando & aſtringendo corroborant & furorem acerrimæ bilis retundunt, confugiendum. Corpus enim evacuare (etiam invita Plethora & Cacochymia) quamvis benigne, periculo non caret; tum quod vires collapſæ atque exhauſtæ, ulteriori irritatione reformidandæ ſint. Vltra Tamarindos, quos hæc terra producit, quæque bilioſos & accenſos humores refrænant, nihil tentandum; ſed ſyrupis potius & conditis de *Murucujá, Ianipápa,* Limoniis, Arantiis, *Araçá, Guajába*; ut & Ficubus Indicis, *Vbapitanga, Mureçý,* imprimis *Tipioca* utendum, cæteriſque medicamentis roborantibus, & refrigerantibus. Externis quoque ſequentibus inſiſtes. Fomenta & inunctiones ſint ex aſtringentibus & refrigerantibus. Tum cataplaſmata ex Portulaca, Myrto, *Araçá,* oculis arboris *Imbaíba* confecta, quæ cum aceto præparata rite ægroto impoſita, præcordia fovent, ventremque ac anum afflictum demulcent. Clyſteres ejuſdem generis (modo tantillum temporis ſuperſit) requiruntur, cæteraque remedia in capite de Dyſenteria & inflammatione ani prolixe enarrata. Verum, quemadmodum hæc ſæpe auxilio ſunt, non raro conſulto ob temporis anguſtiam & morbi ſævitiem omittuntur, confeſtimque ad ſoporifera devenitur. Linimenta denique opiata, capiti & pectori admovere convenit. Adeo nihil tutum niſi ſomnum omni induſtria concilies. Cholera ſicca eiſdem remediis fere curatur, maxime ſi regioni hepatis corneæ cucurbitulæ applicentur. De quibus merito hoc teſtor quod Galenus de ſuis cucurbitulis quas in Colico affectu incantamenti inſtar operari tradidit.

CAPVT XII.

De Dyſenteria.

SEquuntur Fluxus cum febre & ſanguine, ut ſunt Dyſenteria, Fluxus hepaticus & Inflammatio ani. Affectus Dyſentericus nimium his terris eſt familiaris. Oritur potiſſimum ex ſudoribus vi frigoris nocturni ac venti mediterranei ſubito admiſſi retroactis; tum fructuum fugacium & fæculenti potus immoderato uſu, accedente aëre calido & humido. Hæc excretio ſanguinolenta licet pari vehementia per omnes Indias ſæviat, numquam tamen in Braſilia morbi Epidemici inſtar graſſatam, alioque per contagium migraſſe, conſtat. Ita ut perpetuo nobis ſporadica & popularis, nunquam vero epidemia exiſtat: cum alias pertinaciſſima aliquando malignitas, ſi in alio quopiam, in hoc morbo imprimis apparet. Quibus excretio bilioſa, aduſta & ſpumoſa, ut in juvenibus ſæpe videre eſt, merito ab Hippocrate habetur calamitoſa atque funeſta; quippe quæ nullis remediis cedat, licet hæc tellus, contra malum tam familiare nobiliſſima minimeque vulgaria auxilia medica producat, & præſtantiora induſtria ac ſolertia hominum indies ſuſcitentur. Verum miſſis iis, quæ ſatis ſuperque jam ante ab aliis de natura & curatione Dyſenteriæ dicta ſunt, ea tantum proſequar, quibus potiſſimum differant ab Europa. Affectui huic (præſertim ſi multa cacochymia adſit) tot ſimul ſolent ſupervenire ſymptomata, tamque horridi cruciatus, ut ſæpiſſime anguſtia rei &

 temporis

temporis legitimam methodum remorentur. Hac itaque neceſſitate exigente, venam tundere, haud conſultum habent; (niſi ipſo quidem principio, aut febre atque hepate affecto id maxime poſtulantibus) quoniam, etiamſi revellendi indicationi forte ſatisfactum eatur; male moratæ tamen materiæ morbificæ & virium inopiæ male fit, quia raro occaſio deperditum reſarciendi adſit. Porro vel ſolo Rheo, vel laxativo quovis benigniſſimo mordacem humorem provocaſſe, partiſque affectæ cruciatus ingeminaſſe, ſuſpicione plenum habetur. Si quando tamen evacuationi locus, radicem vomitivam *Ipepacuanha*, exquiſitiſſimum naturæ munus, cæteris remediis præferre conducit: quamvis ingenue fatear, plurimos medicaſtros incolas ad ſudorifera & cordialia, quam ad evacuantia per alvum, benigniora licet, inclinare, etiam tunc cum major cacochymiæ quam ulcerationis ſigna appareant. Morbo durante præter conſolidantes, abſtergentes & refrigerantes clyſteres, nutrimentis & anodynis ex juſculo gallinarum hordeaceo aut furfuraceo, lacte caprino chalybeato & ſimilibus inſiſtendum. Præ cæteris pulmento ex *Tipioca* & emulſionibus inde factis, quod multis indicationibus ſatisfaciant, utendum per inferiora æque ac ſuperiora: quippe mirifice conſolidante & refrigerante qualitate partes afflictas demulcent, fluxiones quoque ruentes compeſcunt atque coagulant, & orificia venarum claudunt. Quodſi neceſſitas ulterius inſurgat, viribus corroborandis & ſiſtendis fluxibus invigilandum, ſcilicet opiatis: tum medicamentis quoque & alimentis aſtringentibus conſolidantibus, imprimis quæ lumborum, ventris & jecinoris refrigerio & robori ſunt. Præterea ſingulis vicibus quibus alvus dejicitur, fomenta ex iiſdem parata immittantur, unde putredines & calores, vel præſentes, vel futuri avertantur. De quibus latius dicetur in capite de Inflammatione ani. Potus quo æger utatur, ptiſana ſit, ex decocto de *Carimá*. Ovum quoque ſorbile cum tribus quatuorve guttulis olei *Copaiba* conducit, quod leniendo ſimul partes læſas conſolidet, ac proinde totidem guttulæ cum albumine ovi ex bombace ano inditæ vel per Clyſterem injectæ ſolamen adferunt. Aſſata elixatis præferantur. *Pacóba* & *Banána* ſemitoſtæ, ſæpe pro alimento medicamentoſo accipiantur. Iidem quoque fructus diſſecantur & in Sole ſiccantur, atque in maſſam, addendo aceti momento, coquuntur loco panis. His accedunt plurima alia remedia nativa, aſtringendi ſimul & refrigerandi qualitate pollentia, quæ primi incolæ partim ut arcana celant, ſecumque interire cupiunt, partim innotuere & in tractatu de Simplicibus tradita ſunt. Horum quidem primum locum obtinent, Conſervæ & Rob fructuum Myrti Granatorum, utriuſque *Araça*, *Guajába*, *Mureçí*, *Murucujá*, *Iampápa*, *Acajú*.

CAPVT XIII.

De Fluxu alvi Hepatico.

ANno 1638, urbe *Salvador* in *Bahia* menſibus admodum pluviis obſeſſa, nulla clades æque exercitum noſtrum attrivit, quam fluxus ſanguineus, ſignis & curatione nonnihil à Dyſenteria diverſus. qui, licet non minus quam illa pernicioſus, ſymptomata tamen longe minora eum comitari ſolent. Sæpe enim ad finem uſque, abſque ullis torminibus, cruciatibus, exulcerationibus, cumque facili excernendi modo, exiſtit. Dejectio autem hæc eſt, vel puri ſanguinis, vel cum grumis, & loturæ carnis ſimilis; idque dupliciter fit: vel ab atonia hepatis, quæ licet curata, ad priſtinam cruditatem redit: vel à quantitate ex venis meſaraicis atque inteſtinis regurgitante, quæ plus timoris quam detrimenti inferat, & juventutem maxime infeſtet. Quippe tales excretiones aliquando febrium acutarum criticæ habentur, exque eutonia jecinoris, non inteſtinorum exulceratione cauſatæ ſunt. Fit demum hic fluxus ex qualitate ſimul, orificia venarum corrodente & reſerante. Atque tunc quidem Dyſenteriam propter ulcus & dolores inteſtinorum mentitur. Ea quæ ex hepate profluxio fit, iis remediis oppugnanda, quæ confirmando jecinori ſuam operam tam intrinſecus quam extrinſecus dicarunt. Raro in principio ſolamen ullum à clyſteribus conſolidantibus aut anodynis accedere videas. Venæſectio, tametſi in reliquis ſanguinis profluviis vix admittatur, in hoc tamen laudabilis habetur: noſtratibus vero utique mollioribus, intenſiorique calori non aſſuetis, cautius ac parcius inſtituenda eſt. Immo in cucurbitulis revellentibus, lumbis ac natibus impoſitis, aliquando ſubſiſtendum. Reliqua quæ

tractu

tractu temporis exſurgunt circa curationem, quum Dyſentericis affectibus magis communia ſunt, iiſdem remediis, in capite de Dyſenteria monſtratis, propulſantur. Ad eum autem fluxum qui ex atonia hepatis naſcitur, compeſcendum, irriti, ut plurimum, curandi fiunt conatus, ita ut præ virium lapſu ne quidem Rhabarb. Myrobal. aliaque ſimilia adhibere conſultum ſit, ac proinde ſi acrimonia comitetur, ad blandientia & ſtupefacientia quoque confugiendum eſt. Non neglectis ſeminibus quatuor frigidis recentibus, neque iis quæ urinam benigne provocant, ut ſunt, decoctum *Iuripéba* maris, radicis *Araçá*, fructus Alkekengi, rad. liquirit. Solatrum, *Acariçóba* & *Pagimirioba*, atque ſimilium quæ hepatis & venarum meſaraicarum ardores mitigant. Horum præ cæteris palmam obtinent emulſiones & pultes quæ *Carimá* dictæ ex *Tipioca* de *Mandioca*. Inter fructus in pretio habentur, illi omnes qui in curatione Dyſenteriæ enarrati ſunt. Aqua quoque ſtillatitia ex canna ſaccharea & flore *Ibabirába* cum albumine ovi pota, addito momento ſucci aurantiorum. Denique cataplaſmata ex Portulaca & Solatro cum aceto temperata, dorſo & ventri applicata, intemperiem hepatis ſolantur, fluxumque inordinatum compeſcunt.

CAPVT XIV.

De Vlcere & Inflammatione Ani.

QVæ à Barbaris meaque longa experientia circa rationem & curationem tam funeſti & lamentabilis mali conſecutus ſum, in medium proferam. Hunc affectum Indigenæ *Teicoaraíba*, Luſitani *Doença do Richo* ſive *Bicho del Cúlo* abuſive vocant, vel quod dolor pruriens principio ſentiatur, vel quod Vermiculi gangrænam inferant. Lis hæret inter Medicorum filios, novus ne an vetus ſit morbus hic Endemius. Ego quidem eum potius crediderim in aliis Orbis plagis tanquam hoſtem occultum inſidioſe ſævire; adeoque longe abeſſe novum appellandum fore, ut probabilius, antiquiſſimum eſſe, atque de illo intelligendum 1. Reg. c. 5. v. 6. Aggravata eſt autem manus domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum & fines ejus. Hujus quoque David videtur meminiſſe Pſalmo 77. v. 66. dicens, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora. Non eſt Endemium malum huic regioni, ſed frequens indigenas æque ac adventitios infeſtans. Conſtat, in Angola & aliis fervidis Indiarum partibus diutius cognitum, atque olim Braſiliæ incolas plane ab eo immunes fuiſſe. Nil autem aliud eſt, quam incendium & corruptio ani cum ulcere depaſcente, ſine vel cum ſanguinis fluxu dolorifico, tempore imprimis æſtivo graſſante. Hunc morbum, aut præcedunt fluxiones Dyſentericæ cum inteſtinorum caloribus; aut per ſe, & citra ullum morbum prævium ingruit. Cum Dyſenteriam præcedentem habet, & ob medicinam adhibitam Symptomata excretioneſque ceſſant, minus fidendum eſt. Detenta ſiquidem materia acerrima, à calore nimio accenſa, maximeque à ſquallente & ſordida corporis colluvie intus alta, magnum putredinis gradum, cum tam atroci dolore & inflammatione acquirit, ut muſculum ſphincterem atque ora venarum hæmorrhoidalium ſtatim exedat. Vnde fluxus cruentus exoritur, altiuſque ad inteſtinorum tunicas aſcendit, tam deformi aſpectu, ut anus late diductus cloacæ inſtar livido & plumbeo colore appareat. Nonnunquam vitium hoc per ſe manifeſtatur, nimirum ex dolore, cum retentione excrementorum, quæ calore arefacta atque indurata, non ſine maxima difficultate & cruciatu egeruntur. Aliquando vero, ingenti licet conatu, nihil prorſus ejicitur (ut ipſe in me quoque expertus ſum) ano multum prominente. Hinc atroces ſæpe dolores ex retentis fæcibus ſuſcitantur, quos febres poſtea, laſſitudines, vigiliæ, concitatio ſtomachi, ac capitis imprimis dolores & ardores ſequuntur. Quamobrem, antequam malum ſerpat (ſerpit autem citiſſime) internis laxantibus & refrigerantibus remediis reſiſtatur. Clyſteres ejuſdem generis ſemel atque iterum admoveantur. Suppoſitoriis, inunctionibus, lavacris, balneis, ſuffumigiis, perpetuo inſiſtendum. Venæſectiones præcipue non negligantur. Quibus omnibus ſi morbus non brevi cedat, proculdubio in lethiferum degenerabit. Multoties præterea fieri conſuevit, ut nullo morbo inteſtinali, vel quovis alio ſigno præcedenti, parti minus ſenſibili ſeminarium clam inſinuetur, ipſumque ægrum & medicum

 in

in principio lateat. Quod, quoniam gangrænam non raro inferat, incurabile habetur. Si autem prodat ſe malum, prævia utcunque hac diagnoſi fieri ſolet; ut, ſpontanea laſſitudine, capitis & membrorum doloribus, appetentiæ cibi languore, calida totius corporis intemperie, inſomniis, pulſu arteriarum inæquali & celeri, abſque manifeſta podicis afflictione, niſi forte aliquo pruritu aut inani exonerandi alvum deſiderio. Quamobrem in omni inteſtinali præcipue affectu, de ani diſpoſitione Medici percontari ſolent. Quo incolæ Empirici non contenti, viſu & tactu explorant podicem, num aliquid præternaturale appareat; mox pulpæ limonum affrictu partes illas tentant & dolores excitant. Differt autem ab hæmorrhoidibus hic affectus, ſequentibus potiſſimum ſignis. Gravis capitis dolor adeſt, ac hiantis late ani oſtium fatiſcit. Dein, ratione prognoſeos, quod morbus hic nonnunquam mortem & quidem confeſtim adferat; hæmorrhoides autem non item, quæ eiſdem, quibus in Europa medicamentis, imo ſolis hirudinibus Braſilienſibus curantur, & liquore pulpæ nucis *Cocos* putrefactæ ſæpius admoto, mitigantur. Cæterum, qui contra hanc labem ſe tueri ſtudet, aqua marina frigida vel tepida & limoniorum ſucco recentium, anum, quoties ventrem exonerat, probe abluat. *Iaborandi-miri* cum ſalis & piperis Braſilienſis momento cæteris remediis facile eſt præferendum. Quando vero ſenſibiles ani partes excoriatæ tam acria remedia haud ferunt, temperantur cum vitello ovi & aqua cannæ ſaccharea, & imprimis cum ſummitatibus herbæ inſigniter mundificantis *Iacuacanga* dictæ. Si lapſus virium contra indicet venæſectioni, cucurbitulæ infra dorſum affigantur. Exinde clyſteres refrigerantes, conſolidantes & adſtringentes, qui anodyna imo ſtupefacientia opiata recipiant, progrediendum. Poſtea veterum incolarum ritu, aqua ſaccharea, gummi *Tareroqui*, amyl. ex *Tipioca* de *Mandihoca*, ſoluta, digitis inſertis poſteriora proluantur. Poſt hæc, dilutum ex ceruſſa, aqua roſarum & flor. *Ibabirába*, ſaccharo rubro, ovi albumine & lacte cum momento opii concinnandum, in quo tæda madefacta, ano profunde immittatur, idque frequenter. Idem fere præſtant herbæ quædam nativæ præ cæteris contra hunc morbum receptæ uſuque longo comprobatæ; ut ſunt, folia & flores utriuſque *Pagimirióba* & *Tapiá* arboris longe præſtantiſſimæ, addita *Aguaraguya*, toties inſerta quoties deſidendo tædæ vel ſuppoſitoria intromiſſa removentur. Quodſi pars afflicta manuum attactum reformidet, ſuffimenta ex emollientibus & ſiccantibus ſubſtituenda ſunt. Porro quantum ad victus rationem, alimentis frigidis & roborantibus maxime uti convenit: irritantia autem cane pejus & angue declinanda. Si vermiculi ſimul à putredine orti in feſtent partem affectam, ii oppugnandi unguento quod pulverem amarum fructus *Angelyn* cum cinere Tabaci receperit.

C A P V T X V.

De Lumbricis.

QVam nihil in hiſce orbis partibus à putredine ſit liberum, omnes quicunque ſub zona torrida vivunt experiuntur. Vnde Inſectorum, maxime vero Vermium tantus proventus, ut nihil propemodum intactum ab iis relinquatur. Eodem modo cum Microcoſmo ſe res habet, quem non minus quam totum hoc univerſum, varii generis vermes identidem exagitant; tamque viſcera intus puerorum juxta ac adultorum; quam forinſecus vulnera atque ulcera, à calido & humido ambiente, miris modis infeſtant. Hi Chirurgorum opera, quæque vulnera & ulcera mundificant, profligantur; illorum vero curationem perficere, totque latentes hoſtes exturbare, leve non eſt propter ingentem conceptæ putredinis propagationem. Hinc febres graves, ne dicam & malignæ generantur, aliaque ſymptomata ſubſequuntur. Quippe non ſolum ano & inteſtinis familiares, ſed ſæpiſſime quoque ventriculo, folliculo fellis, utero, quin & ipſi Cordi vermiculos innaſci, Anatome mihi notum fecit. Qui cardialgias, deliquia animi, palpitationes cordis, ſtridores dentium, & horrores nocturnos inferunt. Vnde fit, ut cachectici, multoque halitus fætore, viva veluti cadavera, vix mortem effugiant, niſi forte ipſo initio remedia adhibeantur. Theriaca & Mithridatium celebrata licet remedia, ob febrium incendia, aliaſque rationes toties repetitas, haud admittendas cenſent. Ego quidem ut fatear quod res eſt, miſſis longe petitis compoſitis, in pueris atque

adultis cum Tabaci Syrupo felicius voti compos factus ſum, atque ob inſignem mundificandi & abſtergendi qualitatem tum in hoc morbo tum in aliis frigidis affectibus, atque à veneno natis, merito eum prætuli. Barbarorum æque ac noſtrorum uſitatiora remedia ſunt fructus acidiſſimi *Caraguata* dicti, eorumque liquor deſtillatus, idque exigua quantitate cochleari exhibitus, addito tantillo Tamarindorum & mellis ſilveſtris. Semina, olea & ſyrupi Citrorum & Arantiorum propinati, vermibus contrariantur. Licet autem à quibuſdam animantibus inſtinctu naturali, ut & ab Indigenis robuſtioribus, contra hæc & alia mala expetantur nuces arboris *Angelin*; tamen ob indomitam vim, juſta doſis ac præparatio requiritur. Nimium ſiquidem eſt, quod dimidium ſcrupuli excedit, ſicut poſtea ſuo loco latius demonſtrabitur. ſumme enim amara eſt, atque umbilico tutius imponitur raſura, quæ etiam ano indita contra aſcarides eximiæ eſt utilitatis, quas ſumma ſua amaritudine brevi interficit.

CAPVT XVI.

De Lue Indica.

LVes quædam ex coitu non tantum per contagium, vel parentum hæreditario malo in liberos, ſed ex leviori attactu atque per ſe contrahitur, orta potiſſimum ex alimento fœtido & ſalſo, potu rancido & corrupto. Inter Afros non ſolum atque Americanos, ſed Luſitanos & Belgas quoque ſævit, tumoribuſque ſcirrhoſis & virulentis ulceribus, totum corpus infeſtat. Quæ quidem lues huic regioni eſt Endemia, & *Bubas* ab Hiſpanis, atque *Miá* à Braſilianis appellatur. Et ſicuti citius ſanatur à ſolis remediis indigenis; ita citius contaminat, quam illa quæ lues gallica vulgo vocatur & ad Incolas huc defertur. De qua dicere non eſt propoſiti mei, ſed de præſenti. quæ licet in quibuſdam conveniat cum illa; accidentibus & curatione tamen maxima ex parte differt. Empirici initio data opera eam negligunt, humoriſque tenacitatem, in quo mali fomes maxime inhæret, aliquot ſeptimanarum intervallum requirere ad præparationem, credunt. Vitam interim intemperatam vivere interdicunt, aquæ calidæ lavacra inſtituunt, frigus nocturnum, ne perſpiratio cohibeatur, maximopere arcent, carnes recentes, imprimis ferinas, toſtas, præcipiunt. Vinum permittunt, quod ſudores & fuligines, non ſine ægrotantis levamine, per poros expellere comperiantur. Qui ab hoc medendi modo recedunt, ſymptomatum quidem pro tempore levamen allaturos, ſed poſtea recidivam artuumque dolores ſucceſſuros, ratum habent. Tandem præparato hoc modo corpore, evacuationes inſtituunt: mox eos, qui præſertim tenuioris ſortis ſunt, ad molendinas ſacchareas igneſque luculentiſſimos ablegant; & ſolo decocto, cujus baſis *Caaróba* & Sarçaparilla, curationem feliciſſime abſolvunt. Vlcera quoque ſolo attritu aut lotione *Caaróba*, aliarumque herbarum exſiccantium & abſtergentium ſucco, tollunt. foliis autem *Caaróba* nunc coctis pro balneo, nunc ore jejuno maſticatis, ulcera, quæ per ſe non evaneſcunt, exſiccant, & malignitatem extrahunt. Quod ipſum aliquoties per Chirurgos in Noſocomio imitari juſſi, & voti nos compotes reddidit.

Nequis autem fallatur, hæc lues ſive ex Hiſpanica mixta, ut ſæpe fit; ſive ſimplex Endemia, Europæis præſertim, non adeo parvi facienda ſive in principio ſive in progreſſu. Neque enim ut quidam exiſtimarunt, intra Tropicos levior ob halituum à ſole perpetuam extractionem; gravior tantum in ſeptentrionalibus regionibus datur. Ac ſi nocturnum frigus modo leviter admiſſum, apertos diurno calore poros non cum ſummo detrimento ægri altius occluderet, diſcuſſionem tetrorum vaporum impediret, verſuſque perioſtium, in quo dolor, repelleret. Sicut quotidie fit, vel ægrorum vel medicorum incuria, qui differentias diei & noctis contemnunt. Et tunc quidem male morata ulcera, quibus hoc malo infeſtati turpiter ſcatere ſolent, præter alia ſymptomata, cariem in oſſibus cauſari videas. Sicut in reiteratis diſſectionibus corporum autopſia nos docuit.

Atque tunc ſimul anatomiæ, in Æthiopibus exercitii gratia inſtitutæ, certos nos fecere, nigredinem illam cutaneam ultra epidermidem non penetrare, eaque ablata mox ipſam cutem albam Europæorum plane more ſe offerre. Si vero contigerit aliquos epidermide

dermide alba naſci (ſicut in puella & juvene pilis criſpis & oculis cæſiis ex Nigritis natis videre licuit) inter naturæ monſtra recenſentur, adeoque ob albedinem conterraneis ſuis contemtui exiſtunt, quam ſi nigra cute aliqui Europæi naſcerentur.

Sed miſſa hac digreſſione ad inſtitutum redeo, pauca additurus quæ de Gonorrhœa notatu digna exiſtimavi. Gonorrhœa ſimplex, ſicut haud difficilis habetur curationis, ita facile acquiritur, modo à diuturna equitatione ſub æſtu meridiano. A purgantibus initio ſibi cavent in omni Gonorrhœa, ſive virulenta ſive non virulenta. Tam ſalutaria contra hunc affectum domi nanciſcuntur remedia Incolæ, ut raro in exotica, quæ in officinis proſtant, inquirere illis neceſſum ſit. Præferunt, *Guabipocaiba*, Luſitanis *Pao Podre*, quam ego arborem ſiliquoſam, in tractatu de Simplicibus, appellavi. Ejus radix in taleolas diſſecta & in aqua ex canna ſaccharea deſtillata, macerata, aërique expoſita, eam abſterſoria & diuretica qualitate imbuit, quæ mane & veſperi pota, paraſtatas & renes inſigniter mundificat. Cavendum tamen ne immodice hoc medicamento valido utare, quod ſanguinem ducat. His accedit *Iuripéba*, Canna ſilveſtris *Iacuacánga* dicta, radix item *Iaborandi*, quæ noctu ſub dio macerata in aqua fontana diluitur, ejuſque diluti quatuor plus minus unciæ per quindecim circiter dies bibuntur, unde renes & veſica repurgantur. Poſt hæc pro potu quotidiano, ejuſdem cannæ ſilveſtris decocto utuntur. Atque alternatim ob calores ſuſcitatos, mane ptiſanam ſeu liquorem ex *Tipióca* exhibent. Dilutum radicis de *Aguaxíma*, *Iacuacanga*, *Pagimirióba*, *Caapomónga*, Emulſiones ex *Tipióca*, nuce Coco recenti, & ſeminibus frigidis, cannæque ſaccharea aqua præparatæ, familiaria illis ſunt remedia. Contra inflammationes lotii, poſt frigidam dorſi & perinæi inunctionem, genitalia emollientibus fomentant, nempe decocto ſummitatum *Imbaiba*, & *Tupeiçáva*, floribuſque malvæ Americanæ & Fabarum vulgarium, atque id genus aliis. Calorifica vero, tam à medicamento quam cibis procul eſſe jubent, ne virulentia & incendium invaleſcant. Ego tamen nimium refrigerantium uſum aliquando noxam intuliſſe expertus ſum, quod tonus genitalium inde debilitetur. Semper enim condonandum eſt Empiricis, utpote diligentioribus in exhibendis medicamentis quam in diſtinguendis morborum cauſis. Quippe ſicut ex his medendi formulis apparet, Profluvia genituræ cum Gonorrhœis videntur confundere. Quod qui evitare velit, adeat Plater. Obſ. pag. 729. Lang. Epiſt. 2. l. 5. Solenand. pag. 199. v. 45. Hofm. pag. 540. Quocirca in Gonorrhœa virulenta malignitate exturbata ſubſiſtunt peritiores, quando indicatio aſtringendi, conſolidandi, & ſiccandi eſt. Quod quidem optime fit balſamo *Copaiba*, ſaccharo vel oleo olivarum diſſoluto atque per os & penem injecto.

CAPVT XVII.

De Vulneribus & Vlceribus.

TAmetſi pleraque vulnera & ulcera ejuſdem fere naturæ & curæ in novi hujus ac veteris Mundi partibus videantur, ea tamen in quibus differunt, ſilentio præterire nolui. Sicut enim in multis malis internis conſiderandum quæ infra hepar ſint aut quæ ſupra; ita maxime in externis. Quæ ſuperne ſunt, præcipue in capite, multo benigniora & curatu faciliora exiſtunt. Tum quod ab humorum affluxu libera, tum quod favente aëre ambiente calidiori ſola mundicatione reſtituantur ſæpe. Ea autem quæ in inferioribus partibus corporis, maxime in pedibus exiſtunt, difficillimæ curationis ſunt; ob perpetuum deſcenſum & mobilitatem calidi humoris in acrimoniam degenerantis; Atque hæc quidem veriſſima deprehenduntur, ſi tempus anni reſpondeat, nimirum conſtitutio calida & humida: æſtate enim ſicca ſponte vel felicius ſaltem curantur. Quid mirum, ſi hac regione quæ toto cœlo ab Europa diſtat, vulnera & ulcera aëri expoſita, diverſum quid & peculiare habeant? cum authores paſſim teſtentur, nonnunquam ob diverſum urbis aut regionis ſitum, aut pejora, aut meliora tum capitis, tum pedum mala fieri. Ab ipſo principio uſque ad curationis finem, ſive loci affecti corruptelæ, ſive vicinæ carnis mollitiei invigilantes, nativas ſuas aſtringentes, mundificantes & ſiccantes herbas, reſinas & pulveres non facile deſerunt. A vino & fructu imprimis illo celebri *Ananaſs* ſibi cavent. Quia curationem vulnerum & ulcerum remorari, recidivamque facere conſtat, quod calore inſenſo humores permeet &

accendat.

accendat. Quibus recens inflicta ſunt vulnera, æſtum diurnum devitant, ne ſanguis attenuetur, venarumque orificia aperiantur, quod ingenti virium jactura ob diſſipationem ſpirituum & febrilis caloris accenſionem in caſtris aliquoties contigiſſe memini. Cui malo eximie opitulatur uſus Ambræ griſæ ex juſculis vel ovo ſorbili exhibitæ. Deinde ne noctu ſub dio cubent, unde maximam calamitatem, ſpaſmos, convulſiones mortemque ipſam poſtea incurrant. Cum vero in curatione vulnerum & ulcerum Luſitani plerique & Braſiliani peritiores longo uſu facti, & ſilvas remediorum quavis regionis parte, omnique anni tempore ſibi in promptu habeant, ea proferam quæ oppido approbata & à noſtris recepta, longaque experientia confirmata ſunt. Optato ſucceſſu balſamis illis fragrantibus *Cabureiba* & *Copaiba* vulnera reſtituunt, haimorrhagiamque non tantum ſiſtunt, ſed & interne ac externe exhibita nervis opitulantur. Gummi illud admodum familiare, *Içicariba* (quod Elemni vere dixeris) capitis affectibus præ cæteris remediis medetur. *Tipióca* autem, ſicut pota fluxus ſanguinis hepaticos & dyſentericos internos coërcet, & incraſſat; ita haimorrhagias à vulnere concitatas, ſive hauſta, ſive plagis emplaſtri aut cataplaſmatis forma applicata, mundificat, temperat & ſanat. Idem arboris *Ambaiba* ſummitates pollicentur & præſtant, ſi earum ſuccus vulneribus inſtilletur.

Popularia denique remedia ſunt decocta vel ſucci herbarum *Iuripeba*, *Pagimirióba*, Nymphæa *Cuipoúna*, *Tapiá*, *Mamangá*, *Caapeba*, Ricini Americani *Bacoveira* & *Queraíba*, aliaque infinita incolis uſitata, de quibus in hiſtoria Simplicium. Adduntur, ſi ſimul pedum tumores adſint, balnea vel fomenta ex radicibus *Araçá* & citriorum: atque ex corticibus Myrti ſilveſtris, arboris *Çebipíra*, ſummitatibusque *Aninga*, *Tupeiçáva*, *Ibabirába*, *Camará*, & ſimilibus, denique foliis recentis Tabaci contuſis, deſperata reſtituunt mala, & majores facile ipſis redeunt fructus in curatione multorum malorum, ex uſu foliorum viridium eorumque ſuccis & oleis; quam cæteris orbis incolis ex fumo exſiccatorum. Furunculos & Apoſtemata maturare ſolent foliis *Araticú* vulgaris, *Cararú*, *Pagimirióba*, *Potinçoba*, *Iuquirí*. Radicibus mirabilis Peruanæ rubræ, & bulbis *Meerú*; Anthracibus vero imponunt folia Tabaci.

Equidem ſi debitis encomiis polychreſtum Tabacum proſequerer, inſtituti limites tranſirem. Præterquam enim quod ejus decocta plurimis morbis frigidis ſive intus aſſumpta, ſive extus per fomenta & frictiones adhibita medeantur; gangrænas quoque, ulcera cancroſa, vulnera antiqua & ſordida vermibus ab ambiente calido & humido ſcatentia, recens ſuccus & cineres ejus feliciter curant. Imo vulneribus à ſagittis Indorum lethali toxico imbutis, morſibus quoque virulentorum quorundam animalium, præſenti remedio exiſtunt folia trita eorumque ſuccus, ſi tempeſtive indantur. Incolæ proinde merito ejus pulverem & ſuccum loco balſami circumferunt peregrinantes, quippe utilitatem & neceſſitatem ejus contra ipſorum brutorum & jumentorum externa mala vermibus perpetuis obnoxia experiuntur quotidie. Ego ulcera cancroſa in noſocomiis à Chirurgis Europæis rationalibus relicta, ab exercitatis Empiricis reſtitui vidi remediis quorum baſis erat ſuccus Tabaci addita Caphura & Spiritu vini. Ita ut jure merito vegetabilis hæc panacea *Herba Sancta* ab Hiſpanis, *vulneraria Indica* à Camerario, à Germanis Heylig Indiaens wonde kruyt / vocetur. De ulteriori ejus natura, & differentiis in libro Simpl. ex propoſito egi.

CAPVT XVIII.

De Papulis & Impetigine.

INter vitia Cutanea nondum ulli Medicorum ex quo detecta fuit hæc Americæ pars Scabiem, Lepram, Elephantiaſin obſervaſſe contigit, ſicut in Ægypto aliiſque fervidioribus regionibus graſſari teſtatum eſt ab Autoribus. Sed papulæ ſeu ſudamina, quibus cutis exaſperatur & rubet, advenas fere omnes recens Indias ingreſſos, genioque imprimis largius indulgentes, ſummo cum prurituinvadunt. Hæ puſtulæ totum corpus ſæpenumero arrodunt, fixæque ac ſtabiles totam ventris regionem occupant, ut zona dici poſſint. Quod malum abolere plerique ſtudent minus caute, ſeu frigidæ lotione, balneoque nimis aſtringenti, ſive per fortiora purgantia, acrem humorem à circumferentia revocantia. Si vero ſudamina hæc nimis excreſcant, longiuſque ſerpant, leves admo-

admodum & faciles purgationes ex temperatis componantur, quæ hepatis calorem, ſentinæque corporis, meſenterii ſcilicet, obſtructiones tollant, ut ſunt decocta radicum *Iuripeba* Limoniorum & ſimilium. Venæſectio ſemel atque iterum inſtituenda eſt. Externis ita utatur; ut ſudore crebro abſterſo, ſubuculam frequenter mutet. Mox fomentis ex aqua ſulphuris & nitri, albumine ovi, ſeminibus frigidis majoribus, cum aceto & Limoniorum ſucco coctis, immiſſo linteamine, corpus defricetur. Quæ, licet primo attactu acres ſæpe dolores excitent, cutemque vellicent, ſtatim tamen ceſſare ſolent. quos ſi quis impatientior ferre non potuerit; eorum loco, balneo tepido ex refrigerantibus & emollientibus herbis utatur. Plerique quamdiu hoc malo tentantur ac pruriunt, à multis morbis ſunt immunes, ac proſpere valent. Quamobrem qui hæc incommoda ſanitatis gratia aliquatenus obdurare malint, rectius fecerint. Ante omnia moderatam vivendi rationem inſtituant, ciboque ac potu temperato & tenui utantur, ut humor attenuatus, felicius per ſudores evocetur, ne ex intempeſtiva illa materiæ bilioſæ repreſſione ad interna, fluxus ventris Dyſenterici enaſcantur; quod aliquoties factum memini.

Quum vero eruptiones hæ bilioſæ per poros exitum ſibi quærentes, intra cutem detentæ, vique frigoris nocturni repreſſæ atque obſtructæ in acres & igneos halitus degenerent, cum multa materia ſalſa & aduſta in orbem quaſi ſe cogunt & conglomerantur, pertinaciterque ad annos ſæpe cuti adhæreſcunt. Et tunc quidem perverſam & plane alienam naturam induunt. Aliquando autem mobiles puſtulæ ſejugatæ, non ſine cruciatu, maximoque ſcalpendi ardore ac pruritu, præcipue æſtate, juvenes ut plurimum infeſtant. Has noſtrates Ring-worm/ Indigenæ *Iacuí*, Luſitani *Empige* ab Impetigine vocant. Quando inſtar Herpetis exedentis, aliquandiu malum duraverit, externis ſupradictis facile refragatur. lethale autem eſſe hoc malum ſi corpus cinxerit, ego ſane, quidquid authores ſcribant, hic nunquam comperi. Inter topica remedia quæ requiruntur, exactiſſima illa graminis juncei ſpecies, *Iupicai* dicta, & Siliquæ herbæ *Guajana-Timbó*, primarium obtinent. Horum attritu morbus non leviter emendatur, imo in totum nonnunquam tollitur. Interdum locus affectus mutatur, & æque vehementer poſtea, ſi ab interna cauſa foveatur, divexat. Quamobrem medicamentum compoſitum ex ſuccis ſupradictis ad lavamenti vel unguenti formam, partibus affectis applicuiſſe, eximiæ eſt utilitatis. Rec. ſucci Graminis, Tabaci, & Siliquarum prædictarum partem unam, Sulphuris vivi & Nitri partem dimidiatam. Exercitatiores incolæ ut nullum fere remedium in extergendis malignis quibuſvis ulceribus præferunt cortici *Çebipira*; ita hanc quoque Impetiginem ejus affrictu & lotione feliciter reſtituunt.

Subinde eo pertinaciæ devenit hic affectus, ut ſupradictis remediis internis & externis minus cedat. Atque tunc quidem à vegetabilium ad Mercurii uſum internum confugiunt Europæi medicaſtri.

FINIS LIBRI SECVNDI.

GVLIEL-

GVLIELMI PISONIS

HISTORIÆ

NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER TERTIVS.

SECTIO PRIMA.

De Animalibus Americanis Aquatilibus, Aëreis & Terreſtribus edulibus.

CVm in præcedentibus libris inſtituti ratio poſtularet, veſcorum animalium niſi tranſitorie meminiſſe; ex re fore exiſtimavi hoc libro ſingulatim proſequi, qui piſces, aves & animalia in Aquis, Aëribus & Locis enarratis ad humanos uſus producantur, eorumque brevem ac ſuccinctam deſcriptionem cum iconibus ad vivum depictis addidiſſe; idque non adeo oblectamento vel admirationi lectoris; ſed commodo imprimis ægrotantium atque medentium. Imitatus ſcilicet illos antiquos & modernos, qui tum novi tum veteris Orbis collatis polydædalæ naturæ beneficiis, ſaluberrimiſque repertis medicamentis & alimentis, neceſſitati & fragilitati mortalium conſultum irent.

Poſtquam autem in immenſa hac rerum multitudine plurimorum qualitates & proprietates lateant, æquum putavi, non paginas replere iis quæ vel dubia vel minus perſpecta ſunt; ſed pauciora eaque uſu quotidiano comprobata contrahere. Quod vero piſcium copia, quadrupedum & volatilium numerum longe excedat, id non adeo terræ ſterilitati imputandum velim, quam quod aucupia & venationes rarius exerceantur à noſtratibus; ſæpius autem à mediterraneis indigenis, qui magnam partem prædæ acquiſitæ ſibi reſervant. Cum è contra fluvii inclyti atque mare piſcoſiſſimum invitent littorales populos; tum quod facilem & quæſtuoſam piſcationem ſuppeditent; tum quod ipſi piſces nutrimentum tenuius & ſanguinem temperatiorem quam quadrupedes & volatilia ſurrogent.


Illos qui à piſcatoribus quotidie ad nos deferuntur ac celebrantur, hic potiſſimum recenſeo, eorumque nomina Braſilico idiomate vel Luſitanico, quatenus vulgo notiora, exprimo. Quod antequam aggrediar, operæ pretium exiſtimo, in tanta piſcium, formarum, temperamentorum, ſuccorum diſparitate indicaſſe, quales pro pabuli non ſolum, ſed temporis & aquarum quibus innatant varietate, cæteris vel præferendi vel poſtponendi ſint. Cum enim piſces ſive gulæ dediti, ſive eſcarum probitatem ſectantes, ancipitem agant vitam, pauciſſimi quidem ſuis ſedibus contenti, ſua læti carpunt pabula; ſed aliqui priſtini domicilii plane immemores; aliqui anadromi, ut abitus, ſic reditus certa habent tempora. Hujus rei fidem facit, ſive in fluviis ſive in mari ſtatis anni temporibus, ejuſdem generis piſces ſemper, alios nuſquam capi. Quod fluviatilis aqua menſibus pluviis, tum & pleniluniis in mare prolabatur, hinc fit ut immenſa piſcium agmina hiſce illecebris illecta, mare deſerant. Æſtate vero appetente ardorem pertimeſcentes dulci humore ſaginati, ſolum & ſalum repetunt. Vnde inter mollitiem fluviatilium & duritiem marinorum utriuſque naturæ participant, gratiſſimoque alimento exiſtunt, imo uſque adeo ſalubres judicantur maxima pars, ut ne quidem febricitantibus noceant, ſicut ipſe multoties aliique mecum experti ſunt; modo recentiſſimi ſint antequam Solis æſtus perſentiſcant.

Vnicum, quod præfatum volui, reſtat circa nominum rebus impoſitorum diſſenſionem & perplexitatem, qua de re ipſa erudita antiquitas merito conqueſta eſt. Cum enim quotuſquiſque agricola vel maricola nomina pro arbitrio rebus indat, ac proinde

aſſidua illa diſcrepantia Scriptori æque ac Lectori moleſtiam ereet; pronuntio me uſitato illi Cæſaris dicto inhæſurum, quod monet, Cum multis eſſe loquendum, cum paucis ſentiendum: hoc eſt, me tritis receptiſque ut vegetabilium, ita & ſenſitivorum vocibus uſurum, donec conſentientibus eruditorum & barbarorum calculis, certius quid definitum fuerit. Interim non eſt quod lector frontem corruget propter inſueta auribus vocabula, ſi à noſtra dialecto plerumque abhorreant. cogitandum enim, nos extra Latium & Græciam verſari; neque ſolis veteris orbis populis conceſſum eſſe voces condere; cum etiam penes Americanos ſit jus & norma ad placitum ſua efferendi.

Pira generice qualemcunque piſcem; *Piracatú* vero piſcem edulem exprimit Braſilienſium lingua. Quorum primus ſe offert


GVARACAPE'MA.



Guaracapéma mas eſt *Dorada* piſcis. Noſtrates **Dolfijn** appellant; Quibus nominibus ſi Oratæ vel Auratæ ſive Delfini exprimantur, parum concinne mihi videntur appropriata, eo quod Rondeletius, Salvianus aliique Ichtyographorum Conſultiſſimi, Icones non ſolum ab hac noſtra diſcrepantes, ſed & illorum indolem & virtutes quoque admodum diverſas exhibeant: niſi forte, ratione rapiditatis qua cum Delfinis, vel ratione ſplendentis coloris quo cum Auratis nonnihil convenit, nomina ſint indita. Porro quam inuſitatæ figuræ hic piſcis ſit, quamque acumine capitis continuato pinnarum ductu, cauda bifurcata, totius denique corporis conformatione ad velociter natandum æquorumque fluctus ſulcandos natus videatur, facile eſt diſcernere, qui iconem hujus belluæ recte conſideraverit. Adeo denique principatum celeritatis tenet inter tot Neptuni pecora, ut licet ſimili ſaliendi modo cum Thynnis ſive Porcis marinis, diſſimili tamen celeritate progrediatur. Vt aliquoties in vaſto Oceano vidi, cum certatim natare viderentur Thynnus & hic *Guaracapéma*.

Squamulis adeo eſt exiguis, ut toto corpore ad tactum lævis, non ſquamoſus videatur. Non aureo ſed ex argenteo viridi eleganter fulget, maculis hinc inde cæruleis variegatus. Carne licet ſit ſicciori, non tamen vel ingrati ſaporis vel difficilis digeſtionis, ut de Delfinis teſtatum eſt. Multis modis præparatur: nunc recens, nunc ſalitus, in optimum multorum pabulum uſurpatur.


CEIXVPI'RA.



Ceixupíra ut dignitate ita & longitudine atque craſſitie celebris, quippe hominis craſſitiem æquat, & longitudinem multo ſuperat. Corporis, ſed potiſſimum capitis figura oſſea & glabra à Tuberone non multum abludens. Ante quemlibet oculum ſunt

ſunt foraminula, quorum uſum neque à piſcatoribus reſciſcere, neque per ſectionem capitis explorare potui. Squamulæ, quibus veſtitur elegantibus, adeo exiguæ ſunt, ut totus piſcis glaber videatur. Maxima pars pinnarum & corporis eſt colore nigro, excepto ventre, qui eo uſque albicat ut ne quidem lacti cedat. Peculiare autem huic piſci, quod octo oſſei triangulares aculei illi conceſſi inter occiput & dorſalem pinnam, quos in carne recondit, vel irritatus erigit atque pro armis uſurpat. Marinus eſt piſcis multa tenerrima carne & pinguedine gravis, nec immerito ſaporis vel nutrimenti præſtantia cæteris Braſiliæ piſcibus palmam eripit, præſertim ſi juvenis ſit. Eum quem hic exhibeo vix trium pedum erat longitudinis: atque à piſcatore domi meæ delatum, mox cum domeſticis meis diſſecui, delineavi, & coctum comedi.


CVNAPV'-GVAÇV.



Cunapú-guaçu, Luſitanis *Meros*, noſtratibus **Graeuwe Munnick** dicitur, quod capite cucullatus videatur, cinereique ſit coloris. Dubito num vel carnis præſtantia, vel magnitudine corporis, ullus celebrior. Præterquam quod ſit craſſus, pinguis, ſex pedum longitudinem evadit; tantæque contigit fuiſſe molis, ut hamo vel unco affixus aufugerit, ipſumque piſcatorem prædæ inhiantem ſecum traxerit in mare cum magno vitæ diſcrimine. Capite eſt magno. ore edentulo & rotundo, branchiis quoque in ambitu rotundis. Cauda magna & fere quadrata. Squamis mediocribus cinerei coloris, interjectis punctulis nigris, excepto ventre, qui albicat, ſicut & caro totius piſcis. Carne eſt ſolida, non dura tamen, optimi ſaporis & nutrimenti. Multis modis pro ritu incolarum præparatur, plurimiſque ſimul hominibus ſufficienti eſt alimento.

Alius præterea eſt piſcis qui *Meros* Luſitanis dictus huic non adeo diſſimilis, ſed rubicante colore diſcrepans potiſſimum.


CVCVRI'.



Cucuri. Luſitanis *Caſſaon.* Inter Cartilagineos ex genere Lamiarum ſive Tuberonum eſt; ſed ſolus quantum conſtat, inter cæteros innoxius, unicoque tantum ordine denticulorum minimorum præditus; quum è contra majoribus Lamiis horrendus ſit rictus in utraque mandibula, duplici dentium ordine conſtans. ac proinde plerique Tuberones per totum orbem, non carnis dignitate, ſed rapina tantum celebres, excepto hoc *Cucurí*, qui Caniculæ vel Galei potius eſt ſpecies, ut ex Rondeletio aliiſque Authoribus liquet. quibus ſicut figura & indole eſt ſimilis; ita alimenti præſtantia ſuperior atque diſſimilis exſiſtit.


Porro Pinnæ, Cauda, Cutis ejuſdem figuræ & coloris cum Tuberonibus, ex cinereo ſcilicet albicante. In hoc piſce (quem cum Markgravio meo domi meæ diſſecui) tres catuli perfecti ſe obtulerunt. Patuitque, eum inter ea cartilaginea eſſe, quæ Ariſtoteles, in Hiſtor. Animalium, teſtatur, Animal parere, idque ex ovis, quæ in media vulva geſtata, in uteri ſinus deſcendunt, unde mox per venam umbilicalem fœtus excluditur; ita ut ovis abſumptis partus non aliter quam in quadrupedibus contineri videatur. Notatu dignum ſane, quod tanta ſit Tuberonibus & Caniculis his charitas in teneros Catulos (quod itidem de Phocis, Balænis & Delfinis teſtatum eſt ab aliis) ut eos ex aliqua cauſa pavidos intra ſe recipiant, idque non per manticam talem in utero pendentem, ſicut quadrupedia illa de quibus ſuo loco egi, ſed per os & in ventrem aliquandiu recondere, donec pro libitu rurſus in lucem prodeant, ſicut multoties viderunt mecum infiniti teſtes, quaſi venter quorundam Cetaceorum & Cartilagineorum pateretur aliquantulum alienas animas. Vnicum eſt illi inteſtinum ſatis amplum; unde tam inuſitata contingit voracitas. Stomachus vaſtus, hepar candens, ut & lien. Cor parvum, ſubalbidum, laxum, ventriculiſque diſtinctum, & uſque adeo vivax ut in varias partes diſſectum imo veru affixum palpitet, vitamque adeo mordicus retineat.

PAPANÁ.



Alia Lamiæ minoris ſpecies eſt *Papaná*, Noſtratibus **Kruys-haye** dictus. à cæteris Tuberonibus potiſſimum differens Capite, quod Cordis fere figura eſt: oculis parvis, ore itidem parvo longe infra poſito: cum triplici dentium minorum ordine, quibus vehementer mordet & lacerat. Quia à pube non ſolum nautica caro ejus, ſicut majorum Lamiarum, ſed à delicatioribus expetita ob bonum & ſiccum quod præbet nutrimentum, hanc quoque inuſitatæ figuræ Lamiam minime prætereundam putavi.

PIRATIAPVÁ.




Piratiapuá in fluviis & mari vivit. Corpore eſt obeſo, craſſo: menſibus hibernis dulcibus fluviorum aquis ſaginatus repetit maris ſcopulos, ponderiſque ſubinde fit ultra quinquaginta librarum. Ore eſt magno, dentato, lingua rubicante. Branchiis eſt amplis. Pinnis exiguis, excepta dorſali, quæ ex parte in Spinas dilatatur. Ornatis mediocribus ſquamis variegati undique eſt coloris, ſed potiſſimum fuſci & cinnabrii. Frequens eſt piſcis, atque ob præſtantiſſimam carnem ab omnibus paſſim Incolis merito expetitus, præſertim ſi coctus ex aceto vel alio convenienti condimento apponatur.

Acarapitánga, Barbo Europæo, craſſitie & longitudine corporis, elegantibus vero ſquamis ex purpureo cæruleis Carpioni ſimilis. Ab utroque latere in medio ſecundum longitudinem excurrunt lineæ aureæ, cum infinitis punctis aureis: ejuſdem ſplendoris quoque ſunt Pinnæ & Cauda, eæque non ſolum de die micant, ſed noctu quoque lucent

adeo ut,

ACARAPITA'MBA.






adeo ut, ſi multi ſimul copulati ſint, litteræ iſtius luminis beneficio legantur. Marinus hic piſcis magno in pretio habetur, imprimis aſſatus.

Icones, quas hic ſubtus depictas vides, ſunt cruſtaceorum inſectorum, quæ invito piſce ori illius ſe ingerunt, & unguiculis ſuis arcte faucibus inhærent. Neque facile hoſtem hunc infeſtum evadit.

Alius præterea hujus magnitudinis datur piſcis nobilis in cœno maris vivens, qui *Iurumenbéca* dicitur, Luſitanis *Boca molle*, totus argenteus, cujus icon deſideratur.


ACARA' PINI'MA.



Acará Pinima. Si cum authoribus Cyprinorum multa genera ſtatuenda ſunt, eis non inepte piſcem hunc ſubjiciemus. Squamis enim, corporis ſpecie, vita Cyprino ſimilis eſt, ſed latiore corpore & compreſſo; ac proinde inter Cyprinos latos barbare Praſemos dictos numerandi ſunt. Cum certum ſit, in quibuſdam tractibus mundi Percas, Cyprinos, Carpiones, non ſolum fluviis ſed & mari dicatos eſſe. Hic noſter quoque inter ſcopulos marinos victitat, ibique parit & pingueſcit; ipſi Carpioni & Cyprino dignitate ſaporis non ſolum ſed & nutrimenti minime cedens. Elegantibus Squamulis auroargenteis micat, ſtriiſque aliquot flaveſcentibus ſecundum corporis longitudinem excurrentibus.

Datur & alia Praſemi ſpecies nobiliſſima, quæ *Acarpéba*, aliis *Acaratínga* dicta; ſi figuram, colorem, magnitudinem & nativitatem conſideres, inter Cyprinos quoque latos habita; quia parum adeo abludit à præcedenti *Acará Pinima* Iconem addidiſſe ſupervacaneum duxi; adeo eſt carne alba, friabili & probæ digeſtionis, ut noſtrates Praemos facile ſuperet.

CVRVATA' PINI'MA.




Duo mihi innotuere piſces *Curuatá*, vulgo *Bonítos* dicti; quorum alteri cognomen ab Indigenis *Curuatá Pinima* additum. Vterque celebris eſt piſcis & magnus, atque

excepta


excepta craſſitie & longitudine, ſimillimi ſibi natura, colore & figura: ille enim corpore eſt craſſiore & compreſſiore: hic vero longe proceriore. Vterque eſt coloris argentei ſubvireſcentis, non ſquamatus ſed cute tantum coopertus, excepto utroque latere, ubi per longitudinem linea aculeata aurei coloris ſquamata excurrit. Pinnæ ſunt ſeptem exiguæ. Cauda utrique furcata. In oſtiis fluviorum æſtate, in mari alto hyeme capitur, multaque carne & pinguedine abundat, eaque ſatis proba, ac proinde magno vitæ eſt ſuſtentaculo maris accolis quocunque modo præparatus, imprimis autem ſi ſale & pipere parum condiatur.

PIRA-PIXANGA.



Pira-Pixanga, Luſit. *Peſcbe gatto* noſtratibus piſcatoribus **Gat-big** appellatus, forte quia in antris ſcopulorum ſe abſcondit. adeo exiguis ſquamulis cooperitur, ut lævis videatur. Toto corpore flaveſcit, intercurrentibus egregiis maculis ſanguinei coloris. Cauda & pinnæ numero ſeptem ſunt exiguæ. Domi inde delatus ultra trihorium vixit: bihorium poſtquam mortuus eſſet, à me & domeſtico meo diſſectus, vidimus cor exemptum adhuc moveri: quod ſitum erat immediate poſt fauces, cui inſerebatur aſpera arteria, eratque vix digitum remotum à reliquis viſceribus per mediaſtinum, minimum utique & vix granum tritici æquans, licet ſpiritu inflatum. Ceterum piſcis optimi palati, frequens ex mari toto fere anno adducitur. Coctus æque ac aſſatus probi eſt nutrimenti.

GVATVCVPAJV'BA.



Guatucupajúba. Si ad Europæorum piſcium ſpecies referatur, Cyprinis latis, quos barbare Praſemum vocant, aſcribendus ob carnis & ſaporis convenientiam. Cæterum color eis diſſimillimus, quod piſcis hic à capite ad caudam perpetuis ſquamis argenteis fulgeat, lineis & ſtriis flaveſcentibus ſecundum corporis longitudinem excurrentibus. Toto fere anno frequens, atque ex maris ſcopulis & fluviorum oſtiis ad nos defertur magno incolarum oblectamento; vix ulli piſcium ſaxatilium ſaporis præſtantia cedens, imprimis ſi aſſetur in craticula.


CARAV'NA.



Caraúna inter celebres quoque piſces ſaxatiles marinos numeratur. Figura *Itaiára* ſimilis, ſed capite, colore & magnitudine diſſimilis. Corpus undiquaque ſquamulis tegitur, lunatis, coloris miniati, cui punctula nigra paſſim inſparguntur. Præſtantiſſimæ eſt carnis, optimi non tantum guſtus ſed & nutrimenti, ac proinde ægris quoque conceſſus.


Aipimixíca, qui Luſitanis *Pudiáno vermelho* appellatur, celebris eſt piſcis ſicut Carpio apud Europæos, cui magnitudine & forma qua ad mollitiem tactus, ſquamaſque ſubtiles & arcte complicatas, ſimilis; ſed admodum diverſus ſi totius corporis colorem ex flavo

Aipimixi'ra.




flavo cum aureo micantem conſideres. omnibus pariter Incolis in deliciis habitus ſi probe elixetur. Huic dignitate & figura ſimilis eſt *Puranéma*, totus argenteus, cui lacca intermixta eſt.

Tetimixi'ra.



Tetimixíra autem eſt altera ſpecies, quæ *Pudianò Verde* à Luſitanis nomen accepit, quod præter aureum colorem quo elegantiſſime micat, viridibus imprimis thalaſſinis atque aureis cubis & ſtriis undulatis ſit inſignis. Rite præparatus antecedenti *Pudianò* teneritate carnis non cedit. Vterque in mari & oſtiis fluviorum capitur. Huic affinis videtur piſcis fluvialis *Acarapucú* dictus, totus argenteus, carne friabili commendabilis. Fluviis ſe committit. Alburnum noſtrum refert.


Pacv'.



Pacú familiaris omnibus maris accolis. Noſtrates **Steen-braeſem** vocant. Luſitanico idiomate *Salema*, Græcis & Latinis Salpa dictus. Ore autem, Capite, Dentibus & Pinnis Sargo ſimillimus eſt; colore tantum & ſtriis illis à capite ad Caudam conſpicuis ex argenteo & flavo ab eo differens. Pro temporis anni diverſitate mare vel fluvios petit ut pingueſcat. Ventriculo eſt magno, inteſtinis latis, hepate rubro, folliculo fellis magno, corde angulato. Melioris ſaporis & nutrimenti habetur quam Sargus Europæus.

Capeúna ex ordine quoque optimorum piſcium ſaxatilium marinorum numeratur à


CAPEV'NA.



piſcatoribus non ſolum ſed & ab ægris & ſanis, quibus caro ejus cocta magno in pretio merito habetur. Egregiis ſquamulis argenteis cæteris piſcibus præfulget. Hic, ut & *Itaiára* atque alii piſces recentes parieti affixi noctu toto corpore adeo lucent, ut litteris legendis ſatis luminis præbeant.


Elegans & celebris datur piſcis, huic præcedenti non adeo diſſimilis, ſive argenteum & igneum ſplendorem ſive carnis bonitatem conſideres, qui ab Indigenis *Pira Acangatá* dicitur.

ARAGVAGVA'.




Araguaguá marinus piſcis, celebris magis in Europa, Aſia & America, ob dentatum gladium qua ſuos hoſtes integraſque Balænas proſternit; quam ob bonitatem carnis, quæ tamen rite præparata ſi juvenis ſit, cartilagineis piſcibus non cedit. Cute eſt non ſquamoſa, ſed ad tactum aſpera & dura. Dentes non ori quidem, ſed prominenti ejus gladio conceſſi. Capite eſt compreſſo, in quo poſt oculos, ſpiracula duo conſpiciuntur, per quæ aquam efflat bellua. In inferiori vero corporis parte verſus enſem ſubſtantia branchialis apparet, cujus beneficio nobis admodum probabile videbatur enſem dirigi, quia ejus origo ibi latitabat.

PACAMO'.



Pacamó, quem Luſitani improprie *Enxaróco* ſive Ranam marinam vocant, inter Muſtellas noſtratitibus **Puyt-aal** potius referri poſſet. quibus, excepta capitis craſſitie, multum ſimilis eſt. Cute eſt glabra ac molli, ſicut & Branchiis, Pinnis, atque Cauda. Dignitate nutrimenti & ſaporis Europæam muſtellam facile ſuperat, quod inter ſaxa & ſcopulos victitet, friabili mollique carne ægris æque ac ſanis oblectamento eſt.


ITAIA'RA.



Itaiára, ſicut rubri & variegati coloris elegantia, ita & guſtu cum cæteris piſcibus marinis certat. Iuxta ſcopulos & Reçiffo piſcatores iis inſidiari ſolent, quia ſalubrioris pabuli gratia latitant in fundo. Licet inter ſquammatos numeretur, tamen ad tactum glaber eſſe videtur. Aſſatus æque ac elixus optimi eſt palati & nutrimenti, imprimis menſibus pluviis, cum multa & grata pinguedine abundet. Præter Caudam, Pinnas habet ſex parvas, excepta dorſali ſpinoſa & magna; quæ omnes ſimul ut totum corpus, rubent cum maculis nigris.


Inter

PARV'.



Inter Piſces edules numeratur ille qui *Parú* dictus, eleganter ſquamoſus; lunulaſque flavas in nigricante corpore geſtare videtur. Pinnæ ſuperiori & inferiori in fine prominentiæ duæ inſtar funiculi verſus caudam extenduntur. Piſcis eſt latus & ſubrotundus, non tamen craſſus ita, ut participare videatur naturæ & figuræ Paſſeris ſquamoſi lati: differt autem ab eo, quod utrumque latus ejuſdem ſit coloris, & utrimque oculatum, nec Paſſerum more tanquam altero oculo orbatus natet. Cauda eſt circinata & inſtar ventilabri extenſa.

ACARAVNA.



Qui *Acarauna* nomen accepit, præcedenti *Parù* ſimilis ſapore, natura & figura, paucis exceptis circa Caput, Pinnas & Caudam. Hic enim in utroque latere prope caudam acutiſſimum habet aculeum, quos in latere recondere & evaginare poteſt alios lædendi cauſa. Cauda eſt extenſa & bifida. Color ſquamarum niger. Aſſatus & elixus in pretio habitus, quod facilis ſit digeſtionis. In mari circa fluviorum oſtia capitur.


ABACATVAIA.



Abacatuajá, quem Luſitanis placuit *Peixe gallo* appellare. Cujus etymon ſi referant ad Gallum ſive Fabrum marinum, de quo Rondeletius, Aldrovandus, Geſnerus & alii tractarunt, toto cælo errant. Planis potius quam ſubrotundis piſcibus aſcribendus: licet pinnis, furcata cauda, imprimis nigris filamentis longiſſimis extenſis, natando à vulgari Rhomborum & Paſſerum familia diſcrepet. Cute eſt læviſſima, non ſquamoſa: adeoque ſplendentis argentei coloris: Pinnis & Cauda plane vireſcentibus. Vbi primo capitur, grunnit inſtar porci. Marinus eſt: præſtantia & duritie carnis fluviatili præfertur: proinde ab omnibus pariter incolis vel coquitur vel frigitur in ſartagine, atque pro bono gratoque cibo habetur. In quibuſdam ſemen ſive lac, in aliis vero ova reperiuntur. proinde hoc genus


non ponendum inter eos de quibus Ariſtoteles lib. 4. hiſt. Animal. cap. 11. teſtatur, In ſtirpibus & teſtaceis non ſolum, ſed & piſcibus, ſcilicet Paſſere, Rubellione &c. eſſe quod pariat & generet, deeſſe autem quod maris officio fungatur.

GVAIBI-COA'RA.




Guaibi-Coára, Luſitanis *Buraco de Velha*, ſquamoſus eſt piſcis, argenteo & melino colore ſplendens. ejuſdem ſplendoris & coloris eſt linea quæ per utrumque latus ſecundum longitudinem tendit. Magna copia ex ſcopulis marinis littori vicinis ad nos defertur à piſcatoribus, ob carnem friabilem in pretio habitus à multis. Cauda eſt bicornis, quæ ſeptimam conſtituit pinnam.

IAGVARACA'.



Iaguaracá, piſcis marinus ſaxatilis; Percæ ut magnitudine ita & figura atque guſtu non multum diſſimilis. Aſſatus & elixus bene ſapit: menſibus pluviis maxime pingueſcit, victitatque circa ſcopulos, unde unco eos eliciunt barbari ſagaciſſimi piſcium inſidiatores, qui ex mari reduces multos argenteo & incarnato colore micantes copulatim venum exponunt. Totus piſcis elegantibus ſquamulis in ambitu ſerratis cooperitur: branchiis quoque & aculeis pinniſque acutiſſimis armatur, quas pro libitu erigit, iiſque potenter ferit piſcatores. Caudæ pars reliquo corpori ſubtenſa longiſſima eſt, deſinens in pinnas furcatas ſatis longas.

GVEBVÇV'.




Etiamſi hic piſcis cetaceus, quibuſdam notis, imprimis vero pinnæ dorſalis elegantia, & duobus proceſſibus oſſeis in ventre à Xiphiis veterum nonnihil abludat, illis tamen plane adcenſendus, præſertim ſi præcipua externa & interna ad examen revocentur. Itaque noſter

Guebuçú, Luſitanis *Bicúda*. Inuſitatæ figuræ piſcis (quam penſiculatius D. domeſtico meo graphice depingere juſſi) corpore eſt oblongo, tereti, roſtro acuto oſſeo, utrimque mobili, ore edentulo, lingua tereti oblonga. Cauda in duo cornua diducta, ad cujus exortum duæ auriculæ membranaceæ. Præter pinnas ventris, juxta caput duo oſſea bacilliformia corpora extenduntur in multam longitudinem: maxima illa pinna dorſalis conſtans membrana pergameni æmula, coſtis, maculiſque variegatis intertexta eſt, quam pro lubitu in ſulcum recondit ſatis profundum. Squamis caret, ſed cute craſſa ſpinulis aſpera ex cinereo argentei coloris veſtitur. Carne eſt copioſa, pingui, non ſpinoſa nec glutinoſa, ſed ſatis bona, imprimis ſi juvenis ſit, alias bajulis & nautis dicata.

Confor-

Conformatio totius piſcis velocitatem non ſolum, ſed & pugnacitatem arguit. Cum enim unumquodque vim ſuam ſentiat qua poſſet abuti, hic ab ipſa adoleſcentia contra homines non ſolum ſed & belluas marinas bellum gerit roſtro ſuo validiſſimo, victoſque aliquando hoſtes devorat. In diſſectione ventriculum interiorem multis piſcibus oneratum vidimus. Tantæ denique agilitatis & roboris eſt hoc roſtrum, ut ipſum lignum illi cedat, ſi ab œſtro pungente irritatus navem eo petat. Diverſa enim cornua inventa ſunt, profunde navium carinis immerſa inſtar clavi. Cæteræ partes internæ ejuſdem conformationis & conſtitutionis ſunt cum Xiphiis & Thunnis.

GVAPERVA'.




Guaperuá, Luſitanis *Peixe Porco*. Qui ſi non idem quem Capriſcum vel Carpum Rondeletius & Salvianus nominant, ſaltem ejuſdem ſpeciei eſſe facile probari poteſt. Cum enim operoſum adeo ſit animalia ſive vegetabilia novi orbis Americani ad ſpecies Europæas referre, condonandum nobis ſi ſimilitudines aliquando claudicent ob infinitos naturæ luſus.

Capite eſt porcino, dentibus caninis, ſquamis & lineis elegantiſſime ſplendentibus ex cæruleo variegati coloris. In dorſo intra pinnas & caput duo habet cornua, alterum alteri per tenacem membranam annexum, quæ nunc in rimam recondit, nunc denuo erigit, præſertim ſi irritetur ad pugnam. Cauda in duo cornua ſatis longa dilatatur, ideoque potiſſimum diſcrepat à Capriſcis, quibus brevis & quadrata exiſtit.

Si omnes partes noſtri *Guapervá* conferantur & conſiderentur, non eſt dubium quin ſit pugnax & velox.

Quantum ad dignitates alimentoſas, edulis quidem aſſatus, non coctus, verum utique inter inferioris notæ habitos.


GVARA-TEREBA'.



Guara-Terebá, Piſcis craſſus, obeſus capite obtuſo, dorſo incurvato, unde *Corcovádo* minor à Luſitanis & noſtratibus nomen obtinuit. Triangularibus operitur ſquamulis minimis, ita ut lævis potius ad tactum quam ſquamoſus videatur. Solis radiis expoſitus, inſignitur ex aureo, & hyalino cæruleſcens ſplendet. Edulis quidem, ſed à vulgo potiſſimum expetitus.

Vt terra


Narí Narí.



Vt terra Spinis, Rhamnis; ita Oceanus Rajis, Paſtinacis & ſimilibus luxuriat. Licet enim unum duntaxat aut ſummum duo ova teſtacea ſimul edant; eadem tamen illis fœcunditatis cauſa eſt, quam in Gallinis quotidie experimur, quæ unum ovum unico partu ponunt, cum plurima alia in utero geſtent, quorum ſingula poſtea ut prius abſoluta fuerint, ita prius eduntur. Ex diſſectione Rajarum idem comperi quod Rondeletius teſtatus eſt, perfecta ova in inferiori vulvæ parte, & fere infinita in ſuperiori ejus parte contineri. Coëunt tergo fæminarum ſupinis earum partibus ſuperpoſitis. Vterus iis eſt oblongus. Ventriculus parvus anguſtuſque in ecphyſin deſinit, à qua breve inteſtinum dependet. Latitudine corporis natant, quod pinnis careant. Tota Paſtinacarum & Rajarum familia aculeis & radiis munita, quorum venenatam qualitatem eorumque antidota multi prodiderunt authores, probaruntque ſimul noxiam vim iis ſolis ineſſe ſalva carne piſcium, quæ veſca eſt, ſicut ego multoties quoque expertus ſum. Præ cæteris eminent illæ quarum icones hic apponuntur. Prior *Narí Narí*, ob frequentiam & uſum quotidianum notiſſimus. variæ illorum ſunt ſpecies, quarum illa quam exhibeo à quibuſdam Braſilianis *Narí Narí-pinima* nomen accepit, à Luſitanis *Raja*, à noſtratibus *Pylſtaert*. Eſt Paſtinaca marina Americana, corpore magno, lato, ferme triangulari; conſtante ad utraque latera pinna latiſſima æqualis longitudinis. Capite porci fere magnitudinis & craſſitiei. Ore ſubrotundo edentulo, in promuſcidem deſinente cartilagineam, habentem quaſi foſſam in medio. Cranii cavitas ſatis capax eſt cum multa cerebri ſubſtantia. Poſt oculos in quolibet latere ſpiraculum amplum, pomi vulgaris capax; intra hæc, branchiarum folia recondita jacent, ad latera inferius à fine capitis in quolibet quinque, ob longas inciſuras. Color totius ſuperius ferreus, maculis albis per totum inſperſis. Cutis tota glabra læviſque. Caudæ longitudo quatuor pedum & trium digitorum; quæ ſenſim gracileſcit. Paulo poſt exortum caudæ ſuperius parvam pinnam curtam habet, & mox poſt eam duos hamulos ſibi invicem ſupererectos, piſcatoriis hamulis ſimiles & incurvatos. Caro boni ſaporis eſt, ſufficiens quadraginta hominibus ſaturandis. Ita ut quantum puncturis aculeorum humano generi obſit (ut in libro de venenis demonſtravi) tantum probitate carnis proſit.

Altera


Iabeba'ra.



Altera Rajæ ſpecies *Iabebára*, aliis *Iabebireté* appellata, ejuſdem magnitudinis cum *Aieréba*, figura autem obtuſi vomeris ad latera extuberantis. Cauda longa, cutis glabra, coloris fuſci. Carne quoque ut præcedens *Nari Narí* probata & boni ſaporis. Idem piſcatores mihi teſtati ſunt de aliis Rajis; quæ huc adferrem, ſi hiſtoriam prolixam, non brevem edulium piſcium exhiberem narrationem.

Corocoro'ca.

Corocoróca Piſcis marinus ſquamulis majuſculis argenteis operitur. Carne eſt probata, ſed dura, ideoque à delicatioribus non adeo expetita. Pedalis eſt longitudinis. Frequens toto fere anno. Pinnas habet ſex, quarum dorſalis acutis ſpinis ſuſtentatur quam in rima recondit. Murmur edit *Corocoro* quando capitur, unde nomen accepit.




Gvarapvcv́.



Guarapucú, Luſitanis *Caválo*, Belgis **Konings-vis**. Corpore eſt, ubi adoleverit, ſeptem pedes longo, non ſquamis, ſed cute lævi argentei & cærulei coloris operta, intercurrente linea à capite ad caudam ex tenuiſſimis ſquamulis contorta. Piſcis potiſſimum, marinus quod ibi pariat, licet in oſtiis fluviorum dulcibus aquis ſubinde videatur delectari. Si ad ſpecies Europæas referatur, minus cum figura & natura Scombri quam Pelamydis & Thunni Ariſtotelis convenit, quamvis corporis proceritate & elegantia, atque carnis quoque dignitate utroſque ſuperet. Noſter hic *Guarapucú*, ut Thunnus, eſt quoque gregalis, piſcivorus, velox; menſibus pluviis coiens & pingueſcens. Proinde tunc omnibus paſſim incolis tam recens quam ſalitus & in penu reconditus, magno eſt oblectamento. Carne enim quamvis ſit ſicciori, ſalubri tamen & grata, ſi juvenis ſit.


Pira-

PIRACOÁBA.




Piracoába, ſi figuram, magnitudinem, pinnas, caput caudam denique furcatam conſideres, nulli melius comparandus quam Chalcidi Rondeletii. Squamulis argenteis egregie ſplendet. Barba eſt alba. Piſcatores mihi teſtati ſunt, ſolum menſibus hybernis, arenoſis locis maris & circa fluviorum oſtia capi. Teneritate carnis & nutrimenti præſtantia haud inferioris notæ habetur quam Chalcidis.

PIRATIA PVÁ.



Piratia Puá, Marinus eſt piſcis, nec unquam in fluviis repertum memini. Maximæ fit molis ubi adoleverit, ſæpe ultra ducentorum pondo, ob carnis & pinguedinis copiam: ſed tunc ob elegantiam & aureum colorem potius, quam ob uſus humanos expetitus, quod adeo tenacis ſit carnis: quando autem gracilis, atque infra decem pondo exiſtit, ab optimatibus in deliciis habetur. Ob multam pinguedinem aſſatus coctо vel frixo præferri ſolet. Squamulis veſtitur adeo parvis, ut ad tactum glaber videatur, etiamſi antrorſum mulceatur. Totum corpus & pinnæ omnes coloris ſunt ex obſcuro aureo hepatici: huic autem colori per totum retis in modum cinerei coloris lituræ cancellatæ obtenduntur.


PIRAMETÁRA.



Pirametára Mulli vel Barbi videtur ſpecies. Vtrique *Salmonetæ* nomen ab Hiſpanis inditum. Quæ de Mulli figura, indole & dignitate Salvianus Geſnerus, & Matthiolus prodiderunt, huic noſtro applicari poſſunt, paucis tantum exceptis, præſertim quod in *Pirametára* maculæ grandes rotundæ nigræ in latere utroque appareant; Cauda etiam in fine auream habeat fimbriam: convenit autem cum mullo & Barbo, quod in inferioris mandibulæ extremitate barbam habeat conſtantem duobus quaſi funiculis craſſiuſculis; color quoque piſcis à capite ad caudam dum vivit ſanguineus ſit, iſque poſt mortem in aureum & flavum mutetur. Quam colorum mutationem, Plinius non ſolum ſed & Rondeletius aliique recentiores Mullis quoque attribuerunt, iiſque imprimis qui barbati ſunt & in alto mari degunt, ſicut noſter hic *Pirametára*, qui ut coloris elegantia, ita & nutrimenti præſtantia in cœnoſis ſtagnis viventes longe ſuperat. Carne eſt friabili, cum aliquo lentore & pinguedine, ac proinde minus durabili, niſi condia-

condiatur. Hepate eſt ex albo rubeſcente, ſine felle: quamobrem ex hepate condimentum paratur.


GVIRYBACO'.



Inter Edules Marinos piſces *Guirybacó* numeratur, corpore groſſo, pingui, multa probataque carne præditus. Veſtitur magnis ſquamis partim cinnabrio partim argenteo colore ſplendentibus, intercurrente linea rubra à capite ad caudam. Coctus aſſato præferri ſolet. Viſcera omnia ejuſdem coloris & conformationis ut Aſellorum noſtratium.

Pirabebé. Piſcis volans, ſive Hirundo piſcis, non Braſiliæ proprius, ſed, ut ex variis authoribus liquet, omnibus innotuit inter Tropicos navigantibus, qui figuræ & alarum magnitudine, carnis dignitate, coloriſque varietate inter ſe diſcrepant. Plurimi autem Haleci ſimiles exiſtunt. Quibuſdam ad utramque alam in initio ejuſdem parva quaſi ala exit. Conſtant eorum alæ tenui membrana ſubfuſci coloris, habentque plicas, & ſuſtentantur Spinis tenuibus per longitudinem extenſis. Sicut ex hac priori icone videre licet, quæ capite & corpore craſſiori depingitur.

PIRABEBE' I.



PIRABEBE' II.




Altera autem colore, figura corporis, & alarum imprimis, multum diſcrepat. Alæ enim ejus duplo ſunt longiores & multo anguſtiores ſine plicis. Tanta denique inter

 Piſces


Piſces volantes diſcrepantia à capite ad caudam, ut nihil fere inter ſe commune habeant quam quod alati & edules ſint. Piſcatores promiſcue vivos hamis affigunt, profundoque mari immittunt, atque ingenti fœnore illos redimunt, dum eorum perſecutores ipſi decipiuntur & capiuntur. Merito Hirundinis nomen illis attributum ob volatum, quia demiſſe earum more volitant, atque inſtar illarum aviumquæ è flumine aquam hauſturæ, vel è terra feſtucas collecturæ. Millenos videre eſt ex Oceano ſubito ſe levantes, quæ, dum fuga ſibi conſulunt, ut rapaces piſces, imprimis Delphinos, evadant, ſubinde à circumvolantibus avibus in ipſo aëre capiuntur, Charybdimque evitantes in Scyllam incidunt. mox iterum ad humectandas alas, (quæ brevi temporis ſpatio exſiccantur) leviter aquæ ſuperficiei ſe immittunt: unde fit aliquando ut in naves præcipitentur, grataque præda fiant pubi nauticæ, quæ coctos pro grato alimento Halecum loco apponunt.

GVATVCVPA'.



Guatucupá, Corvína Luſitanis, noſtratibus piſcatoribus **Schelvis**. Quod Aſellum exprimit. ſane ſapore & dignitate ſi Aſellos Europæos non ſuperet, ſaltem iis par eſt. præterea figura & magnitudine (paucis conceſſis pro naturæ luſu) ab iis non multum recedit. Minoribus ſquamulis rotundis ex auroargenteis ſplendet. Pinnis & ventre eſt albicantibus. Linea quoque argentea ſecundum longitudinem per medium latus tendente. Piſcatores teſtantur, nuſquam in fluviis ſed in mari capi. Carnis bonitate cum ſaxatilibus contendunt, tamen pro diverſa victus ſui ratione deteriores vel meliores efficiuntur. Omni anni tempore fere capiuntur, magno incolarum ſolatio & oblectamento. Aſelli hi piſciculis veſcuntur, quos integros devorant, quia dentes tantum habent priores, non adeo ad incidendum, quam ad retinendam prædam.

TIMVCV'.




Timucú, Luſitanis *Peixe agulha*, inter Acus numerandus. Roſtro eſt oſſeo. Non ſquamis ſed cute tegitur, partim olivacei, partim argentei coloris. In mari & fluviorum oſtiis frequens. Carne eſt ſicca, non ſpinoſa, atque boni ſaporis, præſertim in ſartagine cum oleo vel butyro frixus. Sed ob paucitatem carnis à menſis divitum rejicitur.

PETIMBVA'BA.




Dubito an inter Acus piſces miſores *Petimbuába* locum teneat. Cute eſt glabra, inſtar Anguillæ, coloris primum hepatici, mox maculis cœruleis & vireſcentibus inſignis. capite & roſtro admodum producto. Caro ejus veſca, licet pauca & ſicca. Corpore eſt non exacte tereti, ſed compreſſo & latiuſculo.

VVBARA'NA.




Vubarána, in oſtiis fluviorum degens, ſi ulli piſci Europæo, certe Truttis maxime comparandus, ſive figuram externam ſquamarumque ſeriem, ſive carnem ejus conſideres. Colore tamen differt, quod hic ex argenteo mire ſplendeat. Ore eſt edentulo, unde lapis illi loco linguæ eminet. Piſcis ab omnibus paſſim expetitus, ſive coctus, ſive in craticula aſſatus, niſi quod infinitis ſit pertextus ſpinulis.

CVRVI' I.



NHANDIA' II.




Varii ejuſdem generis, ſed diverſæ ſpeciei piſces. Læves, non ſquamoſi, barbati, dulcium aquarum perpetui alumni reperiuntur. Quorum ſex potiſſimum mihi innotuerunt, qui Incolis familiares ſunt, & vili pretio diſtrahuntur, partim ob frequentiam, partim quod Iudæi à non ſquamatis abſtineant.

Luſitani & Belgæ hos omnes *Bagres* appellant; ſed Indigenæ cuique nomen ſuum indiderunt. Primo *Curuí*. Secundo *Nhandià*. Qui ambo omnium facile optimi cenſentur, tam ratione palati, quam nutrimenti: atque licet raptu fluminis (imprimis divi Franciſci, ubi potiſſimum abundant) in mare prolabantur, dulces tamen aquas non deſerunt. Vterque eſt barbatus ſed cirris barbæ diſcrepantibus. Vterque cute cinerea, non ſquamoſa, tectus; ſed primus ſolum maculis perpetuis variegatur.

 His

Gvirití'ngá III.



Gviragvaçú IV.



His ſupra enarratis dignitate eſculenta ſuccedunt duo majores, *Guiritinga* & *Guiráguaçú* dicti, quorum icones admodum ſibi inter ſe ſimiles exceptis cirris, qui numero, ſitu & magnitudine differunt, ut ex appoſitis Iconibus liquet. Ambo lævi cute, candidi, cum diluto flavo & aureo mixti coloris ſunt. Capitibus obtuſis & dura teſta munitis. Septem pinnis, Cauda furcata gryſei coloris. Quovis modo præparati apponuntur.


Ivndiá V.



Quintus vero *Iundiá* capite eſt conico, dura teſta tecto. Quatuor cirris brevibus & tenuibus, duobus vero ſupernis longiſſimis & lunatim extenſis. Totus piſcis argentei eſt coloris,

coloris, ſicut & linea illa latera corporis ad caudam uſque cum perpetuis argenteis protuberantiis ſecans. Pinnis omnibus præpoſiti ſunt fortes aculei dentati, quibus dolorifica infligit vulnera.


VRVTV' VI.



Sextus *Vrutú*, noſtratibus **Klip-Bagre**, cui barba quoque ex ſex cirris data, non ſquamatus ſed cute tegitur glabra, umbræ coloris fuſcis variegatus maculis. per utrumque latus ſecundum longitudinem mirus ordo denticulorum acutorum tendit ad finem uſque. anteriori pinnæ dorſali ſpina craſſa oſſea dupliciter ſerrata incumbit, qua incaute tangentem miſere lædit.


Proinde edules licet duo hi poſteriores *Iundiá* & *Vrutu*, à retibus ſuis tamen eos arcent piſcatores, ob puncturas quas tanta cum inflammatione, & tumore excitant, ut ſpatio viginti quatuor horarum vix ulli cedant remedio, imo in mentis vel animi defectum aliquando ſauciati dejiciantur. unicum hactenus innotuit remedium, quod quantocius paratur ex hepate ipſius piſcis cum oleo frixi, vulnerique applicato. Ita ut hinc quoque liqueat id quod ſæpius antea probavi, pleraque venenata ſecum ferre ſua antidota; modo nos rite illa expiſcemur, eaque in aliquo viſcerum præcipuorum, imprimis in hepate, non raro latere, ediſcamus.

CAMARIPVGVAÇV'.



Inter vulgares piſces marinos *Camaripuguaçú* cenſetur, qui viri craſſitiem & longitudinem cum multa pinguedine acquirit ubi adoleverit. Ore eſt edentulo valde amplo, mandibula inferiori immobili, & ſuperiori breviori. Oculis magnis argenteis. Cauda lata, paulo bifurcata. Pinnæ dorſali elatæ appendix data eſt longa inſtar funis craſſioris recta ad caudam vergens. Squamis totus piſcis tegitur magnis arcte ſibi impoſitis, adeoque eleganter ex cæruleo argenteis undatus, ut quaſi mero argento obductus videatur. Vt palato gratior ſit, juvenis eligatur, diutiuſque coquatur, ob multam & ſolidam carnem craſſis ſpinis obſitam: ubi enim adoleſcentiam exceſſerit, lenta fit ejus caro, & bajulis tantum dicata.

PVNARV' I.




Duas potiſſimum ſpecies *Punarú* obſervare licuit, quæ ut externa figura, ita & internis qualitatibus ſibi ſimiles. Vtraque ſpecies intra ſcopulos circa littora vivit, & teſtaceorum domicilia intrat. Piſciculi ſunt parvi,

PVNARV' II.




corpore tereti & oblongo, capite craſſo & obtuſo, oculis ſuperius in fronte poſitis, branchiis amplis. Pinna ab occipitis ſummitate ad caudæ exortum extenſa, mollibuſque ſpinis non prominulis texta, ſimili pinna à medio ventris ferme ad podicem uſque pertingente. Cauda utriſque longiuſcula & parallelogramma. Cute teguntur fuſca & glabra. Ita ut uterque *Punarú* ſimiles ſibi ſint paucis exceptis: prior variegatus eſt in lateribus lineis curvis obſcure purpureis, poſterior mandibulas habet roſtratas quaſi è minimis denticulis compoſitas. Vterque palato gratiſſimus, ob carnis teneritatem, atque ob alimenti præſtantiam ab ægris æque ac ſanis expetitus.

ARAMACA'.



Aramacá, Luſitanis *Lingoáda*, vulgo etiam *Cubricunha*, Lingulæ, ſive Soleæ potius quam Paſſeris eſt ſpecies. Noſtrates **Tong** appellant. Eſt Piſcis planus tenuiori & contractiori corpore quam Paſſer. Æſtate ex maris domicilio fluvios petit, ubi carne fit molliori & ſuaviori, omnique Paſſere præſtantiori. Ore eſt magno, dentato, elingui. Veſtitur ſquamulis adeo parvis ut vix deſquamari poſſit. In dextro latere albi coloris, in ſiniſtro lapidei cum ſtigmatis variegati: oculos quoque duos habet in hoc latere, in altero nullum. Ita ut Soleæ altero oculo orbati eodem modo natent.

NHACVVNDA'.




Nhacuundá Mas fœminæ bonitate carnis & figura ſimilis, exceptis cæruleis punctulis. Ore Lucium æmulatur. Dentium loco habet limas & linguam tenuem. Cauda, nigra teſta dura tegitur. Squamæ obſcure gryſei ſunt coloris cum argenteo tranſplendente. In medio corporis maculæ nigræ per longitudinem excurrunt, concomitante linea ſplendente. Frequens eſt in receſſu fluviorum, gratique ſaporis & probi nutrimenti habetur.

PIABVCV'.




Piabucú inter fluviatiles piſces non inferioris notæ exiſtit. Oculis & ſquamulis argenteis egregie ſplendentibus. Per medium latus ſecundum longitudinem linea lata non ſplendens excurrit, quæ in hac Icone nimis nigra depicta; quod pictori concedendum eſt. Dorſum olivacei & hyacinthini coloris. Capiuntur facile vivis piſciculis hamis affixis. Adeo appetens eſt ſanguinis humani, ut natantibus vulnus vel qualecunque ulcuſculum ſugendo & mordendo infligat. Carne eſt probata & boni palati quocunque modo præparetur.

PIA'BA.




Piába piſciculus ſemipedis longitudinis, non figura tantum ſed natura Phoxinis veterum eſt ſimilis, quorum præter Ariſtotelem Geſnerus & Rondeletius meminerunt. Caput & ſquamæ eleganter argenteo viridi colore ſplendent. Circa Pinnas & Caudam maculæ ſunt magnæ Indici coloris, quibus Phoxini deſtituuntur. Nuſquam in ſtagnis dulcibus ſed fluviis tantum rapidis capiuntur, amantque contra aquarum raptum niti. Saporis quidem non contemnendi ſunt, verum apud Indigenas in majori pretio habentur, qui eos cineribus conditos foliiſque arborum involutos craticulæ imponunt, aſſatoſque pro epulis apponunt, quod mihi per deſerta cum illis peregrinanti præſtiterunt barbari.

ACARAAYA'.




Acaraayá, qui vulgo corrupte *Garanha* dicitur, in lacubus potiſſimum reperitur. Atque inter eos piſces numeratur qui æque ſole & ſale ſiccatur & conditur, quam recens comeditur. Figura Carpioni ſimilis, ſed non magnitudine. Præter communes pinnas rubicantes unam aſperam longam expanſam habet, cujus mediam partem nunc erigit, nunc in rimam recondit. Squamis argenteis ſanguineo colore umbratis decoratur.

ACARA'.




Acará, inter eos qui alte fluvios ſubeunt. Piſcis hic vix palmum longus, craſſo capite & corpore. Dentium loco limam tenet ore. Squamis eſt argenteis ex umbra mixtis. In quolibet latere duas habet maculus nigras majores & rotundas. Cauda pro mole piſcis ſatis longa lataque. Caro ejus haud ingrata nec inſalubris, Percarumque loco apponitur.

MATVRAQVE'.



Maturaqué, Capite craſſo, dura teſta tecto. Ornate ſquamoſus ex nigro ſplendens. Eodem victu & natali ſolo gandet quo *Tamoatá*, ſcilicet cænoſo & lacubus ſtagnantibus. Figura autem ſimilis *Tareira do Rio*, verum mole corporis ſuperior. Caro ejus boni eſt ſaporis, ſed non ſatis ſicca, proinde condimentis eget. Eiſdem lacubus innatat egregius piſcis *Mucu* dictus.


PIQVITI'NGA.



Piquitînga, piſciculus fluviatilis ob carnis ſimilitudinem & lineam rectam per corporis longitudinem currentem piſci *Piabuçú* comparatur, licet colore & mole corpus multum diſcrepet. Tegitur ſquamulis albis, ex quibus hinc inde olivaceus color tranſlucet. Pinnis eſt albis, & cauda biſurcata. Linea lata, quæ-


ta, quæ per utriuſque lateris medium ad Caudam deſinit, argenteo colore emicat. Carne eſt friabili & bona, imprimis ſi frigatur & elixetur.

TAREIRA I.




Quia placuit Incolis Braſiliæ nomen *Tareira* indidiſſe utriſque his piſcibus, licet figura & natali ſolo diſcrepantibus, malui eos conjunctim quam ſeparatim exhibere, & una quaſi fidelia dealbare. Prior Corpore eſt oblongo tereti; ſquamulis brunnis adeo exiguis & affabre compoſitis ut piſcis ad tactum glaber videatur; lineis rectis à capite ad caudam alternatim flavis & viridibus conſpicuis. Pinnas habet octo admodum tenues, quarum maxima eſt cauda late diducta & furcata. Capite colubrino. Ore patulo admodum, dentato, quaſi ad rapinam facto. Huic *Tareiræ* Luſitani ad diſtinctionem compoſitum nomen indiderunt, *Tareira d'Alto* appellantes, quia in alto mari potiſſimum capitur.

TAREIRA II.




Poſterior *Tareira do Rio*, id eſt fluviatilis, inſigniter ſquamatus ex argenteo fuſcus. Vterque edulis, imprimis aſſatus, uterque dignitate & ſapore ſibi ſimilis, niſi quod Caro Marini ſit minus ſpinoſa carne fluviatilis. Rictu eſt patulo, inferiori mandibula longa & admodum dentata, qua hoſtibus vim infert. Pinnas habet ſex, quarum maxima eſt cauda in extremitate circinata, ex nigro undulata.

IAGVACAGVA'RE.



Iaguácaguáre impropriè à Luſitanis *Iaqueta* dictus. Inſtar Percæ noſtratis obrotundus, ſed latior. Squamis quoque ut Perca veſtitur majuſculis è cæruleo cinereſcentibus. Si plures pullæ à dorſo ad ventrem deſcenderent, haud male conveniret cum Mormyro Hyppoliti, Salviani & Geſneri. Cæterum piſcis edulis, ſed à plebe potiſſimum expetitus.

TAIASICA'.




Taiaſicá, Piſcis parvus ſed nobilis. Ægris pariter ac ſanis in deliciis habitus, ſicut Porcellus Belgis, & Gobius Germanis. præterquam enim quod figura illi non diſſimilis, ita & natura quoque convenit cum littoralibus & ſaxatilibus Gobiis. Præſtantiſſimus

equidem

equidem eſt noſter hic *Taiaſicá* ad voluptatem ſimul ac diſtributionem, & ſucci bonitatem. In arenoſis littoribus degit, ita ut pedibus calcando arenam à quovis facile capiatur. Coloris eſt hyalini pallidi, exiguis maculis fuſcis variegatus. Ejuſdem magnitudinis piſciculus frequens *Araberi* dictus: Belgis **Spꝛot**.


Acarpe'ba.



Acarpeba ſicut in Europa, ita in America videntur variæ Cyprinorum ſpecies. Supra in deſcriptione piſcis ſeptimi *Acarapinima* mentionem fecimus hujus, tanquam illi congeneris ejuſdemque indolis & ſaporis. Cujus Iconem propterea præterire conſtitueram, ſed quia externa figura nimium diſcrepant, mutavi mentem, eumque appingi operæ pretium putavi; imprimis cum hic *Acarcéba*, noſtratium **Bꝛaeſem**/ veterum Cyprino ſimillimus ſit, ſive internas qualitates ſive externam figuram conſideres: adeo enim ſuavis ſimul & ſaluber habetur, ut nulli piſcium dignitate cedat, ingentique incolarum ſit ſuſtentaculo. Seſquipedalis ſæpe eſt longitudinis. Corpore lato, ſquamis majoribus tenuibus argenteo colore ſplendentibus. Ore edentulo parvo, quod extendere & contrahere poteſt. Dentium loco oſſa duo inciſa habet. Linguæ vicem ſupplet palatum carnoſum, avulſumque linguam adeo refert, ut non mirum ſit multis imponere: quod ad imitationem ſolertiſſimi Rondeletii edoctus in diſſectione viva comperi, carnoſam ſcilicet illam ſubſtantiam ſuperius fixam, non ſolutam more linguæ, inveni. Pupilla oculorum eſt nigricans cryſtallina. Pinnis natat latis, quæ omnes, imprimis dorſalis, firmis ſatis ſpinis ſuſtentantur. albicantes ſunt & tranſplendentes. Caudæ pinna furcata & lata. Capitur inter ſcopulos in mari & oſtiis fluviorum. Ventriculus, lien & hepar cum nigricante annexo felle ordinariæ ſunt conſtitutionis pro mole & more hujus piſcis. Fœcundus eſt, ſeptieſque & ſæpius anno parit. Multa portat ova, quæ ſæpe pereunt, quia fœminæ adeo inſtabiles ſunt, ut mares, qui eas perpetuo proſequuntur, ſemen ovis aſpergere non poſſint.

An vero hic Noſter *Acarpéba* Cyprinorum more ſine maris & fœminæ commiſtione quoque naſcatur, ut ab Authoribus de Cyprinis teſtatum eſt, ego experiri nondum potui: licet id ſæpe obſervare conatus ſum in vivariis Illuſtriſſimi principis Mauritii.


Pira'nha.



Piránha, quorum tres quatuorve ſpecies vidiſſe contigit, omnes fluviis dicati, magnitudine quidem, non autem figura, natura, colore vel dignitate multum inter ſe diſcrepantes. Major omnium quem hic exhibeo, voracitate imprimis celebris. Capite eſt obtuſo ut *Doráde*, ſed rictu majori, in quo videre eſt ordinem dentium triangulatorum acutiſſimorum, quibus abripit quicquid mordet: adeo denique ſanguinis humani ſitiens, ut incauti urinatores cum membri alicujus jactura id experiantur. Pulcre variegatus eſt coloribus: ſquamæ cinerei cum cæruleo mixti, fimbriæ ignei cum cæruleo, in ventre flavi ſunt coloris. Edulis non ſolum caro ejus albiſſima, ſed quod friabilis & ſicca, optimi ſaporis & nutrimenti ſit, per totam


tam regionem in pretio habetur. Si mortuus paulo diutius aſſervetur, tenerior redditur, ſicut evenit omnibus fere quæ dura carne ſunt. Quaſi calor naturalis qui partes continet evaneſceret, & calor externus carnem colliquans humidiorem eam efficeret.

CVRIMATA'.




Cúrimatá. Inter Braſilienſes piſces nullus qui Carpioni ſapore, colore argenteo, ſquamis, figura (paucis exceptis) adeo eſt ſimilis. Quare, quum carne ſit non glutinoſa ſed ſicca & friabili, merito inter delicias habetur, cum, vel ſine condimentis, ex ſolo aceto, elixus. imo ipſi Carpioni à multis præfertur, ejuſdemque eſt indolis & natalis ſoli; in vivariis enim & dulcibus lacubus tantum capitur.

PIRAVMBV'.




Piraumbú ob ronchos quos edit ita appellatus, Luſitanis *Chayquaróna*, inter fluviatiles celebris piſcis, magnitudine & figura non ſolum, ſed ore, & ſquamis ex auroargenteis Carpioni non adeo diſſimilis. Imo teneritate carnis illi non cedens, ita ut tuto ab ægris & ſanis hic expetatur, ſi rite præparetur. In ore ſuperius & inferius duos habet lapides latos & validos, denticulis vix ſenſibilibus præditos. his buccinas aliaque duriora quibus vivit, comminuere ſolet. Huic affinis habetur fluvialis ille piſcis *Cururúca* dictus, ſed major, argenteiſque ſquamis ſplendens. Pinnas habet octo: quarum maxima Caudam conſtituit furcatam. Gluten optimum ex hoc piſce conficitur, quod omnibus in familiari eſt uſu.

GVARVGVARV'.



Guaruguarú piſciculus nobilis, ſed exiguus, in ſtagnis & lacubus frequens, ſapore ut & ſquamarum aurearum elegantia piſcem *Piabá* æmulatur. In quotidiano apud plebem eſt uſu.


CVREMA'.



Curemá & *Paratí* Mugiles Braſilienſes, Luſitanis *Tainha*, noſtratibus **Harders** dicti. Qui ut toto fere orbe notiſſimi, ita in hoc Americæ tractu familiares, atque recentes non ſolum in quotidiano uſu, ſed & ſaliti in penu reſervantur. Ex hoc Mugilum genere, illa ſpecies quæ *Curemá* dicitur maxime eſt celebris. Quæ rurſus magnitudine diſtinguitur; majores enim duorum, minores unius pedis ſunt longitudinis, & à maris accolis nomine *Paratí* exprimuntur. Cæterum craſſo & pingui corpore ſibi ſimiles, oblongi ad inſtar Truttæ fluviatilis. Capite ſunt compreſſo, lato, craſſo, duris ſquamis tecto & in conum obtuſum deſinente. Supra os, quod eſt magnum & edentulum, duo foramina ſunt, oculi nigri, magni, anterius poſiti. Branchiæ exiguæ. Pinnæ octo, quarum

quarum una parva in ſummo dorſo, tribus ſpinis durioribus ſuffulta eſt. Cauda bifurcata, ſquamæ magnæ clypeatæ plane, coloris obſcure cinerei, cui hyalinus & argenteus inferius tranſplendet. Nulli noſtratium piſcium figura & indole adeo ſimilis quam Mugili marino, qui Cephali nomen apud Ichthyographos accepit. Mugiles enim æque ac hi *Paratí* atque *Curemá*, aliqui marini, aliqui lacubus cœnoſis & ſtagnis gaudent, unde exiſtente malacia magno numero laſcivientes exſiliunt. Quin & ſaltu retia aliquando tranſiliiſſe vidimus: hac enim ratione evadunt ut vitæ ſuæ conſulant, quod de iis Oppianus eleganter teſtatus eſt. Præpinguis eſt cocta vel aſſata eorum caro, atque ſine oleo vel butyro comeditur, quod multum flavæ pinguedinis de ſe fundat. Salitus cum muria, ſiccatus in ſole reſervatur. Optima ejus pars venter eſt, ſed diutius in ſale reſervata fit rancida. Ova quoque eorum ſalita & ſiccata ſervantur in gratiam bibacium, quia ſitim excitant, ſicut ex Mugilibus Europæis fit quod vulgus *Botarga* appellat. Viſcera ſunt diſpoſita ut in aliis ejus generis piſcibus, niſi quod hepar, veſica fellis, ventriculus & inteſtina pro mole corporis ſint exigua. Quod frequens eſt in iis qui non ex rapina vivunt, nam etiamſi guloſi & ſalaces, carnivori tamen non ſunt. Corde ſunt angulato. Sub pinna eſt locus aëre plenus. Omnes Marini Lacuſtribus præſtantiores, quod minus limum ſapiant.

PARATÍ.



Alia quoque ſpecies datur *Parati* dicta, quæ in his oris frequens Truttæ magnitudine & figura, ſed Mugilis indolis æmula, ſi natale ſolum & Carnis ſaporem conſideres, ab utraque tamen capitis figura abludens, imprimis autem quod hic branchiis deſtituatur. Cæterum oculis eſt ellipticis, ſquamis argenteis lineari ordine diſpoſitis, lineis gryſeis à capite ad caudam mugilum more intertextis. Pinnas habet ſeptem albicantes longas, caudam in duo ampla cornua diviſam. Magna copia in lacubus ſalſis ſimul capiuntur. Recentes æque ac ſaliti in pretio habiti. Carne ſunt ſicca & probata. Pluviis menſibus adeo pinguedine abundant, ut nullo fere obſonio indigeant.


TAMOATÁ.



Tamoatá, parvus ſed mirus aſpectu eſt piſcis. præterquam enim quod caput ejus ſatis amplum ſuperius tegatur teſta dura inſtar clypei, univerſum quoque corpus loricatum & ſquamoſis armatum annulis, ac proinde *Soldido* nomen à Luſitanis inditum. Ore eſt edentulo, ſed barbato, geminis filis oblongis. Coloris eſt totus piſcis fulvi & ſubnigri. Adeo fugit aquam ſalſam, ut tempore æſtivo & ſicco per terram abeat dulcem aquam quæritans. Caro ejus laudabilis eſt ſaporis & nutrimenti, interque ſecundæ menſæ delicias apponitur, imprimis ſi ſale & pipere arroſa, in veru vel craticula aſſetur. Eiſdem ſtagnis innatant *Nhandia*, *Gueba*, *Noia* dicti, qui bonitate carnis præcedentem æmulantur.


Inter

AMORE'-GVAÇV'




Inter lacuſtres piſces primatum quoque obtinent illi qui generale nomen vernaculum *Amoré* audiunt, vulgo *Amoréa* corrupte dicti; quorum diverſæ ſpecies, addito agnomine diſtinguuntur, ut *Amoré-guaçú*, *Amoré-Pixuma* & *Amoré-Tinga*, omnes natali ſolo, colore ferreo, & qualitate alimentoſa ſibi ſimiles, ſed figura & magnitudine diſcrepantes, uti in *Amoré-guaçú* apparet, qui primo ſe offert, adeoque expetitus ut Indigenæ illum ſub ripæ vel fundi arena utcumque ſepultum exinde cum moleſtia eruere non graventur. Qui enim *Amoré-Tinga* dicitur, corpore eſt exiguo, habetque ſquamas in totum albicantis coloris, intermixtis maculis fuſcis ut *Taiaſica*. Carne eſt tenerrima & friabili, ac ab omnibus in pretio habita, non ſanis tantum, ſed & ægris, quibus admodum conducit.

AMORE'-PIXVMA




Ille qui *Amoré-Pixuma* nomen accepit, capite eſt lato, ore amplo & edentulo, corpore oblongo, ventre extuberante albo, cæterum coloris ferrei ut piſcis *Tamoatá*, quem nonnihil æmulatur figura & qualitate alimentoſa; Cum enim dulcium aquarum ſtagnantium incola ſit æque ac *Tamoatá*, carne eſt, ut illa, probata, & ſicca, atque inter epulas appoſita, eodemque modo præparata.

CARAPO'.



Diverſæ ſpeciei *Carapó* in lacubus & fluviis reperiuntur, partim ſibi ſimiles, partim diſſimiles. Prima (cujus hic tantum iconem exhibeo) cultri figuram nonnihil æmulatur, imprimis ſi obtuſum & rectum dorſum, atque ventrem acutum & prominentiorem, inſtar Barbotæ Rondeletii conſideres. Capite & cauda eſt admodum tenuibus & acuminatis. Squamis ex fuſco & nigro rubeſcentibus. Grati licet ſaporis ſit ejus caro & ab omnibus in pretio habita, tamen fluviatilibus & marinis *Carapó* nutrimenti dignitate cedit.

GVACARI'.




Duæ ſpecies *Guacarí* in mari & oſtiis fluviorum capiuntur, figura pyramidali & magnitudine circa pedali ſibi ſimiles, ſed alimenti dignitate & colore diſcrepantes. Omnes aſperſi maculis obrotundis fuſcis, ſeminis ſinapi magnitudine; ſed illi quorum ſquamæ dilute croceo colore ſplendent, paucioris ſunt carnis; qui vero umbræ ſunt coloris, carnis præſtantia cæteris præferuntur. Omnium caput teſta veſtitur dura & hiſpida, oculis & ore parvis. loco dentium in utroque latere proceſſus apparent quaſi ex ſetis equinis facti. ab extremitate membranæ labii inferioris cirri inſtar barbæ dependent.

pendent. Pinnæ imprimis ſuperiores ſpinis oſſeis ſuſtentantur, quibus alios piſces & piſcatores lædunt. Cauda conſtant bicorni itidem ſpinis firmis ſuffulta. Ita ut totum corpus horum piſcium loricatum dici poſſit, adeo ipſæ ſquamæ ſunt aſperæ, cum quadrangulari extuberantia in medio ſui.


Detracta hac lorica hiſpida, ſublatiſque inteſtinis, (quæ longiſſima, & inſtar fili æqualis craſſitiei ſunt) piſces coquuntur & aſſantur ex more incolarum. Frequentius in uſu ſunt divi Franciſci rapidiſſimi fluminis accolis, ſicut quoque præcedens piſcis *Carapó.*

Alba Coretta.



Inter Cetaceos gregales piſces altum mare incolentes non magnitudine ſolum, ſed & carnis bonitate celebres ſunt illi quorum aliqui à pube nautica & piſcatoribus *Coorza*, aliqui *Coretti* dicti, qui omnes ejuſdem quidem generis ſunt, ſed diverſæ ſpeciei ob magnitudinis & molis differentiam: hi enim Aſelli noſtratium circa ſunt magnitudinis, optimi inſuper palati & boni nutrimenti. Cæruleis ſquamis in dorſo, argenteis vero in ventre, ac proinde *Albi Coretti* vulgo nomen audiunt. Cujus Iconem appoſitam vides.

Coorza.




At vero altera ſpecies præcedenti ſimillima eſt ſi figuram & naturam examines, verum magnitudine multum ab ea differens; quippe ſexdecim vel octodecim palmarum eſt longitudinis. Pelamydum Amiarumque familiæ aſcribenda, ſi Ichthyographos conſulas, adeoque cum iis participat, ut quantum ab aliquo eorum una corporis parte recedat, tantum alteri ſua ſimilitudine appropinquet, quaſi perpetuus appareret naturæ luſus inter novi & veteris Orbis animalia. Corporis enim capitiſque ac caudæ figura ad parvos Thunnos; ſi ſtrias nigricantes autem cæteraque externa conſideres, ad Amias Pelamydeſque potius referri debent. Squamis teguntur ex nigricante cæruleis magnis (quæ in coctione dehiſcunt) ſed ita ad amuſſim compactis ut læves eſſe videantur. Sunt roſtro acuto, ventre craſſo, cauda tenui in figuram Lunæ in cornua curvatæ deſinente; dorſo cæruleo ſplendente, ventre argenteo. Pinnas habent duas branchiales, & duas dorſales, totidemque in ventre, atque unam verſus podicem. Ventriculus, ſicut in pleriſque voracibus & rapacibus ſolet, magnus cum infinitis appendicibus. Inteſtina tenuiora. Lien nigricans. Hepar ex albo rubeſcens. Veſica fellis hepati non ſolum ſed toto inteſtino annexa. Piſcatores teſtantur, hos quoque Thunnorum more certis temporibus œſtro infeſtari adeo doloroſo ut è mari exiliant aliquando in naves. Caro eorum eſt multa, non ſpinoſa, ſuavis, ad flavedinem vergens,

G

gens, ſiccioris & durioris ſed multi nutrimenti, ac proinde à pube nautica admodum expetita. Si condiatur & obſoniis aromaticis inſtar carpionis apponatur antequam adoleverit, à delicatioribus minime contemnitur.

Camuri'.



Diverſæ ſpecies *Camurí*, Luſitanis *Robálo*, noſtratibus **Snoeck**. Quorum illi qui dulcium & ſtagnantium tantum aquarum incolæ ſunt, Lucii Latinis, Braſilianis *Picudo*, vel qui inter eos maximi *Camúripi* dicti, adeoque Europæis ſimiles externa figura, ſapore & qualitatibus alimentoſis, ut nihil differentiæ inter eos notare potuerim. quamobrem eorum deſcriptionem & iconem exhibere ſupervacaneum duxi, lectorem ad Ichthyographos remittens.

Illi vero qui in mari naſcuntur & oſtia fluviorum ſubeunt, Lupi Latinis, ſed Indigenis *Camuriapéba*, & qui majores, *Camuri-guaçu* dicti. quorum aliqui inter ſe adeo magnitudine & colore diſcrepant, ut diverſæ ſpeciei videantur. Frequentioris & præſtantioris iconem exhibeo qui à figura noſtratium Luporum non multum abludit, ut neque ſapore, niſi quod tota familia Luciorum & Luporum Braſilienſium Europæos dignitate facile ſuperat, ægriſque pariter ac ſanis conveniat. Eſt hic Lupus, magnus, ſpiſſus, ſquamis veſtitus ut Carpio argenteis, ſed ventre albicante: dorſo, lateribus & pinnis aurei coloris. In quolibet latere ſuperius à fine branchiarum uſque ad caudam producitur linea nigra craſſa. Capite eſt oblongo, branchiis quaternis, oculis magnis, patulo oris hiatu ad rapinam compoſito: loco dentium, oſſibus aſperioribus palato conceſſis. Pinnas habet octo. quarum prior in dorſo firmis ſpinis, tenui membrana connexis, ſuſtentatur, & in rima reconditur. Cauda eſt longa & lata atque furcata. Viſcera pro mole piſcis magna & capacia; imo ab ipſo ventriculo, & inteſtinis longis, rapacitatis ſigna deſumi poſſunt, cum contrarium appareat in diſſectione eorum qui limo & alga tantum vivunt. Bis anno parit fœcundiſſime, imprimis ubi fluvii in mare influunt. Piſcium carne nutritur, eaque pingueſcit, ex cujus victus locorumque ratione in quibus degit ſucci & nutrimenti probitas facile colligitur. Hic cum inter Neptuni pecora vere Lupum ſe præbeat, ſubinde nimiæ voracitatis pœnas dat, quod ſquillæ devoratæ aculeo quem fronte gerunt, viſcera ejus ſaucient, & pari vindicta necantem hoſtem interimant. Luporum optimi albiſſimaque carne ſunt pelagii, mox fluviatiles, deinde in ſtagnis viventes, ad illud Galeni dictum, alimentum quod ex pelagiis Lupis provenit, ſanguinem conſiſtentia tenuiorem gignere. Lapides qui in Luporum, ſicut & Tuberonum aliorumque multorum piſcium Capitibus inveniuntur, atque adverſus nephriticos conferre perhibentur, id cum doctiſſimo Rondeletio ſentirem à gravitate potius ſua (quam omni ſimili lapideæ ſubſtantiæ ineſſe comperi) calculum deprimente, quam ab occulta quadam antinephritica qualitate prodire.


Lupi diverſo condimentorum apparatu magnatum menſis imponuntur, nunc elixi, nunc aſſati, imprimis illi qui duorum pedum longitudinem vix æquant.

Ova eorum condita quoque in pretio habentur: tunc enim non ſolum pro penu ſed & deliciis reſervantur, atque pro ſalſamento, loco *Botárge* uſurpantur.

GVA-

CRVSTACEI PISCES.

GVA'IA-GVAÇV'.



Tota provincia infinitis Cruſtaceis piſcibus, imprimis Cancris aquaticis & terreſtribus ſcatet: quorum aliqui medicamentoſi, ut ſuo loco probavi; aliqui alimentoſi; aliquorum qualitates latent. Ego ex multis paucos perſtringam, qui in uſu quotidiano omnibus maris accolis ſunt. Compertum eſt, hic quoque totum genus cruſtaceum deponere tempore plenilunii antiquas cruſtas more ſerpentum, infimaque ventris parte erumpere, ut nova elegantiori veſtiatur.

Plures ſunt ſpecies *Guáia*, quibus cognomina varia addita. Illorum qui ſimpliciter nomen *Guáia* audiunt, alii albicantes non edules, quos prætereo: alii edules, quorum primam iconem hic exhibeo, utpote qui aſpectu, magnitudine & dignitate cæteris facile ſuperior, ac proinde *Guáia-guaçú* dictus, eoque magis acceptus, quod non adeo frequenter capiatur. Tegitur teſta elliptica, in ambitu multis exiguis corniculis, ſuperius autem convallibus prædita. Octo eſt pedibus cum quatuor juncturis cruris piloſis, unguiculis nigris, brachiis inæqualis longitudinis, forcipibus validis roſtratis & dentatis. Color totius cancri ſive vivi ſive cocti eſt ſature rubens. Multa & grata eſt carne, quæ optimæ noſtratium minime cedit, atque ingenti peregrinantium ſolatio exiſtit: ægrotantibus quoque ex pectoris morbis multum proſunt.

GVA'IA-APARA'.




Sequitur *Guáia-Apará*, inter majores & elegantiores variegatos habitus; tanta vi natans ut per os aquam exſufflet, quaſi ex fonte exiliret. Teſta lunata in utroque latere poſterius exſecta, & in acumina deſinens. Colore eſt obſcure brunno, & maculis ex albo flaveſcentibus, ſtriiſque brunnis eleganter variegata & ornata. Pedibus eſt octo, cum

 quatuor

quatuor ſolidis internodiis; brachiis & tenaculis Galli roſtrum cum ſua criſta repræſentantibus, ita ut Geſnerus merito tales Gallos marinos appellaſſe mihi viſus ſit.


ÇIRI'.



Inter Cancros marinos aliqui *Çiri* generice nomen obtinent, & addito cognomine diſtinguuntur, ut *Çiri-O'bi* & *Çiri-Apoá*, & alii. Omnes hæ ſpecies fundos aquæ ſalſæ obambulant, rarius ad littora prodeunt, niſi amore *Ambræ griſeæ, quod è mari alluit, ideoque magno tantum refluxu capiuntur.

Çiri-Apoá, cujus iconem tantum exhibeo, eſt Cancri mediocris magnitudinis. In teſtæ meditullio nigricans cordis figura, aliaque ornate depicta ſunt. in ambitu ipſa teſta brachiaque dentata fuſci coloris, forcipibus ex cæruleo albeſcentibus. Crura ſex ex albo & viridi mixta: loco ſeptimi & octavi cruris poſterius duo remiges partim cærulei, plani, hirſuti, quibus natando curſum potiſſimum dirigit. Oculis eſt parvis prominentibus & longe à ſe invicem diſtantibus. Corpus interius cæruleſcit. Caro eſt optimi ſaporis, nec facile nocet ventriculo, etiamſi multa quantitate ex aceto comedatur.

VÇA-V'NA I.



Varii paluſtres variæ magnitudinis Cancri dantur, interque eos maxime uſuales *Vça* nomen audiunt. Ego illos tantum exhibeo qui *Vça-úna*, & cujus fæmella *Cunurú* dicitur. Vterque eſt bona carne, ſed mas fœmina multo major & minus hirſutus, ſicut ex Iconibus apparet. Corpus illi eſt ellipticum, ſuperius convexum: ab utroque latere cruribus quaternis, totidemque eſt internodiis hirſutis caſtanei coloris: oculis flaveſcentibus cylindraceis, quos erigit & recondit. Brachium dextrum cum ſuo forcipe, grandius ſiniſtro, & interius acutius. Teſta eſt coloris olivacei, inferius flaveſcens. Carne ſunt ſatis probabili, nec potui animadvertere marinis dignitate cedere.


CVNVRV' II.



Inter minores Marinos Cancros *Maracoani* cenſetur, qui corpore eſt quadrato, fulvi coloris; cruribus octo, rariſque pilis fuſcis veſtitis. Brachiis eſt duobus,*ſed adeo

adeo magnitudine diſcrepantibus, ut ſiniſtrum minus ſit uno è pedibus: cum è contra dextrum adeo ſit magnum, ut totum corpus poſt illud abſcondere poſſit. Forcipe itidem eſt admodum lato, extuberantiis prædito. Oculis ſibi invicem oppoſitis longis & eminentibus, inſtar aciculæ tenuibus, quos momento erigit, & in rima rurſus recondit. Edulis eſt, atque boni nutrimenti, ſed præcedentibus dignitate inferioris.

Maracoani.




Tandem ex terreſtribus unum promam, eumque facile præſtantiorem, *Guanhumi* ab Indigenis vocatum. Is corpore eſt rotundo. Cruribus octonis piloſis ſibi æqualibus, quatuor internodiis diſtinctis. Brachiis eſt duobus, ſed dextro multo major ſiniſtro. Oculos altiſſime erigit, atque momento in longa cavitate abſcondit. Turmatim antra ſub veſperam deſerunt pabuli gratia, & ſilvas paludoſas cum magno ſtrepitu oberrant, inſequenteſque non raro evadunt, quod celerrime currant, & quidem tranſverſim: tuncque oculos ad latus convertunt, brachio longiori utcunque elevato. His veſperi barbari non ſolum, ſed & milites inſidiari amant. quodque adeo bona ſint carne, integris cohortibus ſufficienti ſunt ſuſtentaculo.

Guanhu'mi.



Potiquiqui'ya.



Locuſta *Potiquiquiya* crebro ad nos è mari & oſtiis fluviorum defertur. Teſta ejus frequentibus eminentiis inſtar corniculorum acutorum anterius ſcatet. In quolibet

 latere

latere quinque habet crura, totidem internodiis diſtincta. Quodlibet crus unguem habet incurvum, acutum & piloſum. Oculi prominentes cylindracei: ante eos, ſupra os, quatuor cirri exortum ſumunt ſpinoſi, inter quos duo minores teretes non ſpinoſi, ac ultra medietatem biſecti. Poſterior pars corporis ſeptem juncturis ſibi invicem appoſitis conſtat, cauda deſinente in quinque pinnas. Teſta tota cocta ſanguinei fit coloris, ejuſque caro æque in pretio habita apud magnates ut noſtratium; à quibus cum neque ſapore neque alimentoſa qualitate diſcrepare animadverterem, ulteriori deſcriptioni non inhæreo.

POTI.



Varias Gammarorum ſpecies ſuppeditat Braſilia, quorum aliqui in teſtis habitant, ſed minus expetiti; aliqui ſine conchis degunt, & generali nomine *Poti* exprimuntur. Ille autem qui *Guaricurú* nomen audit, elegantia & dignitate cæteris facile ſuperior, cujus iconem tantum exhibeo. Vulgo *Camaraon* dicitur, qui fuſci eſt coloris, ſex cruribus cum tribus internodiis ſpinoſis & aculeatis, unguiculis in extremitatem deſinentibus. Cirri prope os prodeunt, quorum duo longiſſimi, quatuor breviores & tenuiores, quibus cibum tenet, atque frequenter ex fluviis & maris littore, omni fere tempore, ſed menſibus imprimis pluviis, à piſcatoribus ad incolas deferuntur. Cocti optima ſunt carne, nec Europæis cedunt.

S E-

SECTIO SECVNDA.

Quæ agit de Avibus.


HActenus de Piſcibus,nunc de Avibus agendum. Quod antequam aggrediar, operæ pretium erit, de earum indole & conformatione pauca in genere præfarier; Miſſis Gallinis & Columbis aliisque Palmipedibus huc ex Europa illatis, quæ haud magnam ſubeunt in melius vel in pejus mutationem: niſi quod in calidioribus hiſce regionibus prolificæ magis ſint, atque incubatus minori temporis ſpatio ſoleat abſolvi quam apud noſtrates.

De indigenis itaque Braſiliæ Volatilibus potiſſimum dicturus, quantum inter ſe varient, & quantum cum veteris Orbis Avibus aut diſcrepent aut conveniant. Si diverſitatem plumarum, & colorum elegantiam, ſpectes, nullis totius mundi Avibus cedunt: verum cantu longe ab Europæis ſuperantur. Vt quædam cicuratæ ædes quidem garrulitate, ita ſilveſtres clangoribus inconcinnis nemora reſonare faciunt, ſed vix alterutras grato aliquo modulamine aures demulcere compertum eſt. Menſibus pluviis maxima earum pars pingueſcit, ob fructuum & vermium ubertatem. Menſibus æſtivis ad ripas fluviorum convolant, cibi, aëris & aquæ captandæ cauſa, ac plurimæ tunc ripariæ evadunt, ibique dum ſecure apricantur caſſes aliaſque aucupum technas haud facile evadunt. Pauciores quæ roſtro vel unguibus ſunt armatæ, hoſtes ſuos minus extimeſcunt, atque in cavitatibus arborum, vel humi, ſe fidunt; verum plurimæ in ſummitatibus altarum arborum, ramorumque extremitatibus ad ſerpentum inſidias eludendas mirum in modum nidificant. Pro penuria aut abundantia alimenti, ut abitus ſic reditus tempora obſervant ad loca vicina. tantum vero abeſt ut mare tranſvolent, aliaſque diſſitas terras viſitent, ut ne quidem hujus Continentis mediterranea verſus Peruviam unquam penetraſſe compertum ſit, quod adeo immenſa ſint interpoſita ſpatia, ut ipſos avium volatus fatigare dicantur, omneque cum Peruviæ tam animantibus quam hominibus commercium ſecludant. Palmipedes amphibiæ agreſtes & domeſticæ, lacuum & fluviorum alumnæ, ob perpetuas vireſcentes herbas paluſtres, montanis dignitate non cedunt.

Omni anni tempore ob inſignem aëris temperiem calidam & humidam pariunt. In minoribus vero (quarum pleræque quotannis tantummodo ſemel ova ponunt) vix ovarium reperire eſt: in majoribus ovaria, pariendique tempora, ex conſuetis naturæ legibus ſe habent. Avibus fere omnibus, ut in diſſecando videre contigit, duplex quaſi ventriculus à natura conceſſus eſt. Quorum alter ingluvies in infima colli parte hæret, ut facilius cibum maceratum pullis regurgitet. Alter, ventriculus proprie dictus, intra abdominis capacitatem, infra cor, pulmonem & jecur ſitus, ex duobus vel tribus præter morem adeo validis & ligamentoſis muſculis compactus, ut mirum non ſit, multa duriora & aſpera facile atteri, imo ipſos calculos in eo lævigari. Inteſtina à ventriculo ſuperius orta ſecundum longitudinem ſurſum & deorſum utcunque replicata ſunt. Felle, licet minori, omnes majores aves præditæ, quamvis ſitus & color ſubinde varient; In minoribus vero, quantum viſu conſequi licuit, ſi non ipſum fel, ſaltem porus cholidochus apparuit. Vreteres & renes, quod cum pace veterum philoſophorum libere pronuntiaverim, pleriſque conceſſi. Veſica autem carent, ni fallor, omnes, quod dum pitiſſando bibant, parvaque in iis redundet urinæ copia, lotium in communem alvum cum ſicco excremento deponant. adeo ſcilicet placuit naturæ, ut ne quid neceſſarii deeſſet vel redundaret ſuperflui. volatilibus enim in aëre pendulis oneri ſine dubio fuiſſet veſica urina diſtenta.

Primo ſe offerunt diverſæ Phaſianorum ſpecies, præ cæteris avibus veſcis, primatum facile obtinentes. Licet enim circa ciborum electus & victus rationes tres convivæ raro conſentire videantur: attamen cujuſcunque terræ incolæ vel mediocriter tantum palatum docti, in teneritate & nobilitate eorum carnis, facile convenire crediderim.

Mvtv'.



Si in celebri hac ave *Mutú* carnis teneritatem & excellentiam conſideres, ex phaſianorum eſt genere: quibus etiam figura & colore haud multum diſſimilis; quamvis non pauca in eo concurrant circa indolem & conformationem corporis, unde Pavoni comparari poſſit. Tota avis ſplendet præ nigredine, cui hinc inde aliquid viridis tranſplendet, cum albis pennis in cauda. In ſummo capite ex nigris pennis quaſi mitellam gerit. Roſtro eſt egregie incarnato. Oculis magnis nigris. Cruribus gallinaceis. Cauda longa inſtar Gallo-Pavi, quam erigit & extendit. Lubenter quoque Pavonum more in tectis vel arboribus conſidet, alteque clamat *Racuá Racuá*. Carnis probitate quoquo modo præparata, imprimis aſſata, nulli avium Americanarum nec Europæarum cedit, ac proinde apud optimates ob dignitatem atque elegantiam cicuratur & alitur.

Mvtv'-Pora'nga.



Repetitur & alia ejuſdem ſpecies, cujus Iconem hic appono, quam *Mutú-Poránga* vocant. Quæ licet magnitudine præcedenti *Mutú* cedit, dignitate tamen carnis illi par eſt, & indole plane ſimilis, roſtro potiſſimum & pennis capitis differens, quod hæc roſtro ſit recto, & nigro in extremitate, in exortu vero crocei coloris: A ſummitate capitis ad colli initium nigerrimis pennis, inſtar holoſerici, cochleatim tortis, decoratur, præcedentis *Mutu* multo majoribus & elegantioribus, quas in criſtam criſpam erigit. Hæc ut & cæteræ Phaſianorum & Perdicum ſpecies, pectoris carnem, præ cæteris partibus corporis, habent magis albicantem, ſicut Europæi; eodemque modo cicurantur & ſaginantur cavea incluſi. Præterea nobilioribus hiſce avibus (quod multis aliis negatum eſt) ingluvies ventriculo præjacet, quæ ſemeſum & crudum cibum prius recipit, quaſi aliquid ſimilitudinis cum ruminantium animalium genere haberent. Ova illis ſunt grandia, dura & alba.

IACV-PEMA.



Tertia Phaſiani ſpecies, mediæ eſt magnitudinis intra duas præcedentes, *Iacu-Pema* dicta. Quod nomen fortaſſe accepit à ſuo clamore, quia adeo alte clamat *Iacu Iacu*, ut meminerim per deſerta cum peregrinarer, ipſa nemora reſonuiſſe à multarum clamoribus gregatim volitantibus. Gallinæ domeſticæ nigræ ſimilis eſt, ejuſque plus minus magnitudinis, multaſque cum ea partes corporis communes habet; niſi quod cauda ſit longiori, pedibus & cruribus magis rubicundis, & longis, ſtaturaque erectiori incedat, tum quoque verticis plumas in criſtæ modum erigat. Caro ejus præcedentium carni guſtu & nutrimenti præſtantia non cedit: quamobrem ſupervacaneum puto, dicta repetere.

IAMBV'.



Poſtquam de diverſis Phaſianorum ſpeciebus egimus, merito ſuccedunt Perdices *Iambú* dictæ. Quarum duæ in ſilvis littoralibus dantur ſpecies, majores, & minores. Hæ magnitudine noſtratibus cedunt: illæ figura carnis mole & præſtantia, Europæis Perdicibus pares ſunt. Vtriuſque pennæ ſunt per totum corpus obſcure flaveſcentes, verum fuſco mixtæ atque maculatæ.

Cætera quæ ad Perdicum noſtratium indolem, carniſque teneritatem, atque viſcerum conformationem pertinent, adeo hiſce Braſilienſibus quadrant, ut vix quicquam ſolidi à me huc adferri poſſit, quod non antea ab Authoribus Ornithographis ſatis ſuperque enarratum ſit.

CARIAMA'.



Egregia hæc avis ſilveſtris *Cariamá* ex aquaticarum quoque eſt genere, udoſiſque locis ob prædam delectatur more Ardearum, quas mole corporis non ſolum, ſed & carnis dignitate longe ſuperat: quaſi peculiare eſſet hiſce calidioribus regionibus, ut aves aquaticæ pleræque montanis non ſint dignitate inferiores: ſed è contra teneritate carnis ipſis ruſticolis Europæis aquaticis facile pares inveniantur; inter quas cenſetur hæc *Cariamá*. in exortu roſtri adunci flaveſcentis criſtam plumatam nigricantem erectam gerens, oculos habens aureos. Totum corpus pennis veſtitum griſeis fuſco undatis more Falconum. Clamor

mor eſt inſtar Gallo-Pavi fœminæ, & longe in ſilvis auditur ſuo equidem malo, quod aucupes convocet. Toto fere anno probatiſſima eſt carne, & ab optimatibus inter primas delicias expetita. Manſuefacta æque ac ſilveſtris aſſatur & coquitur.


Caracará.



Licet *Caracará* Accipitris fringillaris ſive Niſi habeatur ſpecies, quæ Luſitanis *Gaviaon* dicta: tamen non inter vere rapaces cenſetur. Palumbis, Turdis, Columbis & Gallinis infeſta, quibus perpetuo inſidiatur, & facile potitur, quod viſu, volatu, unguibus & roſtro firmis, acutiſque valeat. Carne eſt ſatis laudabili, imprimis ſi juvenis ſit. Egregia eſt avis, cauda ex albo & fuſco variegata. Pennis ravi coloris cum albis & flavis punctulis.

Aliæ præterea ejuſdem ſpeciei exiſtunt, præſtantia carnis præcedenti pares, figura quoque externa illi haud multum abſimiles, quæ ab Indigenis *Teguato* & *Inaio* dictæ. In hiſce, cæteriſque plurimis eædem appendices ſive inteſtinorum diverticula inferne conſpiciuntur, quæ paſſim in noſtratium avibus deprehenduntur.

Ipecati Apoá.




Inter tot diverſas Anatum & Anſerum Braſilienſium ſpecies hæc *Ipecati Apoá* principatum facile tenet, quas Luſitani uno nomine *Patos* nominant; ad Anates ſilveſtres Indicas referendæ, etiamſi ad Anſerum pæne magnitudinem accedant. Omnes egregie variegatis ſunt pennis ſicut noſtrates Anates domeſticæ, à quibus, ut corporis mole, ita & pedum colore fuſco, roſtroque adunco & nigro, differunt; imprimis autem criſta carnea, canis albiſque maculis inſignita. Foramen juxta criſtam roſtrum perforans quod narium vice fungitur, in hac imagine à pictore non expreſſum eſt. Carne ſunt multa & pingui, noſtratiumque teneriori. Inter aves amphibias palmipedes primatum tenent. Facili negotio figuntur in altis arboribus conſidentes,

quas


quas poſt lotionem in aqua frigida ſubeunt captandi aëris cauſa. Idem de indole & carnis præſtantia cæterarum Anatum ſilveſtrium minorum dictum volo, quarum aliæ criſtam plumaceam gerunt, aliæ ſine criſtis ſunt, quæ omnes nomen *Mareca* audiunt. Hanc aliaſque aves hiſce affines ſine ingluvie, ſed cum gula capaci inveni. Penem præter modum longum rigidum circumfert, donec fœminam ſive in terra ſive in aqua reperiat, quam oppreſſam adeo ſine motu tenet, acſi ambo clavo in coitu affixi eſſent; ſolummodo mas capitis geſticulatione, & crebra anhelatione voluptatis ſenſum exprimens. Ita ut inter ſumme ſalaces aves hæc Anatis ſpecies recenſeatur.

IPECA-GVAÇV.



Sequitur domeſtica palmipes *Ipeca-Guaçú* dicta, ob carnis bonitatem celebris. Mole & figura corporis mediæ magnitudinis inter Anates & Anſeres noſtratium. Cæterum pennarum & colorum elegantia utrumque ſuperans. Roſtri extremitate ad medietatem eſt flaveſcente; mox rubra macula mediam partem capitis egregie tingente. toto corpore à vertice ad caudam albo colore Cygni inſtar niteſcit. pedibus eſt anatinis ex flavo rubeſcentibus. Pingueſcit æque in terra ac in ſtagnis. Dignitate carnis, Anatibus noſtratibus ſimilis, & apud magnates in pretio habita. Cæterum fertilis eſt avis: magna & multa ponit ova, omni fere anni tempore incubatum brevi abſolvens. Salax quoque hæc ſpecies. Mentula cæteriſque partibus internis generationi dicatis præter morem validis & magnis. Cætera viſcera ſolitæ conſtitutionis ſicut in noſtratium Anatibus.

MAIAGVE'.



Maiagué in familiam quoque edulium palmipedum ſed marinorum ferorum recepta. Anſeris eſt magnitudine & figura. Cæterum magnis illis Mergis nigris noſtratibus non diſſimilis, adeoque adunca parte roſtri extrema ad rapinam piſcium compoſita, ut Corvum aquaticum Geſneri æmulari videatur. Capite eſt craſſiuſculo & rotundo. Oculis paulo fulgentibus, collo oblongo & ornate Cygni more incurvato. Tota avis fuſci & ſubnigricantis eſt coloris, colli tantum parte anteriori flavis plumis decorata. Circa fluviorum oſtia in mari vivit, in littore autem nidificat & ova ponit. Velox eſt natatrix & urinatrix, atque aucupum inſidias eludens. Carne eſt eduli & bona

bona, imprimis ſi juvenis ſit, ſed quod perpetuo piſcivora, à quibuſdam contemnitur.

NHANDV-GVAÇV.



Diverſæ magnitudinis Struthiones hic reperiuntur, ita tamen ut maximæ Africanis minores aliquanto exiſtant, *Nhandu-Guaçú* Braſilianis, *Ema* Luſitanis dictæ. Rarius in diſtrictu hoc Paranambu cenſi, ſed frequentius paulo verſus Septentrionalem tractum fluminum ripas obambulant. Cæterum ejuſdem cum Africanis ſunt figuræ & indolis. Ferrum quoque & lapides deglutire amant, eaque inconcocta & integra per anum reddunt. Tres habent in pedibus digitos anterius verſos, unguibus nigris, craſſis, haud acutis; poſterius unum digitum ſubrotundum, groſſum, unde difficulter in area lævi aut tabulato incedunt. Collo ſunt incurvato olorino, capite anſerino, oculis elegantibus nigris, roſtro compreſſo. Alis ſunt parvis, ad volandum quidem ineptis, quarum ope tamen alteram inſtar veli erigunt & expandunt, adeoque curſum promovent non ſolum ut gregarios canes evadant, ſed, quod mirum viſu in vafris his avibus, alterutram alarum diſtendendo, dextrorſum & ſiniſtrorſum ita curſum dirigunt, ut barbarorum tela eludere norint. Cæterum plumis per totum corpus griſeis inſtar gruis, in dorſo longioribus & elegantioribus cooperiuntur. Caudæ vero non ſunt ejuſmodi criſtis præditæ, ut Africanæ vulgo pinguntur. Plumis per dorſum expanſis ad anum uſque, ſed ignobilioribus & minus elegantibus. Ponunt ova, ut cæteræ Struthiones, ſed minora, eaque in arena fovent, maribus iis ſedulo incubantibus. Salaces ſunt admodum, mentulamque aliquantum aduncam vibrant ſæpe, donec reperta fœmella eam rigidiſſime ineant, ſuppreſſamque diu immobilem teneant. Carne & fructibus opti mis, tum quoque piſciculis ad ripam alluentibus veſci amant, ipſique Ambræ griſeæ non parcunt, ſi ea ad littora potiri queant. Carne ſunt ſatis probata & ſolida, noſtratium olorum & anſerum æmula, quamobrem inter alimenta ab incolis expetita.

Pſittac i

Pſittaci Aſiatici, Africani & Americani, toti orbi ob garrulitatem ac colorum elegantiam, non vero ob guſtus & nutrimenti præſtantiam, celebres. Qui licet dictarum regionum fervidiorum alumni, nullibi tamen putem tantam copiam & varietatem dari quam in Braſiliæ mediterraneis: quos communi nomine *Aiurú* & *Aráca*; minores vero *Tuý*, vulgò *Perroquet* vocant. Vtraque ſpecies edulis catervatim ſemper volitant, nimirum bini ac bini, altoque & ingrato clangore ſilvas reſonare faciunt. Vt enim pleraſque Braſiliæ aves incredibili colorum pulchritudine viſum quidem; ita nullam fere cantu auditum demulcere, alio loco probavi; Pſittacis autem ſolis prærogativa conceſſa videtur ut feliciſſime garrire, imo tanquam ratione præditi, cum hominibus colloqui diſcant. Mirandum ſane, in vaſta hac ſolitudine & barbarie, ubi tam craſſa brutalitas ipſos homines occupat; Pſittacos tamen & Simias adeo cæteris animalibus non ſolum prælucere docilitate, ſed & humanos geſtus & collocutiones ad amuſſim imitari ac æmulari. Omnis generis Pſittacis lingua eſt lata & craſſa, cum ſolidiſſimis præter morem ligamentis & nervis, quaſi perpetuo motui & garrulitati faventibus; ita ut merito Pſittaci à Græcis etiam *ἀνθρωπόγλωττοι* dici mereantur. Cicuratus unus atque alter (quem domeſtico meo cuſtodiendum dederam) ſæpius de nocte ſe ipſum expergefaciens, vel à nobis appellatus, ſemiſomnus ſublocutus eſt, unde conſtitit, non falſum eſſe quod Scaliger in Ariſtot. de Aquilis venaticis aliiſque avibus teſtatus eſt, ſcilicet ea animalia quæ ova pariunt non ſolum dormire ſed & ſomniare.

In diſſitis nemoribus altiſſimas occupat arbores tota pſittacorum familia, unde temporius ex ipſis nidis eximuntur ut garritum humanum addiſcant. Nam ubi adoleverint, manibus ſe tractari haud permittunt. Mediterranei Barbari, tot elegantiſſimis Pſittacorum coloribus non contenti, eos deplumant, cutemque variis tincturis inficiunt, quibus poſtea ad pompam ſeſe exornent. In cavis arboribus nidificant, ubi foramen ex-

AIVRV' & ARACA.



TVY'.



tra rotundum faciunt, ac ova duo aut tria columbinis ſimilia imponunt, ſine nido aliquo ficto. Ova ſi tangas, non idcirco à parentibus deſeruntur, ſed æque feliciter excluduntur, quod fit ſub finem menſis Iunii: plumati pulli circa Auguſtum auferri ſolent, tuncque vermiculus craſſus, in quolibet narium foramine unus, & quoque in ſummitate capitis tuberculum quoddam in quo itidem ſimilis vermis latet, omnes brevi ſponte excidunt, nullo manente veſtigio. Fructibus arborum delectantur. Pulli eorum non minus in pretio habiti quam in Europa Columbæ; quos aſſati, frixi, elixi adeo ſapore æmulantur, ut meminerim convivas inter epulandum deceptos, qui loco Columbarum Pſittacos comederant. Quamobrem, quod adeo ejuſdem cum Columbis ſint qualitatis & dignitatis ſupervacaneum duco earum narrationi diutius inhærere. Longævi ſunt admodum ſive agreſtes ſive cicurati. Sclopetis à militibus figuntur in ſilvis, vel ad crocitantem Pſittacum ex arbore, in cujus ramis auceps latet, facile capi ſe patiuntur. Nil enim viſo aucupe terrentur, ſed ut laqueo trahantur ad collum conjecto expectant, nec aufugiunt uno captato, & in mantica qua præcinctus eſt auceps, ipſis aſpicientibus repoſito.


PIRACVRÓBA I.



PICVIPINÍMA II.



III.



IV.



Præter Columbas domeſticas Europæas olim huc allatas, quarum ſummum in columbariis eſt incrementum, variæ quoque dantur ſpecies indigenarum ſilveſtrium Columbarum, Palumborum & Turturum, quæ noſtratibus, colore, magnitudine, figura, indole & ſapore partim ſimles, partim diſſimiles, eaſque utpote ejuſdem familiæ ſub uno capite comprehendere, & uniuſcujuſque iconem exhibere conſtitui. Majores Columbæ *Piracuroba*, minores *Picuipiníma* ab indigenis appellantur, quæ pinguiores utique & præſtantiores cæteris habentur. Pleræque ſi ad ſpeciem ſuam referantur, Columbis, Palumbis & Turturibus noſtratibus magnitudine cedunt, ſed roſtro ſubinde majori, minuſque adunco & craſſo. Coloris ſunt diverſi & eleganter variegati; nunc ex cæruleo cum albo & dilute flavo mixti; nunc cinerei vel ſanguinei. Quædam ex Africana quondam proſapia natæ pennis teguntur per totum viridibus inſtar Pſittaci, & remiges alarum ex viridi fuſceſcunt. Omnibus crura & pedes eleganter roſei, vel crocei coloris, & unguiculi fuſci atque acuti. Aliis cauda plane nigricat, aliis medietas exterior alba; ita ut præcipua avium differentia, cum noſtratibus ejuſdem ſpeciei in perpetua colorum elegantia & varietate conſiſtat. Omnes hæ raro ſeparatim volitant, iiſdemque locis nidulantur, & amicitias inter ſe exercent, niſi quod ſubinde certis temporibus

ſeſe


ſeſe ſejungant, ob fructuum ſilveſtrium defectum, quos certatim depopulantur. Pinguefactæ ad Silvas remotiores recedentes ſclopetis facile figuntur, & maxima copia à militibus & mancipiis venum exponuntur. Aliquæ earum, imprimis Turtures, cicurari ſe patiuntur. Pane, radicis *Mandiocæ* farina, veſcuntur. Defectu dicti alimenti, fructus avellanæ magnitudinis, ex arbore illa littorali, *Mangle* dicta, deglutiunt, à quorum uſu caro earum adeo amareſcit, ut minus eſculenta evadat. Quamobrem iis fructibus vigentibus, minus expetitæ ſunt. Menſibus pluviis potiſſimum capiuntur, & grato alimento ſive ſilveſtres ſive ſaginatæ exiſtunt, noſtrateſque bonitate æmulantur, niſi quod carne ſint magis ſicca & calida, atque fervidum ſanguinem generent, ac proinde ejuſmodi alimenta, ut alias monui, in hiſce calidioribus regionibus poſtponenda ab iis qui ſicco ſunt temperamento. Pulli ante quam adoleverint eligendi, & ſi macri ſint, juſculis elixantur eodem modo quo noſtrates aliquando Anates & Columbæ præparantur.

IABICV-GVAÇV.



In diſſitis locis juxta fluvios & lacus frequens eſt inſignis hæc avis, quæ Braſilienſibus quibuſdam *Iabicu-Guaçu*, aliis mediterraneis *Nhanduapoá*, noſtratibus **Scur-vogel** dicta. Roſtro eſt magno, craſſo, inferius cano, elingui. Mitra oſſea coloris albi in vertice decoratur. Corporis mole Ciconiam facile ſuperat. Cauda brevior cum alis deſinit, maxima ex parte albicantibus, exceptis alis remigibus, quæ rubini colore tranſplendent. Pelle ejus ſatis dura detracta, caro quovis modo præparatur, rarius tamen aſſata apponitur. Carne quidem eſt proba ſed ſicciori. Tempore hyberno ſive pluvioſo pingueſcit, gratoque fit incolis alimento. Facile à barbaris & militibus vel ſagittis vel ſclopetis petitur.

MACVCAGVA'.



Gallinæ ſilveſtris eſt ſpecies *Macucaguá*, ſed domeſtica noſtrati craſſior & major; adeoque carnoſa ut duarum Europæarum Gallinarum ſuperet, iiſque dignitate & ſapore quoque non cedit: imprimis ſi ejus cuticula triplex rite dematur, atque elixa vel aſſata apponatur. Manſuefacta æque ac ſilveſtris leguminibus & optimis arborum fructibus veſci amat. In diſſectione viſcera & ovarium Gallinarum more diſpoſita inveni, ſed ova Anſeris magnitudinis, ex cæruleo viridis coloris. Quæ quotannis bis ponit, idque quindecim vel ſexdecim ſimul. Roſtro eſt recto, oblongo, nigro. Alis nigricantibus ſine cauda. Capite & collo punctulato ex obſcure flavo & nigro. Cruribus cæruleſcentibus. Multæ ſunt diverſæ ſpecies, quæ omnes facili negotio figuntur & capiuntur. Humi gradiuntur, ſed ad hominum conſpectum in arboribus ſe abſcondunt.

CVRICA'CA & MATVITVI.



Ad fluviorum & lacuum ſtagnantium oras frequenter obambulant aves *Curicáca* & *Matuitui*, quarum poſterior ejuſdem quidem ſpeciei ſed tantum magnitudine gallinæ, cum prior hæc Oloris magnitudinem ſubinde æquat. Non immerito illam Numenio Indico Cluſii comparaveris, quod ejuſdem pæne ſit figuræ, naturæ & natalis ſoli, paucis

cis exceptis circa magnitudinem & colorem. Luſitanis *Maſarino* dicta, & Iconi Ibidum veterum cognata videtur. Roſtro eſt admodum longo, acuto falciſque meſſoriæ inſtar incurvo, coloris ex igneo fuſci. Collo quoque oblongo, plumis albicantibus ex flavo mixtis. Cruribus itidem præter morem oblongis rubri coloris: parte femoris ſupra genu, tibiiſque ſuperioribus, ad medietatem uſque pennis deſtitutis; quod cum aliis avibus in paludoſis locis verſari ſolitis commune habet. Brevi eſt cauda alas non ſuperante, coloris albi cano mixti, ut in Ciconiis. In humidis pratis Lumbricos venatur, quos roſtro ex terra eruit. Piſciculis quoque circa ripas fluviorum inſidiatur. Carne eſt ſaporoſa, ſatis bona, ut inter epulas apponatur, imprimis ſi rite præparetur coctione vel frixione antequam adoleverit.

Ardearum variæ ſpecies una quaſi fidelia dealbandæ fluviorum & locorum lacuſtrium incolæ & accolæ. *Çocoí* indigenis. Quarum aliquæ Stellares, Belgis **Pittoor** dictæ, eæque ut colore ita & carne cæteris facile præferendæ. Barbari & Europæi poſt carecta latentes illis perpetuo inſidiantur, eaſque tum ſagittis tum ſclopetis facile figunt: quæ ſi nondum adoleverint, multum expetuntur. Hæc, quæ primo ſe offert, roſtro eſt longiſſimo, recto & acuto; lingua brevi & acuta; collo haud adeo longo; capite parvo. Plumis eſt undique variegati coloris, more Ardearum ſtellarium, ſed alarum pennis vireſcentibus. Carne eſt ſatis proba, & à noſtratibus æque ac ab indigenis expetita.

ÇOCOI' I.



Ad Ardearum quoque ſpecies referenda videtur hæc avis *Çocoí*, licet pulchritudine eas longe ſuperet. Roſtro eſt acuto, in exortu ex flavo vireſcente. Criſta eleganti in vertice erecta, cum egregiis plumis deorſum dependentibus, ex nigro cinerei coloris. Collo & gutture ex variegatis ſubtilibus egregiis plumis ornato. Pingueſcit circa lacus paludoſos & rivos, imprimis menſibus pluviis. Paucæ eſt carnis, ſed bonæ & ab omnibus expetitæ ſi juvenis ſit.

ÇOCOI' II.



Multæ aliæ dantur adhuc Ardearum ſpecies edules, ſed ut magnitudine ita & bonitate carnis inter ſe diſcrepantes.

ÇOCOI' III.



Tertia hæc *Çoco*, piſcivora, quæ erecta incedit, & decenter, roſtro eſt longo, acuto, nigro. Collo & pedibus pro mole corporis ſatis longis. Pennis & plumis minus elegantibus veſtitur, quæ, ut noſtrates, albo, nigro & brunno variegantur. Indole atque alimentoſis qualitatibus prioribus ſimilis eſt.

IAÇANA'.



Iaçaná. Gallina paluſtris. Noſtratibus **Water-hoen**. Quarum quinque ad minimum ſpecies vidi, natura & figura ſibi ſimiles, ſed magnitudine & colore potiſſimum differentes. Omnes vero colorum elegantia europæas Gallinas paluſtres longe ſuperant. Frequentiſſimæ ſunt in lacubus ſtagnantibus. Hanc unicam ex familia *Iaçaná* utpote pulcherrimam & facile maximam exhibeo. Corporis mole, cauda, capite Gallinam ſilveſtrem æmulatur. Sed roſtro, collo, cruribus, & coloris varietate, ab iis diſſimillima: crura enim, eorumque digiti, nuda, ut in ripariis ſolet, longiſſima, flavi & viridis ſunt coloris. Caput, collum, alæ, & pectus elegantiſſime ſplendent, ſicut Pavones. Omnes in anteriori parte alæ corniculum habent acutiſſimum, quibus ſe defendunt. Menſibus pluviis potiſſimum pingueſcunt vermibus & piſciculis, ſicut Ruſticulæ paluſtres. veſcuntur. Æſtivis menſibus macræ ſunt, ac proinde tunc minus expetitæ. Cæterum boni ſaporis eſt caro, ſed ſicca, proinde condimento opus eſt. Quod

GVARAVNÆ.



Quod ſupra in genere de Braſiliæ avibus riparis monui, id nunc in ſpecie huic *Guaraunæ* ſive Ruſticulæ aquaticæ tribuendum, ſcilicet probitate carnis cum pluribus montanis avibus certare. Vt enim figura & natura Ruſticulam aquaticam paucis exceptis æmulatur; ita & dignitate guſtus illi non cedit quocunque modo paretur. Tota avis fuſci eſt coloris atque hinc inde albo punctulata. Roſtro admodum longo & tereti, in extremitate incurvo & fuſco. Cruribus & digitis pedum longis. Caudæ veſtigium nullum. Cætera communi more avium diſpoſita.

ANHYMA.



Inter immenſas avium cohortes ſola fere hæc inſignis & pulchra cornigera *Anhyma* non culinæ ſolum ſed & medicis uſibus inſervit. Frequenter quidem pecora cornuta in terra & mari; raro autem in aëre avem cornu gerentem videre contingit. Accedit, quod ſicut Rinocerotis, Cervi, aliorumque terreſtrium, ut & maritimorum, imprimis monſtri iſtius Monocerotis, cornua medicinalem imo antidotalem qualitatem prætendant: ita quoque hoc cornu ex vertice *Anhymæ* prominens, cæteris facile palmam præripit. Avis itaque hæc forma, figura, & uſu quidem, haud tamen cantu celebris: inconcinnum & altum clamorem in ſilvis edens, *Vyhu, Vyhu*. Rapina eſt & amphibia: nidum ſtruit è luto ad arborum caudices ſuper terram, furni figura. Pavone imo Cygno major eſt fœmina cujus Iconem hic exhibeo; mas enim quem nanciſci non potui in nemoribus, duplæ eſt magnitudinis. Carne eſt probata, Pavonis æmula. Prominente pectore incedit, ſed raro ſola, verum junctim mas & fœmina. Teſtantur omnes pariter incolæ, una mortua alteram inſtar turturum lugere, & vix à ſepulchro diſcedere.

Porro hæc *Anhyma* roſtro eſt nigro paulum incurvato, collo oblongo, oculis aureis, pupillis nigris. Capite eſt Galli Indici ſimili, plumulis variegato, cui in vertice cornu erigitur, extremitate ſua antrorſum verſus incurvatum, duos digitos longum, calami ſcriptorii fere craſſitiei, oſſei coloris. Alæ, dorſum, cauda nigricant; venter cinereis & nigris pennis variegatur. Crura potiſſimum pennis nuda, ſed cute fuſca tecta. Quilibet pes quatuor digitos obtinet longos, unguibus corniculatis. In cujuſque alæ antica parte ex ipſo alæ oſſe cornua brevia triangulata enaſcuntur. Quibus itidem vis antidotalis à barbaris attribuitur. Mihi autem de virtute verticalis cornu conſtat, quod in convenienti liquore maceratum ad ℈ ij plus minus, contra febres malignas & venena potiſſimum aſſumtum cum ſucceſſu ſæpiſſime exhibetur, movendo ſudores, & malignam

lignam veneni qualitatem ad circumferentiam corporis. Nec minus quoque feliciter uſurpatur cum vino in multis gynæciis.

ARACARI'.



Aracarí majoris Ruſticulæ eſt magnitudine. A proprio clangore, ut multæ aliæ aves Braſiliæ, nomen accepit, atque ex patulo roſtro acutum ſonum edens *Aracarí* perpetuo clamat. Præter inuſitatam roſtri magnitudinem, & dentatam conformationem, admiratione potiſſimum dignum, quod leviſſimum & tenuiſſimum ſit inſtar membranæ, ac loco linguæ pluma ſive penna nigra mobilis in eo contineatur. Capite eſt parvo, compreſſo, collo oblongo & nigris plumis in extremitate circulariter finientibus obſito. Pectoris & ventris plumis eodem modo conformatis, ſed colore flaveſcente cum pavonio mixto, linea eleganti ſanguinei coloris tranſverſim intercurrente. Dorſo & alis ex nigro viridicante fulgentibus. Cauda inſtar Picæ longiuſcula ſanguinei ex parte coloris. Rara hæc avis in denſis nemoribus habitat, fructibus potiſſimum victitans. Cicuratur non ſolum ob elegantiam ſed quoque ob uſum rei familiaris. Caro enim ejus eſt edulis & boni ſaporis, ſed littoralibus populis minus frequens. Interna ejus viſcera more aliarum id genus avium conformata inveni.

QVETELE.



Quetele. Vegetabilia, & Senſitiva quædam, licet aliunde advecta, tractu temporis inter nativa recenſentur: eo proinde minime prætereunda, imprimis quæ uſibus humanis inſerviunt, ſicut hæc Meleagris ſive Gallina Numidica ſilveſtris, Congenſibus *Quetele* dicta. Aliquæ ex continenti Africæ circa *Sierra Lyona*; aliquæ ex inſulis Africæ vicinis adferuntur, parum ab hac icone abludentes: utræque ob fertilem proventum in Braſilia adeo multiplicatæ, ut ab omnibus opulentioribus eas cicurari & ſaginari videas. Si corporis magnitudinem & crurum pedumque conformationem conſideres, noſtratium gallinas æmulatur; ſi figuram avis & caudam dimiſſam, Perdici ſimillima. Capite eſt parvo, cui mitella cutacea fuſca impoſita ad utrumque latus capitis alba, & criſta rubra ad tempora protenſa: roſtro flavo, curvo. collo tenui oblongo, quaſi coronato. Pennis nigris elegantiſſimis, maculis albis variegatis, totum corpus ornate coo-peritur. Caro inter delicias expetita Gallinæ noſtratium non cedens; imo probo alimento ſaginata more Perdicum, ad earum dignitatem accedit.

Abſolutis

Abſolutis præcipuis & nobilioribus avibus edulibus; deſcribendæ nunc quidem reſtarent tot minorum myriades, quarum pleræque nomine vernaculo *Guira* exprimuntur, & additis variis cognominibus diſtinguuntur, atque in catalogo vulgarium Volucrum, Paſſerum, Turdorum, Fringillarum, & ſimilium, recenſentur: ſed, quod ratione qualitatum adeo inter ſe congeneres ſint; tum quoque viſcerum conformatione & conſtitutione cum noſtratium ut plurimum conveniant, particulari earum deſcriptioni ſuperſedeo, ne lectorem æque ac memet remorer, quamobrem inſtituto meo ſatisfactum iri puto, ſi pauciores uſuales, uno quaſi penicillo graphice depingam, atque earum icones ſimul ſub eodem capite conjungam. Aliquæ opacorum nemorum alumnæ ſunt, fructuumque ſilveſtrium, imprimis *Mangábas*, *Pacóbas*, *Papáios*, *Guaiábas*, *Araçá*, perpetui prædones: aliquæ vero fluviorum ripas obambulant, vermiculiſque & piſciculis veſci amant. Sæpe frixæ, raro autem toſtæ apponuntur, quod paucæ & ſiccioris ſint carnis, ſanguinemque in nobis fervidiorem generantis. Noſtratibus aviculis ſapore & alimenti bonitate, paucis exceptis, plerumque cedunt.

GVIRAPVNGA MAS.




GVIRAPVNGA FŒMINA.



Vtraque *Guirapunga*, mas & fœmina, celebris, tam ob multam carnem pinguem, quam ob clamorem & duplicem ſonum quem edit, idque non toto anno, ſed menſibus æſtivis, vigentibus fructibus *Acaju*. Pectus habent bifidum ſeu convallem, per medium ſecundum longitudinem; tracheam amplam; unde eſt, quod alte clamare poſſint, ſuo potius quam aucupis malo. Vtraque Turdelam majorem ſuperat. Pennis veſtiuntur fuſcis & nigris, quibus virentes ſunt intermixtæ, roſtro longo, acuto, oreque admodum magno & patulo. Crura, pedes cæteraque nihil differunt à communi avium norma. Mas & fœmina vix inter ſe diſcrepant, niſi quod illi ſub gutture propendeant particulæ carneæ nigræ; huic vertex plumis decoretur mollibus. Inter præſtantiores aves, ſicut Turdelæ noſtratibus, habentur.

GVIRA-GVAINVMBI.



Guira-Guainumbi, Palumbi eſt magnitudine, plumis undique elegantiſſimis veſtita. Vertex quaſi mitra ex pennis ſapphirinis decoratur, in cujus medio macula nigra, magna. Guttur, pectus & venter ſunt lutei. ſuperior colli pars, dorſum, alæ & cauda, graminei coloris, admixto thalaſſino, more Anatum vel Pavonum. roſtro eſt oblongo, nigro, incurvo ab utroque latere, ſuperne & inferne ſerrato dentium loco. Cruribus nigris,

nigris, pedum digitis & unguibus vulgari modo diſpoſitis. Cauda longiſſima ex duabus pennis rectis facta, & multis plumis tranſverſis veſtita. Fructibus gaudet. In altis arboribus nidificat, unde ſclopetis facile figitur. Cicuratur ob elegantiam & carnis bonitatem, licet enim columbis dignitate cedat, minuſque carnoſa ſit, tamen rite præparata pro cibis apponitur.

GVIRAQVEREA.



Guiraquerea, Sturnum magnitudine æquat, etiamſi ob alarum & caudæ longitudinem major videatur. Eſt ex fuſco cinerei coloris cum maculis flavis & albo mixtis. in vertice circulus apparet aureus. roſtello parvo, triangulari, parum adunco, à cujus initio in utroque latere multæ ſetæ craſſæ ſuillæ exſurgunt. Cæterum nihil peculiare præter caudæ elegantiam. Veſca eſt ejus caro, ſed ſicca. Fructibus potiſſimum victitat.

GVIRA-IENOIA.



Guira-ienoia, Fringillæ ſunt magnitudinis, ſed corpore magis procero. Cærulei potiſſimum coloris, exceptis extremitatibus caudæ & alarum. Menſibus pluviis ob fructuum ubertatem pingueſcunt, & tunc caro earum magis ſaporoſa, Fringillarumque loco comeditur.


TIIEPIRA'NGA.



Tiiepirânga, Avicula hæc cantu, conformatione, pennis Fringillam noſtratium æmulatur, niſi quod corpore ſit magis carnoſo & cauda multo longiori, pluſque ſanguinei coloris per omnes pennas appareat. Gregatim volitant, & facili negotio retibus & decipulis magna quantitate capiuntur. Eodemque modo, ut noſtrates Fringillæ, præparatæ apponuntur.

Guirà-

GVIRAPEREA'.



Guiraperea, Alaudæ eſt magnitudine, aurei coloris, excepta cauda & alis, quæ dilute virides ſunt. Sub gutture maculam habet nigram, toto pectore & ventre maculis inſtar Sturni conſpicuis. Roſtello recto, acuto, flavo. Cætera vulgari modo diſpoſita: Inter aviculas apponitur, & mediocris eſt ſaporis, imprimis cum fructus illi maturuerint, qui *Araça* & *Guaiaba* dicuntur.

GVIRA-ACANGATARA'.



Guira-acangatará, elegans eſt avis, Picæ magnitudinis, ob elegantiam & ingentem clamorem potius, quam carnis excellentiam celebris: paucæ enim eſt carnis; licet ob inſignes pennas & plumas major videatur. Roſtro adunco, acuto, & flaveſcente. Vertex longioribus plumis, criſtæ in modum decoratur, quæ ſicut totum corpus fere, fuſci eſt coloris. Cauda longiſſima, conſtans octo pennis ornate expanſis, in extremitate albicantibus. Cum cæteris avibus loco Fringillarum menſis imponitur, ſaporiſque eſt non contemnendi.

MATVITVI'.



Matuituí, Sturni eſt magnitudinis. Roſtro longiſſimo, recto & forti. Pennis undique veſtitur fuſcis, pallide flavo maculatis, ut in Niſo. Cætera vulgari norma avium diſpoſita, niſi quod pectore ſit admodum carnoſo. Piſciculis inſidiatur circa ripas fluviorum, iiſque pingueſcit. Magna copia toto anno apparent. Carne ſunt multa & pingui.


Iacama-

IACAMACIRI'.



Iacamaciri, Sturni eſt magnitudine. Roſtro admodum longo, & in extremitate acuto. Cauda tenui & longa. Pennis & plumis ex flavo ac viridi mixtis. Circa ripas fluviorum victitat, & piſciculis delectatur. Inter cæteras aviculas apponitur, ſed non adeo expetita, quod minus teneræ ſit carnis.

TAMATIA'.



Diverſæ ſpecies dantur *Tamatiá.* Quarum maxima, addito cognomine, *Tamatia-guaçú* exprimitur, adeo Turdis noſtratium externa figura, ut & indole ac ſapore ſimilis, ut nulli avium (paucis pro conſueto naturæ luſu exceptis) Europæarum melius comparanda ſit. Roſtro eſt magno, ſolido, parum incurvato, fuſci coloris. Capite quoque grandiori pro corporis proportione. Tota cutis punctulis conſpicuis & magnis maculis fuſcis variegatur. Collum & guttur flaveſcunt. Pro Turdis apponuntur utcunque aſſatæ, ejuſdemque ſunt ſaporis.

SECTIO TERTIA,

Quæ agit de Animalibus Quadrupedibus.

QVemadmodum Eruditiſſ. Scaliger non immerito diſſentit à Philoſopho dicente, vel omnibus terræ locis omnia, vel nulla uſquam naſci: ſic è contra, quædam in quibuſdam locis, quædam autem non provenire, apprime ſane conſenſiſſe mihi viſus eſt; imprimis cum eo naturæ moderamine, ut ſicut illa numero, ita & vitæ tum habitudine, tum longniquitate inferiora vel ſuperiora evadant. Cujus rei veritatem confirmant paſſim omnes acerrimi Indiarum imprimis Luſtratores, quodque etiam Naturæ œconomiæ maxime, conſentaneum ſit, ne alicubi vel abundantia nimium luxuriaret, vel neceſſariorum penuria Mundus fatiſceret.

Inter alia animadverſione digna circa Quadrupeda, non prætereundum puto, quod aliqua pecora Europæa in Indias invecta, præſertim Oves, Boves, Arietes, etiamſi ob aëris temperiem calidiorem ſatis prolifici; tamen macriores utique reperiantur, carneque minus ſuccida & tenera quam in natali quondam ſolo; vel quia ex inſueto frigore nocturno, vel fervore diurno peculiaris terræ genius reſultans, ſicut tenerioribus Europæ vegetabilibus; ita quibuſdam animalibus exoticis minus faveat. Excipiuntur tamen quædam, præſertim Porci, qui in melius mutati, fœcunditatis non ſolum, ſed & nutrimenti dignitatis uſque adeo prærogativam obtinent, ut ægris æque ac ſanis tutæ & jucundæ ſint deliciæ, carneque ovilla præferantur: Ac proinde minus applicandum videtur hiſce regionibus Novi Orbis illud Philoſophi, ubi ait, Omnium Quadrupedum carnes deteriores exiſtere, quæ locis paluſtribus, quam quæ editioribus paſcuntur.

Indigenæ Quadrupedes viviparæ rei familiari dicatæ, pauciores quidem in tanta multitudine detectæ. Quas, ut & tot alia ſenſitiva, conduceret quidem ad cognitas Veteris Orbis redegiſſe ſpecies, ſed ob adeo varium & perpetuum Naturæ luſum, facilius eas (pauciſſimis quidem exceptis) guſtus, quam externæ figuræ ſimilitudine, cum Aſiaticis vel Europæis contuleris. Accedit quod dictæ Beſtiæ in Novi hujus Orbis remotioribus ſaltibus minus familiares ſint maris accolis: noctambulæ quoque multæ & latebras quærentes exſtant, etiam eæ, quæ contra Philoſophi ſententiam multum caloris & ſiccitatis habeant, adeoque tantum prodire ament ingruentibus menſibus pluviis, ut pingueſcant & copulentur. Vt mirum non ſit, earum differentias, mores, naturas, aliaque ad Hiſtoriæ Naturalis & Anatomiæ cognitionem facientia, difficilius dignoſci & perſcrutari poſſe.

Quamobrem licet inter omnia Animalia, nullum tantam affinitatem cum temperamento humano habeat; nullius quoque Anatomia tantum lucis adferat, quam Quadrupedis viviparæ: veniam tamen facile merebor, ſi vel qualitates vel diſſectiones earum rudiori Minerva fortaſſis explicavero, quam curioſus quiſque Iatroſophos deſideraverit.

PRæter Dorcades Europæas Braſilienſibus non multum diſſimiles Capreæ Indigenæ *Cuguaçu-eté* non cornutæ, & *Cuguaçu-apará* cornutæ præcedentibus minores exiſtunt. Pilis ſunt ſplendentibus, glabris, hinc inde fuſco & albo variegatis, imprimis ſi juvenes ſint, nam maculæ albæ accreſcente ætate pereunt. Pes quilibet duas habet ungulas nigras, & ſupra has duas minores ſupra ſe invicem poſitas. Cauda ſunt brevi, ut ſolet in Capreis. Oculis magnis nigris, naribus patentibus. Cornibus mediocribus ex tribus ramuſculis fabricatis, villoſis, cineritii coloris, quæ quotannis amittunt. Caſtitate & fœcunditate cum Europæis certant, ſtatoque tantum tempore, initio ſcilicet menſium pluviorum, quod veris vices ſupplet, mares admittunt; poſtea deferveſcunt, & meticuloſæ fiunt. In uteri cornibus concipiunt, ſexque menſibus, & minus aliquando, in utero gerunt: quod tempus in frigidioribus Europæ regionibus tardius abſolvitur. Non


 adeo

Cuguaçu-ete'.



adeo ſilveſtres ſunt, quin facile cicurentur. Fructus & frondes quas depopulantur, omnem denique cibum, ruminant: viſcera quoque naturalia more aliorum ruminantium diſpoſita ſunt, ſicut in cornutis, alteraque tantum maxilla dentatis, ſolet fieri. Quum porro à veteribus Philoſophis teſtatum ſit, quaſdam non ſolum aves, ſed & animalia terreſtria nonnulla, inter quæ Cerva & Capreæ, felle carere; ego attentius circa duo potiſſimum loca illis à Natura conceſſa, hepar & inteſtina inquirens, fel nullum quidem ſubinde comperi; quia forte viſum effugerat, atque alia aliqua parte diffuſum latitaverat, quod fellis vices illis ſuppleret. tanta interim fellis neceſſitas in corporibus animalium mihi videtur, ut eo non apparente locis ſolitis, Natura maluerit collocaſſe in capite quorundam piſciculorum, quam in totum denegaſſe viſcus tam nobile. Imo, ſunt aves quæ teſte Ariſtotele veſica & urina deſtituuntur; tamen fel ipſis perpetuo conceſſum eſſe fatetur. Caprearum Braſilienſium caro eſt optimi palati & nutrimenti, quæ vel aſſatur, vel aromatibus conditur pro epulis, ejuſdemque planc ſaporis eſt & dignitatis cum noſtratibus. Verum, ſicut hæc Capreæ ſpecies, quæ villoſis eſt cornibus, carne ſua alimentum, ita lapide in ventriculo contento, medicamentum præbet haud contemnendum, ſcilicet lapidem Bezoardicum Occidentalem, nunc Orientali minus celebrem quidem, attamen apud incolas contra mala quoque venenata in pretio habitum. Quo lapide venatores difficilius aliquando potiuntur, quam ipſo animali in quo generatur. vulneratum enim telo, aufugit ſummo ſtudio, eructatque è ventriculi fundo per os ipſum lapidem, quem ſi non ſagaciter obſervet venator, ſpe omni excidit eo potiundi, ut mihi aliiſque contigit ſubinde.

Taiaçu'.



Taiaçû, Porcus eſt ſilveſtris, ſed Apris magnitudine & ferocitate cedens; vix enim noſtratium Porcorum domeſticorum molem acquirit. Auribus, pilis & ſetis in dorſo eſt ſolito brevioribus & mollioribus nigri coloris, punctulis minimis albis variegatus. Cauda eſt nulla. Admodum probatæ eſt carnis, ut facile noſtratium domeſticorum ſuperet. lardo eſt tenuiori atque bono. In dorſo inter ſetas prominentia apparet partim carnea partim membranoſa, quaſi ex concurſu vaſorum lacteorum contorta, quæ vulgo Vmbilici nomen audit. Quem tamen ego in diſſectione verum umbilicum eſſe neutiquam potui animadvertere, ſicuti neque Clariſſ. Anatomicus Leydenſis D. Falcoburgius, qui tranſmiſſum ex Braſilia Porcum ſimilem diligenter incidit. Mammarum quoque vicem præbere, quia vaſa mammaria videbantur, q uæ lacteum

ctеum humorem perpetuo deſtillant, haud veriſſimile, quod ſugendum præbeat papillis, quas more aliorum Porcorum ſub ventre gerit. Per hunc ductum ſpiritum emittere, ſicut Sues marini per nares, Lerius & Thevetus putarunt; ſed attentior cenſura Fr. Hernandi magis mihi placet, qui in diſſectione eorum, tam narium, quam umbilici, uſum illis mecum derogat. In multis Americæ regionibus, præſertim in nova Hiſpania, ejuſmodi Apri ejuſdemque conformationis & naturæ inveniuntur, quorum caro æque probata, quæque mactata ut durabilior ſit, ſtatim liberari debet à ductu illo lacteo dorſali, alioquin facile corrumpitur. Iracundi ſunt & vindictæ admodum memores. Vulnerati enim infinitos ſolent ſui generis convocare, ut hoſtes ſuos, ſive Venatores ſive Tigrides, cum quibus perpetuam exercent inimicitiam, gregatim adoriantur. Ita ut non raro aſcenſu in arborem ſalvare ſe coacti fuerint vel ſagaciſſimi venatores, ubi tunc dux gregis, cum militibus fremens, truncum arboris loco hoſtis amiſſi mordet & lacerat. illi interim tot feris circumdati, eas ſuperne, vel venabulo, vel ſclopetis tuti cædunt, cum tamen illæ haud facile patiantur ſocietatem diſſolvi, niſi forte moræ vel famis tædio.

CAPYBA'RA.



Capybára, inter Porcos aquaticos ſive fluviatiles recipitur, quia figura & natura bimulum Porcum æmulatur. brevibus eſt cruribus & ungulis, ſed porcinis, cæterum Porcis diſſimilis, ſi craſſitiem & figuram capitis, & oris pilos aureſque parvas conſideres. Caret cauda. Peculiare quid præterea huic Natura dedit, quod (præter duos inſignes dentes incurvatos extra alveum prominentes) in qualibet maxilla dentes viginti quatuor habeat. Herbis & fructibus veſcitur. Noctambulum eſt animal, pabulique gratia fluvios & torrentes tranſnatat, clamoremque adeo horribilem edit de nocte, ut nobis inſuetis primum terrorem incuſſerit. Gregatim infinito numero circa ripas fluviorum oberrant; cumque tardigrada ſint, non curſu, ſed velociſſima natatione ſe ſalvant à venatoribus, quia urinari vel maxime norunt. Cæterum haud difficile magna copia ſclopetis vel ſagittis figuntur, integriſque militum cohortibus probo ſatis alimento fuerunt, imprimis ſi aſſetur caro; ſed quia dignitate Aprorum & domeſticorum carni cedit, caput hujus *Capybára* tantum pro deliciis apponitur.

CVANDV'.



Cuandú, Major & Minor, Africanis Erinaceis ex parte ſimilis. Noſtratibus Yſter-Vercken,

Vercken, Luſitanis *Ouriço cacheiro*, & quoque *Eſpinho* dicitur, quod perpetuis ſpinis ſive aciculis armatum ſit animal. de quarum tamen ejaculatione in hoſtem deque earum venenoſa vel medica qualitate nihil nobis hic terrarum compertum eſt, ſicut de alia Erinaceorum ſpecie in Africa atque in nova Hiſpania teſtantur Autores. Hæc enim Hiſtrix ob inſignes alimentoſas qualitates potiſſimum celebris Simiæ majoris eſt magnitudinis. Totum corpus pilis caret, ſed ſpiculis armatur undiquaque oblongis flaveſcentibus. Ab inſitione in cutem ad dimidiam fere longitudinem reliquam, pars dimidia nigricat; cuſpis albicat. Capite eſt quoque aculeato, excepta regione aurium & oris. Circum nares pilos habet multos, qui barbam Felinam illi faciunt. Oculi prominentes & fulgidi. Cauda oblonga ab exortu ſuo ad medietatem aculeata. exterior medietas nuda eſt, & raras habet ſetas Porcorum inſtar. Interdiu dormit, noctu circumvagatur, ſpiratque naribus quaſi anhelaret: vocem edit ut Sus *iu iu*. Scandit arbores, ſed tardo greſſu, quia pollice caret; idcirco deſcendens, caudam circumvolvit, ne labatur. Fructibus non ſolum, ſed Gallinarum Columbarumque pullis multum damni infert, iiſque perpetuo inſidiari amat. Exinde pinguefactus facile præda fit venatoribus. Carne eſt admodum candida, pingui, eaque gratiſſima, ac proinde inter delicias apponitur ſive aſſata, ſive elixa, ſive artocreæ modo condita. Inter Erinaceos enim quæ vocem Caninam edunt, inferioris ſunt notæ; quæ ore vero voceque Suilla, ut hic noſter, carne ſunt, teſte quoque Scaligero, longe delicatiori.


TATV' ſive ARMADILHO.



Cum in Occidentalis non ſolum, ſed & Orientalis Indiæ partibus frequens adeo ſit hoc inuſitatæ conformationis animal, non mirum ſi vel nomine, vel magnitudine, figura quoque ſubinde variet. Hiſpani *Armadilho* ſatis appropriate, hoc eſt, Cataphractum, Belgæ Schilt-Vercken nominarunt. Braſiliæ indigenæ nomine *Tatú* generice totum hoc animalium genus loricatum exprimunt, variaſque illarum ſpecies peculiari addito cognomine diſtinguunt. Prima & maxima *Tatu-péba:* cujus deſcriptioni ſuperſedeo, utpote quæ non edulis. Secunda & præſtantiſſima *Tatu-eté*, ſed priori minor. Tertia *Tatu-apará*, præcedenti magnitudine par, cujus ſolum iconem exhibeo, ſed alteram incedentis, alteram dormientis beſtiæ. Omnibus his commune eſt, quod lorica oſſea ex ſquamis elegantibus compoſita operiantur, quod Porcellorum quaſi ſint roſtro, figura, oculis, pilis & pedibus, licet magnitudine & dignitate inter ſe diſcrepent. Item quod noctambula & ſalacia, roſtro fodientes Talparum more, nunc ſub terra in cavernis latitent, nunc in aquis inſtar amphibiorum, imprimis vero ſupra terram more aliorum quadrapedum degant. Horum denique caro, excepta illius *Tatu-pêba*, non ſolum veſca, ſed ob teneritatem & albedinem apud magnates pro deliciis appoſita, aſſata, elixa & in artocreæ modum condita, Cuniculorum & Porcellorum carni præferatur. Tantum abeſt ut cum Talpis in terra potiſſimum nutriantur ad mentem Monardi, ut fructibus *Batatis*, *Bacobis* & Melonibus cæteriſque plantariis, imo Gallinis veſcantur. Quamobrem ruſtici ea exoſi habent, iiſque perpetuo vel decipulis vel caniculis inſidiantur. Hæc autem ſpecies peculiare habet, quod dormituriens, aut venatorem eludere volens, prioribus ac poſterioribus pedibus collectis, more infantium in utero jacentium, ac auriculis intro tractis, cum, cauda capite & ad caput relatis, inſtar pilæ ſe componat, atque per commiſſuras incurvato dorſo ac clypeo, ita lateralibus extremitatibus, ac antica & poſtica parte conſertis, ut nihil appareat niſi lorica capitis & caudæ; adeoque inſtar conchæ firmiter ſe claudit, ut ne à validiſſima quidem manu aperiri & dilatari ſe patiatur. Quamobrem miræ iſtius fortitudinis rationem deſiderans, aliquoties illud diſſecui domi meæ, loricamque

camque convexam, qua tegitur, inveni cum quatuor commiſſuris tranſverſalibus, lenta admodum cute conſtantibus, quibus loricam extendere & contrahere poteſt. Quæ lorica figuris quinquangularibus eleganti ordine diſpoſitis conſtat; inter commiſſuras vero parallelogrammis, & quælibet figura ſquamulis lenticularibus, coloris ex albo flaveſcentis. In quolibet latere muſculum reperi inſignem longum & figuram X habentem, plurimis fibris ita decuſſatim diſcurrentibus ſecundum longitudinem, quorum ope validiſſimam illam contractionem & corporis conglobationem exercet. Cæterum coëunt & generant more aliorum animalium. Præter alia ſalacitatis ſigna, accedit quod genitalia in omni *Tatú* præter modum longa & craſſa atque rigida promineant. De carnis præſtantia alimentoſa ſupra monui. De vi medicamentoſa Lamiarum Fr. Ximenes vir haud vanæ fidei, ut & Monardus, multa annotarunt; verum à me hactenus incomperta.


TAPIIERETE'.



Tapiiereté, Luſitanis *Anta*, mirum aſpectu animal, magnitudine Iuvenci ſemeſtris; dorſo incurvato; figura corporis quodammodo ad Porcum accedens, imprimis oculis, capite & pedibus. Promuſcide eſt ſuper os præeminente, quam validiſſimo nervo contrahere & extendere poteſt. Ore dentato in utraque maxilla. Loco caudæ exiguum proceſſum habet depilem. Cute eſt ſolida inſtar Alcis, brevibus pilis, umbræ & fuſci coloris. Salax eſt beſtia & noctambula, quæ arborum fructus, arundines ſacchareas, depopulatur. Inter amphibia non recenſetur: fluvios tamen tranſnatat rapidiſſimos. Cæterum iners & ſocors apparet, adeoque lucifuga, ut in denſis mediterraneis ſilvis interdiu dormire amet: Ita ut, ſi detur animal aliquod quod noctu tantum, nunquam vero de die venetur, hæc ſane Braſilienſis beſtia ἡμερόβια dici minime meretur; qualem tamen Ariſtoteles & Scaliger ex terreſtrium genere in Aſia non dari autumant. Caro ejus veſca, ſi juvenis, & rite præparetur, bubulamque æmulatur; eaque mediterraneis ac maris accolis in frequenti uſu exiſtit.

Inter Quadrupeda veſca in hiſce ſilvis & campis littoralibus frequentia, ſex ſeptemve Cuniculorum & Leporum ſpecies exſtant, communi nomine corrupte Luſitanis *Ratos domato* dicta. Quæ ut magnitudine, colore, & figura nonnihil inter ſe diſcrepant; ita natura, indole, natali ſolo, atque ſapore multum inter ſe conveniunt, & ob carnis bonitatem, omnibus pariter in deliciis habita; quamobrem multi incolæ, nunc decipulis, nunc Canis venatici vel odori ope iis inſidiari amant, repertoque antro id ab utraque parte fodiunt, & cuniculum actum ab utroque latere obturant, & demum in locum quo conſidere autumant, longum cultrum infigunt, ut ita transfigant prædam ſub terra latitantem. Qui vivi capiuntur, cicurari ſe patiuntur & pingueſcunt. Vniverſa hæc Leporum & Cuniculorum familia admodum eſt fœcunda: ſeptenos & ultra uno partu catulos ter uno anno profert, non cæcos tamen more noſtratium.


PA'CA I.



Prima, quæ maxima & nobiliſſima facile inter eos exiſtit, eſt *Páca*, magnitudine pinguis & craſſi Porcelli, cujus inſtar grunnit. Cibum oblatum non pedibus more Cuniculorum detinet, ſed in terra depoſitum devorat. Capite eſt craſſo, auribus præter morem parvis, abſque cauda, ut plerique hi Cuniculi. Crura priora paulo poſterioribus breviora; ita ut non adeo velocitate, quam vehementi quidem morſu, ſe ab hoſte vindicet. Pilis eſt

brevibus, ad tactum duris, umbræ coloris, in lateribus maculis cinereis prædita. Carne eſt tenera, pingui, lardo non indigens, ſi aſſetur, ſed inter epulas magnatum, ſicut Lepores & Capreæ in Europa, habetur.

TAPETI' II.



Secunda ſpecies dicitur *Tapetí*, figura, magnitudine, pilis, auribus, barba, Leporibus noſtratibus inter omnes has ſpecies maxime ſimilis: victu quoque, fertilitate, carnis bonitate ab Europæis minus diſcrepans. Eorumque more in ſilvis, non intra terram, nidificat. Quamobrem non neceſſe eſt ejus narrationi inhærere.

AGVTI' III.



Tertia Cuniculi ſpecies eſt *Agutí*, vulgo corrupte *Cotiá*. Quæ magnitudine & figura eſt noſtratium: ſed inter eos quibus aliquid porcini intercurrit. Præterquam quod pilis ſit ſplendentibus, rufis & duris, ut in Porcellis junioribus; grunnit quoque eodem modo; inferiorque mandibula, ut in Suibus, brevior eſt ſuperiori. Si corporis proceritatem, velocitatem, voracitatem, dentes, caudam, mores denique reſpicias, cum Leporibus quadrat; auribus tamen, quæ rotundæ ſunt, diſcrepat. Poſteriora crura glabra, longiora, digitis ſex; anteriora breviora quatuor tantum ſunt prædita; iiſque directe anterius extenſis, incedit, & arripit cibum oblatum, devoratque quam ociſſime. Adeo denique à natura munitus, ut ſi non unguibus & dentibus ſe tueri valeat, velocitate pedum ſe ſalvare poſſit: ubi vero irritatus, vindictæ minus potens fiat, grunniendo quatit humum poſterioribus cruribus multo fortius quam Cuniculi noſtrates, dorſique pilos erigit. Cæterum cicuratur, ut pingueſcat, atque philanthropos ſit. Sed teneritate carnis præſtat, ſi ſilveſtris mactetur.


ÇAVIA ÇOBA'YA IV.



Quarta ſpecies *Çavia çobáya*. Quæ ut Europæis Cuniculis magnitudine cedit; ita diverſitate & elegantia colorum eos ſuperat. Pilis eſt molliuſculis, maculis albis, nigris, rufis; Cruribus brevioribus; anterius digitis ſenis, poſterius quinis. Capite & dentibus Gliris ſimilibus. caudæ veſtigium nullum fere. Nulla Cuniculorum ſpecies tam familiariter in ædibus cicuratur, quam hæc, imo in alias Europæ regiones feliciter vehitur, ubi æque prolificus eſt, & pingueſcit. Grunniendo cibum quaſi à domeſticis mendicat inſtar Caniculæ domeſticæ. Dignitate carnis cæteris haud cedit, imprimis ſilveſtris adhuc. aſſata, & elixa, apponitur, minuſque alba & ſicca quam noſtratium; adeoque humore abundans, ut male fiat illi, ſi nimium aquæ potet.


Quinta

APEREA'. V.



Quinta, *Apereá* dicta, Noſtratibus **Veldt-rat** Cuniculi eſt ſpecies minima, abſque cauda, pilis Leporinis, ut & capite, barba & inceſſu. Vivit Cuniculorum more, ejuſque naturæ participat; niſi quod petroſis potius cavernis, quam arenoſis gaudeat, unde à venatoribus & viatoribus ope caniculæ elicitur & capitur. Elixus, aſſatus, conditus apponitur. Adeo enim carne eſt tenera & bona ut Cuniculos Europæos facile ſuperet.

IAGVA'RA.



IAGVARETE'.




Variæ Tygridum ſpecies in ſilvis reperiuntur, quarum aliquæ majores & ob crudelitatem nimium celebres, quas, utpote non edules, prætereo. Hæ minores veſcæ Luſitanis *Onça* generaliter dictæ, Braſilianis peculiari nomine diſtinctæ. Quarum prima maculata *Iaguára*, ſecunda *Iaguareté*, tertia *Cüguacuara*, cujus icon deſideratur. Seniores brevibus, juniores longioribus ſunt pilis & paulum criſpis inſtar lanæ ovillæ; nunc Capræ inſtar ex flavo ruſeſcentis coloris, nunc maculis nigricantibus eleganter diſpoſitis. lupi fere ſunt magnitudinis & molis, rapaces quoque, & hominibus æque ac beſtiis infeſtæ, cum famelicæ ſunt; alias enim à gregariis canibus, imo vel ſolo accenſo rogo de nocte in fugam facile aguntur; ignis enim vel luminis beneficio me ſocioſque itineris mei ab his aliiſque noxiis animantibus tutari ſolebam. Terribilem noctu clamorem *u u* inſtar Canis famelicæ excitare ſolent. Præda potitæ eam dilacerant, caputque in ipſum cadaver immittunt, ſanguinemque imprimis ſugunt. Licet carnis bonitate, mole capitis, corporis, cauda & maculis cutis inter ſe differant, oculis tamen igneis, barba & ungulis felinis, dentibus acutiſſimis, atque indole conveniunt. Nec eſt, quod aliquis putet à Barbaris *Tapuyeris* tantum expeti carnem harum rapacium animalium; illæ enim quæ ruſeſcentibus & flaveſcentibus maculis ſunt, ab omnibus paſſim Europæis incolis, inſtar Vitulinæ æſtimatur. Atque ipſe non ſine admiratione edoctus ſum, non plus ferinam ſapuiſſe tam rapacium animalium carnem. Attamen monitos volui ſemper amicos, imprimis valetudinarios, ut ab ea ſe abſtinerent, vel rarius ſaltem veſcerentur, ob fervidum quem generat ſanguinem & ſuccum omnis beſtia & avis rapina.

Inter tot Lacertorum exercitus præ cæteris magnitudine & pulchritudine excellunt quos hic damus. Prior *Iguána* (corrupte *Leguáne*,) aliis *Senembi*; poſterior *Tejuguaçu* dictus. Qui, ut exterius nonnihil diſcrepant forma, ita interius plane inter ſe conveniunt, ejuſdemque ſunt naturæ. Prioris corpus duos eſt pedes longum, ſicut & cauda. Tota beſtia exterius læte viret inſtar Pſittaci, niſi quod maculis nigricantibus & albis in modum panni undulati hinc inde variegetur. Cute eſt undique ſquamoſa. pone

 caput

IGVA'NA I.



caput in utroque latere albicans emicat macula inſtar Branchiarum piſcis. A cervice ad caudæ extremitatem ſeries ſquamarum ſerratarum excurrit viridis ſecundum dorſi longitudinem. Capitis ſquamæ ſingulari ordine ſunt poſitæ. Naribus eſt patulis. Oculis magnis, nigricantibus. Lingua craſſa mobili, ſed non bifida ut ſequentis figuræ. Rictu eſt diducto & patulo, exiguis dentibus nigricantibus obſito, cibumque iis rite præparatum ad ingluviem illam pendulam dimittit. hanc ingluviem nigricantem & ſerratam pro variis pathematis vel contrahit vel propendere ſinit. Crura non ſolum, ſed & eorum digiti, perpetuis quoque ſquamis veſtiti, & variis articulationibus præditi. Crura poſteriora anterioribus quidem majora, ſed omnia paribus unguiculis curvis armati.

IGVA'NA II.



Altera hæc à præcedenti in eo potiſſimum differt, quod colore ſit nigro cum maculis albis. Digitis pedum multo longioribus. Cauda quoque longiori & craſſiori, non ſerrata. Lingua bifida, lævi, rubra, quam multo velocius & longius, quam præcedens *Senembe* exerit, & more ſerpentum retrahit. Vtrumque animal domi meæ ligatum detinui, expertuſque ſum ſtupidum eſſe & inediæ patientiſſimum, quædam ad ſex, quædam ultra octo menſium ſpatium, ut ne muſcam vel culicem comederent, ſed tantum ore ſubinde patulo immota jacentia aliquandiu apertis feneſtris matutino rore auraque veſci viſa ſint, attamen, licet Lacerti, Serpentes aliaque reptilia frigidioris utcumque ſint temperamenti, hi elapſo circiter ſemeſtri, ſi non eſca exhibeatur, inedia contabeſcunt & moriuntur. Fructibus & ovis crudis veſci amant, unde multa pinguedo & caro albiſſima illis naſcitur. quæ elixa vel frixa, inter delicias expetita, nec Gallinaceis pullis cedit, ejuſdemque dignitatis, & ſaporis, cujus eſt caro *Armadillæ*, niſi quod ſiccioris ſit nutrimenti. Aphona ſunt plane, velociſſime currunt, facile tamen ex arboribus ſe illaqueari patiuntur. Vſque adeo tenacis ſunt vitæ, ut, ſi aliquoties feriantur in capite, non moriantur, niſi cervix cultro infixo vulneretur. Vnde difficile Ariſtoteli aſſentiendum puto, Lacertos vix ultra ſex menſium ſpatium vivere. Mactata vero & plane excoriata diu adhuc moventur, cordaque excepta, admodum ſubſiliunt. Ovipara ſunt, idque ſingulis ſex menſibus, ac in utroque latere duodecim aliquando ova ceraſi minoris magnitudine apparuere. Etiamſi inter amphibia poſſit cenſeri *Iguána*, quia fluvios quoque intrat; tamen more cæterorum amphibiorum in terra generat. Ova quæ ponit, rotunda ſunt, & tenuiori teſta quam Gallinacea, prædita: cæterum vitellum & albumen Gallinarum ſimilia ſapore, quæ addita aqua, non oleo aut butyro, friguntur. Porro pinguedo *Senembí* apud Chirurgos Americanos in pretio habetur ad cutis vulnera ſananda.

In


In diſſectione viſcera omnia vitalia & naturalia, ſicut in aliis animantibus reperi, ſed duplici ventriculo prædita. Anterior, cibi licet pauci receptaculum, inde inteſtinum admodum tenue, cui alter ventriculus concoctioni ciborum dicatus annectitur. In hoc ventriculo ut & inteſtinis teretes lumbrici latebant. Lapis quoque ex eodem ventriculo exemptus ovi fere gallinacei figura & magnitudine exterius; interius vero, lapidis bezoardici coloris & ſubſtantiæ erat; quippe contuſus, à tunicis quibus componebatur, facile ſeparabatur. Idem lapis ab incolis celebratur. Verum an aliqua vi medicinali polleat, à me nondum compertum. Franciſc. Ximenes in nova Hiſpania ſimilem lapidem in cerebro ejuſdem *Iguanæ* reperiri, doloribuſque nephriticis & calculis frangendis, ſi drachmæ pondere è liquore convenienti hauriatur, mederi teſtatur.

Variæ Teſtudinum Braſilienſium ſpecies, ut nomine ac natali ſolo; ita figura, colore, magnitudine, atque dignitate inter ſe differunt. Antequam agmen edulium animalium claudam, eas tantum recenſebo Teſtudines, quarum qualitates mihi compertæ ſunt. Duæ occurrunt marinæ, vel amphibiæ potius, quia ova ſua ad littus maris ponunt in fovea, quam arena tumulant, donec excludantur. ultra ducenta ſubinde ſimul reperiuntur, magnitudine gallinarum ovis paria, rotunda, alba, non teſta, ſed valida tantum membrana tecta.


Prior *Tartaruga* Luſitanis, *Iurucuá* Indigenis, adeo magna, ut à tribus bajulis vix dimoveatur, plurimiſque hominibus ſaturandis caro earum ſufficiat. Loco pedum habet quaſi alas: anteriores quidem longas: poſteriores breves: (quarum figuras paſſim videre eſt apud authores) caudam acutam, conicam: oculos nigros, magnos: os edentulum & inſtar roſtri volucrum.

Altera minor cæteris Teſtudinibus *Iururá* dicta, Luſitanis *Cagádo*; atque ad differentiam *Cagádo d'Agoa* nominatur. Hæc intra teſtam ſe recondit pro lubitu, & collum rurſus ad trium digitorum longitudinem foras extendit. Capite eſt oblongo; naſo elevato & acuminato; ore amplo; oculis & unguibus pedum nigricantibus. Cauda brevi, acuminata: cute rugoſa quaſi ſquamis conſtante.

IABOTI I.



II.



Tertia & quarta ſpecies, terreſtres ſunt plus minus manus magnitudine, figura inter

ter ſe ſibi, paucis exceptis, multum ſimiles. quæ *Cagádo da terra* Luſitanis, *Iabotí* Indigenis appellantur. His caput & crura ſunt fuſca, verum maculis ex umbra variegata. Caro & ova ſunt veſca: jecur vero palati eſt optimi, atque antecellit omnium animalium ecora ſuo ſapore.

Pleræque terreſtres teſta operiuntur nigricante, cui variæ nigricantes & flaveſcentes figuræ geometrice quaſi inſculptæ viſuntur. Sicut ex appoſitis hiſce figuris liquet. Vix ſonum niſi brevem, exiguum, eumque breviſſimum, *kik kik* edunt. Inediæ patientiſſimæ ſunt ad biennium fere, tantillum aquæ ſolum domi meæ ſorbentes. Cæterum radicibus & fructibus ſilveſtribus veſci amant.

Cum ex Philoſopho conſtet, quod pleraque ovipara, ut quoque aves & piſces, veſica & renibus deſtituta ſint, teſtudini tamen marinæ conceſſos eſſe ex autopſia confirmatum habeo.

Multa præterea Græci Philoſophi de Teſtudinum indole & generatione narrarunt, quæ ſi conferantur cum hujus Novi Orbis Teſtudinibus, aliqua dubiæ fidei videri poſſent.

FINIS LIBRI TERTII.

GVLIEL-

GVLIELMI PISONIS

HISTORIÆ NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER QVARTVS.

De Arboribus, Fruticibus, & Herbis Medicinalibus, ac Alimentoſis, in Braſilia & circumjacentibus Indiæ Occidentalis Regionibus naſcentibus.

PEracto Tractatu de Animalibus edulibus, ordo poſtulare videtur, ut Vegetabilia Alimentoſa & Medicamentoſa iis ſuccedant antequam ad Venena & Antidota tranſeam. Miſſis itaque omnibus illis, quorum vel uſus Medicus adhuc latet; vel quæ huc aliunde illata, & ab aliis ſatis ſuperque ante me expoſita, ut Malus Medica, Citrus, Punica, Milium Turcicum, Lapis Bezoar Occidentalis, Ambra griſea, & ſimilia; vel quæ ſolummodo quæſtui comparata ſunt, ut infinita ligna in ædificiis celebrata; Ea tantum perſtringenda duxi, quæ in Medicinam ſunt recepta, atque ab aliis & me ad Artis noſtræ incrementum, proſpero uſurpata ſucceſſu. Adeo enim ex re fore putavi, ne quam multa (ut ſolet ſubinde farrago exoticorum hauſtu facili & ſupino congeri) ſed quam proficua exſtarent materiæ Medicæ monumenta. ad imitationem ſcilicet Dioſcoridis potius, quam Plinii & Theoprasti, quorum hi tanquam Naturæ admirabilia, ille ut Medico uſui adoptentur, propoſuit. Verum cum tantæ molis ſemper fuerit, novis auctoritatem, obſcuris lucem, dubiis fidem dediſſe, non eſt, quod mihi arrogem in re tam difficili voto lectoris ſatisfactum iri, ſed principii gravitatem, incultumque Solum, ingenuis his conatibus patrocinaturum confido; atque poſteros, quibus plus otii & eruditionis ſupererit, non ſolum quæ in enarratione Vegetabilium & Senſitivorum deſiderantur, ſuppleturos; ſed & multa convenientia cum aliis Mundi partibus obſervaturos. Nam quemadmodum unaquæque terra quædam peculiaria producit, aliis regionibus negata: (ſicut liquet inter cætera in hujus Continentis Occidentali parte Peruvia Argentifera, ſed minus ſalutifera, atque è contra in Braſilia mineralium inopi, ſed Aëre, Aquis, & Locis, eorumque Vegetabilibus, admodum beata,) ita certiſſimum eſt hanc quoque à reliquis novi Orbis Inſulis in multis naturalibus non diſcrepare.

Ex quibus facile pateſcet perpetuus ille immenſæ Naturæ luſus in ſalutem mortalium longe laterque diffuſus. Quin Priſcorum plerique, ac Recentiorum non pauci, qui de Medica materia verba fecerunt, una tamen omnes nondum ad medium, ne dicam ad calcem faſtigiumque, rem perduxere. Quippe adeo ſpeciebus ac viribus abundans & amplus eſt ille campus, ut meritiſſimo jure ea quæ dignoſcitur pars, illius quæ ignoratur, minima dici poſſit.


Porro non me anxie adeo Botanicorum conſueto ordini obſtrinxi, ut herbæ, frutices & arbores ſingulæ, ad claſſes ſuas venirent. Sed à nobiliſſimis & maxime uſualibus Vegetabilibus ad cæteras deſcendi, prout variis locis & temporibus ſeſe offerrent. Quaſdam icones & annotationes ab optimo & diligentiſſimo meo domeſtico D. Markgravio, in noſtris peregrinationibus obſervatas mutuatus ſum. Quod idcirco præmonere volui, ne malevolus quiſpiam furtivis coloribus me ſcripta ornaſſe ſibilet. Etenim quando horas ſubciſivas publica munia mihi denegabant, id ſedula opera ejus adimpleri juſſi, ut quarum ego naturas & proprietates penſiculatius inveſtigarem & experirer; earumdem ille figuras externas per otium graphice depingeret. parum ſcilicet intereſſe arbitratus, ſi inventa noſtra illi vel mihi impertirentur, aut ſub cujus noſtrum nomine lucem aſpicerent, modo illa, dubia nonnulla diſſolverent, erroreſque detegerent atque tum Novi, tum Veteris Orbis ægrotantium & medentium commodo futura ſint.

C A-

CAPVT I.

Tacomareé ſive Arundo Saccharifera.

POſtquam vaſtiſſimi hujus Continentis in Indiis Occidentalibus pars, quæ nunc vulgo Braſilia dicitur, inter duos fluvios *Maranhon & de la Plata*, ſita, paulo poſt Capralis acceſſum à Veſputio Emmanuëlis Regis Portugalliæ auſpiciis, paulo accuratius anno circiter cIↃ IↃ eſſet explorata, Luſitani, intra promontorium *Olindæ* amœniſſimum & Inſulam *Itamaraca*, primum littora antea incognita legerunt. Vbi juxta rupem fiſſam Braſilianorum tuguriis conſpectis, ad terram appulerunt, & de nomine loci ſolliciti, quantum potuerunt inquirentes, *Paranambuco*, hoc eſt, mare perforatum vocari, à Barbaris reſponſum tulerunt. Vnde hodie quoque, omnium Præfecturarum feliciſſima, idem nomen obtinet. Cujus receſſus cum altius explorarent, indignum exiſtimarunt, ligno rubro, licet maximi proventus ad tingendos pannos, acquieſcere: præſertim cum præter confragoſos montes & ſaltus inacceſſos, miro Dei beneficio, longe lateque partim in planities ſolutas, partim in colles clementer aſſurgentes terras conſpicerent; tum & præſtantiſſimis animalibus, fructibus & frugibus Europæis invectis, mirabili proventu ea producere & fœtificare experirentur. Tandem fœcundum hoc ſolum Cannis Sacchariferis aptiſſimum judicarunt: eaſque à campeſtribus quondam hominibus detectas in Inſulis Fortunatis, huc detulerunt, quæ ob ſuavem ſuccum quaſi ad manus traditæ, uſum quem pollicebantur, olim ſilveſtres, nunc excultæ & domeſticæ, toto fere generi humano præſtant. Ita ut cœleſte hoc donum, Attico melli multis partibus præferendum, excelſis incluſum arundinibus, hiſce regionibus imprimis conceſſum ſit, è quibus tum aquaria mola, tum boum indefeſſo labore agitata, dulciſſimus liquor expreſſus, in ahenis excoqueretur, quemadmodum hac imagine expreſſum videtur.



Multæ hodie hujus generis machinæ conſpiciuntur. Nec ulla hujus terræ merx eſt, ex qua plus lucri & emolumenti ad negotiatores redundet. Nam Saccharorum ex omni Braſilia olim colligebantur *Arobæ* decies centies mille, idque quotannis, atque in Europam devectæ certiſſimo compendio divendebantur.

In Ægypto *Sacar* Arabicum (unde Saccharum noſtrum dictum volunt) ex humili & exigua planta, inſtar cryſtalli vi Solis coagulatur. In India vero Orientali, ex *Mambú* arbore arundinea (vide Garc. ab Orta cap. XII.) & nodoſa, populo inſigni non abſimili, *Sacar Mambú*, quem *Tabaxir* appellant, viſcoſum albicantemque liquorem promanare conſtat, ut Avicenna, Rhaſis, & Serapio teſtantur. In Provincia *Rio de la plata*, Cannas Sacchari ſponte enaſci, adoleſcereque in arboris proceritatem, atque cryſtalla Saccharea æſtu Solis exſudare, conſtat. Tamen alterutrum vel inſita qualitate, vel conficiendi dexteritate adæquari huic arundinaceo poſſe, nemo credat. Planta ſiquidem

hæc

hæc noſtra fruticis inſtar firmitate prædita, ſucco dulci turget. Silveſtri Arundini externa facie eſt ſimillima; niſi quod hæc crebrioribus articulis aliquando diſtinguatur, imprimis ſi anni, terræque intemperies minus reſpondeat. Quo enim majora internodia, eo feliciorem meſſem, quo breviora, eo infeliciorem agricolæ prænuntiant.

V'IBA & TACOMAREE.



Hæc Arundo, *V'iba & Tacomaree*, Luſitanis *Canna d'Açuquare* dicta, minus in montibus & collibus, licet irriguis, quam pratis glebosis & pinguibus, luxuriat; ſicuti videre eſt in Parnambucenſis præfecturæ maxima fertilitate & planitie agris, optimeque canniferis: qui inclytis undiquaque amnibus dividuntur, & à pluviis & inundationibus ripas egredientibus rigantur; quarum beneficio à formicis cæteriſque inſectis noxiis liberantur, ſicut per nivem in Europæis regionibus ſolent. Sed miſſa digreſſione ad propoſitum redeo.

Primo agri vomere invertuntur, cratibuſque aut ferro ancipiti ſarriuntur, inque rectos & æqualiter diſtantes ſulcos proſcinduntur. Quibus Cannarum taleæ ita inhumantur, ut ſummitates utriuſque ſe contingant: atque ea ratione lacunæ vomere factæ, manent repletæ, quæ ipſa eadem terra poſtea adimplentur. Plus terræ æſtate, qua operiantur, requirunt, ne intenſior Solis æſtus penetret, Cannaſque exſiccet: Hyeme vero minus, ut facilius uligine imbuantur, & terræ pondus germinationem retardet. Quo major humiditas, eo citius exſurgit arundo, hincque quilibet articulus novas producit Cannas, ab omni parte eas ac radices ex lacuna, cui impoſita eſt, extendens. Nodo Cannæ circumcirca pullulat turio, à quo, terræ incumbens, truditur, frutexque emergit: ita ut decem aut ad ſummum duodecim menſium ſpacio, Canna matureſcat, inque juſtam longitudinem excreſcat. Expertiores agricolæ menſes Auguſtum & Ianuarium plantationi conſecrarunt. Auguſto tamen, qui menſium hibernorum poſtremus, felicius hæc inſtituunt, quod tellus noviſſimis pluviis imbuta, plantas ſuo gremio mollius foveat.

Arundo maturata tempore præfato exſcinditur; nonnunquam & ad annum uſque ſequentem in agro relinquitur, & tunc Canna vetus nominatur, quaſi ſeges reſtibilis. Intra hoc tempus nova denuo progerminat, quæ poſtea ſimul cum veteri reſecatur. Si intra biennium non ſcindatur, nullius exinde pretii habetur: paulatim enim in agro marceſcit, ac deficiente humore extinguitur; niſi forte peculiari terræ beneficio prorogetur ultra ordinarium durtaionis tempus. Plantæ tenellæ & juvenes, bene inhumatæ, denuo propagari numquam fere indigent, quod diuturnitate temporis non emoriantur, ne ad quadraginta vel quinquaginta annos quidem; ita ut ſuapte natura vel nemoris durationem adæquare valeant, nimirum ſolo bene pingui; nam quæ in ſitienti & arido creſcunt, vix ultra quinquennium vivunt. Interitum autem ex accidenti Cannis inferunt, ſideratio, caries, potiſſimum vero ſi immiſſo ab æſtate incendio, nec ſuperveniente pluvia, ad radicem uſque præ nimia ſiccitate comburantur, magno hercle poſſeſſoris damno. Proinde qui Cannas inutiles & frugiperdas exſtirpare, ſuoque

K bono

bono comburere cogitat, ut novæ renaſcantur, hyberno tempore, non æſtivo, hoc inſtituat. Immodica quoque inundatione, cum nulla cacumina emergunt, Cannæ ſuffocantur: ita ut utriuſque exceſſu, nimio æſtu exareſcant, nimiaque fluviorum illuvie, eaque ſtagnante, refrigerentur, unde ſtirpitus evelli, aliæque de novo plantari poſtulant. Genus denique quoddam Vermiculi nigri alati, *Guirapeacoca* Braſilienſes, *Pao de Galinha* vulgus Luſitanorum appellat, in locis potiſſimum uliginoſis, radices corrodit, Cannaſque interimit. Poſtremo ab herbis voluntariis male illis fit, quæ mirum in modum ſæpe luxuriantes, hiſce ſativis admodum obeſſe ſolent. Proinde ſingulis annis ter quaterve, imo & ſæpius aliquando, ſi terra poſtulet, ager à noxiis herbis liberetur, idque tantiſper, donec ad tantam maturitatem pervenerint taleæ, ut ſuo robore zizaniis obniti poſſint. Terra ſiquidem earum herbarum quas ſponte profert mater eſt, cæterarum vero quas quaſi vi coacta ſuſcipit, ſæpeque invita fovet, noverca judicatur.

Porro Cannæ maturæ factæ, circa fundum ac in ipſo geniculo abſcinduntur, quod in eo aqueus quidam humor contineatur. Mox amputatæ, frondibuſque, quibus maximam partem veſtiuntur, reſectis, in faſciculos coguntur, & currui imponuntur.

Molendina tribus graviſſimis axibus ex ſolidiſſimo ligno confectis, circuliſque ferreis obductis, nituntur. Inter quos Arundo continenter inſerta, & axium ſe contingentium anguſtia compreſſa, liquorem fundit dulciſſimum. Mola aquaria nullis indiget jumentis, aquæ ſiquidem impetu circumagitur, quæ longiſſimo canale deducta, lapſu impetuoſa ex alto in ſupernos eximiæ magnitudinis rotæ lintres decidit. Quod quidem licet celerius fiat, pluſque Sacchari inde redundet, quam à ſex vel octo robuſtiſſimis bobus: eorum tamen contentione exactius & fidelius Canna exprimitur.

Cæterum liquor hic, qui in Saccharum ipſum poſtea abit, ad viginti quatuor duntaxat horas durat, moxque aceſcit, & ad conficiendum Saccharum prorſus fit inidoneum: ſed ſi diutius ſervetur, bonum inde naſcitur acetum.

Axes, aſſereſque, per quos ſuccus expreſſus fluit, tum & alveus, per quem decidit, bis ſpacio viginti quatuor horarum, vel una Tareffa (Tareffa eſt ſpacium terræ, cujus quadra viginti circiter eſt paſſuum, & tot Cannas profert, quot per diem Naturalem moli poſſunt) lavari debent.

Canna primo à tergo axium excepta, vicino denuo immittitur, ut ſi quid ſucci in ea ſit reliquum, penitus exprimatur, tunc *Bagaſſo* vocatum, quod tanquam inutile excrementum flammis abſumitur. Adeo coruſcantes & formidabiles nocte dieque conſtruuntur ignes, qui ahenis ſubjiciuntur, ut à quindecim lignorum vehibus ad quadraginta uſque, ſpacio diei naturalis, prout cruditas liquoris requirit, abſumantur, integræque ſilvæ exſcindantur.



Succus, quem *Cardo* vocant Hiſpani, per canales & ductus ligneos, in ampliſſimos æreos cacabos derivatur: in quibus continenter, nunc vehementius nunc lenius, toto quo molæ agitantur tempore, ferveſcit, frigidæque aſperſione intenſior ebullitio coërcetur, ut ſubſtantia minus conſumatur. Ab hoc ſucco in primo aheno conſiſtente,

modicoque

modicoque ſubſtructo igne, paulo fæculentior & copioſior ſpuma aufertur, vocaturque *Cagaſſa*, quæ ſolis pecoribus eſcam potumque ſuppeditat.

Sublata *Cagaſſa*, liquor ſeu *Caldo* in proximum ahenum, *Caldera de mellar* Luſitanis, effunditur: in quo coquitur, & prægrandi cochleari, crebris foraminibus pertuſo, à ſordibus liberatur. Vt exquiſitius immundities ſecernatur, forte quoddam lixivium affunditur. Hinc per linteum percolatur, ac tandem ſuccus eo pacto noviſſimum excrementum, ſi quod habet, deponit. Hæ fæces mancipiis victum ſufficiunt, qui iis contenti tam improbos atque indefeſſos labores exhauriunt: quippe toto ſemeſtri æſtivo noctes atque dies perpetuo molendina agitantur. Vinum quoque exinde, vulgo *Garapa* dictum, conficiunt, intermiſcendo aquam: quod avidiſſime expetunt incolæ, eoque, ſi vetus ſit redditum, ſe inebriant. Vinum itaque Sacchareum, Vinum aduſtum, Acetum, Mel coctum, ipſumque Saccharum, ex primo hoc liquore concinnari poſſunt.

Porro minores qui ſubſequuntur Cacabi, *Tachas* appellant, alii ſunt ad concutiendum, alii ad coquendum parati. In quibus ſuccus jam dictus tantiſper condenſatur, donec Serapii & mox Sacchari conſiſtentiam acquirat. Ad hæc vehementi & arduo labore, primum in majoribus, tum in minoribus ahenis, inter coquendum, capaciſſimis cochlearibus agitatur, quatiturque, & ad altitudinem viginti plus minus pedum attollitur, unde rurſus in vaſa prolabatur.

In Cacabis minoribus ob ignem intenſiſſimum vehementioris ebullitionis habenda eſt ratio, ſtatutiſque temporibus olei modicum guttatim inſtillatur, ne ignis vehementia Saccharum aliquid detrimenti capiat. Obſervatu dignum, ſi oleum majoribus inderetur ahenis, in quibus liquor, primo *Caldo* dictus, purificatur, Sacchаro conficiendo plane foret ineptus. Viciſſim, ſi minoribus lixivium, ſicut majoribus, infundatur, æque impoſſibile, Saccharum conficere. Si denique momentum ſucci Limonii, vel acidi quid injiciatur, Sacchari conſiſtentiam numquam acquiret, ſed in totum perditur.

Formæ porro fictiles innumeræ, quando ſuccum fluidum acceperunt, ordine aſſeribus perforatis, in ampliſſimis ædibus (*Caſa do purgar* vulgo) imponuntur; mox ſuperimpoſito luto humefacto, dicta vaſa, à melle, quod ſubfuſco antea colore Saccharum tingebat, repurgantur. E formis excuſſum, candidum à nigricante, *Maſcovádo* dicto, ſeparatur, & in fruſta redactum Soli ſereno exponitur, probeque exſiccatur, donec ciſtis recondatur. Hæc omnia incredibilis ſunt laboris & ingentium ſumtuum; præterquam quod operariorum multitudo, jumentorum inſuper & mancipiorum affluentia, multum ex emolumentis deroget.

Medica Sacchari auxilia, quoniam maximam partem Europæis cognita, paucis tantum ſunt perſtringenda. Cannæ viridis ſuccus frigidus eſt, multoque, ſi deſtilletur per alembicum, durabilior & efficacior. Multis oculorum malis, tum hepatis, renumque ardoribus medetur. Sed cum medulla hæc Cannarum tot mutationes ſubeat antequam repurgata in grana reducatur, primam naturam ex parte deponit, imo alienam induit, ſubinde palato magis gratam, quam valetudini proficuam, ſi nimia calcis & fortis lixivii efficacia exacuetur ad delicias noſtras. Quamobrem illud quod ſanitatis gratia Pharmaciæ infertur, præſtat ut modice tantum repurgetur: quippe quod ingenitas reſervet vires, intenſiuſque ſerapia, electuaria & ſimilia dulcificet. Imo rubrum Saccharum, alias inferius habitum, (ſicut & illud quod ex Inſula S. Thomæ affertur, omnis lixivii expers) minime contemnendum, præcipue in clyſteribus. Saccharum itaque primo gradu licet calidum & humidum, tamen quo antiquius & defæcatius, eo calidius eſt, faciliuſque in bilem convertitur, atque intenſius digerit & ſolvit. Recens vero non ſolum pectori & ſtomacho, ſed & veſicæ renibuſque prodeſt. In omni denique ægrorum condimento, veteri Sacchаro longe debet anteferri.

CAPVT II.

Iira, ſive Mel ſilveſtre.

INter prima quidem, etiam antequam Canna Saccharifera hic coleretur, mel Silveſtre, quod ipſi *Iira* vocant, Braſilianorum ſolertia ex vaſtiſſimis ſilvis & ſaltibus ſibi comparavit, quod in uſu atque deliciis, Europæis æque ac gentilibus, tam ſa-

nis quam ægris habetur. Cujus dignitates ingenti mortalium bono quotidie magis magiſque illuſtrantur.

Apes, *Eirúba* illis dictæ, diverſorum generum hic reperiuntur, quæ in arboribus, miris & variis modis nidificantes, noſtris quidem non plane ſunt diſſimiles, ſed utcumque paulo minores, quarum examina hinc inde peregrinari, immenſaque nemora iis fervere videas, ubi erumpentibus floribus cereas domos exſtruunt, & optimo melle implent. Agreſtes illæ ſunt, nec cujuſquam cura aut paſtum aut tecta accipiunt. Ita ut idem primatus quem Philoſophus ſuis Apibus olim tribuit (invita formicarum induſtria, & araneorum aſtutia) hiſce quoque jure merito debeatur; utpote quæ ex quatuor illis celebribus operibus, ſcilicet venari, facere, colligere, & reponere, tria poſteriora ſolæ exerceant. Quaſi Natura nuſquam magis quam in minimis perfectior ſemper apparere voluerit. Regem quoque eligunt, cæteris mole corporis tenuiorem & maxime flaveſcentem. Reliqua quæ de illarum regimine produntur, ob difficiles ad eas in nemora aditus, nondum experiri datum eſt. Ignavum pecus, Fucos, Crabrones, Oeſtra, Veſpas melliferas & non melliferas, pluraque alia Inſecta ſimilia, de quibus in Inſectorum Hiſtoria dicetur, quæ nimis quam multa Braſilia nutrit, viatoribus & armentis infeſtiſſima, nunc prætereo.

Induſtria atque uſus præſtantia, cæteris omnibus Inſectis alatis, præcellunt facile Apes mellificantes, quarum tredecim ad minimum genera obſervantur, ut ſunt *Amanacay-mirí*, *Amanacayneú*, *Aibú*, *Mambucá*, *Pixuná*, *Vrutuétra*, *Tubuná*, *Tuiubá*, *Eiruçú*, *Eixu*, *Cubiára*, *Curupiréira*, *Copii*, quarum ultima *Curupiréira* à Braſilienſibus contemnitur. Quæ autem inter illas omnes merito obſervandæ, ſunt potiſſimum hæ ſequentes.

Primo *Eiriçu*, grandiores, non pungentes, quæ bonum faciunt mel, licet non quotidiani uſus. In concavitatibus arborum nidificant, ut Virgilius de ſuis Apibus,

—— Nec non & Apes examina condunt,
Corticibuſque cavis, vitioſæque Ilicis Alno.

E quibus veluti alveariis Braſiliani arte & dolo mel eliciunt per ductus aliquos, ut foras emanet.

Deinde *Eixu* & *Copii* Apes minores, nigricantes, extetius in cortice nidum affabre conſtructum componunt inſtar alvearii, favis ex arte & concinne diſpoſitis, ac propoli, & cera candida veſtitis, è quibus optimum mel colligitur, ſed minore quantitate, & quia inſigniter aculeo appropinquantes infeſtant, minus expetitum.

Denique Apes *Munbucá* flavæ & exiguæ in arboribus nidificant, optimum hoc Mel, de quo potiſſimum ago, & ſaluberrimum producentes, quod ab Indigenis arbores proceras conſcendentibus, ad Europæos incolas, magna quantitate, exiguoque pretio affertur. Maxima autem copia hujus reperitur in Inſula Maranhon, cum multa cera nigra, ubi copioſius colligitur, vaſiſque integris completis, æſtate, cum flores ſilveſtres maxime vireſcere ſolent, ſervatur. Inter hoſce flores reperitur unicus in arbore *Tapuráiba* flos, quem poſtquam apes guſtarunt, Mel amarum conficiunt, ſicut de Apibus in Syria Abſinthio inſidentibus teſtantur Authores. Qualitate & dignitate nihil hercle hoc Europæo melli concedit, in ſecundo gradu calidum, conſiſtentia admodum fluida, clara & tenui: odore ſuavi quidem, ſed ſilveſtri, nec nimia aut ingrata dulcedine, nauſeam parit, ſed gratiſſimo acore, oxymelis inſtar, palatum afficit. Abſterſoria qualitate, partiumque tenuitate, tantum ſtomachum, viſcoſis humoribus obſitum, abſtergit, quantum calida languidum confortat. Inteſtina imprimis & renes, ſive ſuperius, ſive inferius exhibitum, à cruditatibus vindicat, atque urinas promovet. Tum & infantibus ad abſtergenda & demulcenda viſcera, à reliquiis Variolarum & Morbillorum obſita, ſummopere prodeſt. Simplex vel compoſitum (ut in capite de Mulierum morbis dictum eſt) uteri intemperiei frigidæ ſummum adfert ſolatium.

Longæ durationis & magnæ dignitatis Vinum quoddam inde confici ſolet, fortiſſimum quidem & admodum abſtergens. Sin temperatius placeat, hydromel vel mulſum ex aqua fontana, ſine coctione, rori nocturno exponitur.

Pharmaca denique non ſolum, ſed & cibos potuſque quotidianos ingreditur decantatum hoc trium Apum mel, ſicut in Tractatu de aëre, aquis, & locis dictum eſt: meritoque de illo idem prædicare licet, quod Plinius lib. XXII. cap. 24. teſtatur. Mellis

naturam

naturam talem eſſe, quæ corpora putreſcere non ſinat: tum, multos exſtitiſſe qui ſenectam longam mulſi tantum nutritu toleraverunt. Hac ſolum adhibita cautione, ne bilioſis, hepatis, renum & ſtomachi ardore laborantibus, niſi ſumme dilutum, exhibeatur.

Cera ejus, *Yetié* illis dicta, quæ nigricans eſt, Europææ poſtponenda quidem, ſed ad emplaſtra emollientia & digerentia, contra mala è frigore nata, utiliſſima habetur.

Qui cum *Tapuys* Mediterraneis in deſertis vixerunt, multas alias ſpecies Apum commemorant: quæ ut nomine & figura, ita & natura ab iis quæ enarratæ ſunt, diſcrepant. Quædam enim earum in arboribus pumilis, quædam vero intra terram miris modis nidificant & mellificant, earumque Mel utcumque igne & fumo excitato colligitur. Sed quia præter inſtituti rationem eſt ea enarrare, quæ dubio aliorum relatu nixa ſunt, iis ſuperſedeo.

Porro, præter tot documenta fertilitatis circa Vegetabilia & Senſitiva marina, telluris æmula, accedit & illud, quod paucis à Paranambucenſi littore milliaribus, piſcatoris uncum citra intentionem contingat infigi vadis petroſis, & loco piſcis ſpongias, coralla aliaſque arbuſculas marinas capi. Inter hæc inuſitatæ formæ prodit ſpongioſa arbuſcula, ſeſquipedis longitudinis, brevioribus radicibus, lapideis nitens vadis, & rupibus infixa, erigiturque in corpus ſpongioſum molle oblongum rotundum turbinatum: intus miris cancellis & alveis fabricatum; extus autem tenaci glutine, inſtar





Apum propolis, undique veſtitum. oſtio ſatis patulo & profundo in ſummitate relicto, ſicut ex altera Iconum, probe depicta, videre licet. Ita ut Apiarium marinum vere dixeris. Primo enim intuitu è mari ad terram delatum vermiculis ſcatebat cæruleis, parvis, qui mox à calore Solis in Muſcas, vel Apes potius, eoſque exiguos & nigros transformabantur, circumvolanteſque evaneſcebant: ita ut de eorum mellificatione nihil certi conſpici datum fuerit, cum tamen ceroſa materia propolis, Apumque cellæ maniſeſte apparerent. Atque ipſa Mellis qualiſcumque ſubſtantia procul dubio urinatoribus patebit, ubi curioſius inquiſiverint hæc Apiaria, eaque in natali ſolo & ſalo diverſis temporibus penitius luſtrarint.

CAPVT III.

Radix Mandihoca.

FRumento complures Indiarum regiones ad hæc uſque tempora caruerunt: ea tamen, quibus hominum & animalium ſuſtentatur vita, frumentique vicem ſupplent, deſiderari, benigna mater Natura noluit. Radix enim ſativa ſeu altilis, quæ *Mandihoca* Barbaris appellatur, in farinam redacta & in panem coacta, cum optimo pane ſimilagineo certat. Qua planta licet Angolæ & Hiſpaniolæ atque aliarum Inſularum incolæ gaudeant, (ubi radicem hanc *Yuca*, aliis Mexicanis *Quauhcamotli*, præparatam & in farinam redactam *Caſſavi* vocari Monardes teſtatur) Braſiliæ tamen naturalem, ſummoque ſtudio ibi excultam conſtat.

Plures hujus fruticis, quem *Maniiba* & *Manduba* Braſiliani vocant, dantur ſpecies: quæ licet prima fronte inter ſe haud differre videantur, tamen ab experientibus agricolis dignitate, caule, & colore diſtinguuntur, ac diverſa ſortiuntur nomina.

Quæ antequam explicem, monitum volo lectorem, ne in tanta nominum varietate (quæ in hoc & ſequentibus quibuſdam capitibus occurret) confundatur. Inter Barbaros enim Americanos non tantum, ſed & ubique terrarum quotuſquiſque in eo variat ac diſcrepat. Nam interdum unaquæque res multis nominibus à quibuſdam deſignatur, quæ apud alios nomina ſunt diverſorum piſcium & herbarum. Interdum idem nomen à diverſis authoribus, diverſis rebus naturalibus poſitum eſt. Aliter enim Plinius, aliter Gaza, aliter alii Latini explicarunt monumenta veterum Græcorum. Ex quibus inutilibus amphibologiis haud levis exſurgit moleſtia, & in exquiſita rerum cognitione obſcuritatem creat. Quapropter ego non ſine ratione cum Galeno optavi aliquando, res poſſe tradi ſine nominibus, ut ſophiſtis eriperetur decertandi & calumniandi occaſio.

MANDIHOCA.



Decantatæ itaque hujus fruticis prima ſpecies à maris accolis Braſilianis vocatur *Mandiibabuára*, *Mandiibparata*, & aliæ albicantibus radicibus & truncis, *Mandiipéba*, *Mandiipuçú*, *Mandiibimána*, *Aipi*, (quæ iterum ſuas habet ſpecies) *Tapeçíma*, *Aipipóca*, *Mandijupéba*, *Aipimacaxera*. Hæ novem poſteriores rubentibus ſunt & lacteſcentibus radicibus & caulibus. Omnium harum ſtirpium radicibus ſolum *Mandihoca* nomen inditum, & alimentoſis, medicamentoſis, venenoſiſque qualitatibus, licet impari inter ſe gradu, pollent. Quas proprietates, utpote admiratione digniſſimas, penitius introſpexiſſe operæpretium erit. Hæ frutices omnes eleganti ac ſtellatim ſeſe explicante ſunt folio. Caule recto, nodoſo, hominis ſtaturam raro excedente. Ejus craſſities pro fœcunditate ſoli, cœlique temperie, varia. Florem fert exiguum, ſemen autem, Ricini Americani ſemini ſimile, ſed inutile. Reliqua ex ipſa planta ad vivum depicta cognoſcere licet.

Fru-

Fructum vero ſubterraneum, ipſam ſcilicet radicem eſculentam *Mandihocam*, Paſtinacæ haud diſſimilem producit, quæ lacteum trahens ſuccum, ab oculis prorumpentibus, è trunci internodiis natis; hoc liquore egregie intumeſcit.


Terra minime gleboſa aut irrigua, ut Canna ſaccharifera, gaudet; ſed ſicca potius, ſitiente & montoſa, atque in tuberculos, quaſi à talpis, egeſta. Adeo humiditatis omnis inimica eſt, ut æſtivis dumtaxat menſibus terræ committi velit, idque locis apricis ac minime umbroſis. Quod, ſicuti in hac, ita in quavis plantatione obſervandum, quia guttatim ex arboribus deſtillans aqua perquam noxia habeatur. Cum adeo acclive & arenoſum ſolum requiratur, malunt incolæ denſiſſima demoliri nemora, demolita exurere, eaque arvis & ſegetibus (*Chocas* Luſitanis) deſtinare. Extra terram duobus vel tribus ſurculis germinant, qui, ubi octavo, decimo & duodecimo menſe liqueſcere cœperunt, pro ſemine ſunt. Hoc frugum noſtratium diſcrimine, quod *Mandihocæ* nihil de fructu decedat ad ſui propagationem, noſtris decedat, quibus ipſi fructus ſementem faciant. Per radicem nulla poteſt fieri tranſplantatio: nam ea extracta è terra & tacta ſtatim moritur.

Tres hujus plantæ trunci, frondibus ſpoliati, figura propemodum pyramidali, haud profunde ſimul terræ grumis, trium circiter pedum inter ſe diſtantia, inſeruntur, prominenteſque ad palmæ altitudinem, ſuperius ſe invicem amplectuntur. Qui foliis licet denudati, novis tamen ilico veſtiuntur, nec quicquam radix inde detrimenti patitur, modo caulis integer & illæſus maneat.

Dignitate & mole excellit *Mandihoca*, ſi anni terræque temperies ſicca fuerit: tunc enim quælibet radix ſeſquipedem, vel duos, interdum etiam tres pedes longa evadit, craſſitiem habens brachii, vel etiam cruris humani, quando ſatis adoleverit.

Ratio habenda ut ager à zizaniis, quæ valde ſuppullulant, ter quaterve repurgetur, donec plantæ adoleverint, ad octo nimirum vel decem menſium ſpatium. Maturitatem aſſecutæ radices, quod annuo circiter à plantatione ſpatio fieri ſolet, ad tertium vix ſub terra durant; altero tamen plerumque anno pars illarum putreſcit & corrumpitur; ideo ad ſummum linquuntur annuo ſpacio, & de novo per taleas plantantur. Ingruente nimiæ humiditatis neceſſitate, exſcindi ſtatim poſtulat, ſex menſibus ante juſtæ maturitatis tempus.

Mandiba, quæ vocatur *Mandiibumana*, omnium citiſſime creſcit & matureſcit, atque optima inde conficitur farina. Hæc planta maxime gaudet ſolo arenoſo & magis ambuſto quam reliquæ. Primaria omnium, inque quotidiano uſu & lucro, producitur quidem promiſcue in quavis terra, vocaturque *Mandiibparati*.



E terra evulſæ radices, vix per triduum durant, etiamſi fideliter horreis recondantur. Mundatæ, & à cortice, quem tenuiſſimum habent, liberatæ, molæ truſatili, cujus Iconem hic exprimimus, à duobus hominibus circumactæ, admoventur, ferrique cuſpide conteruntur; & contuſarum radicum farinam excipit alveus. Alii radendi modi pedetentim exoleverunt, ob majores labores & ſumtus. Pauperibus tamen uſus Scobinæ manualis ſupereſt, quæ ab Indigenis *Tapiti* nuncupatur. Raſura deinceps torculari vel prælo ſubjicitur, quo magna vi humor ille ſuperfluus & noxius exprimitur, ut

ut ſicca atque abſque ulla humiditate maneat. Mox cribro, *Vrupeba* dicto, percolatur. Exinde planefacto fictili aut æneo injicitur, in quo ſubſtructo igne circumagitatur tantiſper donec coquatur. Semicocta vero, & adhuc mollis, eſculenta eſt, & vocatur *Farinha relada*, quod eſt Farina cocta non exſiccata. Reliquum quod ſupereſt, & reſervare volunt, ſupra majorem vel minorem ignem pro arbitrio miſcent, atque exacte ſiccant. Farina enim hæc quo plus exſiccata & excocta, eo durabilior eſt. Optime tamen ſiccata & fideliter ab aëre defenſa, ultra annum vix ſervari poteſt: nam ſi vel leviſſima uligo eam infecerit, corrumpitur, unde non parvam militum ſtragem in caſtris exortam vidi. Quapropter noſtri, Barbaros imitati, eam in bolos, quos vocant *Bejus*, paſtillos & liba cogunt, ſuperque craticulas modico igne induratam in penu aliquandiu recondunt.

Ex hoc frutice expreſſo manat liquor, *Manipuera* Barbaris dictus, qui vaſi infuſus poſt duas horas fundo adhæreſcit: ex quo alia fit Farina, melior priori, ac majori affluentia floris; quam cremorem de *Tipióca* vocant. Ex aqua Farinæ, in fundo ſubſidente, bolos quoque conficiunt, *Tipiocéto* dictos, optimi ſaporis. Tum Gummi quoddam ſeu potius amylum ex ea fit, atque eidem uſui inſervit. Hic liquor *Manipuera*, quod dulcis ſit ſaporis, ab animalibus avidiſſime hauſtus, vi quadam venenata, ea ſtatim exſtinguit: ex radice tamen non expreſſus (quod mirum) cætera animantia, excepto homine, nutrit.

Præterea è radice, à Sole exſiccata, alia fit Farina & pollen albicans, imo & panis ſiligineus & biſcoctus, qualis è tritico (cui & ſimillimus eſt) pinſitur. Hoc alimentum integrum & non comminutum pro jumentis & pecoribus, quibus in pabulum cedit, reſervatur.

A vermibus, & integris formicarum cohortibus, hæc planta miſere ſolet infeſtari, magno agricolarum incommodo: non ſolum folia atque caulem, ſed ipſam quoque radicem depopulantur ferarum greges & animalia domeſtica. Ipſi Braſiliani, Æthiopes, & noſtratium non pauci, hujus plantæ folia amant adeo, ut contuſa, cocta & probe condita pro cibis & lactucis apponant; quæ in maſſam efformata, *Maniçóba* nuncupant Braſiliani.

Porro radix hæc quatuor aut quinque dierum ſpacio in aqua macerata & emollita, *Mandiopiba* dicitur, quæ aſſata maxime ab agreſtiori Indorum & Barbarorum multitudine expetitur & manducatur. E ſedimento hujus conſiſtentiæ, Farina mollis, notæque melioris, conficitur: quam Braſiliani *Vipéba*; Luſitani *Farinha freſca* cognominant.

Ex *Mandihoca* contuſa, butyro & ſaccharo, inſignes fiunt boli vel paſtæ, ad edendum optimæ.

Pultis denique genus præparant ex *Mandiopeba*, quod nomen accepit *Mingau-petinga*.

Mandihoca illa mollis, illis *Puba*, igni impoſita exſiccatur; exſiccata appellatur *Carimá*. Ex hac Afri panem optimæ notæ conficiunt, quem *Muſam* vel *Angu*, interdum *Enfonde* appellant. Omnium autem præſtantiſſimum pultis genus condiunt, quod vocant *Mingau de Carimá*, cui aromatum loco momentum piperis Braſilienſis, & floris *Nhambi*, admiſcent: quod optimi cum ſit ſaporis, ſanitatique conducat, frequens in prandiis eſſe ſolet; nec ſuaviter ſe vivere exiſtimant niſi hoc alimento utantur. Sanis æque atque ægris ejuſmodi pultes, emulſiones, atque adeo ptiſanas ſaluberrimas inde confectas, exhibent. *Tipióca* ſiquidem, & *Carimá*, pota, vel ſyrupi ſpecie cum aqua florum Auriacorum & pauxillo Sacchari exhibita, antidoti loco plerumque eſt. Quantæ porro dignitatis *Tipióca* & *Carimá* ſint, in deſcriptione morborum Endemiorum ſatis explicavi. *Tipióca* enim, ſi multa lotione defæcata atque exſiccata, probe ab omni humiditate reſervetur, Tabidis & Dyſentericis, ex arte propinata, medetur. Febricitantes, animo deficientes, veneno infectos reſtituit Præter hæc, violento exercitio fractis vires recuperat, ſudoreſque immodicos compeſcit, Ptiſana illius ſimplex. Quaſcunque Hæmorrhagias, imprimis ex vulnere inflictas, tum intus aſſumta, tum emplaſtri forma applicata, cohibet.

Ex *Macaxera* optimum fit Vinum, ſerum lactis ſapore referens. *Mandihoca* raſa, vulneribus & ulceribus antiquis impoſita, ea mundificat, atque attemperat.

Manipuera cocta craſſeſcit pultis in modum, alimentoque convenienti exiſtit. Quod ſi Oryzam & Saccharum, cum aqua deſtillata ex floribus aurantiorum ſuperinfundas, Conſervæ gratiſſimæ formam induet, mutatoque nomine *Marmelada de Mandihoca* appel-

appellatur. Poſtremo illa ſpecies *Macaxéra*, præterquam quod vicem Farinæ prædictæ ſuppleat, igne etiam aſſata, abſque ulla alia præparatione, comeditur, ac *Macapéra* appellatur.

A cæteris radicibus abſtinendum eſt, quod præſens ſint venenum. Dantur enim quædam, quas citius combuſſeris, quam ut virus ſuum deponant, & ad edendum idoneæ reddantur. Quin ipſi Indigenæ, olim minus exercitati, in ſeparatione alimentoſi & venenoſi, multoties mortem oppetierunt: nunc eruditiores facti, non ſolum illis præcipuo exiſtit vitæ ſuſtentaculo, ſed omnibus Europæis in America degentibus. Idque pani triticeo præferre non verentur, licet minoris habeatur nutrimenti.

Æthiopes & Braſiliani inter edendum pugnos Farinæ plenos in os injiciunt, ut manu quoque longius ab ore remota, vix tamen mica pereat. Raro aut parum inter prandendum potu utuntur, quod farina aquam nimis imbibat, & ſtomachum inflet.

Cum aratrum ejuſque uſus hic ignoretur, & improbi ac multijugi laboris tædia declinent, facilem hanc & minus ærumnoſam agriculturam, tam vitæ ac rei familiari tuendæ, quam æri corradendo, egregie adhuc amplectuntur. Quippe unius dumtaxat mancipii induſtria & labore, centum tuberculos, aliquando unius diei decurſu abſolvunt. Hujus autem Farinæ una, quæ viginti cantharos noſtrates continet, aut ſeſqui *Alkeira*, hoc eſt, modius unus aut ſeſqui, homini robuſto & laborioſo, in menſem integrum plerumque ſufficit. Quem modium ſex aut ſeptem aut ad ſummum octo ſolidis comparaveris.

Hæc ſunt quæ uſu & ſedula in hanc radicem inquiſitione, à ruſticis & mea experientia reſciſcere potui; quæ fuſius & explicatius perſequi volui, quod hæc planta ubique frequens ſit & domeſtica, tamque excellentis uſus, ut vaſtiſſimi orbis Americani incolis abunde victum ſuppeditet.

Tapuyeri, vita & moribus agreſtiores, nec *Mandihocam* hanc, nec quicquam ſimile plantant, ſed arborum fructibus, variis herbis & melle agreſti ſe ſuſtentant. Inter radices quas comedere amant, eſt *Mandihoca* quædam ſilveſtris, ſponte proveniens, frutexque arboreſcens: cæterum ſativæ ſimillima, ſi caulem & folia conſideres, verum dignitate longe inferior. Mediterraneis *Cuguaçucuremia*, maris accolis *Cuaçú-mandiiba* dicta. Cujus Iconem expreſſam hic videre eſt.

MANDIHOCA Silveſtris.



CAPVT IV.

Copaíba.

PLerique Americani communi nomine omnes Reſinas odoratas & Gummi vocant *Copal*, variaſque illarum ſpecies peculiaribus diſtinguunt nominibus. Ita & Braſiliani Arborem hanc reſiniferarum facile principem *Copaliba* vel *Copaiba* nominarunt. In denſis nemoribus mediterraneis hæc ſatis procera reperitur: cui lignum rubrum quaſi minio tinctum, adeoque durum ut ex eo aſſeres latiſſimi fiant. Foliis eſt ovalibus, cum pediculis & nervis craſſis poſtica parte maxime eminentibus. Flore eſt pentaphyllo rotundo. Fructus inſtar ſiliquæ & coloris nigricantis ubi maturuerit, qui facile aperitur, continens nucleum nucis magnitudine & figura, coopertum cuticula nigra, quæ pauca pulpa lutea, lenta, molli, eduli quidem ſed non ſaporoſa, ita ut inter fatuos fructus numeretur, ut ſolet in Arboribus balſamiferis. Simiæ has ſiliquas depopulari amant. Ego eas menſe Maio & Iunio collegi, & mox ſemigerminatas mandavi terræ, atque læte provenerunt. Pinguis & odoriferus autem ille liquor adeo celebratus, ab inciſo cortice ad medullam uſque, Luna plena, tanta quantitate deſtillat, ut ſpatio trium horarum, ad duodecim libras olei effundat. Sin nihil forte profluat, ſtatim vulnus cera aut argilla obturandum eſt, ne quid effluere poſſit, & duabus poſt hebdomadis cum fœnore moram compenſaſſe videbis. Non adeo frequens in Præfectura Parnambucenſi hæc Arbor, quam quidem in Inſula Maranhon, ubi valde luxuriat, unde quoque copioſe illius Balſamum ad nos affertur.

COPAI'BA.



Non autem ſolum mirifica pollet vi mundificandi & conſolidandi, & ad quævis vulnera (imprimis nervorum) prima intentione reſtituenda, morſuſque ſerpentum curandos & cicatrices tollendas: ſed & ab omnibus pariter incolis, & à me, interne exhibitum, inſignem præbere utilitatem, obſervatum fuit. Tam ſuavis tamen odoris, ſicut Maffæus vult, non eſt. Calidum in ſecundo gradu, craſſum, valdeque pingue & reſinoſum. Ejus ſalutares vires nunc denuo in circumciſione Iudæi experiuntur: qui ſanguinem ex vulnere illo crudeli profluentem feliciter admodum eo coërcent; cum antea vulnus eſſet curatu difficile, & non paucis exitium intuliſſet.

Pectori, ad ſtomachum languidum, ventri ad colicos frigidos cruciatus, illitum conducit. Guttulæ aliquot convenienter exhibitæ per os robur addunt viſceribus, il-

liſque

liſque tonum reddunt: fluxiones muliebres, curſus ventris & gonorrhœas quoque ſiſtunt. In anum per clyſteres, in penem per ſyringam cum Saccharo ex aqua plantaginis, vel oleo roſarum diſſolutum, adverſus eadem mala proſpero ſucceſſu injicitur.

CAPVT V.

Cabureiba ſive Balſamum Peruvianum.

INter arbores infructiferas primaria eſt *Cabureiba*. Quarum duas ſpecies, non in habitata Braſilia, ſed in remotiſſimis deſertis trans immenſa illa montium juga, vidi. Vtraque eſt excelſiſſima, vaſtiſſima, & odorifera, ſed cortice & ligno differentes. Altera rubeſcentis eſt coloris, odoreque Cedro Braſilienſi, quæ Incolis *Acaiacatinga* dicitur, non diſſimilis. Altera, de qua nos in præſenti agimus, folio eſt exiguo, inſtar Myrti, cortice cinereo, digitum craſſo, tenui membrana miniati coloris, exterius cooperto, ſub qua flavus liquor, quo totus cortex turgere ſolet, latitat, qui vetus gratiorem ſpirat odorem quam ſi recens ſit, fitque conſiſtentiæ craſſioris & coloris punicei. Cortex contuſus & in maſſam redactus, ſuaviſſimos efficit globulos, & alia multa. Lignum illius ſingularem uſum præbet in ædificiis.

CABVREI'BA.



Revireſcente arbore circa Februarium & Martium, Luna plena, ex læſo cortice, pendulis vaſculis, excipitur hoc Balſamum fragrantiſſimum *Cabureiçica* dictum.

Ædes non ſolum, ſed Lucos integros gratiſſimo odore, Peruviano perquam ſimili, inficit. Subſtantia eſt compacta & tenaci, ſed calefactum ſequaci & ductili. Circa fluvium potiſſimum *Ieneiro* & in diſtrictibus Divi Vincentii & Spiritus Sancti, quam in Parnambucenſi, crebrius reperitur, licet non adeo magna quantitate inde ad nos deferatur.

Ad internos & externos affectus non inferiori gaudet qualitate quam *Copaiba*. Calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, diſſolvens, digerens & confortans. Aliquot illius guttulæ per os jejunis exhibitæ, Aſthmati proſunt: intemperiem quoque ventriculi, viſcerum languores inveteratos corrigit: tepidum pectori & hypochondriis illitum, eorum oppilationes & frigiditates tollit. Irrigatione & frictione capitis & cervicis ex panno rubro, corroborat cerebrum, & præſervat à Paralyſi & Spaſmo; imo debilitatum omne nervorum genus in priſtinum vigorem reſtituiſſe, ſæpiſſime hic ſumus experti. In nervorum puncturis acrimoniam ſaniei, unde tot dolores & convulſiones oriri ſolent, retundit.

Cæterum Luſitani æque ac Braſiliani adverſus vulnera & morſus venenatorum animalium ineſſe illi virtutem quandam ſingularem teſtantur, ad quam animalia, inſtinctu

ſolo naturali confugientia, corticemque detergentia, parti læſæ præſentiſſimum inveniant remedium. Quæ omnia in Caſtris & Noſocomio noſtro, tum imprimis militibus ictis à feris atque Barbaris, mecum per deſerta peregrinantibus, comprobavi. Quippe ſolo hoc eximio Balſamo recenter ex ipſis corticibus collecto, vulneratos & luxatos reſtitui.

CAPVT VI.

Acaiaíba, & fructus ejus Acajú.


QVantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi, tantum inter cæteras Braſiliæ Arbores eminet *Acaiaíba*, divino beneficio harum regionum incolis conceſſa. Quæ ut aſpectu pulcherrima, ita multifaria virtute celebratiſſima. Ac quamvis umbroſa & patula, ramiſque multis ſpecioſa, non tamen adeo in altum exſurgit; ſed cum revera Malus ſit, variis & ſinuoſis flexibus ſeſe incurvat, ramis humum verſus dependentibus. Eſt duriſſimo ligno, à naupegis valde expetito, ac Gummi optimo

ACAIAÍBA.



turgente, quod ſua ſponte æſtivis menſibus erumpit, ob facultatem, pellucidum colorem, fragrantemque odorem, Arabico vix cedens. Foliis eſt, ſi nervos, ſi figuram ſpectes, Iuglandi ſimilibus, ſed fragrantioribus, nec aromaticum odorem deponentibus niſi diſtillatione forti. Multo autem magis odorifera illa folia, quæ verno tempore Braſilienſi pullulant, & hinc quidem pulchre & ſature rubicantia paſſim in ſilvis videas, annuaque folia, tamquam inutilia, detrudunt circa hibernum tempus. Floſculos fert pentaphyllos multos juxta ſe poſitos, & in una umbella ad centum uſque conjunctos: in cujuſque

cujuſque medio ſtaminulum cum exiguo capitello habentes. Cum primo erumpunt, quod fit potiſſimum initio Septembris, ſunt candidi mox incarnati coloris. Odore fragrantiſſimo Liliorum convallium æmulo integras ſilvas replent. Flori ſuccedit caſtanea ex qua excreſcit pomum oblongum conſtans ex carne ſpongioſa ac lenta acinis & ſeminum cellulis diſtincta, ſucco dulci acido aſtringente turgens. Qui ſuccus adeo maculat linteamina ferrugineo colore, ut nulla arte elui poſſit antequam arbores denuo floreant. Liquor hic recens albicat inſtar lactis ſaporis aſtringentis, cujus color & ſapor paulatim pereunt fermentando, manetque fortis & inebrians. Exterior pomi pellicula tenuiſſima partim flaveſcens, partim rufeſcens, ita ut pro vario naturæ luſu celeberrimus hic fructus, figura, colore & ſapore inter ſe diſcrepet. Caſtanea ut & nucleus renis ovilli figuræ ſunt, hic tenui pellicula, illa craſſo & ſpongioſo cortice cinereo veſtitur, in quo oleum acre & admodum mordicans latet, ut ſi quis illud incaute ore attigerit, labia & linguam ignis modo urat. Vt oleum in cortice abſumatur ſub cineribus caſtanea torretur; hinc malleo contuſa, nucleus eximitur, qui vel ad annos incorrupte conſervatur, vel recens comeditur, adeoque ſapit toſtus ut caſtaneas longe antecellat.



Braſilianis vero non minus quam Arcadibus olim Quercus, pomum hoc, tum glans ei adhæreſcens & ſuperinnaſcens, à totjam ſeculis, vitæ ſolatio fuerunt. Bella, quæ frequentia inter illos excitari ſolent, ex parte hujus fructus amore geruntur. Victores enim caſtris poſitis loci expugnati poſſeſſores tamdiu manent, donec omnem arboris fructum depaſti fuerint. Ætatem exinde ſuo more dimetiuntur, nam ſemel in anno dumtaxat provenit, idque menſibus Decembri, Ianuario & Februario, tunc enim deficit ſub latitudine Parnambucenſis Præfecturæ; quia meſſis tempora pro ſitu regionis mutari ſolent. Sole redeunte à Tropico Capricorni, terra iis irrigatur aquis quas pluvias de *Acaiú* appellant, quibus ſi non prorſus deſtituatur, nec nimium obruatur glandifera & pomifera hæc arbor optime cum Barbarorum meſſe & vindemia agitur.

Caſtaneæ autem ſeu glandes pingues & ſecundo gradu calidæ. Crudæ ac recentes, ſi cum vino & momento ſalis manducentur, juglandes guſtu referunt; ſin aſſatas aut ſaccharo conditas malueris, multo ſuaviores, & durabiliores comperies; quapropter quoque pro deliciis inter bellaria apponuntur. Oleum quod ſub ejus putamine latere dictum eſt, herpeti medetur. Calidum eſt à tertio ad quartum gradum, cancroſis & malignis ulceribus vitioſa carne laborantibus, adhibetur. Lichenes quoque, & pedum vermiculos *Bicho* dictos, expugnat. Matureſcente autem caſtanea ipſa cum oleo intus contento ſenſim miteſcit, ac vim ſuam maxima ex parte deponit.

Incolæ arboris Gummi redactum in pulverem, ex liquore convenienti propinant mulieribus obſtructione menſtruorum laborantibus.

CAP. VII. *Iabuticába.*

EST arbor recta procera atque elegans, vaſtiſſimis ornata ramis: fructum fert cinerei coloris parem magnitudine Limonii, ſucco dulci, tenui pellicula inſtar uvæ bene maturæ: qualitatis temperatæ atque ſalubris, febricitantibus jucundiſſimum. Non fert flores, ſed fructus in tubere, qui ab ima radice uſque ad ſummitatem ramorum ita per totam arborem conjunctim catervatimque extuberant, ut continuus potius racemus, quam arbor videatur.

Species quædam hujus arboris invenitur in ſilvis *Pagi Tahuçurána*, ſed fructus fert minime cum aliis comparandos. Ex quibus Incolæ exprimunt vinum delicatum & dulce, quod niſi ſtatim ebibatur deterius fit, & in acetum convertitur. Vtraque hæc arbor niſi in vaſtis ſilvis Mediterraneis, & frequens eſt in Præfectura S. Vincentii, teſte Emanuele de Morais: Eam enim fateor me nondum vidiſſe, licet non perfunctorie tam elegantem arborem in ſilvis mediterraneis quæſiverim.

CAPVT VIII.

Içicaríba, & illius Gummi Içicá, ſive Elemni.

IN arenoſis & effœtis nemoribus excelſa reperitur arbor gummifera, quæ à Barbaris *Içicaríba* appellatur à lacryma quam fundit, quæ ipſis *Içicá*, Luſitanis *Almaçiga* dicitur. Arbor hæc Fagi in modum creſcit, caudice non ita craſſo, cortice glabro & griſeo. Folia fert in ramulis, duo ſemper ſibi invicem oppoſita & tertium ſolitarium in fine. Sunt autem pyri foliis ſimilia, oblonga, anterius acuminata, craſſa inſtar pergameni, læte viridia & ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem, & venis oblique diſcurrentibus. In ramulis ad foliorum exortum copioſi pronaſcuntur floſculi, racematim ſeu verticillatim poſiti ſive congeſti, parvuli, quatuor foliolis viridibus conſtantes, ſtellulæ pene figura: Foliola autem illa in ambitu lineola alba ſunt circumdata, & in medio exſtant ſtaminula aliquot flaveſcentia. Poſt florem ſequitur fructus, figura & magnitudine Olivæ, colore autem Mali granati, intus habens pulpam odoriferam, uti & lacryma eſt arboris. Cortex exterior ſi manu vel paulum mulceatur, inſignem mox odorem de ſe fundit.

ICICARIBA.



Interior cortex alte vulneratus, plenilunio imprimis, ſtatim, nonnumquam poſtridie, aut tertio poſt die Gummi ſeu Reſinam fundit odoratiſſimam (odoris inſtar Anethi recentis contuſi) præſtantiſſimamque, colore albicante & vireſcente. Eſt Gummi Elemni plane ſimile, quod tamen noſtro officinarum, utpote recentius, odore, & qualitate efficacius. Calidum eſt ad tertium gradum, primum molle, mox indureſcens, præcipue frigefactum. In omni topico, ſive ſimplex, ſive compoſitum, ad vulnera aperta & ad interiora mala, ex frigore potiſſimum nata, adeo expetitum, ut profanum habeatur illud aut ignoraſſe aut non applicuiſſe. Hoc, cum partim ruſticorum indulgentia ad me allatum, in quotidiano uſu eſſet, vix ulli umquam emplaſtro ſtomachali, vel ceroto corroboranti adeo ſum fiſus, quam huic. Viſcera enim roborare, flatus diſſipare & doloribus feliciter mederi aliquoties ſum expertus; ita ut in frequentiori praxi hoc præ cæteris commendare, reliquiſque omnibus præferre voluerim. Poſtremo, ad omnia quæ Gummi Elemni uſurpatur capitis vulnera, licet graviſſima, eaque ſanat, ac prima intentione reſtituit.

Ejuſdem arboris & Gummi meminit quoque Fr. Ximenes in nova Hiſpania.

CAPVT IX.

Arbor Ietaibá, & illius lacryma, Anime.

RAriora quidem aromata & balſama, pro ſua fertilitate, hic Braſiliæ tractus profert, quoad reſciſcere potui, quæ tamen gummi & lacrymarum copia compenſat. Inter hæc perpetuo virore conſpicua nemora, præſertim in Paraybæ diſtrictu,


districtu, ſpiſſam & ſpecioſam producunt Arborem *Ietaibá*, ligno duro, albo, ædificiis & machinis aptiſſimo, cortice lento, punctulis ex albo flaveſcentibus variegato, & hinc inde clypeiformibus maculis, ex albo ſubflaveſcentibus. In ramis continet folia duo vel tria ſibi oppoſita figura parva, ſed oblonga, viridia, ad tactum lævia, nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis, eleganter inferius conſpicuis, prædita. Fructum fert in ſiliquis oblongis compreſſis duriuſculis, coloris hepatici & quaſi lævigati. E ſiliqua fracta promanat ſubſtantia molliſſima filamentoſa ſubincarnati coloris, ſaporis farinacei & ſubdulcis, quæ cruda edulis eſt. Huic farinaceæ ſubſtantiæ tres utcunque lapides compreſſi glabri nigri involvuntur, figuræ & magnitudinis dactylorum.

Reſina odorifera arboris ab Indigenis *Ietica-çica* nominatur; Luſitanis vero *Anime*, ob ſimilitudinem quam habet cum *Anime* Novæ Hiſpaniæ.

Hoc Gummi per meatus corticis interiores decidere certiſſimum eſt; illud enim, tellure effoſſa, ſub arboris trunco & radice occultatum extrahere ſolent. Quod potiſſimum fit ſub finem æſtatis menſe Februario. Monardes ex vulnerata arbore, in Nova Hiſpania, colligi teſtatur, haud aliter quam Maſtiche aut Thus. Eo non ſolum Medici, ſed & vulgus familiariter utuntur, præcipue in capitis doloribus à frigore natis. Solus autem illius ſuffitus ad roborandum non

IETAIBA' ARBOR & FRVCTVS.







 ſolum

ſolum caput, ſed & reliquas corporis partes frigore affectas, valet. Suaviſſimi eſt odoris, & facilis conſumptionis. Calida & ſicca in ſecundo gradu. Cæterum vi quadam aromatica & peculiari ſuo calore hoc Gummi præſtare, ac partibus nervoſis illitum, vel emplaſtri forma applicatum, prodeſſe, multi mecum experti ſunt.

Folia arboris contuſa lumbricos enecare, ſi exhibeantur, conſtanter Indigenæ affirmant.

Interior corticis ſubſtantia raſa, & aquæ impoſita, contra ventriculi ventoſitates, ad potiunculæ formam præparatur, alvumque ſimul movet.

CAPVT X.

Caaopiá.

HVmilis ac tenera hæc Arbuſcula guttifera, à Luſitanis *Pao de Lacra* appellatur, quod gummi ſeu gutta quædam viſcoſa ex cortice ejus defluat. Paſſim & è quovis terræ genere progerminat. Ligno eſt lento, cortice è cinereo ruſeſcente: diſpeſcitur in multos ramos. Folia habet ſolida, inferiori parte ex viridi quaſi rufeſcentia & aſpera, ſuperna dilute viridia & ſplendentia. Florum in umbellas congeſtorum rudimenta ſunt globuli brunni, magnitudine lentis, qui ſucceſſu temporis protrudunt flores quinque foliolis conſtantes, exterius ex viridi flaveſcentis coloris, interius tomento albo veſtitis, & ſtaminulis luteis ſubtilibus repletos. Poſt flores proveniunt baccæ, primo virides, magnitudine ceraſi, rotundæ; quæ diſſectæ ex molli, quo teguntur, cortice, ſucci multum eleganter flavi exſudant; intra corticem autem continetur pulpa alba conſtans meris cylindris juxta ſe poſitis, qui ſibi invicem cohærent.

CAAOPIA'.



In extremitatibus ramorum, qui rudimenta aut flores ſuſtinent, ſemper duo foliola acuminata brunni coloris compacta ſunt invicem, quaſi ſemiglutinata eſſent, & haſtam ſive venabulum referunt: hæc decerpta ex pediculo croceum humorem emittunt.

Florent hæ Arbores potiſſimum menſe Novembri & Decembri: Ianuario & Februario baccæ ſunt maturæ.

Si cortex medius hujus arboris incidatur, præſertim quando florere incipit, & linquatur per unum atque alterum diem, exſudat lacryma croceo-rubra, egregia, coagulaturque; quæ initio mollis, poſtea indureſcit. Convenit colore & conſiſtentia cum *Ghitaremi* ſive *Gutta gamba*, & eodem fere

ſere modo purgat. Eſt è flavo paulo rufioris coloris, quam illud, nimirum ſiccatum; nam molle, croceum tingit colore luteo ſive aureo paullo ſaturatius. Diſſolvi poteſt eodem modo in ſpiritu vini, & tincturam facit croceam. Nonnumquam ignes luculenti ſtruuntur juxta arborem, quorum poteſtate cortex dehiſcit, majoremque fundit lacrymæ copiam, quæ in maſſam coacta in uſum Medicinalem ſervatur. Quod à me primum tentatum, optime ſucceſſit.

Olim affrictu hujus Reſinæ, in aqua diſſolutæ, impetiginem tollebant. Licet autem tantæ efficaciæ non ſit, quam Gutta Camboides, vulgo Gutta gamba (quod an inſitæ tarditati, an præparandi modo ſit imputandum, dubito) tamen à drachma dimidiata, ad drachmam unam, per integram noctem in aceto ſquillitico, aut ſpiritu vini macerata, & ex vino propinata, ventrem ſolvit, fortiterque per inferiora exonerat. Meo tamen judicio rectius faciunt, qui dilutum ex aceto prædicto, in pilulas accedente ſtimulo conglobant, quam qui potiones ex illa conficiunt; quod ob tenacitatem difficillime ſolvatur.

C A P V T XI.

Palmæ Braſilienſes.

PLurima Palmarum genera producit Braſilia. Quarum aliquæ ſponte creſcunt in ſilvis, ut *Inaiá*, *Carnaiba*, *Tucún*, *Vrucurí*, *Giçára*, *Aqué*, *Iráiba*, *Airí*, *Miriti*, *Maraiáiba*, *Gioçará*, & aliæ: Quædam vero aliunde huc olim tranſlatæ & quaſi nativæ factæ, ut *Cocoeíro* & Palma dactylifera.

PINDOVA.



Inter Silveſtres indigenas frequentiſſima eſt, quæ *Inaiá* Braſilianis, vulgo Luſit. *Pindóva* nucifera dicitur. Eximia & procera eſt arbor, denſiſſima nemora conficiens: lignum albicans & ſcabroſum corticis loco habet; ligni autem loco fungoſam & intus filoſam medullam facile combuſtibilem, è qua ſana & fortiſſima lixivia norunt conficere. Nullum præterea aut certe exiguum præſtat uſum: ad ornatum duntaxat ob inſignem altitudinem & ramos pulchre porrectos expetitur; iis ſiquidem eleganter comatis, & foliis radiatis utrimque veſtitis, Luſitani atria & templorum parietes exornant, Indigenæ vero loco tegularum tuguria ſua ad pluvias arcendas ſternunt. Fiſcellas quoque & vaſa viminea ex illis conficiunt. Folia autem hujus arboris non ita dependent in orbem, ut *Cocoeiro*, ſed maximam partem ſtant ſurrecta. Haud commode cæditur arbor, ob mollitiem qua ferri aciem obtundit.

Prope foliorum exortum, etiam rami proveniunt penduli, proferentes racemos, quatuor vel quinque pedes longos, plenos floſculis, poſt quos etiam racematim proveniunt fructus vel centum in uno racemo, ovi gallinacei figura & mole, aut etiam majore, faſtigium habentes acuminatum: altera extremitate inſident calici vel cupulæ, ut Nux pinea, foliis triangularibus conſtanti.

 Maturus

Maturus fructus exterius ex viridi flaveſcit, vel etiam bruneſcit. Cortex exterior filamentoſus eſt, ut in *Coco*, verum haud craſſus, ſed duplam tantum habens ovi Gallinæ teſtæ craſſitiem. Hic morſus detrahi poteſt: illo detracto apparet pauca caro crocei coloris, vix ullo manifeſto ſapore prædita, quæ à Nigritis cum farina comeditur. Caro autem hæc ambit nucem duriſſimam, inſtar *Coco* ovalem, ejuſdem fere craſſitiei, ſed ſine foraminibus. Hac fracta, apparet in cavo, per interſtitium more Iuglandium diſtincto, nucleus magnitudine Iuglandis, albus, duriuſculus, paulo ſiccior, neque tam ſuavis ut *Coco*. Colliguntur per totum annum, & nuclei tam ab indigenis quam advenis comeduntur, *Inaia-miri*, id eſt, *Cocos* parvæ Indigenis dictæ.

Oleum inſuper optimum inde exprimitur, album & jucundi odoris, quod, quia refrigerat, defectum roſati ſæpe ſupplet: & cum recens eſt, in cibis; cum vero vetus, ad lucernas uſurpatur. E fructus quoque cortice aliud non ignobile & magis flavum elicitur, ſed minus refrigerans, quod tamen ad multa mala emollienda adhibetur.

E faſtigio Arboris Gummi pellucidum, odoratum & pulcherrimum fluit, quod in locum Arabici nonnumquam venit. Poſtremo medulla coloris albicantis, & recentem Iuglandem reſipiens, in vertice ligni continetur, optimum alimentum ſi cum pane & ſale comedatur.

CARNAIBA I.



CARNAIBA II.



Circa Diœceſin *Parayba* è remotiſſimis nemoribus ad hortos ob elegantiam traductæ Palmæ conſpiciuntur, quarum brachia ſive rami caudam Pavoniam æmulantur. Barbari *Caranaibam* & *Anachecariri*, Luſitani *Tamar* appellant, forte, quod fructus Dactylis ſimiles ferat. Eſt autem arbor Palmæ dactyliferæ altitudine, habens lignum rufum, durum, craſſis nervis intus conſtans, nullius tamen uſus: cortex exterior griſeus & cartilagine à terra ad aliquod ſpacium ſquamatus, ſquamis ordine cochleatim poſitis; quæ primo

primo longiores, ſenſim fiunt breviores, imo tandem decidunt ſuperne: nam Arbores adultiores caudicis ſuperioris medietatem habent glabram, inferiorem ſolum ſquamatam. Squamæ enim nihil aliud ſunt, quam ramorum qui exciderunt reliquiæ, arbore in altum ſurgente, & enaſcentibus aliis ramis. Arbor in ſummitate ramos ſuos orbiculatim expandit, directe ſurſum, deorſum, & ad latera, ut Palma dactylifera, ſed longe elegantiori aſpectu. Ramus quilibet duos vel amplius pedes longus, ſatis craſſus, compreſſus in utroque latere, ſpinis duris nigris armatus, figura dentiſcalpium referentibus.

Vnicum in cujuſlibet rami extremitate folium rotundæ figuræ, eſt ita plicis donatum, ut manuarium fœminarum umbraculum, coloris viridis, ab extremitate ad medietatem fere introrſum ſectum in multa alia carinata folia, foliis Palmæ dactyliferæ ſtructura ſimilia: quodlibet ex his ſectis foliis duos circiter pedes longum. Duas has ***Carnaiba*** ſpecies obſervavi ſibi invicem multum ſimiles, niſi quod mira foliorum & corticis conformatione diſcrepent, ut ex appoſitis Iconibus liquet. Vtriuſque Arboris ſcapus interior egregie flammam concipit, & inſtar facis diu fovet; ita ut mihi per deſerta peregrinanti ſolatio fuerit non ſolum ad illuminandum, ſed ad abigenda quævis inſecta & ſerpentes noctu vagantes.

Inter ramos folia ferentes alii prodeunt longiores, nimirum quatuor aut plures pedes longi, in multos ramos, & in ramulos lanugine albeſcente obductos, expanſi alternatim, ſive quaſi ex vaginula prodeuntes. In ramulis hiſce alternata ſerie exiſtunt floſculi pallide flavi, ſine pediculis, ſinguli tribus foliolis conſtantes.

Poſt floſculos illos proveniunt fructus, figura & magnitudine Olivæ; primum virides amari, non edules; mox maturi nigreſcentes, evadunt dulces menſe Februario: & licet noſtratibus nullius uſus, gentilibus tamen tam crudi quam præparati in deliciis habiti, ***Tirade*** nuncupantur. Tarde creſcit hæc Arbor.

Folia apprime ſerviunt ad tegendas ædes & corbes.

Ex nomine ſuſpicari quis poſſet, hanc eſſe Arborem quæ fundit Reſinam illam, quæ hodie magna copia Europæ infertur ex America nomine ***Caranna***. Verum teſte Ximene, longe abeſt: ſiquidem Reſina quæ ab Hiſpanis ***Caranna*** dicitur, ex longe alia Arbore fluit.

VRVCVRY.



Eæ vero quæ inter Palmas ſilveſtres ***Tucun*** & ***Vrucury*** indigenis vocantur, in tantam proceritatem non excreſcunt, multoque cæteris ſunt humiliores, & minus cognitæ; quædam ſpinis aſperrimis horrent, & ligno ſunt ferreo; quædam vero ſunt filis non ſpinoſis, ***Vrucuri-Iba*** appellatæ. Flore ut ***Gioçará***. Fructus (qui & ***Vrucuri*** vocatur) ferunt racematim ut ***Pindóva***. Quilibet eſt Pruni magnitudinis, & cupulæ ſquamoſæ inſidens: cuticula griſea, pulpa lutea filamentoſa, pauca, dulci, conſtans. Intus continet lapidem durum, in quo nucleus candidus, edulis. Lignum arboris ob perpetua filamenta contunditur, indeque Farina elicitur ***Vrucurivi*** dicta, Luſitani ***Farinha do Pao*** vocant: ruſeſcentis eſt coloris, & defectu edulis Farinæ de ***Mandihoca*** pro pane uſurpatur. Rami Arboris lentiſſimi ſunt, ac ad multos uſus

applicantur. Ex fructu fit Oleum uti ex fructu *Pindova*, ſed hoc de quo nunc ſermo, valde eſt medicinale, imprimis adverſus Raiarum puncturas venenatas. Nec puto, præſtantius remedium dari contra illud malum. In ipſa Arbore naſcitur Polypodium & *Caraguatá*, quæ aquam ſuppeditat peregrinantibus ad bibendum.

Quarta Palmæ indigenæ ſpecies *Gioçará*: caudice tenui, recto, griſeo, exſurgit more arboris *Coqueiro*, ſed vix dimidiæ altitudinis. Flores flaveſcentes cum ſtaminulis flavis è ſiliqua flaveſcente proveniunt. Hiſce ſuccedunt parvuli fructus racemoſi more Palmarum; qui cum icone à pictore non expreſſi ſunt. Adeo lentus eſt floris ramus, ut pro ſcopis & flagellis uſurpetur. In ſummitate Arboris folium convolvitur, erectum inſtar fiſtulæ. Fructus maturus nigricat, & tunc, defectu melioris nutrimenti, comeditur.

TVCVM.



Quinta *Tucúm*, Palma eſt mediocris altitudinis: ſi frondes ſpectes, *Pindovam*; ſi cætera, Palmam dactyliferam repræſentat: truncum, ramos atque folia habet aculeata: lignum vero nigrum & duriſſimum, quo Indigenæ ſagittas exaſperant. Fructus producit rotundos racematim, Pruni Damaſceni magnitudine & figura, ducentos, trecentos, & plures aliquando, uno eodemque racemo. Sues & ſimiæ iis ſaginantur. Oleum exinde limpidiſſimum exprimitur, iiſdem uſibus quibus nuces *Pindovæ*, dicatum, magnique fit apud omnes paſſim incolas. Fructus hi maturi exterius nigricant: nucleo ſunt albo non inſuavi, præſertim recenti. Ex foliis Braſiliani filum deducunt tenuiſſimum & fortiſſimum, rubicundo Serico perſimile.

Sexta

AIRI'.



Sexta *Airi* ingens eſt Palma, foliis longioribus, trunco ſpinis acutiſſimis undiquaque armato, fructu rotundo ut cæteræ Palmæ, ſed non adeo racemoſo: medulla intus albicante pingui, ſed non eduli. Ligno eſt nigro gravi & duro, fundum petente, ſi aquis injiciatur: *Ebeni* ſpeciem quidam credunt. Braſiliani & Tapuyæ exinde clavas ſuas conficiunt, ſagittaſque aſperant: quæ ubi carnem penetraverint, tenaciſſime hærent. E caudice vulnerato vinum elicitur.

Septima *Aqué* Palma mediocris, foliis cinereis, fructus fert racematim pruni magnitudine, flavos ubi maturuerint, dulciſſimi ſaporis, nucleo albo ac pergrato, ex quo incolæ vinum conficiunt. Nigritæ illam appellant proprio idiomate *Catolé*. Familiaris hæc arbor Braſiliæ Septentrionali, non Auſtrali.

Octava *Iraibá* præcedentibus major, familiaris in *Piratininga* ſilvis. Ad ſummitatem illius circa ramos medulla continetur candidiſſima, quæ cruda vel etiam cocta cum carne vel oleo inter bonos cibos numeratur. Subſtantia vero durior, candida, quæ contuſa cogitur in maſſam farinæ ſimilem, unde placentulæ non ingratæ fiunt, ex ſucco vero illius pulmentum admodum dulce & ſuave. Fructus quoque producit ſapidos & dulces. Remedium contra famem iis qui per illas ſilvas & vaſtas ſolitudines peregrinantur.

Nona *Miriti* familiaris Præfecturis *Çearæ* & *Maranhan*. Fructum fert unicum edulem atque dulcem; ovali etiam magnitudine. Cortice eſt rubicundo, nigris maculis; intus vero rubro. Folia illius magni fiunt ab Indigenis, ut illis tegularum vice utantur.

Decima *Maraiáiba* Palma familiaris Præfecturæ S. Vincentii, cortice ſpinis armato: materia duriſſima, ex qua fiunt arcus nigri coloris. Fructus fert ovi columbini magnitudine, edules, & ſatis gratos.


C A-

CAPVT XII.

Inaiaguaçuiba, vulgo Cocos.

HActenus de Palmis indigenis, ſequitur nunc celebris illa exotica per omnes Indias *Coquoeiro* quæ à Braſilianis vocatur *Inaiaguaçuiba*, & fructus illius *Inaiaguaçu*, Palmis de quibus egimus, in multis diſſimilis. Caudice eſt, raro recto, ſed plerumque inclinato, quatuor, & interdum etiam ſeptem pedes craſſo: & ſæpe ad quin-

INAIAGVAÇVIBA, vulgo COCOS.



quaginta pedes alto. Quapropter mirum eſt, earum truncos poſſe ſic brevibus, tenuibus & vix terra coopertis radicibus in aëre ſubſiſtere, neque ſuo multo pondere & fructuum mole, ventiſque etiam vehementibus ſæpe eas quatientibus, humi concidere. Accedit quod pars caudicis humi proxima, non craſſior aut fortior quam in ſummitate exiſtat. Cæterum eſt cortice cinereo, & quaſi vibicibus hinc inde tranſverſim notato per ambitum. Lignum non multi eſt uſus; conſtat enim ex meris filamentis: eſt dulce & quaſi lacteo ſucco turgens, unde arbore cæſa à formicis appetitur. Caret ramis, ſed in ſummitate quindecim, viginti aut plura habet folia magna, alata, in orbem diſperſa, partim ſurrecta, partim dependentia, grato aſpectu. In exordio ſuo hæc folia alata quadam textura veſtita ſunt, obſcure griſei coloris, quæ ſolvitur ſubſequente alia. Quodlibet folium longum eſt circiter ſedecim pedes, ac in exortu unum circiter pedem craſſum, diſſectum in folia ſive alas, ordine juxta ſe poſitas aut oppoſitas;

tas; longitudinem nervum oſſeum flaveſcentem, ac tranſverſim ſubtiliſſimas lineas ſeu ſtrias virides. Inter folia alata in ſummitate arboris oritur ſiliqua ſive vagina duos pedes aut amplius longa in extremitatibus faſtigiata, viridis, ſtriata, quæ deinde rufeſcit & ſponte ſe aperit. Antequam autem ſe pandat, caulis intus reperitur eleganter compoſitus pedem longus, tres aut quatuor digitos craſſus, in plures ramos pedales aut ſemipedales diviſus, qui rami apte à natura in theca illa complicati magnam ſpicam repræſentant. Rami autem hi onuſti ſunt triangularibus corpuſculis, magnitudine amygdalæ excorticatæ, albis, quæ rudimenta ſunt florum & deinde nucum. Nam rupta vagina rami hi ſe explicant & oſtendunt floſculos luteos. Hinc ſuccreſcit fructus, quilibet inſiſtens brevi pediculo, pennam anſerinam craſſo, & cupulæ, ſquamis conſtanti ex rufo flaveſcentibus. Pondere & duritie ſumma nuces caput humanum excedentes profert. Toto anni tempore maturis pariter atque immaturis fructibus decoratur, qui arcte & racematim caudicis ſummitati adhæreſcunt, & putaminibus craſſis, filamentoſis & tenacibus veſtiuntur: quibus ſublatis ligneus calix apparet: quem ſi immaturum perforaveris, aliquando ſupra heminam dulciſſimi & gratiſſimi liquoris emittet, qui actu frigidiſſimus licet, potentia tamen calidus eſt, & tenuiorum partium, urinamque cunctantem provocat. Nucibus autem maturatis, lacteus ille humor condenſatur & coaguli inſtar calami ſcriptorii craſſitie concavo adhæreſcit, qui exemtus ac manducatus vix ulli nucleo, quamvis ſapidiſſimo, dignitate cedit: nutrit enim & ſuaviter reficit: proinde à viatoribus marino itinere delaſſatis & ſcorbuto infectis valde expetitur. Calidus & humidus exiſtit in primo gradu. Oleum inde premendo extractum, in plurimos culinæ & pharmacopœæ uſus reſervatur, nec amygdalorum oleo præſtantia cedit.

Per os aſſumtum pectoris malis medetur Oleum, alvum quoque laxat, ſi largius exhibeatur: ex alto læſis mirum in modum prodeſt, urinaſque ciet.

Præterea liquor quidam ſtillatitius, albicans & eximiæ virtutis exinde elicitur, renum & genitalium viſcoſitatibus exſtinguendis utiliſſimus, tum à mulierculis inter coſmetica adhibitus. Obſervandum autem aquam illam copioſiſſimam & gratiſſimam inveniri in mediæ ætatis nucibus: in plane maturis tantum modicam, neque ita gratam. Nucleum autem tum optime ſapere, quum ad ſummam maturitatem pervenit.

E trunci porro vertice medulla quædam albiſſima quaſi bulboſa quæ Palma dicitur, arbuſculæ inſtar novæ, exſurgit, quæ ex loculo, quo continebatur, prorumpens, ejuſdem fere qualitatis, cujus concretus ille nucis humor, de quo jam diximus, exiſtit; quæ non cruda ſolum, ſed & cocta inter epulas apponitur, & cum Braſſica Cyprina certat. Nondum matura magis refrigerat; quocirca vicem acetariorum & lactucarum præſtat. Sed ea ablata arbor moritur, unde proverbium Palmam referre. Quod non æque contingit inferiori radicum parte læſa vel conciſa. Hinc fit ut plures indigenæ ſibi perſuadeant idem, quod Proſper Alpinus de Ægypti populis circa dactyliferas narrat Palmas; eas ſcilicet non terra radicibus attracta, ſed aëre ex ſublimiori arboris parte ali ac vivere. Plura egregia tradidit Ximenes de hac Palma Mexicanis *Coyolli* dicta quæ in Hiſtoria noſtra Naturali Braſiliæ fuſius exhibentur.

Atque hæc de Palmis earumque Medicis præſidiis dicta ſint; quarum aliquæ, imprimis *Cocoqueiro* præter uſus dictos, multa ſuppeditant ad victum & amictum humani generis: quippe filoſa ſubſtantia caudici adnata veſtium materiam; folia, tecta ædium: fructus immaturi potum; maturi alimentum gratiſſimum ad hæc oleum acetum & ſpiritus abunde exinde elicitur.

De Palma autem illa dactylifera ſcribere ſuperſedeo: tum quod in plurimis Europæ Regionibus ſit notiſſima: tum quod nihil novi mihi contigerit experiri ex illa arbore quin ab aliis ante me dictum ſit.

CAPVT XIII.

Aroeira ſive Lentiſcus.

ARbor arenoſis, littore imprimis & promontorio Olindæ frequens, *Aroeira* nuncupatur. Myrto ſilveſtri noſtrati qualitate non valde abſimilis, ad Lentiſcos tamen referri debet. Forma quoque & qualitatibus Peruvianorum *Molle* ſimillima de qua arbore Cluſius, Monardes, Garcilaſſus & alii. Præter eximias facultates, quas cum *Araça*, & Myrto, reliquiſque aſtringentibus & odoriferis arboribus habet communes, hiſce peculiaribus pollet, quod reſinam fundat fragrantiſſimam inſtar Lentiſci, ex qua emplaſtrum adverſus frigidos affectus componitur.

AROEIRA.



Sunt autem folia in ramulis bina ſibi invicem oppoſita, & quinque aut ſeptem in extremitate. Ad cujuſlibet ramuli exortum, ramulus eſt brevior, plenus floſculis minimis, qui conſtant quinque foliolis ex albo ſubluteis.

Flores hos ſequitur fructus nimirum quaſi uva, baccis plena, magnitudine piperis initio quidem viridibus, per maturitatem autem rubris, ſed rubedo illa in ſolo cortice tenui, qui ſponte ſe abſolvit, & decidit grano decidente: granum autem quod pellicula continetur, rotundum & compreſſum ac oleaginoſum, odoris jucundi inſtar fœniculi recentis triti, & in ſe nucleum parvum lenta cuticula tectum continens. Matureſcunt baccæ menſe Iulio, quod eſt, tempore hyberno. Earum acrimonia & ſiccitate carnes recentes à putredine conſervantur.

Oleum quoque ex ſucculentis illius baccis exprimitur, eidem uſui cum reſina inſerviens.

Folia inſignem & nobiliſſimum odorem emittunt, ſi conterantur, quæ ſubamara, cum quadam vi adſtringendi, aromaticas calidaſque partes habent conjunctas, quemadmodum è balneis & lavacris, quæ ex illis fiunt, videre eſt.

Has vero virtutes tam profunde exerit, ut per deſtillationem foliorum, imprimis recentium, odorifera & adſtringens aqua inde eliciatur, quæ tum ad pellendos corporis affectus, tum ad delicias ſervatur.

Tempore paroxyſmi febricitanti, Empiricorum more, exhibent cum ſucceſſu oculos ſeu gemmas arboris ex aqua nocturno rori expoſitos.

Cæterum ſciendum eſt, in ramis *Aroeira* luxuriare ſæpe polypodium, illo quod è terra proſilit longe probatius.

CAPVT XIV.

Vrucú & Iaçabucáio.

LOcum inter arboreſcentes Plantas obtinet *Vrucú*, ſilveſtris quidem, ſed ab Incolis inter hortenſes & ſativas jam olim tranſlata; multaque etiam nunc induſtria eam excolunt; partim ut granulorum folliculis involutorum minio ſeſe exornent ac pingant; partim vero ut Luſitanis divendant, quæſtumque ex tinctura illa

VRVCV'.



Orellana vulgo dicta faciant. Lingua ipſorum hanc plantam *Vrucú* dictam, Cluſius Bixam Americanam Oviedi eſſe exiſtimat. Fr. Ximenes eandem accurate deſcribit, ſub nomine *Achiote*. Et fructuum grana rubra delicatæ potioni *Chocolatæ* quæ ex fructu *Cacáo* fit in nova Hiſpania, tam ſaporis quam coloris gratia miſceri, teſtatur. Ego noſtræ *Vrucú* arboris & fructus Icones ſeparatim exhibeo, ut ſiliquarum figuræ magis dilucide apparerent curioſo lectori.

Foliis eſt grandioribus & mucronatis, figura cordis, ut pingi ſolet, alternatim poſitis, in pediculis, duos, tres, interdum & quinque digitos longis, nervum ſecundum longitudinem & venas obliquas inferius prominentes habentibus, læte viribus: cauli-

bus calamo ſcriptorio tenuioribus, ligno albo & cortice fuſco, inſtar. Coryli. Circa extremitatem ramorum in brevibus pediculis multi proveniunt flores, in uvæ figuram diſpoſiti: quilibet flos eſt roſæ magnitudine, quinque foliis conſtans albis incarnatis dilutis. In medio cujuſvis floris ingens numerus eſt ſtaminulorum luteorum apicibus purpureis: vix ſenſibilem aliquem habet odorem. Poſt florem fructus ſequitur in ſiliqua myrobalani oblongi figura, ſeu pyramidali rotunda ſeſquidigitum aut duos digitos longa: (ut ex appoſitis fructibus liquet) quæ depoſita viriditate immaturitatis mox ubi maturuerit matura ruſeſcit, eſtque tota hiſpida ob fila prominentia ſed non aculeata. In qualibet autem ſiliqua ultra triginta, imo quadraginta grana, quodque ſuo pediculo innitens, continentur, figuræ conicæ acutæ, & in duobus lateribus quaſi digito compreſſum. Color granorum inſigniter miniatus & ſplendeſcens, ſuccoque tali madens, ita ut ad tactum inficiat manus egregio miniato colore. Grana recentia ſunt mollia, cum punctulis argenteis. Siliqua matura ſponte ſe aperit: grana ſiccata evadunt rubra, obſcure nihilominus tamen, ut antea, tincturam in ſe continent; & recentia ſive ſiccata uſurpari poſſunt: Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia, egregiam dant tincturam miniatam. Collecta grana in maſſam coguntur, ſphærulæque & tabellæ in multos annos durabiles inde conficiuntur, quæ in Europam tranſmiſſa longe lateque diſtrahuntur. Cum urina mixta, tam pertinaci colore tingit lineos pannos, ut in poſterum elui non poſſit. Magiſterium etiam inde, more coralli, præparatur & in uſus reſervatur. Grana recentia matura & exſiccata, inque paſtillos conformata, quantitate indefinita, cum pulte ex *Tipióca*, quæ *Carimá* dicitur, alioque conveniente decumbentibus exhibent, ſive veneno, ſive aliunde infirmitatem contraxerint. Corroborat Ventriculum, ventriſque fluxibus prodeſt. Cum aqua ejuſdem temperaturæ hauſta mitigat æſtus febriles.

Radices ipſæ, nec grana, multi ſunt ſaporis, proinde ad medendum faciliores, cum aliqua ſiccandi & aſtringendi qualitate. Radix cum carne gallinacea cocta, præter croceum colorem, bonum ſaporem conciliat. Incolarum nonnulli radices granis præferunt, quod harum recens, illorum vero uſus longe ſit antiquior, & vicem Croci terreſtris (ſicut de *Curucuma* I. Bontius retulit) ſupplet. Tum extractum ejus ex vino aduſto confectum ſibi reſervant. Quod etiam nunc hodie colonorum non paucos imitari videmus.

ALtiſſima arbor eſt, cortico griſeo, duro & inæquali, inſtar Quercus veteris. Folia juniora rufa ſunt, vetuſtoria autem viridia, ſimilia foliis Mori, in ambitu ſerrata, & quodammodo contorta & incurvata. Poſt florem (quem nondum videre licuit) ſequitur fructus menſe Martio magnitudine capitis infantis, qui ſuo pediculo craſſo dependet. Cortice eſt ligneo ochræ coloris. Capaciſſimi hi & ſummæ duritiei calyces ſunt, ore in terram obverſo, & operculo, admirabili naturæ luſu, inſtar pyxidis, operti. In iis continentur nuces jucundi ſaporis, quæ ubi maturitatem fuerint conſecutæ, excuſſo illico tegumento, ſine cujuſquam auxilio è calycibus decidunt, & gratiſſimum incolis æque & animalibus ſuppeditant alimentum. Semel in anno matureſcunt, media videlicet hyeme. Sapore & excellentia Piſtaceis adæquantur, & venerem ſopitam dicuntur excitare.

Potiones & pultes, tam ad Medicinam quam ad epulas ex illis comparantur.

Oleum quoque pinguiſſimum ex illis exprimitur, Amygdalino calidius; nuclei enim, è quibus elicitur, in ſecundo gradu calidi & in primo ſicci perhibentur. Præſtat aſſatis quam crudis veſci, quod caput infeſtent. Pluſquam triginta ordine ipſi calyci, mediante viſcoſa materia, agglutinati hærent, figuraque fere triangulari exiſtunt, Myrobalano Chebulo non adeo diſſimiles. Tantæ duritiei hæ pyxides ſunt, ut Tepuyeris non ſolum vaſa potoria, ſed & diſcos, & ollas ſufficiant. Cæterum arbor in ſaltibus & locis mediterraneis adeo luxuriat, ut juſto exercitui, ſufficienti ſuſtentaculo fructus ejus aliquando fuerint.

Duæ reperiuntur ſpecies ſibi ſimiles, externa figura, ſed qualitatibus internis diſcrepantes. Vtriuſque lignum, putredini mire reſiſtit, unde ob ſummam ſimul duritiem, molendinorum ſaccharcorum axes ex illo fabricantur, cæteraſque arbores multum antecellit.

Corti-

IAÇAPVCAI'O ARBOR & FRVCTVS.





Cortices prӕterea contuſi & rite prӕparati naupegis loco ſtupӕ inſerviunt.

Alia adhuc datur iiſdem locis *Iaçapucaio* arbor, priori ſimillima, niſi quod calices magis deformes producat, earumque nuces dignitate inferiores habeantur: quippe ex immoderato illarum uſu, quibuſdam capillos defluxiſſe Incolӕ teſtantur.

CAPVT XV.

Guitys diverſæ ſpecies.

VAriæ arbores excelſæ *Guitys*, ejuſdem generis fructus flaveſcentes producunt, pauca carne, magnoque lapide ovalis figuræ intus refertos; quorum fructuum ad minimum mihi tres vidiſſe ſpecies contigit, *Guiti-coroya*, *Guiti-toroba*, & *Guiti-mirí*, dictos; qui omnes, vel medicinales, vel eſculenti, ſed à paucioribus expetiti, excepto primo, eoque prægrandi, & à magnatibus in deliciis habito.

GVITI-IBA I.



Prima arbor *Guiti-iba*, cujus fructus *Guiti-coroya* dicitur. Cortex arboris eſt griſeus, altitudine, ſoliditate & duratione ipſam Quercum ſuperans, lignumque à fabris in pretio habitum. Rami folia habent alternatim poſita, oblonga, linguæ fere figura, ad tactum inſtar corii Hiſpanici, nervo recto & conis obliquis diſtincta, hinc inde molli lanugine obducta. flores in longum quaſi ſpicam longeſti, inodori, parvi, flavi, quos pictor non expreſſit. diu floret & tarde fructificat. ſubinde alterum latus arboris uno anno, alterum ſecundo, fructus profert maturos, tertio quieſcit, quarto demum tota fructifera. Fructus pomum vulgare magnitudine excedit, informis rotunditatis & tuberoſus. Color cutis eſt inſtar panis atri; pulpa mollis, flava, grati ac dulcis ſaporis & odoris, panem recentem æmulans. Lapis (quem hic ex fructu exertum vides) magnitudine & figura eſt ovi anſerini, cortice lignoſo, hirſuto, continens nucleum albicantem, non edulem, ſed medicinalem, conſiſtentia nucis *Cocós* aſtringentis. drachma ejus plus

plus minus raſa optimo cum ſucceſſu ex liquore datur convenienti contra dyſenteriam. Idem præſtat nuclei infuſum duplici quantitate exhibitum ad ſiſtendos quoſvis ſanguinis fluxus.

I I.



Secunda quantum præcedenti altitudine cedit, tantum Elegantia eam ſuperat *Guyti-toroba* dicta. Folia enim fert in frondes congeſta, ſaturate viridia, ſplendentia & craſſa inſtar pergameni, ad tactum lævia, cæterum figura nucis Iuglandis foliis non diſſimilia. Inter copioſa folia ad frondium extremitates in ipſis ramulis egregie copioſi flores proveniunt flavi, odore & magnitudine florum Tiliæ. Diu floret tardeque fructificat idque menſibus æſtivis. Caudex diſſectus lac acre exſudat inutile. Fructus Aurantiæ quidem eſt magnitudine, ſed non figura, quia inæqualis eſt ſuperficiei & formæ ſuperius turbinatæ, dulcis ſaporis ſed odoris fortis & nauſeabundi. Maturefactus è purpureo flaveſcit, ſponteque decidens edulis fit, alias enim noxius ob lacteum ſuccum acrem. Lapis contentus Iuglandis eſt magnitudine, ſed figura compreſſiori, altera parte griſei, altera umbræ coloris ſplendentis; huic nucleus incluſus eſt iiſdem uſibus dicatus ut ſupra.

I I I.



Tertia *Guyti-iba*, cujus fructus *Guyti-miri* dicitur. Præcedentibus *Guytys* minor & tenuior. Foliis eſt oblongis ſplendentibus, inferius alba lanugine obductis. cuilibet fere foliorum pediculo uvulæ, parvis globulis veſtitæ adnaſcuntur, unde floſculi albi prodeunt cum multis ſtaminulis erectis ſicut ex hac icone ſeparatim poſita liquet. Menſibus Martio & Aprili fructus magnitudinis & figuræ ovi gallinacei, flaveſcentis coloris, profert. Caro fructus pauca, mollis, dulcis ſaporis, quaſi muſcus admixtus. Lapis ovalis villoſus, magnum quoque ut cæteri *Guytys* nucleum ſiccum amaricantem aſtringentem continet, qui ſupra enarratis minus uſualis eſt.

CAPVT XVI.

Ianipába, Açaiá, Tapiá & Pekia.

VNa ex procerioribus Braſiliæ arboribus eſt *Ianipába*: quæ figura convenit cum Fago. corticem habet gryſeum ſeu canum; lignum fragile & medulloſum. Rami foliis veſtiti oblongis, linguæ bubulæ figura, ſed in utraque parte faſtigiatis ſeptem, octo vel novem juxta ſe diſpoſitis, unum aut ſeſquipedem longis, ſuperius ſplendentibus ac dilute virentibus, inferius ſaturate viridibus, quæ ſingulis annis, menſe imprimis decembri Decidunt, non omnia quidem ſimul, ſed pars illorum, diverſo tempore. Mox nova prioribus multo lætiora & majora acquirit, idque ſingulis menſibus.

Florem gignit exiguum, menſe Martio & Aprili, cæterum Narciſſo haud multum diſſimilem, qui odorem Caryophylli Carthuſianorum æmulatur; coloris albi, cum unguibus interius flavis: in medio floris ſtamen craſſiuſculum flavum habens, ac inſuper inter duo folia floris corniculum pallidum è medio floris prodiens, deorſum incurvatum.

Fructus illius, magnitudinem habet mali Auraici, vel majorem, rotundus, cortice tenui, lento, cinereo, ſub quo primum continet carnem ſolidam, lentam, ſucculentam, flaveſcentem, ſaporis acidi, & refrigerantis, odoris grati. In medio autem fructus eſt cavitas repleta ſeminibus molliori pulpa circumdatis, ejuſdem cum re-

IANIPA'BA.



liqua carne ſaporis. Seminis grana ſunt compreſſa, & ſuborbicularia, fere ut *Mangába*, quæ una comeduntur. Immatura poma viridia ſunt, mox matura, meſpilorum inſtar,

inſtar, putreſcunt atque eſui apta fiunt, unde à plebe noſtrate appellantur **Hot-appels**/ & toto anno proveniunt. Cruda, non cocta appetuntur. Saccharata & condita lautiora ſunt. Contra fluxum ventris feliciter exhibentur. Ardores palati & ſtomachi compeſcunt, ſaniſque & ægris ſolatio ſunt, niſi quod fortioris ſint odoris caput inficientis. Immatura poma trita & in cataplaſmatis formam redacta, ulceribus malignis & clavis luis venereæ imponuntur.

Vinum, quod ex illis exprimitur, in eoſdem uſus reſervatur, ſed vetus redditum calidius exſiſtit, minuſque adſtringens.

Ex pomo nondum maturo vi ignis liquorem extrahunt Indigenæ, quo adverſus eadem mala utuntur.

Ex pomi cortice immaturo pigmenti quoddam genus eliciunt, quod recens aqueum eſt, mox nigreſcit, quo corpus pingunt, ut veſtitum nigrum eminus, fœdo equidem ſpectaculo, mentiantur, & ut ad bellum ituri terribiliores hoſtibus evadant. Nullum alium uſum hic ſuccus habet, ad nequitias dumtaxat excogitatus. Tinctura enim illius corpori vel chartæ illita, circa nonum diem evaneſcit; nulla alia ratione ablui poteſt. Lignum ſeu ramus decerptus eodem modo tingit. Fr. Ximenes eandem arborem in nova Hiſpania creſcere, eiſdemque uſibus dicatam teſtatur, quam *Xahuali* vocant.

AÇAIA'.



VEtuſtiorem & frondoſiorem arborem in Braſilia me vidiſſe vix memini. Cortice eſt craſſo, rugoſo & è cinereo albicante, inſtar Sambuci. Altitudine proceram & patulam Tiliam ſuperat.

Folia illius ſunt lævia, directe ſibi invicem oppoſita, ad quatuor interdum digitos longa, ſplendentia, nervo lato ſecundum longitudinem & venis tranſverſis, & juglandis foliis haud abſimilia, verum acutiora; quæ media æſtate deponit, noviſque ante hyemem decoratur, ut redintegrato quaſi robore fructum melius proferat. Floſculos habet copioſos, in magnos racemos congeſtos, ex albo ſubflaveſcentes: poſt flores proveniunt pruna flava, noſtratium magnitudine & figura; paucæ quidem, ſed ſucculentæ carnis: lapidem continentia magnum ex filamentis lignoſis, nec durum, ſed dentibus cedentem; qui nucleum continet in ſe, ex albo flaveſcentem. Fructus hic grati eſt acoris, ac proinde inter tragemata locum ſibi vendicat, & tunica tenaci veſtitur. Fœcundiſſima eſt arbor, toto fere anno fructificat. Fructus maturi ſtatim decidunt, terramque omnem tegunt, & ſuaviſſimum odorem ſpirant.

Inter refrigerantes & aſtringentes habiti uſque adeo, ut immaturi dentibus inferant ſtuporem, qui ex manducatione durioris alicujus ligni tollitur. Nauſeabundis & æſtuantibus proſunt, & contra ſanguinis alvi fluxus in pretio habiti. Vinum ex iis conficitur, quod vetus inebriat. Gemmæ & ſummitates hujus arboris ſanis & ægris in acetariis exhibentur. ex quibus contuſis emanat ſpuma fortis & tenuium partium, quæ oculis indita inflammationes arcet, viſum clarificat, nævos & nubeculas oculorum tollit. dolor quem primo infert, facile evaneſcit.

Folia, ſucci, oculi & cortex externis juxta & internis affectibus medentur, quæ omnia in gargariſmum, contra gutturis inflammationem & ſimilia mala præparantur; vel in lavacro, contra multos externos pedum & corporis calidos affectus adhibentur.

Folia, imo & lignum, ſaporis ſunt egregie acidi & aſtringentis, ac ad appetitum pro-

ſtratum revocandum & ſitim levandam utiliter uſurpantur. Fiunt & intinctus ad carnes aſſas ex junioribus foliis tritis gratiſſimi ſaporis. Lignum rufum & leve ut ſuber, cujus loco uſurpari poteſt.

Peculiare habet hæc *Acaiá* arbor, quod volucres picæ magnitudinis, nigris & aureis plumis eleganter veſtitæ, in extremitatibus ramorum affabre & concinne pendulos ſuos nidos conſtruant, ut inſidias ſerpentum aliorumque noxiorum inſectorum declinent.

TAPIA'.



In Vrbe Olinda, totaque fere præfectura Parnambucenſi *Tapiá* arbor naſcitur. in Fagi altitudinem aſſurgit, ligno fragili, medulla ſambucina, cortice lævi, cinereo. multos habet ramos; & folia in ſingulis pediculis tria ſibi invicem appoſita, lævia, ſplendentia, ſuperne ſaturatiore, inferne dilutiore virore conſpicua.

In extremitatibus ramulorum plures pediculi, ceraſini quaſi, collecti, in quorum quolibet flos naſcitur, quatuor foliis conſtans albis & digitum longis. Quodlibet habet ſuum petiolum, figura ferri venabuli, & nervum ſecundum longitudinem, ac venulas obliquas vireſcentes, & cum his alternatim poſita quatuor foliola brevia vireſcentia; inter omnia hæc enaſcuntur ſtaminula multa ſubrufa. Fructus fert nunc copulatos, nunc ſolitarios, figura, magnitudine, cortice, & colore Aurantiis ſimiles, edules quidem & dulces, ſed nauſeabundi odoris, lapillis duris oblongis flavis, nucleumque continentibus referti.

Folia contuſa excellentiſſimo ſunt remedio contra malum hic perfamiliare Ani inflammationem, ſi exterius applicentur, tædarumque inſtar anoi ndantur: omnes denique fervores refrigerio ſuo reſtinguunt, doloreſque mitigant. Præter hæc auribus indita reſtituunt dolores capitis ex calore natos.

Duæ

Pequea' ſive Pekia'.



Duæ hujus vaſtæ arboris reperiuntur ſpecies. Prioris lignum judicatur duriſſimum, omniumque in his locis naſcentium graviſſimum, quam Luſitani *Setim* appellant, ſed à me nondum viſam. arbor infructifera habetur. lignum putredinis quaſi expers omni corruptioni reſiſtit ac proinde navibus ſtruendis dicatum. Altera, quæ mihi innotuit, folio eſt glabro, magno, uno nervo recto, & rarioribus venis obliquis prædito. Fructum fert Aurantio Malo majorem, cortice craſſo, duro, fulvo, cinereiſque maculis variegato, quo melleus quidam liquor continetur, dulcedine ſua certans cum Saccharo, cui nuclei multi ſunt permixti, qui, exſiccato liquore pomi, ſtrepitum edunt ut capita papaverum. Ab omnibus paſſim Barbaris peregrinantibus fructus ob dulcedinem gratam expetitus eſt: Europæis tantum pro pectoris morbis in uſu habitus.

CAPVT XVII.

Araticú diverſæ ſpecies.

ARaticú arbores Indigenæ variæ hic conſpiciuntur: quarum duæ, quæ *Araticú-ponhe* & *Araticu-apé* à Braſilienſibus dicuntur, parum differunt.

Araticu-ponhe enim eſt arbor caudice, ramorum figura, corticis colore, Aurantiæ Malo ſimilis, ſed folia, flores, & fructus differunt. Folia craſſa & ſolida, oblonga, alternatim ſibi invicem oppoſita, ſuperius ſaturate virentia, ſplendentia, inferius dilute viridia, craſſa, & ad tactum ſolida, in extremitate acuminata. Hinc inde flos provenit magnus, primo ſuavis, mox nauſeabundi odoris: totus flavus, compoſitus exterius ex tribus foliis cordiformibus, inſtar corticis Mali Aurantii, craſſis, erecte ſtantibus. Hæc in ſe continent alia tria folia minora, ita inter ſe compoſita, ut integrum globum, interius cavum, magnitudine Nucis juglandis repræſentent, & in eo ſtamen rotundum luteum cum apice ſuo orbiculari. Floret menſibus Septembri, Octobri, & Novembri. Flores multi ſingulis diebus ſe aperiunt, & mox ſponte decidentes, ob gravitatem, ſtrepitum inter cadendum edunt, quaſi aliquis baculo feriret arborem. Florem ſequitur fructus; qui maturatur præſertim Decembri & Ianuario, eſtque figuræ turbinatæ; cutis ejus quaſi ſquamis ex albo viridibus videtur compoſita, cum tuberculis exiguis fuſcis, ita ut

Nucem pineam diceres. Pulpa eſt flava quaſi ex filamentis pyramidalibus compoſita, & nucleis variis intermixta. Odore maſſam panis fermentatam refert, ſapore ex dulci ſubacido & acri. Ex arbore pendens ſponte molleſcit, mox decidit & fit edulis. Eo loco, ubi pediculo inſedit fructus, durioris carnis corpus, in ſe continet, quod ſeorſim extractum comeditur & pro deliciis offertur. Semina fructus ſunt ovalis figuræ, compreſſa, ſplendentia, magnitudine fabæ, quodlibet pellicula alba obductum; intus eſt nucleus albus, durus, ſapore ex dulci amareſcente.

Folia ejus igni admota & cum oleo apoſtemati impoſita, maturare faciunt, aperiunt, & optime ſanant.

Araticu-apé fere per omnia eſt ſimilis *Araticu-ponhe*: utraque enim poma ex acido dulcia profert, eſculenta, ſed ſilveſtria & frigida, ac propterea quibuſdam non expetita, figura & magnitudine Nucis pineæ. Subſtantia & carne intus molliori & flaveſcente, ſeminibus ex fulvo nigricantibus turgida.

ARATICV-PONHE.



Araticu paná, in arborem excreſcit haud grandem, ramis *Araticú-ponhe* ſimilibus, ſed foliis minoribus, figura ut folia noſtratis Pyri. Flos ejuſdem figuræ & totidem foliis conſtans, quot *Araticú-ponhe*; ſed minor eſt, & intus lutei, extus vero ſanguinei coloris. Fructus figura & conſiſtentia ſimilis priori, ſed minor: cortex & pulpa aurei ſunt coloris, odoris ut caſeus putridus, & multos nucleos habentes ex flavo albicantes. Radices agit hæc arbor amplas, craſſiſſimas, longas, ligno levi inſtar Suberis, ex quibus clypei formantur, leves enim ſunt, nec ſagittæ aut gladiorum ictus penetrare poſſunt. Icon ejus exhibetur in libro de venenis.

Notatu autem dignum, ejus radicem in paludibus creſcentem, profunde in terram deſcendere; (quod tamen in aliis Braſiliæ arboribus haud facile conſpicias) unde credibile,

dibile, noxiam ejus frigidamque qualitatem, qua fructum nocere conſtat, ex infeſto terræ frigore acquirere.

Araticú do mato excreſcit ut *Araticú Paná.* Fert fructus congeſtos, oblongos, Cæpæ junioris oblongæ figura, virides, qui interius ſinguli duo habent ſplendentia ſemina, Amygdalæ figura & magnitudine.

CAPVT XVIII.

Caaróba, Pindaíba, Anhuíba ſive Saſſafras, & Ibiraée ſive Guaiacum.

C*Aaróba* ſilveſtris arbor, terris potiſſimum gleboſis in Præfectura Parnambucenſi delectatur. Si minus felici ſolo creſcat, parvæ arbuſculæ vix æquatur. Florem fert è cœruleo purpuraſcentem, idque menſe Iunio: Semen autem nigri-

CAARO'BA.



cans, quod matureſcit menſe Septembri: Fructum rarum, ſed inutilem, phaſeolo maximo ſimilem, qui maturus factus aperitur, manetque vacuus.

Ejus folia oblonga ſunt, linguæ figura, dilute viridia, nervo ſecundum longitudinem & coſtis obliquis eminentibus prædita. Guſtu ſunt amara; ſiccata & contuſa fomentis ac balneis peridonea. Quæ ex illis conficiuntur remedia, etiam interne aſſumta, exſiccandi, mundificandi & ſanandi vi pollent: quod feliciter in plurimis chronicis & articularibus morbis, imprimis autem in Lue Venerea curanda, ſum expertus. Eadem trita atque in emplaſtrum præparata, ulceribuſque applicata, mirifice proſunt, morbumque radicitus ſæpe expugnant. Præſertim, ſi repurgato primum corpore, eorum decoctum

ctum per aliquot dies bibatur, & ſudores provocentur. E floribus quoque componunt conſervam ad eundem uſum.

PINDAIBA.



SEquitur ſilveſtris hæc arbor *Pindaíba*, à nonnullis indigenis *Ibíra* quoque dicta, ob convenientiam quam habet cum ſequentis veræ *Ibíræ* qualitatibus fructuum & corticis ligni. Iuxta Olindæ promontorium ſpecioſe ut plurimum naſcitur, & ob acrimoniam fructus, cæteraſque qualitates, Piperis Braſilienſis æmula. Folia fert exigua & acuminata, & Olivæ foliis ſimillima: lignum ejus tenue. Procera eſt admodum arbor, & in ſummam altitudinem recta aſſurgit.

Menſibus pluviis acini illius virent, ſed matureſcentes menſibus Decembri & Ianuario rubent, atque decidunt: qui ſi fuerint deſiccati, nigreſcunt, uruntque linguam, & aromaticum quid ſapiunt, ablato ſemine nigro oblongo, quod in illis continetur, quod Iuniperum redolet.

A jejunis manducati ſtomachum debilem corroborant, & diſcutiunt flatus. Tum contuſi & applicati morſibus ſerpentum medentur. Ex eiſdem fructibus in pulverem redactis & exſiccatis gargariſmata conficiunt contra frigidos gutturis affectus.

Excoquuntur ut reſerventur in officinis. Culinis quoque vicem Piperis præſtant.

Ex Arboris denique corticibus, funes igniarii, quo milites ignem fovent, conficiuntur.

Altera hæc, ſpecies vera *Ibíra* eſt. Arbor, Betulæ figura creſcens, cortice tenui fuſco & punctulis albis notato. In ramis ramulos alternatim poſitos habet, & folia anguſta, acuminata, figura foliorum Salicis, ſuperne ſaturate viridia, glabra, ſplendentia, inferne cinerea

IBI'RA.



cinerea & quaſi lanugine tecta: quæ deorſum ſe inclinant. Flores fert menſe Februario albos odoratos, ad ſingula paria foliorum binos. Fructus eſt ovalis, & magnitudine avellanæ:ſaporis aromatici ac acris,qui loco Piperis in cibis uſurpatur ſiccatus & in pulverem redactus. Habet enim inſignem vim aromaticam, nec ita acris eſt ut Capſicum.

Cortex arboris primo albus eſt, quo detracto ſtatim rufeſcit. Loco funium uſurpatur, eſt enim lentiſſimus. Ex eodem etiam fiunt funiculi igniarii pro ſclopetis.

IN vaſtiſſimis & diſſitis ſaltibus duæ vel tres inſignium & fragrantium arborum ſpecies reperiuntur, quæ *Anhuiba* ab Indigenis dicuntur. Quarum quædam albicante & flaveſcente ſunt ligno, ac proinde Luſitanis *Çedro-branco* vel *Canéla* ob odorem dictæ: Braſilienſes *Anhuypitanga* vocant. Foliis ſunt parvis, anguſtis & tenuibus. Quædam *Anhuyba-peáyba* dictæ, quarum lignum merito ab Hiſpanis *Pao funcho* nominatur, quod inſigni fœniculi fragrantia totam domum repleat, tam ipſum lignum quam cortex & radix. Proinde Monardis deſcriptioni circa lignum *Saſſafras* non acquieſcendum, licet accurate uſum & abuſum ejus deſcripſerit: nam cum de delectu & præſtantia partium arboris agit, *Saſſafras* Floridæ decorticatum lignum vix dignitatis ullius eſſe affirmat, cum hoc Braſilienſe eximiæ virtutis & dignitatis habeatur, atque à cortice liberatum in aliquot annos immune ſervetur.

Ad hæc fortioris odoris eſt & efficaciæ, atque ad ſecundum caloris & ſiccitatis gradum accedit.

Illa autem quæ inter majores ſpecies *Anhuiba* ſive Saſſafras recenſentur, Pini ſunt magnitudinis & formæ. Nam præterquam quod ſunt trunco unico, valido & recto; ramos in cacumine habent coronæ inſtar ornate expanſos, & inſtar Pinus repurgatæ, quemadmodum ex appoſita Icone liquet. Cortice ſunt tenui, glabro, ex gilvo nigricante, veluti

N

AVHVI'BA ſive SASSAFRAS.




luti odore, ita & ſapore admodum aromatico, ad fœniculaceum accedente. Folia quoque ſunt odorata, ficulnea, tenuia, obſcure viridia, laciniata & foliis vitis albæ ſimilia: floribus fructibuſque adhuc incognitis. Radicibus denique ſunt nunc craſſis, nunc tenuibus, ad terræ ſuperficiem expanſis. quarum cortices, arborum corticibus ut odoratiores; ita & in Medicina præſtantiores, ultraque ſecundum gradum calidi & ſicci habentur. Licet autem Corticis & Ligni uſus tantum in Medicina celebretur; Indigenæ tamen recentibus foliis vulnera reſtituunt.

Tertia autem ſpecies *Auhuíba-miri*, quantum duabus prioribus magnitudine inferior, tantum virtutibus ſuperior, omnibus pariter incolis in quotidianos uſus repoſita. Folio eſt Lauri, ſeu minori, fructu odorifero & nigro, ubi maturuerit; eoque ſimul cum foliis, ligno, cortice & radice intenſe calidis. Hujus Iconem nondum licuit nanciſci, quia in hoc diſtrictu vix occurrit.

Decocta ex his non tantum contra luem veneream, ſed & alios plurimos morbos à frigore natos adhibentur. Sudores & urinas movent, tum viſcerum obſtructiones atque uteri imprimis intemperiem frigidam tollunt. languidos denique à morbis chronicis reſuſcitatos, hydropicos quoque ab aquis liberatos, à recidivæ metu liberant.

Cæterum multum diſcrepant in decoctione & præparatione & utendi modo; ſed cum otii mihi non ſit eas lites componere, id totum judicio Medici relinquo.

IBIRAE'E ſive GVAIACVM.



ANtiqua nemora hanc vaſtam & proceram arborem producunt. Indigenæ *Ibiraée*, id eſt, Lignum dulce, non autem *Hiourace*, (niſi forte nomina varientur diverſis locis) ut Lerius & Thevetus, appellant. Folia habet inordinate poſita, læte viridia, ſimilia foliis Ceraſi noſtratis acidæ, ſed non ſerrata. Truncus cortice glabro, intus albicante, exterius rubeſcente ſpectatur.

Fructus fert flaveſcentes, Prunis ſimiles, gratiſſimique ſaporis, verum non quotannis, immo vix ſingulis quadrienniis. His continetur nucleus exiguus, ſuavis atque ægris gratus.

Ligno eſt præſtantiſſimo & præduro, & putredini reſiſtente, quod à Naupegis expetitur.

Arbo-

Arboris hujus virtutes auxiliatrices ſoli cortici ineſſe creduntur: qui externa parte argenteus; interna, ſubruber eſt: & recens avulſus, liquorem albicantem ſibi agglutinatum habet, cujus color mox perditur, paulatimque decreſcit, & cortice ſimul exſiccato, in naturam & dulcem illius ſubſtantiam abit. Duriſſimus exiſtit, ſemidigitali craſſitie: ſapore aromatico Cinnamomum, dulcedine Glycyrrhizam æquans. Sunt qui *Guiaci* ſeu Ligni ſancti ſpeciem eſſe contendunt, à quibus non diſſentio.

Moderate calidus eſt & tenuium partium, quapropter pectoris & jecinoris affectibus optime convenit. Præcipuum enim incolarum refugium eſt in veteribus viſcerum obſtructionibus, ut jam diximus: tum quoque adverſus Luem Veneream eximium remedium ſubminiſtrat decoctum illius ex aqua fontana, palato quidemnon ingratum, per aliquot dies reiteratum.

Pugillus denique, ventriculo adhuc jejuno, ex ovo ſorbili, juſculo aut aliquo conveniente liquore aſſumtus, bronchia pulmonis aperit, & ceſſantem quoque urinam educit. Quapropter omnibus artis Medicæ indagatoribus ſuaſor fuerim, ut corticem hunc in ulteriores uſus reponant. Succus autem lacteus ex recenti cortice expreſſus, ſcabiei, & tineæ capitis, præ cæteris medetur.

CAPUT XIX.

Ambaiba, & Andá.

ARbor hæc in ſilvis raro reperitur, ſed arvis quondam excultis delectatur, in quibus ſponte naſcitur, annuoque ſpatio elegantem nanciſcitur altitudinem, & fere rectam ut plurimum, & ſine ramis; quædam & ramos habent, ſed in ſummitate tantum. Cortex exterior ſimilis Ficui, (nonnulli eam inter ficus ſilveſtres recenſent) conſtans primo cortice tenui, cinereo, &, ſub eo, craſſo, lento ac viridi: lignum ejus album inſtar Betulæ, verum molle & quod facile poteſt ſcindi. Totus caudex eſt cavus, per interſtitia ſemidigiti ubique diſtinctus tranſverſali membrana, in cujus medio foramen rotundum, per quæ formicæ rubræ oberrant perpetuo. Ex ligno hujus arboris exſiccato ignem ſine pyrite & chalybe eliciunt incolæ, foraminique ab illis excavato immittunt bacillum faſtigiatum ex duro aliquo ligno, quod quaſi terebrando circumagunt, donec appoſita folia arborum exſiccata, vel goſſypium, accendantur. Verſus arboris ſummitatem folia circumpoſita ut in *Mamoeira*, quodlibet innitens ſuo pediculo ſatis craſſo, exterius rufo, interius ſpongioſo: ipſum folium latum, rotundum, in novem aut decem lacinias ſectum, quarum centro infixus pediculus, à quo per ſingulas lacinias nervus rufus tendit per longitudinem, & venæ eminentes per obliquum: ſuperius ſunt ſaturate viridia, & inferius cinerea, hiſpida ut folia Ficus: in extremitate laciniarum, linea cinerea ſunt fim-

AMBAI'BA.



briata. In ſummitate arboris exiſtit theca oblonga foliacea, incana,qua ſe aperiente arbor folio augetur & ſenſim fit altior. Flores in brevi pediculo quatuor vel quinque enaſcuntur,ut cylindriaca corpora farciminum inſtar copulata, intus quaſi goſſypio referta, exterius autem acinis bruni coloris ut floris ſiliginis noſtratis, quibus decidentitus acini illi fiunt edules.

Pinguis ex eorum ſummitatibus expreſſus ſuccus, recentibus non ſolum, ſed & inveteratis ulceribus feliciter medetur. Folium quoque tenerum & recens, aut levior arboris hujus cortex, ſi apponantur, temperant & mundificant partem affectam. Succus è gemmis expreſſus, qui facultate refrigerandi atque aſtringendi pollet, pulti de *Tipioca* inditus, calidam ventris proluviem ſiſtit. Menſes denique nimium fluentes, tum & virulentum genitalium profluvium, compeſcit.

Tradunt Indigenarum & Luſitanorum peritiſſimi, hoc remedium puerperis, immodico menſtruorum profluvio laborantibus, inſigniter prodeſſe, ſi in modum cataplaſmatis umbilico apponatur, cujus rei veriſſimæ teſtem me præbeo.

Nihil mirum itaque, ſi hæc arbor primis Braſiliæ incolis, ut & advenis, tantopere ſit prædicata. Digna medius fidius, cujus virtutes, etiam nunc latentes, poſteri ſcrutentur & in lucem protrahant.

Altera ejuſdem generis, mediterraneis, *Ambaitinga* appellatur, & ramo eſt rubicundo, & ligno minus cavo, foliis vero ſuperius ſaturate, inferius dilute viridibus, adeoque aſperis, ut loco limæ quædam cum iis poſſint lævigari. Liquorem continet oleoſum ejuſdem cum ſucco *Ambaibæ* uſus & efficaciæ. Fructus fert magnos, tenues, palmæ longitudinis: matureſcentes dulc eſcunt & edules fiunt.


Cæteras ejus facultates, & auxilia Medica, quia nondum ſatis explorata habeo, ſilentio prætereo. An vero ſit *Abiegná*, de qua Cluſius in Notis ad Monardem, ego valde dubito.

ANDA'.



NOn procul à littore in ſilvis, nunc mediocri, nunc ſumma altitudine, pro terræ temperie, exſurgit arbor *Andá*: quæ ligno eſt lævi, raro & ſpongioſo, multique uſus. Florem fert magnum & concavum, aurei coloris. Folia nunc copulata, nunc inordinate & ſolitarie poſita, in extremitate acuminata, nervo recto & venis obliquis conſpicua. Fructum ſeu nucem gignit cortice duplici, exteriore cineritio, ligneo præduro & perforato putamine veſtitam, quo duæ glandes continentur, jecinori leporino non valde diſſimiles, & nuces caſtaneas ſapore quodammodo referentes, licet virtute & qualitate differentes. Vna ſiquidem atque altera cruda manducata, alvum ducit: quibuſdam ſimul & vomitum excitat. Olim magnates, tum & ſacrorum

Fructus Andá.



crorum in Braſilia antiſtites, purgans hoc & ſalutare remedium, cæteris omnibus præferebant. Validæ eſt operationis; quamobrem ægris morbo fractis haud tuto exhibetur, niſi opportune à manu Medici correctorium accipiat, inque Electuarii aut tabularum formas redigatur, Accipe duas vel tres caſtaneas contuſas & cum ſaccharo deſpumato excoctas, addito aniſi & cinnamomi momento, gratiſſimum non ſolum erit medicamentum, ſed & tutiſſimum, infantibus, iiſque omnibus qui à purgantibus ſolent abhorrere.

Luſitani & Indigenæ ex eadem nuce oleum exprimunt, quod lychnis affundunt, atque eo corpus inungunt. E cortice autem illius uſtulato, incolæ optimum & familiare remedium contra ventris fluxum, iiſque, quibus poſt aſſumtam nucem, alvus immoderatius ruit, ſubminiſtrant. Contuſus cortex flumina inficit, atque enecat piſces. Iconem nucis integræ & diſſectæ, eleganter ad vivum expreſſam, ea mole qua erat, addidi. minoris eſt magnitudinis nucleus, quam Prunum vulgare, licet pictor reſpectu aliarum iconum eum pinxerit aliquanto majorem.

CAPVT XX.

Ibabirába, Araçá duæ, & Guaiába.

IN confragoſis nemoribus Braſiliæ, reperitur vaſta arbor, quæ gentilitio vocabulo *Ibabirába*, corrupte à Luſitanis & Noſtris *Guabirába* appellatur; ligno obliquo, multiſque flexibus tortuoſo, altiſſimo inſuper atque duriſſimo; & contra putredinem optimo. In collibus vero & campis eadem *Ibabirába* ad longe minorem molem aſſurgit, vix Prunum adæquans: foliaque multo minora, fructuſque fert minus agreſtes. Adeo denique, ob diverſitatem ſoli, diſcrepantes inter ſe, ut hæ à Medicis, illæ à fabris potius expetantur. *Ibabirába* itaque omnis eſt caudice contorto, cortice cinereo, foliis dilute virentibus, rugoſis, multis craſſiuſculis coſtis præditis, directe ſibi invicem oppoſitis: digitis trita ſpirant odorem Majoranæ æmulum. Inter hæc ſparſim provenit pediculus, ſuperius tripliciter velut in crucem diviſus, ferens tres flores pentaphyllos, albos,

IBABIRA'BA.



albos, odore, figura & mole fere ſilveſtris Roſæ; menſe imprimis Ianuario integros campos fragrantia replens. Menſe autem Maio ſuccedit fructus rotundus, ceraſi magnitudine pediculo inſidens, exterius coloris brunni, cum umbilico quinquefolio rufeſcente: continet pulpam mollem, pallidam, cui aliquot nuclei coloris incarnati, obrotundi, compreſſi, molliuſculi immixti, qui una comeduntur: ſapor autem illius dulcis, aliquid reſinoſi admixtum habens. Et poſt frequentem uſum imprimit tandem gutturi ardorem Piperi æmulum. Folia aut flores cum *Camará* utiliſſime adhibentur ad lotionem pedum, in dolore capitis. Mane antequam ſol rorem exhauſerit, flores colliguntur, & alembico induntur unde eximiæ virtutis liquor deſtillatur, qui refrigerans præſertim, & mundificans, oculorum inflammationes optime temperat. Ex foliis quoque ſimilis aqua fragrans deſtillatur, eiſdemque fere uſibus reſervatur. Quantum pulvis hujus ligni, in carbonem redacti, oculis inflatus conferat, in morbis oculorum dictum eſt.

HVjus arboris fructus à Braſilianis appellatur *Araça-miri*; Prunum Granatenſe merito vocant noſtrates. Externa facie, fructu, frequentia, tempore, & loco natali, convenit cum Minori *Ibabirába*; de qua Capite præcedenti egimus.

Frutex

ARAÇA-MIRI.



Frutex eſt, ligno, foliis & floribus ut *Guajába*, magnitudine vero differunt & fructu. Sed varius naturæ luſus, omnes dignitates, caſque eximias, fructui & radici inſevit, cum *Ibabirabæ* inferiores ſive in radice ſive in fructu, ſed potiores in floribus & foliis inſitas virtutes dederit.

Locis gaudet apricis, raroque in ſilvis aut umbroſis nemoribus conſpicitur. Flores habet albicantes pentaphyllos, cum multis ſtaminulis longis.

Floret bis quotannis, bis quoque fert fructum, menſe nimirum Martio & rurſus Septembri. Pruna coronis (quæ à pictore hic neglectæ) meſpilorum inſtar, eleganter ornata, innumeriſque acinis turgentia, profert, quæ, ubi maturuerint, flavent, muſteamque habent in ſe dulcedinem, atque fraga quodammodo referunt ſapore. Cruda potius quam cocta appetuntur, ſuaviſſimique odoris exiſtunt & ſaporis. Oportet autem ut tempeſtive decerpantur; nam propter intenſiſſimum Solis ardorem, non minor injuria fit, ſi paulo tardius, quam ſi citius avellatur.

Conditus qui ex hoc fructu fiunt, jucunde refrigerant, adſtringunt & corroborant, locoque carnis cidoneorum, conſervæ roſarum, aliorumque ſimilium, exhibentur.

Cæterum ipſe frutex virtute medicinali non deſtituitur. Ex foliis ſiquidem & oculis, utpote adſtringentibus, optima balnea componuntur, tam contra internos quam externos corporis affectus, ut ſupra in capite de Vlceribus diximus. Præ cæteris autem hujus fruticis partibus, radix dictis qualitatibus excellit, & dyſenteriæ medetur. Atque hoc peculiare habet, quod ſit diuretica, partiumque ſubtilium

cum adſtringendi facultate polleat. Proinde præter eximias quas præſtat virtutes, lienis & renum affectibus conducit.

ARAÇA-GVAÇV'.



Alia ejuſdem generis *Araçá* reperitur, ſed non ita frequens, quæ tamen fructum facile præſtantiorem procreat, & multo majorem. Quapropter ab Indigenis *Araça-guaçú*, id eſt, *Araça* major, appellatur, quod in juſtam arborem excreſcat: folioque eſt glabro, læte viridi: figura & fragrante odore Laurum æmulatur. Fructum fert mali mediocris magnitudine, rotundum, ſuperne umbilicum continentem: carnem habet albam, carni *Araça-mirí*, odore, ſapore & ſubſtantia ſimilem, in medio multos lapides, piſis minoribus æquales, continentem, obrotundos, paulum compreſſos, ex albo ſubflavos & duros, ut nuclei ceraſorum, intus continentes nucleum album. Adhærent hi lapides carni per multa tenuiſſima filamenta. Eiſdem dignitatibus medicis hæc gaudet, quibus *Araça mirí*. Gargariſmata quoque cum ſimilibus abſtergendi & aſtringendi qualitate præditis herbis, contra gutturis & faucium inflammationes aliaque mala, quotidie inſtituuntur.

MAgna affinitate inter ſe conjunctæ ſunt *Guaiába* & *Araça-guaçú*; ejuſdem quippe non ſolum altitudinis ſunt, ſed folia, flores, fructus qualitate & facie externa conveniunt. Meritoque hæc Pyra Granatenſia, ſicut *Araçæ* Pruna Granatenſia, dicta ſunt. Arbor in Mali figuram excreſcit & in plurimos ſe diffundit ramos. Cortex illius lævis eſt, pallidus inſtar corticis Aceris. Fert folia bina, ſibi oppoſita, ad tactum dura, ſplendentia

GVAIA'BA.



dentia; inferius autem venis obliquis & conſpicuis protuberantia. Florem fert ex quinque foliis & multis ſtaminulis conſtantem inſtar criſtæ pavonis. his ſubſequitur fructus, magnitudine & figura pomi noſtratis, non quidem adeo diſſimilis, niſi quod oblongior & cortice magis rugoſo ſit. pulpa pallide ſanguinei eſt coloris, lapidibus edulibus meſpilorum inſtar referta. Fructus ipſe pro diverſitate temporis, triplicis ſaporis participat. Matureſcens enim antequam molleſcat ac flaveſcat auſterus & aſtringens eſt, tuncque coctus ſtomacho prodeſt. Mox paulo maturior mediæ naturæ atque optimus evadit; melius tamen ſanitati conſulit, qui eum ſive coctum ſive ſaccharo conditum, quam qui crudum menſis infert: accedit quod odoris & ſaporis ſit gratioris palatoque magis abblandientis. Vbi vero flavedine & mollitie integram maturitatem acquiſiverit, odoris & ſaporis eſt inſtar fructus Rubi Idæi, alvum movens, nec ita ſalubris paulo largius aſſumtus, quia facile corrumpitur & vermes producit.

Radix arboris longiſſima eſt, extus rufi, intus albicantis coloris; ſubſtantiæ ſucculentæ ac ſubdulcis. Hæc cum cortice aſtringente in aqua cocta & pota, mirifice medetur dyſenteriæ, quando indicatio eſt aſtringendi & roborandi. Folia ſunt acida & aſtringentia, odorata, balneiſque dicata. Digna profecto arbor, quæ Europæ importata, Magnatum & Principum hortos illuſtret. Montibus aut ſilvis denſioribus non innaſcitur, ſed planitiem & campos amat. Agreſtis eſſe deſiit, villicorum quippe induſtria viridariis illata, numeroſas plantas concipit & procreat, ut nihil frequentius occurrat: fructuum enim grana ab avibus & pecoribus deglutita, & mox per alvum cum excrementis depoſita, locis licet arenoſis & triſtioribus, altiſſime germinant maximeque luxuriant. Aliis Indiarum regionibus communis hæc arbor, ac proinde hic patriam Braſiliani negant, ſed tractu temporis inter illas habita eſt. Numeroſo proventu, totis menſibus pluviis, maximo omnium Incolarum oblectamento exiſtit. Meminere quoque hujus arboris Ximenes, Gomara, Oviedus, & Monardes, & alii.

CAPVT XXI.

Pacoeira & Bananiera.

FRutices lippis & tonſoribus noti, tamque familiares, ut nulli prorſus in Braſilia jam reperiantur horti, in quibus illi paſſim non ſpectentur. Indigenæ tamen hic non ſunt, ſed aliunde huc deportatæ plantæ. Luſitani fructus *Pacóba*, Braſiliani *Pacobeté* nominant: Afris vero atque Aſiaticis olim fuiſſe notos, Serapion & Avicenna

PACOEI'RA & BANANIERA.



teſtantur, qui *Muſas* appellarunt. Earum itaque deſcriptionem, quam Matthiolus, Cluſius, & Dodonæus habent, libenter amplector, paucis tamen, in quibus hallucinati ſunt, mutatis.

Duo autem ſunt ejus genera, quæ ob maximam affinitatem quam habent, una (quod aiunt) fidelia dealbabimus. Pulcherrimæ ſane plantæ, ſive fructum ſive folium, ſive culturæ, naſcendique peculiarem modum ſpectes. In quovis ſolo, licet triſti & ſitiente, proveniunt. Quovis anni tempore incolæ earum fructu gaudent. *Pacoeira* vero

exra-

ex radice propagatur. Vnde primo erumpunt tria quatuorve folia in fiſtulam convoluta, quæ plantæ caudicem ſpongioſum, craſſum, efficiunt, in quo ſuperius expanduntur decem vel plura folia eleganter viridia, ad tactum lævia, inſtarque chartæ membranaceæ crepitant, à vento agitata dilacerantur tranſverſim ſecundum ductum ſtriarum, & ſtrepitum excitant commota. Nervus digitum craſſus ſecundum foliorum longitudinem excurrit, qui in ſuperiori ſuperficie tanquam canalis excavatur, & tranſverſim lineæ ſubtiles à nervo ad latera extenduntur. Ex ſummitate caudicis hujus ſpongioſi ramus prodit primo tener, continens in extremitate ſua corpus turbinatæ figuræ, magnitudine ſtrobili majoris, conſtans è foliis latis, brunni coloris, obſcuris, quibus quaſi pulvis aſperſus cinereus.

Subter foliis his expanſis apparent ſeptem aut octo flores, ordine juxta ſe poſiti, ex albo flaveſcentes, ſuavis odoris. Ex ſcapo florum prominent quinque foliola anguſta, figuram habentia illius inſtrumenti quo nautæ utuntur in humectandis velis: In ſcapha hac ſub tegmine manna ſeu lentus humor continetur frigidus, ſaporis mellei, conſiſtentia & colore ſimilis albumini ovi recentis; quo nectare formicæ admodum delectantur: in hoc humore ortum ſumunt quinque illa foliola cum ſtamine. Flores hos ſequuntur fructus ordine & arcte juxta ſe poſiti. Continentur plerumque in uno ramo, quatuordecim aut ſedecim numero, ut ita una planta proferat ſeptuaginta aut octuaginta, qui ſubinde virides avulſi, nunc in ædibus, nunc in navibus ſuſpenduntur, donec juſtam maturitatem & flavedinem conſequantur. Fructus autem maturefactus magnitudinis eſt cucumeris noſtratis, oblongus & trilaterus quaſi, corio craſſiori tectus, quod facillime in tres partes digitis ſe dividi & detrahi ſinit. Pulpa, mollis inſtar butyri, medullam quaſi cucumeris per medium ſecundum longitudinem habet: boni eſt ſaporis & frequentiſſime comeditur vel ſolus vel cum farina *Mandiocæ*, vel coctus & frixus in oleo aut butyro. Ramus autem ille fructibus onuſtus interea dum illi matureſcunt, augetur, floreſque ſemper protrudit ex corpore illo foliaceo, ſed qui decidunt ſine ſpe fructus. Maturis porro fructibus ramus cum illis abſcinditur, ut & tota planta: nam una planta unum tantum vivit annum, & ſemel tantum fructificat. Antequam ſeneſcit, filius unus aut alter ex radice natus eſt & adſtat parenti, morientique ſuccedit, & ſic in infinitum propagatio hujus plantæ ſuccedit. *Banána*, planta quæ Braſilienſibus *Pacobuçú* dicta, tota eſt ut *Pacoéira*; at turbinatum illud, floriferum & odoriferum corpus paulo minus eſt, & flores parum differunt: eſtque floris ſcapus, non inſtar ſcaphæ, ſed rectus, attamen cavus, fructus etiam haud multum differunt à *Pacoeira*, ſed minus craſſi, verum longiores & incurvati. Subſtantia quoque ſicciores & meliores ad coquendum. Vtraque tam *Pacóba*, quam *Banána*, inter horarios fructus, &, ut nonnullis placet, inter Ficus recenſentur. Vtraque flatus excitat, modice refrigerat & Venerem ſopitam adjuvat. Pauci ſunt alimenti, pectoriſque potius quam ſtomachi oblectamento. Toſtæ villoſis proſunt, pituitoſis non item. Nondum maturæ ſi aſſentur, adverſus alvi profluvia auxiliantur. Ad ſolem ignemque exſiccatæ diu ſervantur, & Europæ importatæ, diſtrahuntur. Eædem in taleolas diſſectæ, cum ovis & ſaccharo frixæ, vel in placentas ad artocreæ modum coactæ, gratiſſimi ſunt ſaporis, optimique alimenti.

Aqua, quæ ex earum truncis, perpetuo humore turgentibus, elicitur, cum frigidiſſima ſit, in magno ab Incolis pretio habetur contra calidos, internos & externos corporis affectus.

In *Maranhan*, ubi maximopere luxuriant, vinum inde exprimitur, non diu durabile, quod tamen inebriandi facultate pollet.

CAPVT XXII.

Mangaíba, Iubay ſive Tamarindi, & Tapiracoanana.

EXimium hujus arboris pomum, quod *Mangaíba* vocatur, nec ignorandum, nec prætereundum arbitror, tametſi ad menſarum potius delicias, quam ad Medicum noſtrum inſtitutum facere videatur. Tanta enim ſuavitate gulæ lenocinatur, tanta ſaporis eſt præſtantia, ut haud ſciam, an venuſtiorem aut gratiorem fructum America producat.

Arbor

Mangaíba.



Arbor pulchra, criſpa & fœcundiſſima, ſupra altitudinem Pruni Europææ non attollitur, quam fructu, præcipue vero ligno & foliis æmulatur. In quibuſdam Bahiæ & Paranambuci locis in integra nemora haſce luxuriare videas. Seri, non plantari amat in terra ſicca, ubi nulla copia luxuriantium herbarum. Folia fert parva, ſolida, egregie virentia, bina ſemper ſibi invicem oppoſita, quæ in medio, ſecundum longitudinem nervi, non tam venulas quam lineas habent ſubtiliſſimas parallele diſpoſitas. Exſpirante hyeme, menſe nimirum Auguſto, florere incipit, ultraque novem menſes pomis ſeu prunis oneratur & ornatur. Florem producit exiguum, album & ſumme odorum, ſtellulæ figura Iaſmini modo diſpoſitum. Fructum rotundulum, eſculentum, qua Soli exponitur aureum, rubriſque maculis diſtinctum, Abricocum diceres. Tenuiſſima cuticula tegitur, intuſque lapillos quinque vel ſex continet; turget lacte, unde vel leviter preſſus niveum palatoque gratiſſimum fundit liquorem; & licet ſequax ac ductilis illius pulpa videatur, tamen manducando nihil tale deprehenditur, orique inſerta, ſtatim liqueſcit. In arbore numquam matureſcit, ſed decidens in terram ilico maturitatem conſequitur. Cujus rei ignari adventitii, & externa pomi pulchritudine illecti, ubi primis labris deguſtarunt, ſtatim ut auſterum & amariſſimum abjiciunt; quid, quod ne pecora quidem immaturum curant. Probe maturum facilis eſt digeſtionis, ardores viſcerum domat & febricitantibus auxiliatur, ut in me ipſo aliiſque multis ſum expertus. Porro haud facile hæc poma noxam, etiam abunde jejuno ſtomacho mandu-

manducata, inferunt: niſi quod frigida & humida fugaciaque alvum dejiciant, flatuſque excitent, quod ſolertia muliercularum noſtratium, aromatibus corrigi ſolet. Luſitani integros fructus conditos apponunt, nulliſque tunc epulis cedunt.

IVTAY' ſive TAMARINDVS.



INter eas arbores quæ aliunde huc olim tranſlatæ, ac proinde rarius conſpiciuntur, eſt hæc quæ Luſitanis *Tamara azécla*, Barbaris *Iutaý*, vulgo Tamarindus dicitur, inter Palmulas dactyliferas habita veteribus.

In Quercus proceritatem excreſcit, caudice exterius griſeo, ligno albo, lento. Rami foliolis parvis, anguſtis binis ubique ſibi arcte oppoſitis inferne dilute, ſuperne ſaturate viridibus veſtiuntur. Quæ manducata æſtuantibus gratam ſuppeditant aciditatem. Flores albi Aurantii mali flori ſimiles. Fructus in quolibet pediculo ſolitarie proveniunt, figura variantes, ſed utcunque compreſſi inſtar ſiliquæ fabæ majoris. Cortice cooperiuntur fragili coloris meſpilorum, tenui. intus pulpa nigricante, filamentoſa, gratiſſimæ aciditatis referti in qua tres quatuorve lapides ſplendentes, compreſſi fabæ vulgaris magnitudinis immerſi ſunt. Nucleus terræ commiſſus annuo ſpatio alte excreſcit. Vtinam æque frequens hic eſſet ſicut in Aſia & Africa. Quod refrigerando & æſtringendo humoribus bilioſis frenum imponat, à Græcis merito Oxyphœnica dicta.

Quantum hæc Americana differat vel conveniat cum Aſiatica ex hac Icone cum Bontii collata, facile apparebit.

CAſſia arbor cujus fructus *Canna fiſtola* Luſitanis & aliis. Arbor alta & magna, atque in plurimos ramos late expanſa colore exterius ex cinereo albicante. Folia fert ordine ſibi oppoſita, paulatimque ſurrectim ſtantia, figura cylindracea, breviſſimo

TAPYRACOAYNA'NA & FRVCTVS, CASSIA FISTVLA DICTVS.



pediculo innitentia inſtar Foliorum Senæ, dilute viridia; ſubtiliter hirſuta, ad tactum mollia, rubeſcente nervo ſecundum longitudinem, & venulis ſecundum latitudinem ordine poſitis prædita. Flores fert ſpicatim congeſtos ſine ramulis, qui coloris incarnati elegantiſſimi, longe adventanti conſpiciuntur. hiſce floribus ſuccedunt ſiliquæ virides, mox nigricantes deorſum propendentes paulo incurvatæ ubi maturuerint. Cortice ſunt duriſſimo lignoſo, qui ut frangantur, malleolo concuti debent. Intus hæ ſiliquæ tranſverſim cellulas habent, nucleis amygdalæ figura & colore, ſed ſplendentibus lævibus & duris, qui immerſi ſunt pulpæ glutinoſæ nigricanti inſtar Caſſiæ ſolutivæ, ſed ingrati & amari ſaporis, quæ primo ante maturitatem cum aſtrictione conjuncta eſt. Vbi vero gradum ulteriorem maturitatis acquiſiverit, laxat alvum. Summitates foliorum vulneribus & puſtulis male moratis applicata medentur.

C A-

CAPVT XXIII.

Pinoguaçú mas & fœmina, & Iaracatiá.

VTraque *Pinoguaçu*, *Mamoeira* Luſitanis dicitur, vulgo *Papaý*, cujus Fructum *Mamaon* vocant à figura, quia Mammæ inſtar pendet in arbore: Mas ubique in ſilvis obvia, raro autem fœmina, quæ in Hortis exculta luxuriat. Mas in vulgaris arboris fructiferæ altitudinem exſurgit, cortice cinereo & lævi. Foliis ubique

PINOGVA'ÇV MAS



& FOEMINA.





erumpentibus circa caudicem quæ à terra ad medietatem altitudinis ſtatim abſcinduntur in junioribus, reliqua medietas uſque ad ſummum foliis veſtita relinquitur. Quodlibet folium in ſex ſeptemve lacinias diſſectum cum totidem inciſuris inſidet ſuo pediculo rotundo, cavo ruſeſcenti. In ramulis ex pediculis majoribus oriundi multi flores longi inodori pallide flavi, quinque foliis incurvatis conſtantes, naſcuntur. Quibus fructus raro ſuccedunt, niſi arbore tranſplantata quæ trium ad minimum ſit annorum. Falſum porro mares non ferre fructum, uti & fœminam non ferre fructum niſi mas adſtet; contrarium enim multiplex experientia docuit: fructus vero maris quando naſcitur pediculo illo longo pendulus eſt deorſum verſus, figura ſimilis fructui fœminæ, ſed oblongior & minor & exterius ſtriatus quaſi Pepo, nimirum quinque ſtriis ſecundum longitudinem, & quinque minus profundis alternatim poſitis. Interius carnem & ſemina

 habet

habet ut fœmina, ſed non ita flavam aut bonam. Immaturi fructus copioſe lacteum ſuccum fundunt. Lignum arboris fragile & molle, quod in luſus & uſus varios excavatur turgetque eodem lacteo ſucco, ingrati & acerbi ſaporis, quo contra cutanea vitia ex fervore nata utuntur barbari.

Pinoguaçú fœmina ſimilis mari caudice & foliis, ſed ut plurimum majoribus; neque pediculi foliorum ſunt rufi, ſed virides. maxima pars caret ramis, atque ita ſpecioſior apparet. Toto anno Fructus & Flores fert non in pediculis longis, ſed ad ipſum caudicem, ubi pediculi foliorum inſeruntur. Flos eſt magnitudine floris Gladioli, conſtans quinque foliis flavis, odoris Lilii convallium è cujus medio naſcuntur fructus, qui caudici adnati ſunt minoris Melonis figuræ & magnitudinis, adeoque luxuriant ut ob abundantiam vileſcant. Immaturus eſt viridis & inciſus exſudat lac: in arena ſub dio abſconditus matureſcit ſtatim & maturus ex viridi flaveſcit, carne lutea inſtar Melonum, ſed ſapore ignobiliori. In medio pulpæ copioſiſſima habet grana, ovalis figuræ, magnitudine Coriandri, in ſuperficie rugoſa, fuſca, nucleo intus albo: ſaporis ſunt hæc grana ejuſdem cum Naſturtio aquatico noſtrate, includunturque pelliculæ tenui, ſplendenti; quæ detrahenda eſt, ſi quis ſemina velit ſervare. Fructus crudi edules quidem, ſed longe præſtant vel cum carnibus cocti, vel placentæ ex iis factæ. Ex quolibet ſemine annuo ſpatio habetur arbor fructifera, ſed non duratura ultra quadriennium. Signum prognoſticon mortis eſt, quod cacumen ejus ſponte corrumpatur; illam enim corruptionem ſequitur totalis interitus.

Fructus licet rite præparatus boni quidem ſaporis, ſed non ſatis probi nutrimenti, ſi pluſculum comedatur laxat alvum leniter: ſuccus vero ex eo expreſſus mitigat dolores ventris ex calore natos. Idem præſtat conſerva exinde præparata. Fr. Ximenes quoque celebrat hanc arborem in nova Hiſpania.

IARACATIA'.



I*Aracatiá* Braſilienſibus, Arbor eſt alta recta, caudice inferius craſſo, qui verſus faſtigium magis magiſque gracileſcit & attenuatur, cortice griſeo, ligno molli & lacteſcente. Caudex autem & rami armantur ſpinis brevibus, craſſiuſculis duris. Et ramos quidem in orbem projicit, ſed inordinate, ſuperioreſque inferioribus breviores; neque ramuli magis ordinati, in quibus folia in frondes congeſta *Mandiiba* modo, figura & magnitudine, ſuperius ſplendide viridia, inferius incaneſcentia, quinque, ſeptem vel novem in ſtellæ modum ſibi appoſita; nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis. Florem fert & fructum ut *Pinoguaçú* mas petiolo longo dependentem ſtriis haud profundis ſecundum longitudinem, vel quaſi lineis ſolum notatum, coloris exterius & interius crocei ut *Mamao*, & carne ejuſmodi ſubſtantiæ & ſimili modo granis refertum, magnitudine & figura grani hordei, ſaporis haud manifeſti. Immaturus adhuc lacteſcit, ac vellicat linguam, maturus autem ſponte decidit & comeditur crudus aſſatus atque coctus. Facilis eſt digeſtionis, nec nocet licet

licet magna quantitate comedatur, proinde etiamſi maris accolis minus familiaris, non tamen inter inferioris notæ fructus habendus. Folia amittit ſingulis annis & menſe Martio nova protrudit, hinc floret & fructum fert, qui fine Aprilis & Maio maturatur.


Duplex eſt Arbor, mas & fœmina: quæ ſibi ſimiles ſunt excepta magnitudine, nam fœmina per omnia minor eſt mare. Frequentes ſunt in Præfectura *Itamaracá* & *Rio grande.*

CAPVT XXIV.

Ibirúba, Ibixuma, & Quitý.

IBirúba per taleolas tranſplantatur, ob excellentiam, fructuum ex ſilvis in hortos tranſlata. Arbor cortice, ligno & naſcendi modo *Guaiabæ* ſimilis, ramos autem habet ut noſtra Ceraſus. Folia fert oblonga, teretia, duo ſemper ſibi oppoſita membranacea, ſuperius ſaturate viridia, inferius pallida, uno nervo ſecundum longitudi-

IBIRV'BA.



nem, nullis venis tranſverſis. Inter quæ hinc inde caudici flores cum pediculo adnaſcuntur albi ut in *Guaiába* fere, quibus umbilicatus fructus ſuccedit egregie flavus turbinatus rotundus magnitudine Pruni, cuticula tenui veſtitus & carne ſucculenta fulva, ſaporis acidiuſculi ac paulatim amaricantis, haud ingrati: odoris ſubdulcis & vinoſi. Magna copia ſine noxa comeditur, & ab incolis venum exponitur. Continet


IBIXV'MA ARBOR SAPONARIA.



tinet lapidem unum atque alterum magnitudine ceraſini, rotundum, cortice tenui ſed duro veſtitum;in quo nucleus albus, amaricans, qui ſimilis eſt lapidi *Vbapitánga*, nec facile dignoſcuntur.

INter varias plantas & arbores quæ Saponem producunt, illa facile præfertur quæ *Ibixúma* nomen habet, *Motamba* Angolenſibus. Arbor inſtar Ceraſi, foliis ornate ſibi oppoſitis,per ambitum leviter ſerratis: juxta quæ brevis enaſcitur pediculus continens floſculos quaſi in umbellam congeſtos, quinque conſtantes foliis flavis deorſum flexis. His decidentibus fructus ſuccedit orbicularis Ceraſi magnitudine immaturus tuberculis ſignatus conciſus continet materiam lentam inſtar viſci; maturus autem nigreſcit & in quinque partes æquales ſponte finditur, continens ſemina fuſca oblonga, ſuis cellulis incluſa. Cortex cineritii coloris glutinoſus eſt, & deraſa exteriori cute fuſca, ſeu recens ſeu ſiccus tuto adhibetur ad omnia ad quæ Sapo Hiſpanicus, nec veſtibus nocet.

QVITY'.



ALtera Saponaria eſt arbor pumila, *Quity* Indigenis, Luſitanis *Pao de Sebaon* dicta. Cortice eſt cinereo, ligno molli & fragili ramis contortis inſtar Ruſci. Foliis læte viridibus, ejuſdem ut præcedentis figuræ & conſtructionis, exceptis denticulis. Floribus eſt exiguis. In ſingularibus ramulis dependent multi fructus menſe Octobre matureſcentes, quilibet proprio pediculo inſidentes magnitudine ſphærulæ luſoriæ, cum duplici rotunda flava eminentia adeo tranſplendentes, ut globulus contentus cerni poſſit, & fructu commoto ſtrepitum edat. Hic globulus eſt niger, adeoque durus ut niſi malleo confringi non poſſit. Ex his per foratis corollæ fiuns precariæ ebeno præſtantiores & leviores. Pulpa hæc ſupernaſcens Saponis vicem explet adeoque amari & acris ſaporis, ut creber ejus uſus veſtibus noceat, ac proinde prioris arbo-

arboris fructus magis uſualis. Hic enim contuſus & rivis inditus aquam inficit & piſces enecat ſicut *Timbó* & aliæ cortices arborum.

Eadem arbor in multis Americæ regionibus frequens eſt, teſte Oviedo, Cluſio & aliis.

CAPVT XXV.

Tatai-iba, Ibirapitánga, Iacarandá, & Queraiba.

ARbor ſilveſtris *Tatai-iba* dicta, quibuſdam Morus alba ob affinitatem figuræ & naturæ Mori albæ appellatur. undiquaque in ſilvis littoralibus frequens. Ex ligno veteri parant tincturam egregie flavam coquendo. Cortex arboris eſt

TATAI-I'BA.



cinereus, ſed lignum intus flavum & duriſſimum. Folia acuminata & ſubtiliter ſerrata, in ramis inordinate poſita. Fructus matureſcit fine æſtatis circa Martium, mediocris Mori eſt magnitudine, rotundus, è tuberculis compoſitus, pallidi coloris, exterius exigua habens filamenta fuſca. Succulentus eſt & ſaporoſus, atque comeditur ut Morum ſed quia magis ſilveſtris & minus dulcis, additur vinum & ſaccharum. In Pulpa multa granula albicantia ſunt diſperſa.

IBIRAPITANGA, ſive LIGNVM RVBRVM.



IACARANDA' I.



IBirapitánga, quæ arbor, merito à Luſitanis *Pao do Braſil* per excellentiam dicta, alta eſt & vaſta, cortice fuſco brevibus ſpinis armato: ramis & foliis alternatim poſitis figura Buxi foliis ſimilibus ſplendentibus & ſaturate viridibus. In ramis hinc inde etiam ramuli proveniunt multis exiguis floribus copulatis ornati ipſo Lilio convallium fragrantioribus pulchre variegati coloris flaveſcentis. His pereuntibus ſuccedunt ſiliquæ, oblongæ, planæ, compreſſæ, exterius aculeatæ, obſcure fuſcæ, rubras, ſplendentes exiguas fabas aliquot in ſe continentes. In locis mari vicinis non apparet, ſed tantum in mediterraneis ſilvis, unde magno labore ad littoralia vehitur.

Tinctura hujus ligni rubra toto orbe eſt notiſſima. Sed minima moles tam vaſtæ arboris tingit, dempta enim magna parte ligni ſuperioris, ſola matrix tibiam circa craſſa rubri eſt coloris. cujus poſtea raſura quanti ſit laboris novit optime Ergaſtulum Amſtelodamenſe.

Lignum eſt frigidum & ſiccum, mitigat febres, reſtringit & corroborat inſtar Sandali. Maceratum in frigida inter collyria contra ophthalmias uſurpatur cum ſucceſſu.

I*Acarandá*. Ob ligni variegati coloris elegantiam æque ac ob uſum medicum, celeberrimam hanc arborem dedi: quarum duæ ſunt ſpecies facie & efficacia ſatis diſcrepantes. Prioris lignum eſt album; alterius, nigrum, ut *Palo* vel *Pao Santo*, ac bene olens, atque durum, frequens eſt in Bahia omnium Sanctorum.

Iacarandá alba, inodora & Pruno Europææ ſimilis, in apricis locis mediterraneis reperitur. Foliis parvis acuminatis

natis directe ſibi oppoſitis, ſuperne ſplendentibus, inferne albicantibus. In quolibet ramo verſus exteriora multi proveniunt ramuli, qui quaſi racematim per multos dies habent globulos nuclei ceraſini magnitudine, coloris olivacei qui ſe aperientes in quinque ſcinduntur folia, deorſum inclinata quæ interius tactu & viſu referunt holoſericum olivaceum ſplendens: his inſidet flos dulcis odoris unico folio luteo ſubrotundo ad latus explicato conſtans: in medio autem floris eriguntur, multa ſtamina alba apicibus luteis ſatis magnis, in ſcoparum ſetacearum modum. Floribus ſuccedit fructus palmæ manus magnitudinis & craſſitiei aſpectu rarus ob inuſitatos naturæ luſus, quod gibboſus & ſinuoſus admodum & contortus appareat, atque ob gravitatem ſemper pendulus, quem viridem & albicante ſmegmate (quod Barbari Saponis loco uſurpant) turgentem avulſerunt ſocii mei in remotiſſimis deſertis, ex viridi mutatur in flaveſcentem, exſiccatus in cinericium colorem, moxque ſe aperit. Fructus haud edulis niſi coctus. Incolæ exinde coquunt pulmentum quoddam ſtomacho imprimis amicum & ſalubre quod *Manipoy* vocant.

IACARANDA' II.



QVERAI'BA.



Q*Veraiba* naſcitur locis apricis graminoſis. Arbor cortice rugoſo & griſeo, in ramis habens tria, quatuor, aut quinque folia in frondem congeſta, pediculis ſuis tres innitentia, pallide viridia, figura Salviæ, ſolida & ad tactum dura, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis prædita. Flores fert flavos, inodoros, menſe potiſſimum Ianuario, figura campanæ, ſuperius in quinque partes ſectos. Ita ut arbor florens tota flava appareat, inſtar arboris quam Luſitani vocant *Pao d'arco*: nam racematim

matim congeſti ſunt flores, quibus ſiliquæ longæ & compreſſæ ſuccedunt, ſed nullius uſus.


Cortex hujus arboris contuſus & coctus oleum ſuppeditat ad vulnera ſananda, & ulcera vetera in tibiis aut aliis partibus curanda efficaciſſimum. Ac proinde in noſocomiis frequens mihi ejus fuit uſus.

CAPVT XXVI.

Iabotipitá, Vmbú, & Avaramo-temó.

I*Abotapitá* littoralibus Braſiliæ locis luxuriat. Arbor eſt mediocris altitudinis; cortice griſeo, inæquali, ligno molli & lento: Folia fert, alternatim oppoſita, dilute viridia; & in certis ramulis copioſos floſculos racematim congeſtos, pentaphyl-

IABOTAPITA'.



los flavos ſuaviſſimi odoris. Fructus quoque qui matureſcit Martio menſe provenit racematim: nimirum in quolibet pediculo bacca, magnitudine nuclei ceraſini, conica fere vel quaſi triangularis; cuilibet autem baccæ, aliæ tres quatuorve inſident ſine pediculis, ovales, ejuſdem cum inferiore magnitudinis, omnes coloris nigri, ut myrtilli noſtrates, & eodem modo tingentes, carent acinis, & ſunt ſaporis adſtringentis; eiſdem non ſolum uſibus dicati quibus myrtilli Europæi; ſed & oleum in quotidianos uſus pro acetariis receptum ex iis exprimitur.

Vnicam

VMBV.



VNicam tantum ex hoc Arborum genere in habitata Braſiliæ parte, hactenus conſpicere licuit in pago *Iguaraçú* excultam: diſſitæ autem ſylvæ inter *Cuojanam* & *Paraybam* fluvios iis luxuriant. E longinquo proſpicienti, magnitudine, ſtructura & fructu, parva Citrus vel Limonia videtur.

Trunco eſt breviori nec craſſo, ſed ramis multis tortuoſis, inbelle quidem fabricatis dividitur. Folia fert haud magna, lævia, læteque virentia, guſtu autem acida & adſtringentia: Florem albicantem: Fructum ex albo flaveſcentem, Pruno majori ſimilem ſed carne duriori, licet pauca, quod intus magnum contineat lapidem, ſicut fructus *Acaia*, qui ubi maturuerit menſibus pluviis, ſaporis fit gratiſſimi ex acido dulcis: ſin minus adeo eſt auſterus, ut ſtuporem dentibus inferat; proindeque tunc eidem uſui cui folia, ſcilicet ad refrigerandum & adſtringendum reſervantur. Radix autem, cui peculiare quid præ cæteris arborum radicibus conceſſum, imprimis eſt notanda: quod longe lateque, in diverſa & craſſa, ponderoſæ molis tubera ſub terra luxuriet; ſi pondus, figuram atque colorem, exterius cinereum, conſideres, majores radices *Batatæ* aut *Inhyamæ* diceres; à quibus tamen ablata levi pellicula, differunt: quippe interius conſpiciuntur nivei coloris, molli turgidaque medulla, Cucurbitæ plane ſimili, quæ manducata,

cata, in aquoſum, frigidum ſuccum, eumque dulciſſimum atque palato gratiſſimum, ſolvitur. Febricitantes, æſtuantes peregrinatores mirifice reficit: ut ipſe quam pluries ſum expertus; neque aquæ dulcedine & ſalubritate Citrullo quicquam cedit.

Datur & alia ſpecies quæ *Iva-umbú* Braſilienſ. dicta, Arbor eſt cortice fuſco, ac hinc inde in ramis ſpinoſa. Folia fert oblonga, læte viridia, craſſiuſcula, ad tactum mollia, nunc alternatim, nunc ſibi oppoſita; eiſdem pediculis multi floſculi exigui pentaphylli junctim promanant, quibus ſuccedunt fructus, flavi Pruni noſtratis magnitudine & figura & carne quæ grati ac ſubbacidi eſt ſaporis, cui amari quid intermixtum eſt. Menſibus æſtivis circa Ianuarium fructus matureſcit, tuncque ſponte decidit & colligitur. Lapis in eo contentus fragilis continet nucleum avellanæ in omnibus ſimilem.

AVARAMO-TEMO'.



HÆc arbor mediocris eſt altitudinis, montoſis locis creſcens, foliis triſte viridibus, exiguis, buccini ſimilibus, ſiliquis eſt inutilibus ex minio nigreſcentibus, miris variiſque modis incurvatis, quæ æſtivis menſibus conſpiciuntur & acinis rubris exiguis repletæ ſunt.

Cortice exterius eſt cineritio, interius ſature rubente, quem ſolum expertiores in Medicinæ uſum receperunt, licet foliis eædem qualitates adſtringentes à nonnullis attribuantur. Cortex enim qui guſtu amarus eſt, ſive in pulverem redactus, ſive excoctus, & fomenti loco adhibitus, ulceribus inveteratis & male moratis feliciter medetur, ipſumque Cancrum ſubinde, inſigni mundificandi & ſiccandi qualitate curaſſe fuit compertum.

Præter hæc quia efficaciſſime adſtringit, balnea ad firmandas effœminatas carnes ex illis conficiuntur. Potiſſimum vero meretrices iis utuntur, ut laxis pudendi partibus tonum reſtituant, ætatemque tuto mentiantur; imo qua poſſibile, virginitatem hoc dolo prætendant.

CAPVT XXVII.

Cebipira, Itó, Guabipocacabiba, & Mureçi.

CRaſſitie & altitudine inſignis Arbor in rariſſimis nemoribus reperitur, *çebipira-guaçú* Braſilienſibus dicta, ad differentiam ejus notandam ab ea quæ *çebipira-miri*, id eſt, *çebipira minor*, ab illis appellatur. Vtræque ſunt foliis exilibus oblongis, ſplendentibus, Oleæ ſimilibus, ſed craſſioribus, minuſque acuminatis, ordine digeſtis,

digeſtis, & pediculis utrimque ſe contingentibus.

ÇEBIPI'RA-GVAÇV'.



Flores ferunt copioſiſſimos inodoros ſuo quoſlibet pediculo inſiſtentes, quinque foliolis corrugatis & dilute cæruleis conſtantes. Ex horum calyce naſcitur ſiliquula ex viridi flaveſcens, in qua ſemen continetur.

Vtriuſque arboris lignum commendatur, & non minus celebre apud fabros ad axes machinarum Sacchar earum conficiendos, quam cortex apud Braſilianos ad uſum medicum exiſtit. Qui craſſus eſt & compactus, griſeus cum fuſco mixtus, ſaporis amari atque adſtringentis, calidus inſuper & ſiccus in ſecundo gradu. Balnea & decocta ex illo ſolo fiunt præſtantiſſima adverſus morbos à frigore natos, pedum & ventris tumores, doloreſque membrorum, *Curimentos* Luſitanis dictos; ipſam denique Luem veneream, non inveteratam, forinſecus & intrinſecus adhibita, reſtituunt, ſudoreſque provocant.

Cum vero abſtergendi facultate ſimul & acrimonia quadam agant, ſcabiei, tineæque & aliis ejuſdem generis cutaneis affectibus medentur.

IITO' I.



HÆc Arbor eſt Pyri Europææ magnitudine, undiquaque obvia: Foliis tenuibus, oblongis, acuminatis, nervo eminenti ſecundum longitudinem excurrente, parvo pediculo cauli ordinate appoſitis. Fructus racematim copulatos profert. Arbor ut ob fructuum rarum aſpectum multis nota; ita paucioribus ejus radicis qualitates probe conſtant. Si ulli figura, colore, totaque prorſus facie, racemos uvarum è longinquo adſpicienti videantur, hujus ſane arb oris fructus ſunt, quorum uvæ tamen inutiles habitæ, ligneæque intus exiſtunt. Toto anno apparent, verno tempore læte flaveſcentes, mox triſtis miniati coloris fiunt, nihilque promittunt, ut neque folia, neque lignum ipſum arboris: ſed totum in cortice radicis, quod ad rem noſtram faciat, conſiſtit.

IITO II.



GVABIPOCACABI'BA.



ſtit. Cujus efficacia indomita ad turbandum & purgandum corpus, tam alte à natura poſita, ut non impune ab imperito vulgo tractetur. Quippe dubito an plures calamitates ex illius abuſu an optatos ſucceſſus ex oportuno uſu, promanaſſe viderim. Nec mirum, cum unuſquiſque idiota ad Medicinæ Sacraria aſpirare audens, nec remedii agentis, nec ſubjecti patientis rationem habeat, loco medicamenti, venenum porrigat.

Cortex enim hujus radicis, qui ſaporis eſt acris & calidi in pulverem redactus ab indigenis & robuſtioribus agricolis Luſitanis contra inveteratas obſtructiones capitur indiſcreta quantitate, ſemipugillus circiter. Mihi rarior fuit illius uſus, idque niſi deficiente forte benigniore medicamento, mediantibus tamen correctoriis, & quæ vim purgatricem infringunt, ſicut oportet fieri ex judicio Medici, præcipue circa validiora & incognita ſimplicia.

Datur & alia ſpecies *Itió* (cujus quidem qualitates à me nondum exploratæ) cortice fuſco, qui multa punctula hinc inde ſparſa lutea habet. Folia bina ſibi opponuntur, nervo conſpicuo & prominente ſecundum longitudinem, venis in quibuſdam ſibi invicem oppoſitis, in quibuſdam autem alternatim poſitis.

Poſt florem ſequitur fructus, parvæ Ficus figura, obſcure lutei coloris, qui in ſe tria ovalia ſemina continet, magnitudine ſeminis Pomi vulgaris, cuticula obſcure flava tecta, nucleo albicante.

HAnc ego Siliquoſam arborem nominavi, quod vix ſibi conſtent incolæ de genuino nomine. Quidam Portugalli *Pao velho* & *Pao molle* dixerunt; quod cortex illius adeo mollis & rugoſus exiſtat. Parum admodum differt ab ea arbore, quæ ſiliqua dulcis Dodonæo, Officinis

cinis panis Sancti Ioannis dicitur; floribus enim decidentibus, quod fit menſe Martio, ſiliquæ ſuccedunt, dulces, tortuoſæ & deformes, primum quidem virides, mox maturitatem conſecutæ, fiunt nigræ & putreſcunt.

Arbor hæc, non umbroſis ſilvis, ſed apricis campis gaudet, mirificeque peregrinantes delectat florum elegantia & odore. Ligno, cortice, medulla & fragilitate Sambuci æmula. In extremitatibus ramorum longa germina protrudit. Folia ad tactum dura, inſtar membranaceæ chartæ ſuperius dilute viridia. Circa foliorum ramulos prodeunt pediculi in quorum extremitate floſculi multi umbellatim congeſti naſcuntur coloris flavi, odoris ſuaviſſimi. In medio autem ſtaminum loco propendent multa filamenta criſpa ipſi croco figura & colore ſimilia.

Radicis medulla ex albo flaveſcens, à leviori cortice liberata in taleolas diſſecatur, exque aqua fontana macerata per noctem ſub dio, & aliquoties pota, non uni malo medetur. Vrinam enim cunctantem cit, renum & veſicæ obſtructionibus opitulatur, ejuſque decoctum vel ſolum Gonorrhœas reſtituiſſe vidi. Succus corticis recens oculis inditus eorum inflammationes tollit. Dilutum ejus ſubamari nec tamen ingrati eſt ſaporis, partiumque eſt valde tenuium, & aſtrictionem aliquam poſt ſe relinquit.

MVREÇI'.



ARenoſa & ſitientia loca, mediocris altitudinis arbores has producunt, quarum quatuor ad minimum diverſæ ſpecies ſub nomine *Mureçi* numerantur. Earum duæ maxime celebres & in uſu habentur, *Mureçi-petinga* & *Mureçi-guaçú* dictæ. Omnes floribus pulchre flaveſcentibus conſpicuæ ſunt, fructibus rotundis & racematim coruſcatis, eodemque, quo flores, colore præditis: foliis autem & cæteris creſcendi modis inter ſe diſcrepantes. Hæc autem cujus Iconem exhibeo eſt cortice cinereo & ligno fragili, foliis multis fere in frondem congeſtis non ſerratis, colore & lanugine Verbaſci foliis ſimilibus. Floſculos fert ſpicatim congeſtos, luteos, conſtantes ſtaminulis multis, quinque foliolis deorſum incurvatis, luteis. Fructus autem ſunt baccæ, magnitudine & figura fructuum uvæ ſpinæ qui comeduntur.

Maturi gratiſſimo quidem acore palatum vellicant, ſed ſtuporem tandem dentibus inferunt, ſimulque aſtringendo intenſe refrigerant. Quapropter probe condiri ſolent & loco Berberis, quibus ſapore & efficacia ſimiles ſunt, ægris ad exſtinguendam ſitim & ſtomachum recreandum exhibentur.

Prima harum, utpote fructu minus ſilveſtri, à me maxime fuit expetita, & in officina repoſita. Ejus quoque corticibus retia & coria tinguntur & contra putrefactiones

nes muniuntur. Barbari ex iiſdem potiones conficiunt, ad purgandum alvum, quod à me nondum comprobatum eſt.

CAPVT XXVIII.

Iaparandiba, Cuieté, & Iaróba.

ARbor eſt cortice cinereo inſtar Alni, ligno duro, medulloſo. Cui folia inordinate & copioſe circumpoſita cum pediculis, foliis *Ianipapa* ſimilia, oblonga, acuminata, nervo & coſtis eminentibus obliquis perducta. Flores fert inſignes ex octo craſſioribus foliis factos, & junctim in trifido pediculo copulatos, figuræ, magni-

IAPARANDI'BA.



tudinis, coloris & odoris Roſarum, in quorum medio multa ſtaminula in orbem compoſita, cum apice flavo & tremulo. Quibus fructus ſuccedunt maliformes quidem, ſed ſuperna parte plani, extus griſei, intus flavi coloris, continentes nucleos fatuos, anguloſos, hepatici coloris, ſplendentes, magnitudine Avellanæ, cordis figura.

De vulgari hac arbore pauca addenda habeo. Ramorum paucitatem foliorum frequentia compenſat, quibus ſolis vis medicatrix, quantum hactenus conſtitit, inſita eſt. Nam flore licet pulcherrimo ſuaviſſimique odoris; tum fructibus egregie copulatis, ornetur, nihil tamen Culinæ vel Pharmacopœiæ uſui ſunt. Folia autem vel integra vel contuſa hepatiſque regioni applicata, durities hypochondriorum reſtituunt, eiſdemque

que malis, ſi rite ex arte præparentur, atque in Apozemate exhibeantur, conducunt ac proinde numero aperientium aſcribenda ſunt.

Quotuſquiſque enim advena vel indigena, optime ſanitati ſuæ ſe conſuluiſſe putat, ſi contra Hepatis & Meſenterii oppilationes medicamina conficiat, quorum baſis eſt *Iuripéba*, *Tapirapecu* & foliorum hujus *Iaparandiba* decoctum, aliquoties reiteratum pro ratione & conſtitutione ægrotantis.

CVIETE'.



CVieté in triviis littoralibus toto fere anno obvia familiaris & elegans hæc arbor, quæ vulgo corrupte *Cochine*. Cortice griſeo, ut Sambucus, contorte naſcitur, longos habens ramos, & in iis folia frondatim & alternatim poſita certis temporibus, ſimul omnia folia amittit, biduo autem poſt iterum foliis onuſta cernitur. Per ramos deciſos & terræ infixos facile propagatur. Folia inuſitatæ ſunt figuræ, verſus extremitatem enim ſenſim amplian-tur, ſuperius ſaturate viridia & ſplendentia inferius dilutiora, nervo recto & venis tranſverſis conſpicua.

Non ſolum in ramis ſed & paſſim in caudice proveniunt tres quatuorve flores juxta ſe poſiti, oblongi, figura pene Campanulæ ſeu Convolvuli minoris, coloris ex albo & viridi mixti, odoris nauſeabundi. In medio autem quinque ſtamina ejuſdem coloris. His, fructus variæ magnitudinis & figuræ, primo virides mox nigri ſuccedunt. Semina Cucurbitæ modo ac nucleo flaveſcente continentes. Immaturus fructus pulpam albam ſucculentam dulcem continet, odore Naſturtium æmulans: quæ Saccharo condita ab ægris & ſanis expetita ſicut Cucurbita & Citrullus, ejuſdemque fere ſaporis & refrigerii. Vbi maturuerint fructus in aqua fervida coquuntur & excavantur patinarum, poculorum & lagenarum vices ſupplentes. Pulpa enim matura non edulis, ſed ad placandos capitis dolores præſertim ex fervore Solis natos inſigne remedium, ſi convenienter temporibus & fronti, forma cataplaſmatis applicetur.

Familiaris eſt arbor multis Americæ regionibus. Oviedus quoque ejus meminit ſub nomine *Higuero*, de qua Cluſius.

IARO'BA.



SArmentoſa hæc planta *Iaróba*, Luſitanis *Cáſca amargoſa* ob amaritudinem dicta. Enarratæ arbori *Cuieté* diſſimilis quidem ſi externam figuram conſideres; ſed ratione fructuum, rei familiari dicatorum, admodum congener, ut merito ſub eodem capite deſcribi mereatur. Altiſſima tecta & arbores

inſtar hederæ conſcendit caule lento tereti, cui hinc inde tria folia modo phaſeoli, adnaſcuntur.

CAPVT XXIX.

Vmarí, Saamóuna, Andira, & Tremaé.

VMarí, vulgo *Camarinhas*. Arbor vix mediocris altitudinis in campis graminoſis ample ramis ſuis expanditur, ligno albo Betalinum fere referente. caudice haud craſſo, nam plerumque tres vel plures juxta ſe naſcuntur: in ramis autem ramulos habet perpetuis ſpinis obſitos. Folia cylindracea parva vel directe vel alter-

VMARI'.



natim oppoſita, ſaturate viridia, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis, vix digitum longa. Poſt florem parvum flavum ſuccedit fructus forma ovalis, magnitudine Pruni, ad viſum & ad tactum referens Perſicum noſtras, coloris autem ex viridi flaveſcentis: carne quoque flaveſcente, pauca, dulci, quæ ambit lapidem magnum ovalem albicantem, qui continet nucleum edulem. Maturus fructus menſe Martio ſponte decidit. Crudus comeſtus turbat ventriculum & facile excitat vomitum: ideo integer ſolet coqui, & una cum nucleo contundi, atque cum carne vel piſcibus loco panis ſeu farinæ comedi.

Altera ſpecies *Vmarí* minus alta fructu, præcedenti non diſſimili; ſed nigricante colore & ſapore acidiori. Qui ſtomachi æſtum temperat & à febricitantibus expetitur. Luſitani hos & illos fructus *Camarinhas* appellant.

Si

SAAMO'VNA.



SI quæ adſpectu mirabilis, excelſa & patula, ſane eſt hæc arbor *Saamóuna*, iiſdem ſilvis mediterraneis, quibus *Cabiréiba* conſpicienda. Quæ ſuperiori & inferiori trunci parte, ordinariæ eſt craſſitiei, ſed in medio duplo plus obeſa, inſtar amphoræ, adeoque tumida apparet ut peregrinantem attonitum remoretur. Ex ramis pediculi emergunt longi, pentaphyllum quiſque protrudens ornate diviſum & ſerratum, multis obliquis venis veſtitum. Siliquas fert oblongas, piſa rubra continentes. Totus truncus ſubſtantia eſt intus alba, medulloſa & plane ſuberoſa exterius cinerei coloris, validis & horridis ſpinis à pede ad verticem uſque obſeſſa.

Ex turgidis ſpinis raſis & contuſis, ſuccus elicitur eximius, cujus vel exigua quantitas, inflammatis & involuntarie lacrymantibus oculis affrictus, medetur; tum manifeſte quoque viſum acuit, atque robur illi addit.

ANDI'RA, vulgo ANGELYN.



DVæ ſpecies arborum, ſub nomine *Angelyn* nominatæ, hinc inde in nemoribus conſpiciuntur. Vtraque externa facie inter ſe ſibi ſimiles; ſed interna qualitate multum diſcrepantes, quæ facile utique dignoſcuntur quod alterius cortex, lignum & fructus amariſſimi inſtar Aloës; altera major nullius manifeſti ſit ſaporis, ex cujus fructibus Feræ pingueſcunt. Vtraque ligno eſt duro & ad ædes fabricandas apto, utraque cortice cinereo, foliis Lauri ſimilibus, ſed minoribus, oculis ſeu gemmis nigricantibus, è

quibus

quibus plurimi flores fragrantes, copulati, purpureo & cæruleo colore inſignes, prorumpunt.

Fructum profert ovi figura & magnitudine, primo ſaturate viridem, ſed mox nigreſcentem, qui uno latere quaſi ſuturam monſtrat.

Fracto duro putamine, granum ſeu nucleus apparet, ex albo flaveſcens, amaricantis & ingrati ſaporis, cum adſtrictione quadam, cujus pulvis ventris lumbricos expugnat; ea tamen cautione, ut infra ſcrupuli pondus exhibeatur, ne medicamentum in venenum abeat, quod quibuſdam imperitis aliquando contigit, cum infantibus illud incaute exhibuiſſent.

TREMAE'.



FRutex arboreſcens *Tremaé* Indigenis dicta, cortice eſt griſeo rugoſo, ligno albo, medullam continente, foliis triſte viridibus, linguæ fere figura, ſine pediculis ramis adhærentia, aſpera, & nervis eminentibus conſpicua, quæ trita aromatici ſunt ſaporis. Foliorum paucitatem florum frequentia compenſat. In extremitatibus enim ramorum ſunt multæ umbellæ magnæ, floribus cum purpureo luteſcentibus, in quibus ſtaminula flava Styracis odorem exacte referentia. Floribus pappi ſuccedunt, in quibus ſemen minimum nigrum mox apparet.

Incolæ foliis contuſis contra oculorum dolores & rubedinem utuntur æque feliciter ac præcedentis arboris ſucco. Mihi eadem folia & pappi in uſu balneorum artificialium propter aromaticam vim expetita, quod mundificandi & abſtergendi facultate pollere expertus ſim.

CAPVT XXX.

Diverſæ Species Camaræ, Cambuy ſive Myrti Americanæ, & Cuipoúna.

INter tot varias *Camaræ* ſpecies, tres tantum medicinales mihi innotuerunt, è quovis ſolo paſſim emergentes. ſicut inſitis aromaticis qualitatibus; ita & facie externa multum ſibi ſimiles, niſi quod aliquæ magis vel minus fruticeſcant, floribuſque nonnihil varient. Duæ enim gaudent floribus ex aureo rubris, quæ *Camará-tinga*, & *Camara-Vmba* dictæ. Calidæ & ſiccæ habentur ad ſecundum gradum.

Camará-Tinga in eximiam altitudinem exſurgit, ut caulibus, ita & foliis hirſutis & ad tactum aſperis, in ambitu ſerratis, foliis Vrticæ ſimilibus inæqualis magnitudinis. In uvula,

extremitate ramorum, ut & ad exortum foliorum ad caulem proveniunt oblongi pediculi aliquot juxta ſe poſiti, multos floſculos habentes rubros. Poſt flores ſequitur uvula, baccis plena viridibus, magnitudine baccarum Sambuci. Flos inſignis odoris: & ipſa herba ſuperat odore Mentham, dignaque ſane quæ inter ſativas plantas excolatur, tam ob pulchritudinem quam ob uſum. Hujus ſpeciei tantum Iconem, hic exhibeo. Cæteræ enim excepta colorum diverſitate huic ſimillimæ ſunt etiam internis qualitatibus.

CAMARA.



Camará-Vuba, caule quoque eſt hirſuto inque multos expanditur ramos: folia habet ſerrata, Menthæ criſpæ ſimilia, ſed magis ſplendentia, leni hirſutie prædita, & ad tactum mollia, bina ſibi invicem oppoſita, quodlibet brevi pediculo inſidens. In extremitatibus ramorum enaſcuntur flores, floribus præcedentis *Camaræ* haud diſſimiles, egregie lutei, novem foliis conſtantes, & in medio umbilico luteo, cui admixta ſtaminula nigra.

Camará flore albo, caule eſt lignoſo, duro, quadrato, hiſpido; in duorum aut trium pedum aſſurgit altitudinem cum multis expanſis ramis, partim in terram procumbentibus. Folia rugoſa, hirta & ad tactum dura, in ambitu ſerrata, ſplendentia, ſaturate viridia, bina ſibi oppoſita, excepto ramorum exortu: ibique umbellatim proveniunt floſculi parvi, coloris candidi ſeu lactei, ſuavis odoris, ut & tota planta, imprimis ſi fricetur.

Balnea ex hiſce nobilioribus *Camaræ* ſpeciebus optima conficiuntur tam ad roborandum interne, loco Meliſſæ & Menthaſtri: quam mundificandum externe; multos namque cutis affectus, ipſamque Scabiem abolent. Decoctum ſpiſſatum curat ulcera, vetera, & lenit dolores capitis ex frigore ortos, ſi illo abluantur.

Quarta denique *Camara-miri* dicta cæteris annumeratur, cubitum longa, caule tenui & lignoſo, flore unico, exiguo, lutei coloris, qui (quod mirandum) quovis anni tempore ſe aperit de die hora undecima, manetque expanſus ad ſecundam pomeridianam, atque omnes ſimul tunc eadem hora clauduntur, uſque in poſterum diem: quod ſicut veriſſimum, ita & raro oblectamento exiſtit. Mihique per deſerta peregrinanti horologii defectum ex parte ſupplebat. Nec tamen præcedentium *Camaræ* qualitatum expers etiamſi inferiori gradu habita.

Cambvy, ſive Myrtvs Americana Silveſtris.



IN glebosis terris duæ ſpecies arbuſcularum, *Cambuy* dictæ luxuriant, ligno utraque lento & cortice cinereo. Quæ ob fragrantiam, adſtrictionem foliorum, florum & fructuum, *Myrti* ſilveſtris nomen merito obtinent. Prior arboreſcens, (cujus hic Iconem addidi) latifolia Ceraſum nigram per omnia externa æmulatur, ſi ramos, folia, flores & fructus conſideres: cæterum interna qualitate eam ſuperat, quod folia & flores optimi non ſolum odoris, ſed fructus nigri admodum ſint ſaporoſi, grata accedente adſtrictione, omnibus pariter Incolis expetiti, & in foro publico venales.

Poſterior autem *Myrtus* eſt rubra, quantumque magnitudine prædictæ cedit, tantum dignitate illam ſuperat, ac proinde fructus inter delicias Pharmacopœiæ habentur.

Frutex hic eſt foliis ſolidis, læte viridibus, oblongis, magis acuminatis quam Pictor in hac icone expreſſit, utcumque alternatim ſibi appoſitis, ſed raro oppoſitis.

Semel per annum floret, Sole ad Scorpionem accedente, tam grato odore olfactum quam niveo colore viſum reficiens. Flos enim totus albicat, ex quatuor foliolis conſtans.

Fructus crocei baccarum ſunt magnitudine, raro ſolitarii, ſed Ceraſorum more copulatim poſiti & pediculis ſuis innitentes rotundo umbilico papillari præditi qui ſi tempeſtive avellantur, ſucco turgent optimo, ſed tandem fauces, ſi multum illis veſcaris, conſtringunt. Continent intus nucleum tenui cortici incluſum. Cæterum ſtomachum reficiunt, corroborant, æſtumque ſedant. Nullus eſt incolarum hujus diſtrictus, qui non ad fructus & folia hæc utiliſſima confugiat. & medicamentum ſibi ex ipſis conficiat, ſive interno ſive externo malo conveniens. Succi & fomenta illorum, tibiarum imprimis ulceribus, atque aliis malis, adſtringendo & mundificando medentur. Balnea integra, tam fluxibus alvi, quam uteri dicata, cum feliciſſimo ſucceſſu adhibentur. Omnia præterea bona pollicetur hæc *Myrtus* Americana agreſtis, quæ de Europæa Auctores paſſim teſtantur.

Tertia quoque *Myrti* ſpecies hic reperitur, quæ *Myrtus* alba appellatur, ſed infrequentior eſt, neque à me hactenus in uſus Medicinæ applicata.

Cvipoúna.

MVlti multis & eximiis dotibus, excellere agreſtem hanc arborem teſtantur. Cujus Icon injuria temporis mihi periit. Ego pauca, ſed vera, & quæ ipſe ſum expertus, de ea, quæ floribus flavis decoratur, exhibeo. Succus è cortice raſo expreſſus & cum aqua limpida mixtus, ulcera inveterata mundificat & purulenta, eaque carne replet.

Præterea ex eodem ſucco atramentum conveniens elicitur, quo etiam ad tingendos pannos utuntur. Gluten quoque efficax exinde concinnatur in uſus familiares receptum.

C A-


CAPVT XXXI.

Munduy-guaçú, ſive Nux Cathartica Americana, & Nhambu Guaçú, ſive Ricinus Americana.

ARborum pumilarum vix ulla lætius provenit, quam quæ Nuces catharticas profert, quas Luſitani *Pinhones*, Pharmacopœi Cataputiam majorem appellant. Ejus ramuli amputati omni anni tempore novas emittunt plantas, fructuſque per totum fere annum ferunt. Excreſcit in Ficus altitudinem & figuram, ligno molli & fragili, lacteo humore acri turgido. Foliis eſt læte virentibus glabris ſucco plenis, anterius acuminatis & quaſi in tres angulos deſinentibus. Floſculis parvis racemoſis ſubdulcis odoris, ſuccedit fructus turbinatæ figuræ ſeu inſtar Iuglandis, primo viridis mox flavus, ubi maturuerit niger. finditur in tres partes, quamvis ſex concamerationibus diſtinctus, in quolibet fructu ſunt tres nuclei magnitudine & figura Pineis ſimiles. Radice eſt craſſa lignoſa recta & profunde in terram deſcendente. Quod quidem raro admodum fit in hiſce regionibus. Pineæ (quas ad vivum ea qua erant mole cum corticibus depictas appoſui) interius albeſcunt & ſunt pingues; calidæ ad tertium, ſiccæ ad ſecundum gradum. Et quemadmodum palato lenocinantur, ita ventriculo ſunt infenſiſſimæ, nam tres vel quatuor nuclei manducati, crudos humores ilico provocatos per ſuperiora & inferiora exturbant, tanta vehementia, ut in vitæ diſcrimen, præcipue imbecilliores nonnumquam conjiciant, atque alexipharmacis & opiatis ruentes humores ſedare neceſſe fuerit. Sed ut legitimus earum uſus conſtet, in diuturnis obſtructionibus viſcerum naturalium imprimis conveniunt: quatuor aut quinque nuclei maturi, ſi à pelliculis interioribus ac exterioribus liberentur, & mox leviter torreantur & macerati è vino, additis correctoriis exhibeantur. Vtut ſit, ſuaſor ſum cum cau-

MVNDVY-GVAÇV' CVM PINEIS.





tione

tione ſemper exhibendum eſſe hoc medicamentum, habendamque rationem ætatis & virium illorum quibus exhibetur.

Porro ad rem familiarem, uſumque domeſticum hæc arbuſcula à multis expetitur: ex nucleis enim oleum quod exprimitur, ellychniis affunditur, quod inventum Braſilia Luſitanis debet. Teſtatur Monardes cap. IV. de oleo Ricini, in Nova Hiſpania pro inſigni cathartico reſervari, ejuſque qualitates quas illi attribuit, hujus oleo Nucis quoque propriæ ſunt. Quamobrem nomine potius Monardes & Cluſius à nobis diſcrepant, qui *Curcas* hunc fructum vocari teſtantur, idque ſub Ricini ſpecie.

NHAMBV GVAÇV', ſive RICINVS AMERICANA.



Ricinum duorum generum producit Braſilia, majorem quidem unam, minorem autem alteram. Vtraque eſt arboreſcens, ſpecioſa facie, non ſilveſtris ſolum, ſed & hortenſis & altilis in multos ramos expanſa; Hæc à Luſitanis *Figuero d' Inferno* vocatur. Folia fert in longis pediculis, in medio folii infixis, in octo aut novem lacinias acuminatas & profundas ſciſſa, per ambitum dentatas nervo tendente è centro folii per omnes lacinias. Inferius ſunt læte, ſuperius ſaturate viridia, ad tactum mollia, tenera. In ramorum extremitatibus autem proveniunt ſingulares pediculi, in quibus alternata ſerie & ſpicæ forma in propriis petiolis, proveniunt virides læveſque globuli quinque aut ſex juxta ſe poſiti, inſtar uvæ, qui ſe aperientes exhibent floſculos ſubtiles, figura & odore ut in Sambuco, ſed multo minores, ex albo ſubflaveſcentes. His ſuccedunt corpora rotunda, viridia, cinnabriis umbilicis notata, magnitudine Avellanæ, in totum hiſpida, quinquaginta aut ſexaginta in unum racemum congeſta, qui fructus, à Luſitanis *Carapatos* ob ſimilitudinem iſtius inſecti dicti. Maturi nigricant ac ſponte diſſiliunt in tres capſulas, quarum quælibet etiam ſe aperit & continet Nucem lævem, cinerei coloris & nigro eleganter maculati, figura & magnitudine Piſtaceorum. Nux à cuticula liberata

rata albiſſimum in ſe continet nucleum oleaginoſum, ex quo oleum exprimitur, variis uſibus dicatum: quippe Lychnis non ſolum affunditur; ſed omnibus paſſim Incolis in uſu eſt quotidiano, contra affectus frigidos, tam internos quam externos.

Calidum habetur ad tertium gradum. Nec potui animadvertere, hujus Americani Ricini qualitates & vires diſcrepare ab iis quas Galenus & Dioſcorides olim illi attribuerunt. Reſolvit apoſtemata, & matricis ventriſque tormina ac flatus illitum diſcutit; prodeſt tinnitibus aurium; reſtituit tenſos convulſoſque nervos. Tres vel quatuor guttulæ, ex conveniente liquore ſubinde per os vel anum exhibitæ, ſanant frigidos articulorum affectus & ſimul alvum laxant. Cutem quoque à pſora, reliquiſque externis corporis affectibus vindicat. Vmbilico inunctum lumbricos puerorum expugnat.

Semen illius catharticum eſt, & multo validius quam oleum: humores enim crudos per ſuperiora & inferiora exturbat, ac proinde præparatione indiget. Convenit in ſpiritu vini optimo, loco correctorii, macerare ſemina multa, & inde unciam circiter è cochleari exhiberi, ut venter benignius à craſſis humoribus evacuetur.

Si ipſa ſeminis grana in ſubſtantia accipere malis, minus tutum exiſtimant incolæ, ſeptenarium numerum excedere, licet Dodonæus id ſuadeat.

Folia aqua vel aceto macerata Herpeti, aut hujus generis affectibus mederi, præter Dioſcoridem, teſtem habeo quotidianam experientiam.

CAPVT XXXII.

Iuripéba mas & fœmina, Ivabeba & Tapirapecu.

NOmine *Iuripéba*, duo ejuſdem generis, ſed non ejuſdem ſexus, frutices naſcuntur in arenoſis Braſiliæ locis. Vterque pulchris & umbroſis frondibus adoleſcit, uterque gramineos fert acinos, more racemorum copulatos & è brevi pediculo pendulos.

IVRIPE'BA.



Prior, & quidem mas, paulo fœmina eſt minor, ad hominis altitudinem vix aſcendit,

dit, foliaque habet minora, nec multum ſinuoſa, ſed laciniata caulemque rarioribus ſpinis obſitum.

In ſummitate ramorum fert floſculos umbellatim quaſi congeſtos lactei coloris cum cæruleo mixti, qui exacte quinquangularem ſtellam repræſentant conſtantque unico folio in tot triangula effigiato & quaſi diviſo, in medio autem quaſi quinque ſtaminula ſtant erecta, florem boraginis è longinquo diceres.

Poſterior altior, ſpinoſior, folia habet grandiora, inferius lanuginoſa & ſpinoſa ornate, laciniata & ſature virentia; florem eundem cum mare, ſed nitidiorem. Vterque ob Medicinæ uſum quotidianum officinis notiſſimus.

Folia enim & ſuccus temperandis & mundificandis vulneribus & ulceribus adhibentur, eiſque egregie auxiliantur. Licet autem amarum quid ſapiant folia & radices, ſicut Cichoreum & Fumaria, tamen inter calida vix recenſentur.

Omnium autem maxime radix virtute & efficacia excellit, multoque amarior exiſtit, præcipue vero Maris, quæ partium adeo eſt tenuium. Quippe ſolum illius decoctum, urinam cunctantem educit. Ad hepatis & paraſtatarum obſtructiones tollendas loco radicum aperientium, cum ſucceſſu ſæpe adhibetur. Vſque adeo invaluit ejus utilitas & præſtantia, ut à doctis pariter & indocta plebe expetatur & inter ſacra reponatur.

IVABE'BA.



SEquitur *Ivabeba* præcedenti ſimilis, ſi medicos uſus reſpicias, eſt frutex eodem modo creſcens quo *Iuripéba*, ſimilique ligno, ſed ſolet altius aſſurgere. Caudex ſpinoſus ac leni hirſutie præditus quod pictor non probe ſatis expreſſit in hac Icone. Folia diverſæ figuræ, pallide viridia, oblonga, lanuginoſa non ita laciniata ut *Iuripébæ*.

Flores itidem fert ut *Iuripéba*, lacteos, quinque foliis conſtantes, inſtar ſtellæ expanſos, in medio cum ſtaminibus luteis. Hinc fructus promanat rotundus inſtar Pomi ſplendens, primo ſaturate viridis ac brunna lanugine tectus, qui maturefactus citrini fit coloris. Cortex fructus eſt frangibilis inſtar teſtæ ovi, cum ſeminibus Lentibus ſimilibus, pulpa flava ſucculenta dulcis & grata formicis, cæterum non edulis. Radix plantæ eſt amara & tenuium partium, atque inter remedia deobſtruentia in pretio habita, potiſſimum vero in renum viſcoſitatibus abſtergendis. Quia radix quibuſdam nimis amara videtur; decocta exinde parata ſaporis gratia temperantur cum liquiritia Americana.

TAPIRAPECV', SONCHI LÆVIS Species.

OMnes paſſim incolæ advenæ & indigenæ inter ſe conveniunt de qualitatibus tam nobilis herbæ: verum de nomine diſcrepant, quod vel ex ſimilitudine vel ex uſu, hic aut ille ruſticus Luſitanus pro arbitrio imponit, quibuſdam, ſatis licet improprie *Lingua di vacca* hoc eſt Bugloſſa; aliis vero *Erva do figado* magis appropriate dicta, quia inter Iecorarias & Cichoraceas, me judice, merito cenſenda eſt hæc Braſilienſium *Tapirapecú*; tum, quod eximie hepatis imprimis lienis oppilationibus medeatur, tum quod facie & figura externa iis potiſſimum comparanda ſit, licet pro ſoli hujus genio nonnihil ab Europæis abludat ſicut ex deſcriptione patebit, quia Icon ob itineris injurias mihi periit.

In gleboſa, potiſſimum terra ſponte naſcitur facie & uſu nulli incognita planta quæ caule

caule plerumque nititur unico, ſupra tibiæ altitudinem aſſurgente. Folia fert dentata oblonga, anguſta, intus dilute viridia lanuginoſa, more Cichorei circa caulem complicata, donec verſus ſummitatem caulis foliis tenuiſſimis & floſculis albis ornate finiatur. Qui poſtea brevi ſeneſcentes, in pappos evadunt, & leviſſimo flatu diſcutiuntur.

Herba cum radicibus integra quovis modo præparata eximii eſt uſus, apozemata enim & decocta familiaria exinde concinnantur: adeoque celebris evaſit, ut æque Chirurgis ac Medicis decantata ſit, contra externa & interna mala.

CAPVT XXXIII.

Mamangá, Manacá, & duæ Paiomirióba.

M*Amangá* Braſilienſibus dicta, frutex eſt trivialis arboreſcens, ubique obvius, quem *Lavapratas* Luſitanorum vulgus appellat.

Flores fert multos pendulos & luteos; & poſt hos plurimas ſiliquas oblongas copulatas, primum quidem virides, ſed mox nigras & putridas, & frequens ſemen in illis contentum.

MAMANGA'.



Folia habet citriis haud diſſimilia, paulo tamen longiora & molliora, & qualitate refrigerandi & abſtergendi prædita.

Præter alias dotes, quibus excellunt, vulneribus atque ulceribus opitulantur, parteſque vitiatas reparant. Cujus rei Chirurgi noſtri non ignari, ea in quotidianum uſum colligunt.

Raro videas viatores iter ſuſcipere, niſi probe hoc remedio inſtructos.

Succus oleoſus denique è ſiliquis expreſſus, ad maturanda apoſtemata reſervatur, & applicatur cum proſpero ſucceſſu.

Manacá.



LOcis umbroſis, maxime circa *Aldeam Tapiçirica* luxuriat Frutex arboreſcens *Manacá*, cortice griſeo, ligno duro quidem, ſed fragili, folia *Piri* foliis ſimilia, nunc inordinate ſibi oppoſita, nunc in frondes quaſi diſpoſita. Flores ſolitarie poſiti ex longo calyce prodeunt in quinque folia diſſecti. In uno eodemque frutice cæruleo purpurei & lacteſcentes reperiuntur menſe imprimis Ianuario, quod ut rarum viſu ratione coloris; ita non minus odore jucundum, cum integras ſilvas inſigni fragrantia inſtar Violarum Martiarum repleant.

Flori ſuccedit fructus baccæ Iuniperi ſimilis, ſed inutilis, viridis, rotundus, cortice griſeo tectus, qui ſuperius quinque fiſſuras habet ut fructus per fiſſuras ſtellam quinquangularem repræſentet. Continet in ſe tria gramina, ſeminis magnitudine lentis, vel etiam majores, figuræ ellipticæ.

Radicem habet magnam, ſolidam & albicantem, cujus medulloſa ſubſtantia in pulverem redacta, magna in Medicina pollicetur & præſtat.

Incolæ pene omnes, tam Luſitani quam Braſiliani, licet magni æſtiment, tamen ob indomitas operationes hactenus in uſum admittere vix auſi fuerunt. Quippe periculo non vacat hoc genus medicamminis, quod nimis violenter corpus ſuperne & inferne moveat. Quamobrem tantum hominibus robuſtiſſimis exhiberi ſolet idque additis correctoriis, tum & juſta obſervata doſi, quæ Scammonei vel Eſulæ potius inferior quam ſuperior eſſe debet: ad illud enim validum medicamentnm proxime accedit hæc radix: verum non ita inſipida eſt, amarore enim & acore non plane deſtituitur. Eadem quoque *Manacá* in aquis macerata lavacra ſuppeditat quibus vagis articulotum doloribus ex frigore potiſſimum natis, medentur. Inter vulneraria quoque apud indigenas uſurpatur.

DVum generum *Paiomirioba* in Braſilia reperitur. Vtramque Luſitani *Herva do Bicho* à quotidiano uſu nominant: quippe lippis & tonſoribus ob frequentiam nota eſt,

quod nimirum folia earum contuſa, & ſuccus recenter expreſſus, 'anoque inflammato inſertus, præſentiſſimum quaſi antidotum ſit, contra calamitoſum illud & familiare malum *Bicho del culo* abuſive Luſitanis dictum. Vtraque planta fruticeſcens, in qualibet terra, præcipue tamen arenoſa littorali ſponte naſcitur, Orobique ſpecies judicatur. Prior hæc à ſecunda vix differt niſi foliis multo acuminatioribus, & Orobi *Pannonici* Cluſii, ſimillima. Ex unica radice multi prodeunt caules, circiter tres pedes longi, lignoſi virides, nodoſi, in multos ramos divaricati, qui è nodis prodeunt: in quolibet ramulo octo vel novem folia, ſibi oppoſita. In extremitate ramorum enaſcuntur floſculi, quinque foliis conſtantes, plane ſimiles illius Orobi Pannonici, ſed omnino lutei. Flores ſequuntur ſiliquæ quatuor aut ſex digitos longæ, teretes, paulum compreſſæ, matureſactæ fuſceſcunt, & ſponte rumpuntur, atque effundunt ſemen rotundum fuſcum paulo majus lentibus. Toto anno floret & fert ſemen. Radix longa, recta multa ſuperius habens filamenta, flavi coloris. Eadem contra venena: ſemen autem cum aceto contra impetiginem valet. Planta qualitate pollet refrigerandi, abſtergendi, & mundificandi. Aqua enim ex floribus & foliis deſtillata urinas & calculos veſicæ fortius movet quam Orobus, ardoreſque renum & ſtrangurias temperat.

Altera ſpecies *Paiomirióba*, *Tareroqui* Braſilienſibus, *Matapaſto* Luſitanis dicta; eſt eadem figura & radice ac flore: differt tamen foliorum figura: nam hujus ſunt, ovalis, ad exortum ſuum anguſtiora, Poſt Solis occaſum folia ſua componit & quaſi marceſcit, mane iterum explicat. Semen rotundum, nigrum, minutum & multum, diverſum à ſemine *Paiomirioba*.

Folia non ſolum ani inflammationi, ſed & ulceribus anthracibuſque applicata medentur. Ex eiſdem denique foliis aquæ impoſitis & putrefactis, craſſa quædam & pinguis ſubſtantia emanat, qua un-

PAIOMIRIO'BA I.



PAIOMIRIO'BA II.



guenti

guenti mundificantis loco utuntur. Qui veterinariam artem exercent teſtati ſunt mihi, ſe nullum præſentius amplecti remedium in curatione vulnerum equorum.

CAPVT XXXIV.

Aminiiú, ſive Goſſypium, Ibitánga, & Maçarandiba.

A*Miniiú* eſt Fructex eleganter arboreſcens ligno molli, foliis teneris dilute viridibus, in tres lacinias ſectis, qui magnis floribus pentaphyllis læte flaveſcentibus, ſtamine & tuberculis ejuſdem coloris, in medio unguibus purpureis decoratur. His ſuccedit corpus ovale, viride, nigriſque punctulis variegatum & quod ubi matu-

AMINIIV'.



ruerit in tres capſulas diſſilit, unde albiſſimum Goſſypium erumpit, in cujus flocco immerſi ſunt ſeptem nigri fructus piſtaceorum fere magnitudinis & figuræ, quibus continetur nucleus albeſcens, pinguis, dulcis ſaporis inſtar amygdali, ex quo ſemine planta propagatur.

Semina & oculi foliorum contra fluxus ventris ſanguineos vel ſola vel aliis remediis mixta exhibentur. Eorum mucilagne incolæ paſſim utuntur contra febres ardentes pectoriſque morbos atque venena eroſionem ventriculo & inteſtinis inferentia. Semen hoc terræ commiſſum in Hollandia feliciſſime pullulavit & ultra pedalem altitudinem excrevit, ſed inclementiam hyemis ferre non potuit Fr. Ximenes teſtatur ſtolones contuſos non ſolum eiſdem malis, ſed & morſibus puncturiſque venenatorum animalium mederi.

Olim

IBIPITA'NGA ſive CERASVS BRASILIANA.



MAÇARANDI'BA.



OLim ſilveſtris tantum, nunc ob uſum & elegantiam in hortis Luſitanorum exculta arbor, figura Ceraſi noſtratis acidæ, niſi quod truncus contortior hinc inde cum ramis diſpergatur. Foliis eſt ſaturate viridibus, lævibus, duobus ſemper ſibi oppoſitis, juxta quorum exortum flores albi, cum multis ſtaminulis ceraſinis prodeunt, quibus ſuccedit fructus rotundus inſtar baccæ Mori, primo miniatus, mox lætius paulo rubeſcens, & octies profunde ſtriatus, umbilico præditus. menſibus potiſſimum pluviis matureſcit, cuticula non ſolum ſed & pulpa quoque miniata, ſucculenta, ſaporis calidi & ſubamari, cumque grato acore aſtringentis. Lapis qui continetur unicus albicat, nucleum calidum & amarum habens, lapidi Ceraſi *Maçarandiba* ſimillimus.

Fructus autem hi, ſecundæ menſæ deliciis non ſolum ſed ægris prodeſſe ſolent. Ventriculum enim languidum mire reficiunt, flatus diſcutiunt, nauſeam ſtomachi reprimunt.

ARbor hæc Ceraſum altitudine non ſolum, ſed & ligno, foliis fructibuſque æmulatur, eique, ſi è longinquo conſpiciatur, ſimillima apparet. Olim ſilveſtris & in montoſis potiſſimum locis naſcens, nunc in hortis Luſitanorum quoque excolitur. Floret menſibus hybernis, moxque fert fructus infinitos, Ceraſi quidem Europæi

magni-


magnitudine, ſed figura nonnihil diſſimiles, quod hi non exacte ſphærulæ inſtar rotundi ſint, ſed paulo compreſſiores, & pediculis brevioribus craſſioribuſque ipſis ramis adnaſcantur. accedit quod pellicula veſtiantur tenaci, craſſa, prius rubeſcente, ſed ubi maturuerint, miniati & triſtis coloris. Præter duriorem quem continent lapidem, lacteo turgent liquore dulciſſimo, eoque non ingrato, ac proinde ab omnibus pariter incolis inter epulas expetito. Quia temperate calidus eſt hic ſuccus, & nutriendi facultate pollet, expreſſus emulſionis inſtar exhibetur; tum imprimis contra frigidiores pectoris affectus, vel ſolus, vel aliis remediis pectoralibus admixtus: guttur denique & aſperam arteriam male affectam, maximopere mulcere compertum eſt.

CAPVT XXXV.

Sex ſpecies Tunarum, ſive Ficuum Indicarum Iamacarú.

SI in ullis Americæ plantis mirus Naturæ luſus, certe in his Carduis ſive Ficubus ſilveſtribus apparet. Quippe adeo inter ſe variant, pro natalis ſoli diverſitate, ut vix omnes ad eaſdem ſpecies quis referat, niſi flore & fructu, tum interna qualitate convenire deprehenderentur. In diſſitis enim & denſis nemoribus, ad quæ vix aditus patebat, aliquas communis arboris magnitudinem ſuperare, in littore vero ſitienti aliquas vix fruticis altitudinem adæquare vidi.


IAMACARV' I.



Prima ſpinoſa quæ ſe offert *Iamacarú*, Luſitanis *Cardon*, fruticibus aut arboribus adnaſcitur tenues radices habens quibus ſe illis inſerit. Folia ejus craſſa, ſolida, inſtar Aloës triangularia, vario modo ſibi invicem oppoſita, ut in Ficu Indica: Folia viridia, turgentia ſucco viſcido, ſed inſipido. in extremitatibus angularibus foliorum, rudimenta fructuum ſunt, & ſpinulæ acutæ juxta ſe poſitæ quatuor cinereæ. Provenit in ejus ſummitate flos ſuavis odoris, cæterum Nymphææ majori ſimilis, exterius conſtans multis foliis viridibus, anguſtis, oblongis, & in medio horum columna flava, rotunda, ſuperius in multas partes diducta. Fructus eſt ovalis figuræ & plus minus magnitudinis, triangularibus eminentiis conſpicuus, cute tectus inſtar corticis Mali arantii, interne & externe colore elegantiſſimo ſeu laccæ & cinnabrii mixto. Caro interior alba, ſucculenta, ſaporoſa, ſeminibus nigris ſplendentibus referta, quæ ſimul cum pulpa comeduntur. Præterquam quod ob delectabilem fructuum fragrantiam & ob ſuccum ex acido dulcem, ab æſtuantibus expetuntur: febricitantibus imprimis & bilioſis conveniunt recentes, quod grato acore palatum afficiant, & ſitim ſedent, cor ac ventriculum mire reficiant. Succus denique ex hac planta extractus, febribus ex bile natis medetur.

Secunda

IAMACARV' II.



Secunda *Iamacarú* eſt mediocris magnitudinis frutex arboreſcens, caudice tereti, griſeo, & ſtellatis aculeis obſito: ſuperiores autem rami deorſum propendent, quorum exordia ſunt longi proceſſus teretes ſtellatim aculeati ut caudex; his ramis verſus exteriora, inſident folia Tunæ modo, ovalia, compreſſa, in ambitu aculeis ſingulatim poſitis. Fert florem albicantem qui ex illis tuberculis foliorum enaſcitur & in multa ſtaminula deſinit. Fructus haud multum à præcedente differt, ſed minor, cæterum guſtu & dignitate illi par.


IAMACARV' III.



Tertia *Iamacarú* aliis *Caxabu* arbor magna & procera admodum, ſponte erumpit ex unico folio craſſo, octangulo, ſpinulis in ſtellulæ modum poſitis armato. Huic uni folio alia plura in altum erecta brachium craſſa Tunarum more adnaſcuntur: ſucceſſu autem temporis folium inferius corticem griſeum acquirit, ac in caudicem lignoſum & craſſum abit, ſpongioſum tamen & facile cæduum; folia vero quæ caudici proxima ramorum vicem ſupplent, cætera foliorum. Caudex vetus, ac ramoſa illa folia ſpinas denique amittunt, folia autem ſpinoſa ſemper remanent. Flos huic caudici ſolitarius provenit albus, magnus. ſequitur fructus, ovo anſerino duplo major, ovalis figuræ exterius ruber obſcure, qui quod refrigerantis eſt qualitatis & grati ſaporis ab æſtuantibus, ſicut mihi in longis peregrinationibus contigit, comeditur.


Quarta

IAMACARV'. IV.



Quarta ſpecies teretibus eſt ramis & nodoſis, ad quos nodos ſunt ſpinæ ut in cæteris, cum quibus in reliquis convenit. Trunco eſt admodum ſpinoſo, eoque rectiſſimo ſicut *Iaracatia* arbor (cujus nomen abuſive huic quoque *Tunæ* attribuitur) vere Pinum diceres, ſi rectitudinem & altitudinem conſideres, verum in cæteris differt, quod foliis potius ſe invicem protrudentibus, quam ramis in arboris ſummitate, decoratur, quæ rotunditate & craſſitie palmam, longiſſimis ſpinis digitos manus æmulantur. Diſſitæ hujus arboris nuper à nobis detectæ fructus, mihi & ſenioribus Braſilianis mecum peregrinantibus, hactenus minus innotuerunt. Caudicis medulla eſt Sambucina facile mollior, quæ ſecta arbore, continuo exſiccatur, abitque in leviſſimum pulverem, qui decidit, moxque ablato ſpinoſo cortice, relinquitur ſcapus concavus, arundine levior, miris cancellis, quaſi ex arte fabricatus: qui ſi ab igne accendatur, flammam luculenter fovet, faciſque loco nobis iter facientibus de nocte inſerviebat. Quamobrem ſumma induſtria inde huc, tibiæ craſſitiei, viginti circiter pedum longitudinis ſcapum transferri juſſi, & nunc in Horto Academico Lugduni Batavorum, apud Clariſſ. Profeſſorem D. Vorſtium reſervandum dedi.

IAMACARV' V.



Quinta Ficus ſpinoſa, *Cumbéba* appellata. Ex radicibus tenuibus naſcuntur triangularia aut etiam quadrata folia, viridia, quibus alia hinc inde annaſcuntur ut in Ficu Indica: ſuntque duplo craſſiora quam *Iamacarú* quæ fruticibus & arboribus annaſcitur; ſed hujus longiora ſunt: in anguloſis extremitatibus, aculeis munita, flaveſcentis ſeu lignei coloris; inæqualis magnitudinis juxta ſe poſita. Florem fert ut præcedentes ſed minorem. Fructus, figuræ oblongæ, conſtans cute craſſa, egregie rubra. Pulpa friabilis alba, ſucculenta, & quaſi in multos globulos conglobata ut nix gelu indurata: Eadem cum ſeminibus ſuis nigris comeditur, boni ſaporis, Ficum vulgarem ſuperans. Succus è cortice rubro expreſſus acidi adſtringentis ſaporis ut ſuccus Ribium immaturorum. Folia ſuccum dant braſſicæ ſimilem: qui ſi amarus eſſet, planta hæc Euphorbium eſſet, nam per omnia convenit cum illius deſcriptione.

Hæc Species Tunæ in Nova Hiſpania profert Cochinillam, quæ tamen hic locorum licet ſedulo indagantibus nunquam apparuit.

Omnes hæ plantæ *Iamacarú* nunc tenuibus, nunc craſſis ſpinis horridæ, adeo, profunde carnem humanam penetrant, ut vix ullo remedio evelli poſſint præcipue autem hæc quinta figura, *Cumbéba* dicta.

IAMACARV' VI.



Sexta, & ultima *Iamacarú*, quantum quidem mihi & diligentiſſimo meo domeſtico hactenus conſtitit, peculiare nomen, ſicut & aliæ nonnullæ, ab Indigenis accepit, ſcilicet *Vrurumbéba*, ex familia quoque Tunarum ſive Ficuum Indicarum. Quæ in deſertis mediterraneis tantum reperitur, atque licet in uſus Medicinæ nondum recepta, poſteritati tamen indaganda, ac proinde hic non negligenda. Caudice eſt recto, ſolido, ſpinis validis inordinate poſitis armato, cui in ſummitate multa folia, craſſa, ſpinis horrida, Palmæ figura, ramorum vicem ſubeuntia, adnaſcuntur.

Fr. Ximenes varias quoque (*Nochtli* in nova Hiſpania appellatas) harum Plantarum differentias dedit, quas potiſſimum ſumſit à fructuum varietate.

Omnes *Iamacarú* frigidas & humidas, licet gradu differentes, comperi, exceptis granis quæ ſunt ſicca & aſtringentia. Quamobrem gummi quod ex illis deſtillat, fructus, folia, radices, febribus, aliiſque malis ex intemperie calida natis, ſive aſſumta ſive extus admota medentur. Fructus imprimis, tam ſanis voluptati, quam ægris ſolatio exiſtunt.

Licet ego paſſim (ut & alii Autores ante me) in explicatione harum Ficuum Indicarum frondes quaſi ex meris foliis conſtare dixerim: fateor tamen, ſi penitius ad examen reducantur, rami potius quam folii naturæ participare. Primo, quia nullum Botanicorum crediderim vidiſſe folium ex folio ſicut hic, ſed quidem ramum ex ramo pronaſci, ſicut perpetuo in hiſce Ficubus contingit. Secundo, quia folia decidua ſunt, quod nunquam in hiſce Ficubus obſervatum eſt. Tertio, quia folia contigua tantum ſunt arbori; è contra omne quod rami vicem ſubit, continuum ſit ſicut quoque ex anatomia quarundam Ficuum apparuit, ubi radices immediate continuatas vidi iſti frondi, quæ folii nomen audit.

CAPVT XXXVI.


Caraguatæ ſpecies variæ.

IMmenſi eſſet laboris omnes & ſingulas elegantium harum ſtirpium differentias notare. Primam itaque & præcipuam *Caraguatá-acanga*, ex univerſa illarum familia, deſcribendam ſuſcepi, quæ fructu eſculento & medica facultate commendatur.

E terris potiſſimum gleboſis provenit, olim ſilveſtris tantum, nunc ob uſum & elegantiam exculta.

Naſcitur foliis læte viridibus, cavis, in ſpeciem gladii mucronatis, prælongis, utrimque ſerratis, denticuliſque adeo acutis, ut nulla arte tractari, fructuſque, quem intimo gremio occultat, vix impune erui poſſit. Eo loci proxime ad terram multi flores juxta ſe in orbem poſiti proveniunt ex cæruleo purpurei & in medio alba ſtamina habentes. quilibet flos digitum longus, conſtat tribus foliis. Fructum exinde promanantem (quem vides hic ad vivum alterum integrum, alterum diſſecatum) Barbari proclamant divenduntque. Figura eſt digitali, cujus longitudinem & craſſitiem adæquat; colore tam intus quam extus albo, & ad flavum inclinante; ſemine rotundo & nigricante: Carne eſt frigida,

CARAGVATA' I. & FRVCTVS.



CARAGVATA' II.



gida, lubrica & ſpongioſa, multoque ſucco turgida, quæ palato acidulo ſapore apprime applaudit. Cavendum tamen ne affluentius utaris, quod dentium ſtuporem non ſolum inducat, ſed & linguam atque fauces ſauciet, palatumque excoriet, ut non immerito **Slyptonge** à nautica pube nominetur. Succus cochlearis menſura, addito pauxillo Sacchari infantibus exhibitus eos vermibus & oris Scorbuto liberat. Adhæc febricitantibus ex cacochymia ſalſæ pituitæ prodeſt. Menſtrua & urinas ſtrenue, imo plus juſto, ſi non decenti doſi propinetur provocat. à prægnantibus manducatus fœtum ejicit: cujus rei non ignaræ meretrices, ut viris tuto ſe proſtituant ſceleratum aliquando infanticidium exercent.

Optimum vinum ex eodem plantæ fructu exprimitur & uſui reſervatur. Sed quia forte eſt, inebriat & ſanguinem accendit.

Secunda, *Caraguatá-guacú* ſive major ſpecies, naſcitur ex ſabuloſa radice quæ magnitudine, figura & colore plane Cepam æmulatur, atque inferius multa habet filamenta: primo aſſurgunt quatuor aut quinque folia craſſa, ſucculenta, viridia, cava, dein proveniunt plura, figuram habentia trianguli acutiſſimi, ſtantque erecta, in orbem adnata, acutis denticulis rufeſcentibus munita. Poſt biennium è medio foliorum exſurgit ſcapus femoris humani craſſitiei; rectus, ſpongioſus hinc inde triangularibus foliis minoribus veſtitus, altitudine ſubinde viginti quinque pedum; in ſummitate autem explicat tenerum & faſtigiatum truncum inſtar arboris cum ſuis ramis; unde iterum enaſcuntur multa conica corpuſcula, quæ ſeſe aperientia florem exhibent ſtellarem ex quinque foliolis conſtantem.

Ex foliis hujus plantæ optimus pannus conficitur, qui ſi rite præparetur, panno lineo vix cedit. Ex ſubſtantia conicorum corpuſculorum, antequam in flores abeant, alba filamenta goſſypii æmula extrahi poſſunt. Folia ſtupam quoque & filoſam materiam ſuppeditant, è qua fila & retia ſua contexunt piſcatores.

Eadem

Eadem vel leviter vulnerata ſuccum tenacem & pinguem exſudant, ſmegmatiſque defectum ſupplent. Radix aut etiam folia hujus plantæ recentia trita ac aquæ injecta, piſces ita exanimant ut ſtatim manu prehendi poſſint.

Planta junior in muſeo noſtro diu ſuſpenſa, nova produxit folia ad parietem. Lignum *Caraguatá-guaçú* ſiccatum inſtar funiculi ſulfurati ardet; ex eo ignis elici poteſt duriore ligno applicato. Pulcherrima ſane & rariſſima viſu planta, cujus elegantiſſimus ſcapus exſiccatus lectis penſilibus portandis eſt aptiſſimus. Ego unum ex Braſilia mecum detuli, quem Clariſſimo Viro D. Vorſtio in Horto Publico Lugd. Batav. ſervandum dedi.

CARAGVATA' III.



Tertia *Caraguatá*, Luſitanis *Erva-baboſa*, Latinis Aloë dicta. Ex radice craſſa ſucculenta brevi aſſurgunt folia multa, craſſa, ſucculenta, acuminata, utroque latere dentata, pallide viridia, atque hinc inde griſeo colore maculata. Inter folia prodit caulis, in duos ramos diviſus, quorum quilibet fert ſpicam florum flavorum; eſt autem quilibet flos cavus, ad oram ſextupliciter ſciſſus, apertus, deorſum propendens, inodorus.

Hæc Planta aut eadem eſt, aut ejuſdem ſpeciei, cum *Manguey* aut *Metli* Mexicanorum, cujus plures reperiuntur ſpecies in nova Hiſpania de quibus Ximenes accurate egit, non ſolum tanquam Theoricus Botanicus, ſed ut Practicus. Quippe inſignes corum uſus Medicos, noſtris *Caraguatæ* dignitatibus multum ſimiles annotavit: Quæ qui curioſius videre volet, adeat Annotata in Hiſtor. noſtram Braſiliæ.

Porro plerique Scriptores qui de rebus Americanis commentati ſunt meminerunt hujus plantæ, Gomara, Acoſta, Cluſius qui omnes fere conſentientia tradunt iis, quæ Franc. Ximenes hic tradit ex Doct. Franc. Hernandez: Longe autem aliam plantam eſſe oportet quam D. Ioachimus Camerarius deſcribit & cujus Iconem dat in Epitome de plantis, ſub nomine Aloës Americanæ; quia ſcribit folia abundare ſucco amaro, & alia quæ minime conveniunt cum ſuperiori deſcriptione. Quare differentia harum plantarum bene eſt obſervanda, cum alioquin foliis & quibuſdam aliis notis inter ſe conveniant. Ego enim hujus de qua nunc ſermo nobis, nunquam purgantes; ſed Chirurgi deterſorias & mundificantes qualitates in ulceribus fœtidis quotidie experti ſunt.

Quarta *Caraguatá* planta eſt creſcens in arboribus & putridis earum caudicibus. Ex radice filamentoſa, proveniunt ſex ſeptem aut plura folia, ab uno ad quinque pedes longa, & craſſa ut folia *Ananás*: tres aut quatuor digitos lata & cava inſtar canalis, atque in ambitu dentata aculeis brunnis, acutis, ſurſum erectis. Caulis in medio exſurgit craſſus, lignoſus, altus, hinc inde foliis obſitus, in ſummitate vero corona variegati coloris decoratur.

Alia denique *Caraguatæ* ſpecies ſaxis horridis & montibus adhærere conſpicitur. Fructu fatuo quidem ſed purpurei coloris inſigni, *Ananas* ſilveſtrem diceres: ſemine

CARAGVATA' IV.



numeroſo turgens; Foliis vero craſſis denticulatis, amplis & inſtar Dipſaci incurvatis, quæ aliquando medium ſextarium, plus minuſve, aquæ limpidiſſimæ, continent, maximo eorum ſolatio, qui per loca deſerta, nulliſque fontibus irrigua iter facientes, ad haſce plantas confugiunt & ſitim extinguunt. Sicut mihi non ſemel contigit, cum Indigenis Mediterranea loca perluſtranti.

Polypodium præſtantiſſimum his plantis (ſicut in Europa Robori) ſupernaſci ſolet, omni Polypodio ad uſus medicos præferendum.

CAPVT XXXVII.

Nana, Braſilianis; Ananas, Luſitanis.

ACtum agere nonnullis videbor, quod fructum toties deſcriptum & ad vivum exhibitum hic denuo producam. Verum cum ea proſequi ſit inſtituti noſtri, quæ praxin æque ac Hiſtoriam Botanicam illuſtrent; proferam quæ de *Ananas* qualitatibus, tum ab aliis, tum propria experientia didici. Eoque magis quod à fide dignis ſenibus Incolis teſtatum ſit, primum hunc fructum ex hiſce provinciis ad Peruviam, inde ad Indias Orientales delatum eſſe. Recte quidem in comparanda rerum novarum notitia, ſollicite inſitas vires inveſtigamus: ſed non minus intereſſe exiſtimo, etiam indies cognitarum herbarum & fructuum ulteriores dignitates latentes ſcrutari, ſicut in hoc & multis ſimilibus veriſſime mihi contigit, & proculdubio ſæpiſſime mihi & aliis poſthac continget.

Altilis

ANANAS.



Altilis hujus Cardui ſpecies, Oviedo *Iaiáma*, Monardo Strobylus aut nux Pinea dictus, nemini credo ignotus, facileque optimus Indiarum fructus atque ſecundæ menſæ oblectamentum, & ornamentum, ſive crudus ſive Saccharo conditus. Cinaræ in modum ſpicis compactilibus inſtar criſtarum, in ſummitatibus emergentibus naſcitur, & dum augetur, inter foliola ejus prodeunt floſculi multi variegati, ſed potiſſimum cærulei coloris, tribus foliolis conſtantes, qui matureſcente fructu decidunt. Folia autem ex quibus emergit *Ananas* ſunt circa viginti, oblonga, in ambitu dentata & in ſpeciem gladii mucronata foliis Aloës æmula. Menſibus æſtivis, Sole exiſtente in Capricorno, maxime viget. Exigua ſemina ſeu grana ſubrufa in ſuperficie pulpæ latitant. Fructus apprime ſucculentus, eſt inſignis cinnabrii coloris, Melonis fere magnitudinis, figuræ ovalis, per oras autem incarnati, odoris ſimul ac ſaporis ſuaviſſimi. Extuberantibus bullis ex flavo albicantibus exterius paſſim diſtinguitur, & quaſi vermiculis aut teſſerulis variatur.

Fructus maturus ſuperius plantam juniorem habet, quæ decerpitur, & ita ſine radice (nullam enim habet) terræ imponitur, quæ ſequenti anno fructum fert. Vnaquæque planta ſemel & unicum fructum profert annuo ſpatio, & fructus novam ſimul plantam, quæ cum plantatur, vetus eradicatur & abjicitur, ut pote inutilis. *Ananas* vi Solis maturefactus minoris fit apud Incolas quam ille qui in conclavi ſuſpenſus aliquamdiu fuit.

Hic fructus, quia ſucco corroſivo immodice ſumto linguam vellicat, ac gutturis ardores infert, deſciſſo cortice in taleolas ſecatur, inque vino Hiſpanico maceratur tantiſper, donec qualitatem noxiam deponat, qui gratum ſaporem & odorem vino quidem communicat, linguæ tamen morſus & gutturis inflammationem, ſi potetur vinum, inducit. Ipſe autem ſuccus, quo turget fructus, mirifice animum languidum recreat, & ſpiritus ſopitos ſuſcitat, & imprimis ſtomachum nauſeabundum reſtituit. Addo, quod recens ejus liquor, tum vinum inde expreſſum, urinæ ſuppreſſioni & doloribus nephriticis ſuccurrat; tum quoque venenis, imprimis ſucco *Mandihocæ*, adverſatur. Idem illius radix, fructu deficiente, præſtat.

Omnia hæc efficacius operatur liquor ſtillatitius è fructu vi ignis extractus, ſi modica quantitate exhibeatur: verum ſi largius concedatur, vaſa urinaria infeſtat, adeoque corrodendi qualitate pollet, ut non tantum linguam & palatum ſauciet, ſed & in cultro, quo ſecatur, mordacitatis veſtigia relinquat, idque intenſius, ſi non probe maturus

 fuerit.

fuerit. Maculas denique è veſtibus eleganter abſterget. Atque tunc prægnantibus non minus obeſt quam fructus *Caraguata*. Febricitantibus, tum vulneribus vel ulceribus infeſtatis, prorſus abſtinendum ab hoc fructu; adeo enim humores accendit, ut non ſolum impediat reſtitutionem ægrorum, ſed & in pejus eos diſponat.

Quapropter miror optimum Monardem, fructum *Ananas* frigidum & humidum dixiſſe. Minus fallitur Chriſtophorus à Coſta, qui calidum & humidum eſſe affirmat.


Silveſtres quoque dantur *Ananas*, ex Carduorum familia, qui nunc humi, nunc altis arboribus ſupernaſcuntur, cujus fructus ut plurimum exiſtit ovalis Citrulli magnitudine, compoſitus è quadrangularibus cylindris in extremitate quadrate pyramidalibus, per maturitatem flaveſcentibus. Cavi hi ſunt, continentes granula ovalia innumera pallide flaveſcentia, papaveris majoris ſemine majora, ſuavia, & dulciſſimo rore imbuta inſtar mellis. Qui exprimitur digitis in os, & pro ſummis deliciis abſorbetur. Fructus etiam tranſverſim diſcinditur in taleas. Plura qui volet de hoc Silveſtri ſive *Nana brava*, adeat Bellonii C. 40.

CAPVT XXXVIII.

Betys vel Betre, Nhandú ſeu Piper caudatum, & Aguaxima.

FRequens tum in ſilvis, tum in ruderibus Vrbis Olindæ eſſe ſolet *Betys*, frutex elegans, vel potius arbuſcula quatuor aut quinque pedes alta; caudice recto, nodoſo, digitum craſſo, pallide viridi & per totum punctulis albis notato. Superius ad aliquot nodos, ramulos adipiſcitur identidem nodoſos & ejuſdem cum caudice coloris. In ramis habet folia, ad quemlibet nodum unum, & ſimul unum julum. Folium, linguæ figura, pallide viridis ſeu ſubflaveſcentis coloris, ſuperius ſplendens, craſſitie Lauri foliis pene ſimile. Denique Piperis ſtirpi ſarmentis, caule & facie externa ſimillima. In hoc tamen differt, quod folio & fructu paulo quam Piper eſt grandiori. Arbuſcula plane nobilis & quantivis pretii.

BETYS, vel BETRE.



Iuli qui ex ramulis dependent, formam Piperis longi mentiuntur, ſed inſipidi ſunt & nullius uſus. Verum licet fructus fatuus ſit, radix tamen ſapidiſſima eſt & celeberrima; nam & aromaticum quid ſpirat, & Zinziberis præſtantiam ſapore, colore, atque odore æmulatur, præcipue ſi recens ſit; tunc enim, dignitate illi vix cedit, calida & ſicca habetur in gradu intenſiori.

Foliorum & radicum decoctum colicum dolorem ſedat, dolores membrorum mitigat, ventrem flatibus turgidum componit, pedumque tumores ex frigore natos amolitur.

Idem præſtant balnea & fomenta inde confecta.

Præter hanc *Betyn*, aliæ adhuc, inter quas eſt *Betys* fœmina, in ſaltibus reperiuntur, julis gracilibus & exiguis botrorum modo congeſtis & pendulis.

In

NHANDV.



IN arboreſcentis fruticis pene altitudinem caule tenui, nodoſo aſſurgit ſilveſtris planta, quæ *Pimienta dos Indios* à Luſitanis vulgo, à quibuſdam *Betre* appellatur. cui egregie mucronata folia ſingulatim poſita cum ſuis pediculis adnaſcuntur juxta nodos, ad quos itidem proveniunt multi juli, longi, incurvati, figura fere ut muris cauda, virides, qui prima æſtate decerpuntur, ac in Sole ſiccati nigreſcunt: continentque granula rotunda, nigra, ſeminis papaveris magnitudine, arcte juxta ſe in uvam compoſita, acris ſaporis, inſtar Piperis optimi quod ex India Orientali affertur. Radix in alias plures tenues dividitur, fuſcas, inſignis odoris, inſtar Thymi, & ſaporis acris qui linguam vellicat. Decoctum radicis & ſtolonum diſcutit atque incidit craſſos & viſcoſos corporis humores, ſanat Hydropem pedum.

Folia hujus plantæ medentur ulceribus tibiarum. Radix mirabiliter valet adverſus apoſtemata. Vtraque, cum ſumme ſint fortia, etiam exſiccata & diu repoſita, ad balnea calida contra mala frigida uſurpantur. Pharmacopœa æque ac culina jam dudum frequentiorem agnoviſſet uſum, tam utilis herbæ; niſi tot Capſici Braſilienſis ſpecies in hortis alerentur & omnium Piperum vices ſupplerent.

Fr. Ximenes inter plantas novæ Hiſpaniæ hanc eamdem videtur deſcripſiſſe; non minus figura quam qualitatibus noſtræ ſimilem.

Quam vero Cluſius deſcribit julis potiſſimum ab hac differt.

Reperitur in Braſilia & alia ejus ſpecies ubique obvia & frequentiſſima in ſilvis mediterraneis: per omnia ſimilis priori, excepto quod folia anguſtiſſima ſunt & oblonga, fructus quoque ſeu cauda piperina longior & melior.

AGVAXIMA.



IN ſilvis littoralibus, maxime vero in fertiliſſimo Olindæ Promontorio copioſe naſcitur hæc planta, Luſitanis *Malva d'Iſco*: Plurimæque ejuſdem generis repeiriuntur, ſed quarum qualitates hactenus mihi ſunt incognitæ.

Frutex eſt elegans, inſtar arbuſculæ excreſcens, ad trium, atque etiam ſex pedum altitudinem. Caulis nodoſus, teres, viridis, lignoſus, fere ut caulis *Solani* ad aſpectum.

Folia fert Titiæ ſimilia,

paulo tamen grandiora, quæ ſingulatim poſita, quodlibet ſuo pediculo ad nodos innititur: ſunt autem folia lata, figura cordis, multis venis ſecundum longitudinem arcuatim eleganter notata.

Ad nodos, ubi folia proveniunt, etiam Iuli multi, quatuor aut ſex digitos longi enaſcuntur, incurvati, figuræ ut cauda muris, unde Luſitani *Pimenta rabuda*, hoc eſt, Piper caudatum appellant. Sunt autem virides, & menſe Octobri & Novembri decerpuntur, ac in Sole ſiccati, evadunt nigri. Continent granula rotunda, nigra, inſtar ſeminum Papaveris magnitudine, arcte juxta ſe in unum compoſita, ſaporis acris, inſtar Piperis, quod ex India adfertur.

Si ex aqua bulliat & Soli dein exponatur, fortius evadit & magis durabile in omnes uſus.

Radicem fundit exterius nigricantem, optimam, atque utiliſſimam; quæ odore Caryophyllum, ſubtili & mordaci acore radicem *Iaborandi*, æmulatur.

Calida eſt & acris ſaporis atque inter antidotales habita, cumque partium ſit tenuium, valide aperit, ac deobſtruit. Nemini non ob præclaras virtutes, quibus abundat, cognita. Contuſa, inque malagmatis aut emplaſtri modum partibus afflictis impoſita, optime maturat & mundificat.


Succus vero foliorum frigidus, membris ambuſtis efficaciter illinitur. Ipſa folia, propter virtutes quas cum Malvis habent communes, Clyſteribus induntur.

CAPVT XXXIX.

Caachiræ duæ, unde fit Anil.

ETiamſi ad humanos uſus & tincturas minus exculta in hiſce terris celebris illa planta quam Luſitani *Erva d'anir*, Indigenæ *Caachira* appellant: tamen undiquaque luxuriat, & ex radice gracili, longa lenta plures aſſurgunt caules teretes,

CAACHIRÆ I.



hinc

hinc inde filamentis in terram dimiſſis radicantes, & verſus extremitatem ſe ſurrigentes. Qui omnes ornantur ramulis, alternata ſerie diſpoſitis; & quilibet habet ſeptem vel novem cinereſcentia foliola, bina ſibi oppoſita excepto extremo. Iuxta ramulos enaſcuntur breves pediculi & in iis floſculi fragrantiſſimi, ſex aut plures, purpurei cum albo diluti, figura caſſidis apertæ.

Naſcitur paſſim in Braſilia, imprimis circa littoralia, ſed ab Incolis hactenus neglecta qua ad lucrum & culturam, cæterum inter vulnerarias habita.

CAACHIRÆ II.



Datur & alia ſpecies in Braſilia ex qua *Anir* fit. Sed quia illius qualitates medicæ potiſſimum mihi compertæ ſunt, citra propoſitum eſſet ulteriori deſcriptioni inhærere. utraque enim vulneraria apud omnes pene Americæ populos habetur, diverſiſque modis præparata, contra inveterata pedum & capitis ulcera applicatur.

Qualitatibus medicis cæteriſque uſibus familiaribus licet inter ſe conveniant duæ hæ plantæ; tamen figura multum diſcrepant, quod poſterior hæc altius exſurgat caule unico rotundo geniculato ſpongioſo, & hinc inde pilis rufeſcentibus veſtito, adeoque ſucculento, ut ſi frangatur ſtatim liquor cæruleus effluat. Pauci rami caudici adnati, folia habent ſine pediculis duo ſemper oppoſita anguſta, inſtar foliorum Lyſimachiæ viridia, paulum hiſpida. In ramorum geniculis ſuperioribus circumſtant folia copulata ex quibus flos albus circularis emergit magnitudine Bellidis. Radix tenuis lenta cæruleo quoque ſucco turgida.

Fr. Ximenes teſtatur folia contuſa dolorem capitis mitigare, maxime in infantibus: etiam in aqua macerata & cerebro appoſita. Planta nonnihil amaricat, eſtque acuta, calida & ſicca in ſecundo gradu; Pulvis medetur plagis veteribus, ſi ante urina abluantur.

Ioſ. Scaliger. *Nil* vel potius *Nir* Arabibus eſt color cæruleus; qui vulgo Hiſpanis tam *Anir* quam *Anil* dicitur. Arabes quoque Iſatidem Herbam vocant *Nil*. Garſias ab Horto lib. II. cap. XXVI. *Anil* Arabibus, Turcis, omnibuſque iis nationibus dictum, vocatur in Guzarate, ubi fit, *Gali*, nunc vero pleriſque *Nil*.

CAPVT XL.

Caapomónga variæ ſpecies.

C*Aapomónga* aliis *Caaiandiroap* eſt herba ſilveſtris fruticeſcens, in locis confragoſis & aridis luxurians, Luſitanis *Erva do vina* dicta. Radicem habet longam, lentam, tenuem, rectam, aliis radiculis interdum præditam, exterius ſubcroceam, interius candidiſſimam, ſubdulcis ſaporis: è qua prodeunt caules tres vel quatuor, rotundi, nodoſi, virides, ex parte rufi; quibus adnaſcuntur folia longa, mollia, ſuperius ſaturate viridia, inferius incana: In ſummitate caulium rami ſunt continentes

Caapomo'nga I.



nentes floſculos parvos umbellatim poſitos, dilute rubro purpureos. propter exilitatem eorum conformatio conſpici non poteſt, ſed adhibito Megaſcopio, ſunt delineati. Erumpunt è conico cylindraceo corpuſculo viridi, quod antequam ſe aperiat, hiſpidum eſt & pingue, ita ut facile adhæreſcat veſtimentis. unde Luſitani vocant *Carapicos*, & *Herva d'amor*.

Herba Clyſteri indita alvum cunctantem provocat, & viſcoſitates inteſtinorum exturbat. Radicem inter antidota ſemper habuere Incolæ, ſi in convenienti liquore præparata hauriatur, quod partim vomitu, partim mictu quodcunque venenum tuto ejiciat.

Datur & alia *Caapomónga* ſpecies, eiſdem locis creſcens, priori, ſi formam & figuram ſpectes, diſſimillima, ſed medica facultate non multum diſcrepans. Radix enim tenuium partium eſt, & ab indigenis ex aqua fontana; à noſtris ex aqua *Paiomirióba* cocta & iteratis vicibus potata, urinam provocat, renibuſque prodeſt.

CAAPOMO'NGA III.



Tertia *Caapomónga* dignitate cæteris minime cedens à quibuſdam *Trevo*, ab aliis *Erva d'Amor* dicta, quod viſcoſitate quadam digitis & veſtibus adhæreat. Si folia eorumque conformationem conſideres, Trifolium Americanum ſpicatum æmulatur. Ex radice longa, lenta, gracili exſurgit caulis rotundus, piloſus & quaſi geniculatus. Vnde in brevi pediculo naſcuntur juxta ſe tria folia viridia, inferius piloſa & caneſcentia. In ſummitate caulis proveniunt floſculi purpurei coloris in ſpicam congeſti, quibus ſuccedunt ſiliquulæ compreſſæ, hirtæ & quaſi lunatæ. His ſemen continetur magnitudine Sinapi ex albo flaveſcens, ſapore & figura Phaſeoli: Radix illius calida in ſecundo gradu, ebullitione ex aqua fontana vel alio convenienti liquore præparata & ægris propinata, facile inter prima habetur remedia, quæ fluxibus ventris ex frigore natis proſunt. Folia quoque apud primos Incolas in pretio habita, quod eorum ſuffumigia operto capite recepta, dolores ex frigore & catarrho natos feliciter reſtituant.

CAPVT XLI.

Caaeó ſive herbæ Caſtæ duæ ſpecies.

CAAEÓ aliis *Iuquerii*, Luſitanis *Erva Mimoſa*, Latinis herba Caſta vel Viva dicitur. Variæ hæ plantarum ſpecies varia ſortiuntur nomina, quas Markgravius meus in Hiſtoria naturali Braſiliæ accurate exhibuit, quo lectorem curioſum remitto. Ego vero, ut antea monui, facultatibus & uſibus rerum potiſſimum intentus, duas tantum earum ſpecies in medium profero. Quarum prima, quantum cæteris proceritate inferior, tantum efficacia & elegantia ſuperior exiſtit. Celebris hæc herba, caule eſt ſtriato, viridi, lignoſo, aculeato, fragili tamen & medulloſo, qui partim terræ incumbit, partim aſſurgit & aliis ſe implicat: in varios panditur ramos aculeatos; quilibet autem ramulus aliquot coſtas habet ſibi ſemper oppoſitas, quæ continent foliola læte viridia, ordine poſita & ſibi oppoſita, anguſta, oblonga, ut lentium, ſine pediculis, ad tactum tenera, in medio ſecundum longitudinem ſubtili nervulo, non conſpicuo

Caaeó I.



cuo niſi folium obvertatur. Ad caulem circa ramulos brevis provenit pediculus capitulum producens hirſutum, nunc cæruleo purpureis, nunc incarnati coloris conſtans floſculis egregiis. His ſuccedunt ſiliquæ tenues ſtriatæ, mollibus aculeis munitæ, in quibus ſemen ſplendens, nigrum, oblongum latet. Herba eſt dulcis ſaporis & inodora, ſed radix fortis & ingrati odoris, medulloſa, lenta, interius alba; exterius umbræ coloris. Mirabilis ſane planta, quod vel leviſſime manu, baculo, vel afflatu tacta ſe contrahat & mox ſe componat. Ipſe vidi ſilentibus ventis integros campos his plantis obſitos foliis expanſis; mox, vel oris vel auræ marinæ leviſſimo afflatu folia omnium concidiſſe, & in momento ſe explicuiſſe.

Sequitur Secunda ſpecies *Caaeó*, Luſitanis *Sylva do Praya* vulgo dicta, quæ aſſurgit in altitudinem Pruni ſilveſtris: folia illius ſimilia foliis prioris ſpeciei, ſed anguſtiora, in ramulis diſpoſita. Flos convenit cum flore primæ ſpeciei, paulo tamen major. Lignum ſubrufum, lentum, multis ſpinis munitum. Fert ſemen in ſiliquis magnis, latis, plane hiſpidis, brunni coloris, tres digitos longis; quo maturefacto ſiliquæ ſponte in tot partes diſſiliunt, quot ſeminis grana continent, quæ farris ſunt magnitudinis, coloris olivacei, capſulæ incluſa. Cum hæc à præcedentibus vix differat niſi magnitudine ſiliquarum, operæ pretium duxi, illarum unam, ob elegantiam, ea mole qua erat, adjungere.

Hæc, & aliæ ejus ſpecies arenoſo & effœto ſolo naſcuntur. Sole quoque cadente ſeneſcere, oriente vero denuo revireſcere, veriſſimum eſt. Sunt qui motum ſpontaneum & ſenſum illi male tribuunt. Sed quia inſtituti noſtri non eſt aliorum opinionibus refellendis temporis jacturam facere, proferemus ea quæ circa celebris hujus plantæ uſum & abuſum experientia comprobata ſunt, & à nemine antea prodita.

Braſiliani, ſi cui forte necem moliantur, momentum exſiccatæ herbæ in pulverem tritæ, epulis indunt, vitamque eripiunt. Hoc admiratione dignum, quod nullum huic

malo

GAAEO'. II.



malo remedium aut antidotum à Medicis huc uſque repertum, ipſi radici hujus plantæ præferendum. Hæc ſiquidem liberalius porrecta, vim veneni retundit. ſicut latius probavimus in tractatu venenorum. Folia illius venenata, in emplaſtri formam redacta, ſtrumas reſolvunt & curant.

Franciſcus Lopez de Gomara in Hiſtoria ſua generali cap. 194 ſcribit in Peruvia naſci arbuſculas quarum folia marceſcant, ſimanu tangantur, &c, cap. 205, ſimiles reperiri in Nicaragua. Cæterum Garſias ab Horto lib. II. cap. 27. *Naſcitur*, inquit, *in Malavar, planta miræ naturæ. nam ſi quis manum admoveat, ilico contrahitur. Folia Polypodii, flores vero habet luteos.* Chriſtophorus à Coſta cap. LVI. Herbam hanc vocat vivam. Cæterum & Antiquis nota fuit, ſiquidem accurate admodum deſcribitur à Theophr. lib. IV. Hiſt. plantar. cap. III. ſub finem. *Ὕλημα δὲ ἴδιόν τι φύεται περὶ Μέμφιν· ὃ καὶ φύλλα καὶ βλαστοὺς καὶ τὴν ὅλην μορφὴν ἔχει οὐ τὸ ἴδιον, ἀλλ' εἰς τὸ συμβαῖνον περὶ αὐτὸ πάθος· ἡ μὲν γὰρ πρόσοψις ἀκανθώδης ἐστὶν αὐτοῦ καὶ τὸ φύλλον παρόμοιον ταῖς πτέρυξιν. ὅταν δέ τις ἅψηται τῶν κλωνίων, ὥσπερ ἀφαναινόμενα τὰ φύλλα συμπίπτειν φασίν. εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν καὶ θάλλειν.* Id eſt: Naſcitur peculiare quoddam virgultum circa Memphim, quod quidem neque folia, neque ramulos, neque totam formam peculiarem habet, ſed accidentem tantum illi paſſionem. Quippe facies ipſi ſpinoſa & folium perquam ſimile filicibus; ubi autem quis attigerit ramulos, folia quaſi hebetata concidere aiunt; atque hinc poſt aliquot tempus reviviſcere denuo atque folia ſua explicare. Etiam Plinio non incognita fuit lib. XXIV, cap. 17. *Adjecit his*, inquit, *Apollodorus aſſectator ejus, herbam æſchynomenen, quoniam appropinquante manu folia contraheret.* Memorat autem inter herbas à Magis celebratas, cum nihil certius ſit, quam hanc herbam hæc pati. Ximenes de Plantis Novæ Hiſpaniæ agens, eaſdem videtur noviſſe. Vt & Noſter Bontius in Indiis Orientalibus ſimilem naſci teſtatur.

G A-

CAPVT XLII.

Variæ ſpecies Mangues ſive Mangles & Inimbóy.

QVantum à rerum exoticarum ſcriptoribus didici, per omnes Indias, paludoſa loca, ſalſedine vicini maris imbuta, ab hoc arborum genere, quod *Mangue* vulgo vocant, obſidentur. Cujus non ſolum Oviedus, Cluſius aliique Neoterici, verum & Theophraſtus, Strabo, Plinius meminiſſe videntur. Sed cum potius ob rarum & eximium creſcendi modum, quam uſum, hactenus tradita fuerint, operæ pretium erit penitius naturam illarum introſpexiſſe.

Tres dantur ſpecies *Mangues*: Prima *Çereíba*, quæ *Mangue* eſt alba. Arbor inſtar Salicis pumilæ, tali ligno, ejus denique figuræ, foliis itidem ſimilibus, ſed paulo craſſioribus & directe ſibi invicem oppoſitis. In extremitatibus autem ramulorum inter tria, quatuor, & interdum duo folia, duo proveniunt pediculi, quilibet tres, quatuor aut quinque floſculos habentes, congeſtos, ex albo dilute flaveſcentes, quatuor foliolis conſtantes, & in medio totidem ſtaminulis nigris ſurrectis, mellei odoris. Folia hujus arboris, lucente Sole ſalem albiſſimum continent in ſua ſuperficie; quando vero cœlum nubilum aut tempus nocturnum, ſal diſſolvitur & inſtar roris adhæret: interdiu autem ſiccus & albiſſimus, digitis detergi poteſt. Ac tantum ex duobus vel tribus foliis colligitur, quantum juſculo probe ſaliendo ſufficiat.

Secunda *Çereibúna*, quæ non radices ex ramis in terram agit, nec tam tortuoſo flexu luxuriat. Folio eſt craſſo, glabro, rotundo, dilute viridi, flore albicante, exiguo fructu & valde amaro, nucis avellanæ magnitudine, quo cum Palumbi & cæteræ volucres, defectu melioris alimenti, ſeſe ingurgitarunt, adeo eorum caro amareſcit, ut vix eſculenta ſit. Cortice exiſtit rubro, ex quo Rhois coriaria, Europæa haud inferior, conficitur, piſcatoribus quoque ad retia tingenda, in quotidiano uſu.

GVAPARAI'BA.



Tertia & poſtrema vera eſt *Guaparaíba* dicta Luſitanis *Mangue Verdadeiro* cæteris magnitudine & præſtantia longe ſuperior. Æſtivis menſibus fert ſiliquas inutiles fuſci coloris pulpa amara refertas, oblongas duas ſimul copulatas; ejuſque admirandus eſt creſcendi modus. Sicut enim ramos in altum vergentes & Pyri inſtar frondeſcentes habet, ita multi ejus rami ἄφυλλοι in radices converti videntur, quod deorſum tendant & ſub terram ſe figant, aliiſque ramis apprehenſis, iis copulentur, ſimulque ſe protrudant, nec minus firmiter cohæreant, quam primarii arboris trunci; ita ut ex multis caudicibus ſimul connexis arbor conflata videatur, egregio ſane ſpectaculo & ſingulari arboris hujus natura, vepreti inſtar oram obſepiente, difficilemque aditum præbente. Lignum arboris eſt grave, ſolidum & corticem habet brunnum: ramos & folia ſibi oppoſita; atque hæc quidem craſſa nervo ſecundum longitudinem, & multis venis ſecundum latitudinem,

læte viridia. Floſculos fert multos in calicibus oblongis ex viridi ſubluteos. Fructus decidens Cancrorum terreſtrium potius quam hominum eſt pabulum.

Radix autem ipſa quæ mollis eſt & humida, fiſſa & toſta, calida puncturæ venenatæ utriuſque piſcis *Niqui* applicata, ejus dolores ſedat & membrum læſum reſtituit, licet prima fronte dolores exaſperet. Magnum ſane remedium eſt, & à piſcatoribus primo inventum nobiſque traditum.

Inimbo'y.



INimbóy. Aſperè echinatus ille & vix tractabilis Braſiliæ frutex in ſilvis arenoſis & littoribus ſitientibus abunde pullulat ac jucunde vireſcit, quem vulgus Luſitanorum *Silva do Praya* nominarunt. Lobos, echinoides quos C. Cluſius vocat, profert duabus vel tribus ſphærulis lapideis refertos: in Cynosbati magnitudinem excreſcit. caudex, & ramuli pleni ſpinulis hepatici coloris, lignum intus medulloſum inſtar Sambuci. Sunt autem folia læte viridia, ſplendentia. Flores fert in ſpicam congeſtos luteolos. Hos ſequuntur lobi ſpinoſi, hirſuti, coloris, cum maturuerunt, hepatici, in quibus ſingulis continentur duo globuli duriſſimi, matureſacti ex lobis erumpunt, cinerei coloris, glabri & ſplendentes, qui quaſſato lobo ſtrepitum edunt: nucleus interior ex albo flavus, amari ſaporis, inſtar Lupinorum.


Radice eſt gracili & dura, interius albicante, ad tertium gradum calida & ſaporis amari. Hujus reſina, ad pugillum, plus minuſve, aſſumta, excitat vomitum. Contraque illa venena potiſſimum operari teſtantur Empirici, quæ lente vires ſuas deleterias exſerunt, & tarde vitam depaſcuntur. de quibus in tractatu Venenorum latius egi.

CAPVT XLIII.

Petúme ſive Tabacum.

CElebris herba *Tabacum*, ſive *Petum*, quæ Braſilienſibus *Petúme* dicta, per omnes fere Indias Occidentales, antiquitus ipſis Incolis in pretio habita ad vulnera imprimis curanda. Mox Europæi ejus conſcii facti, atque ulteriores vires indagantes, primo recentia folia eorumque ſuccum in varios uſus humanos; mox exſiccata

PETV'ME.



in abuſus quoque & delicias applicarunt. Ita ut nunc, tanquam hibernus flatus, fumus Tabaci univerſum Orbem infecerit. cujus qualitates nimium forte etiam ipſis Lippis & Tonſoribus notas, enarrare ſuperſedeo, ſolummodo eas traditurus dignitates, quas vireſcens herba in natali hoc ſolo ad ſolatium ægrorum ſuppeditare ſolet. Equidem nihil putem vel leviſſime rei Botanicæ initiato notius eſſe quam calefaciendi & exſiccandi ejus manifeſtas qualitates; ſed quantum abſterſoria, mundificativa, eroſiva, reſolutiva, aſtrictoria, imo vi quoque antidotali polleat, non omnibus forte conſtare putem. Ita ut non immerito Nicotiana hæc, *Hervaſanta* à Luſitanis appelletur. Equidem ſi quis univerſam vegetabilium naturam penitius inſpiciat, vix credo, veterem orbem aliquas plantas, tribus noſtris nobiliſſimis Americanis polychreſtis dignitate pares producere. Quarum prima eſt radix *Mandioca*, quæ alimentum, venenum & antidotum

vaſtiſſimis

vaſtiſſimis totius mundi partibus ſuppeditat, ut ſuo loco probavi. Secunda, Palma illa nuces *Cocos* producens, unde non ſolum varia medicamenta concinnantur, ſed potus, ne dicam victus & amictus, aliaque ex variis arboris partibus neceſſaria ſuppeditantur. Tertia eſt hæc *Petúme*, quæ quantum alimentoſa qualitate duabus præcedentibus cedit, tantum medicamentoſis viribus eas facile ſuperat, cujus varias & diſcrepantes operationes haud adeo facile eſt recenſere, quapropter compendium earum quæ à me uſu crebro confirmatæ ſunt in medium proferam.

Petúme ſive Tabaci alii duas, alii plures dederunt ſpecies, ego maris id eſt majoris tantum Iconem & deſcriptionem exhibeo, quæ aliquando ultra fruticis altitudinem exſurgit, ſi exculto & gleboſo ſolo committatur. Ex radicibus multis, filamentoſis, amaris, caulis unicus, craſſus exſurgit; unde rami ornate expanſi enaſcuntur in foliis magnis amplis denſis, quæ Solani atque Oxylapathi foliis non diſſimilia ſunt, & ſine ullo pediculo dictum caulem & ramulos amplectuntur: omni anni tempore plantatur, & à frigore imprimis arceri debet, atque tunc ſolum quoque Europæum non aſpernatur, licet in uſus medicos minus efficax ſit. Semel tantum flores fert in ſummitatibus ramorum candidos, purpuraſcentes, campanulæ figura, quibus decidentibus ſuccedunt veluti capitula papaveris ſemen nigrum parvum continentia. Nunc videamus quem uſum quæque pars plantæ ſuppeditat.

Recentia folia eorumque ſuccus & balſamum ulceribus cancroſis non ſolum frenum imponit; ſed venenatis quoque morſibus medetur. Aqua vel alius conveniens liquor in quo maceratum eſt Tabacum pediculos enecat, & multa capitis cutanea mala mundificat. Cineres foliorum exſiccatorum, vermes enecant; Maſticata laſſitudinem & famem ſedant in deſertis peregrinantibus, ut mihi & itineris ſociis meis contigit. Ventriculum & cor aromatica vi roborant. An vero fumus per tubum attractus vel pulvis maſticatus loco ſternutatorii cerebrum expurget? an quibuſdam quoque ſomnum; aliis vero ebrietatem conciliet? illi facile norunt qui utrumque perpetuo circumferunt. Syrupus denique Tabaci (cujus in morbis Endemiis præparatio tradita eſt) Aſthmati & Hydropi multum prodeſt, imprimis ſi cauſa frigida & viſcida in iis prædominentur, quod validiſſime incidat & abſtergat.

Sed quia animadverti Indis eorumque imitatoribus idem ſæpe evenire, quod circulatoribus Europæis ut vel ſuperſtitioſa credulitas vel ipſa auri fames intercurrat, cautiones abhibendæ ſunt, ne quis herbam hanc, tanquam Panaceam celebret, eamque in omni caſu proſtituat. Cum enim folium ejuſque ſuccus, ſive infuſum, ſive ſyrupus aſſumptus vehementer turbent corpus, vomitum vel alvum provocantes, iis non propinari debere ſuaſor fui, qui vel bilioſo vel delicatiori fuerunt temperamento. quamobrem crebræ indicationes in corporibus ſub cœlo fervidiori habitantibus exſurgunt, ut potius Peti uſui circa externa quam circa interna mala diu inſiſtamus.

CAPVT XLIV.

Mirabilis Peruana, & çuambú, ſpecies Caryophyllatæ.

NObilis hæc planta, nominibus non ſolum pro Regionum diverſitate, ſed colore & odore quoque variat. Nativa eſt huic Americæ Continenti, & in gleboſis ſaxoſiſque terris ſponte luxurians: In Peruvia tamen qua ad nomen & culturam magis celebris, unde in Europæorum hortos tranſlata, ob florum nobilitatem ab ipſis rei botanicæ ignaris excolitur: à me autem ob radicis qualitates medicas hic exhibita. Peruviani eam *Hachal-Indi*, Latini Mirabilem Peruanam dixerunt. Caule firmo, ſucculento, ſubflavo, geniculato in fruticis altitudinem exſurgit, ex quo ramuli nodoſi proveniunt, circa quos nodos folia bina adverſis pediculis naſcuntur, foliis Siliquaſtri vel Solani ſimilia. Flores è ſummitatibus ramulorum quinquangulares, longi, concavi, convolvuli floribus ſimiles exſurgunt; tanta colorum elegantia & diverſitate certantes, ut vel purpurei vel nivei, vel flavi, imo binis colo-

MIRABILIS PERVANA.



ribus inter ſe mixtis eluceſcant, atque odore ſuavi Narciſſum nonnihil æmulentur. Quapropter non mirum, ſi ſeplaſiarii, ignorantes vim medicam radicis, ex ipſis floribus colorem extrahere malint, & mixturas inde confectas, mulierculis pro coſmeticis care divendant. Parum ſunt durabiles flores ſed numeroſa ſobole, & aſſidua ſucceſſione jacturam illam compenſant. Accedit, quod notatu dignum, illos media nocte ad lumen aperiri & patentiſſimos fieri; nec more aliorum Sole delectari, quia ejus calorem ferre nequeunt, quod minimo fervore humor florum tenuis & paucus diſſipetur. Contra fit iis quibus humor lentus, copioſus & niſi ad Solis calorem hiat. Eadem videtur diurni aut nocturni in plantis odoris eſſe ratio.

Porro membranacei florum calices unum ſemen quaſi pentagonum, obtuſum, fuſcum, tuberoſum continent, quod vel minimo motu dejicitur & apertum alba pulpa micat. Radice quoque eſt intus albicante, extus nigricante, filamentoſa, acris, ſed non ingrati ſaporis.

Animadverti, Cluſio aliiſque exoticorum ſcriptoribus, ex relatu tantum, uſum ejus medicum eſſe commendatum, quem ego tamen tractu temporis comperi veriſſimum, ſcilicet inter hydragoga uſurpari radicem, cujus effectus ſatis felices in Hydropicis memini me vidiſſe.

Cæterum an tabeſcente hac planta, circa caulium nodos candida quædam lacryma appareat, quæ à Sole concreta ſalis guſtum referat, ſicut de ea Clariſſ. Camerarius teſtatum reliquit, mihi in Braſilia experiri datum non fuit, licet non perfunctorie id obſervare conatus ſim.

VBique in littoralibus campis ſponte luxuriat & ultra Europææ Caryophyllatæ altitudinem aſſurgit, cæterum internis qualitatibus, & facie externa, exceptis foliis illi ſimilis, unde idem quoque nomen Caryophyllatæ indidimus. Caulis unicus rectus ultra

GVAMBV', ſive CARYOPHYLLATA.



tra quatuor pedum eſt altitudinis, cui ad ſingula genicula bini rami & læte viridia, Europææ foliis acutiora & anguſtiora. ad ramuſculorum extremitates ſingulas provenit flos flavus, Tormentillæ æmulus, conſtans quinque foliis anguſtis. Cui ſuccedit Capitulum rotundum, hiſpidum, repletum ſemine oblongo. Radice eſt multa, tenui, filamentoſa, quæ odore Caryophyllos refert. Calida & ſicca eſt in intenſo gradu, attenuandi non ſolum & abſtergendi, ſed aſtringendi quoque vi pollens, ac proinde tam ad corroboranda viſcera, quam ad incidendos viſcidos humores uſurpatur cum ſucceſſu.

CAPVT XLV.

Belingéla, Quigómbo vel Alcea Muſcata, & Gangila ſive Seſamum.

SIcut Europæi plantas & ſata quæ felicis proventus arbitrati ſunt, in Americam aliquando tranſtulerunt, ita & Africani inter herbas uſuales huc adductas ſtudioſe etiam nunc alunt eam, quæ *Belingéla* Luſitanis, *Tongu* vel *Macombo* An-

 golenſibus

BELINGE'LA.



QVIGO'MBO prior, ſive ALCEA MVSCATA.



golenſibus Africanis dicta, ut & duas has *Quigómbo* & *Seſamum*. Si ad Europæas plantas primam hanc *Belingela* compares, fructus ejus Mandragoræ fructui; ſi folia Melongelæ potius ſimilis; ſi qualitates, utriuſque præcedentis herbæ participat. Adeo Africana *Belingela* hic exculta, medium videtur tenere inter illas herbas ſibi cognatas.

Ex radicibus craſſis brevibus exſurgit caulis unus atque alter varie flexus, cui hinc inde folia elegantia, magna, laciniata, obſcure virentia, nervis & venis purpuraſcentibus, colore & odore Braſſicæ noſtræ æmulis adnaſcuntur. Flores juxta ſe poſiti duo vel tres, lacteis & dilute purpureis venis intertexti, unico folio conſtantes, quod inſtar ſtellæ ſexangularis expanſum & diviſum fructum à tergo veſtit. Qui fructus Pomi eſt magnitudine, rotundus, lævis ex albo ſplendens, cum ſtriis, primo ex viridi purpurei, mox flavi coloris, interius carne alba, ſemina multa inſtar Seſami continente. Poma hæc in pretio habita apud incolas, quorum uſum & præparationem Africani Incolis Americanis ſuppeditarunt. Cocta pro epulis apponunt addito oleo & pipere, ſaporis ſunt grate acidi, Citri æmula; tantum enim abeſt, ea cruda ſalutaria eſſe, ut ob inſignem refrigerandi vim, qua pollent, etiam cum aromatibus & calefacientibus obſoniis nimius uſus aliquando obſit.

SEquitur prima nobilior ſpecies *Quigómbo* Africana, cui à Luſitanis cognomen additum ſatis appropriatum *Quigómbo de chero*, hoc eſt odoratum, ob ſemen muſcatum. Si uſum totius herbæ, inter Alceas & Malvas recentes, ſi ſeminis odorem conſideres Bamiæ Proſperi Alpini non male reſpondet; cæterum externa figura ab utraque multum recedens.

Advena quondam hæc planta non perennat, ſed ſingulis annis in hortis ſeritur, radicem multam albam, tenuem, filamentoſam, longiſſimam proferens, unde caulis unicus, rotundus, hirſutus, ex parte rufus, ex parte viridis exoritur, hinc inde pediculos proferens ejuſdem coloris, quorum cuilibet adnaſcitur unicum folium quinquangulare in ambitu ſerratum, rugoſum, multis venis & nervis intertextum. Flores pentaphylli, flavi, inodori hinc inde prodeunt, propriis pediculis adhærentes. Qui circa trihorium ante meridiem ſe aperiunt (quod Alcæa quoque Europæa com-

communne habet cum hac noſtra) & moxpoſt meridiem corrugantur. His ſuccedit corpus turbinatum, pentagonum, hirſutum, intus in quinque cellulas diſtinctum, quibus infinita ſemina adhærent griſea, quaſi leviter ſtriata figura renis ovilli, interius alba, quæ non ſolum maſticata, ſed manus attactu leviter modo incalefacta fragrantiſſimum odorem moſchi referunt, adeo fortem, ut quibuſdam capitis dolorem inferat. His coſmetici utuntur & abutuntur ad adulterandum verum moſchum. Alium præterea uſum in medicina an præſtent ſemina, nondum comperi. Herba loco Malvæ adhibetur in fomentis & clyſteribus, ejuſdemque fere habetur qualitatis.

Qvigo'mbo Altera.



Secunda *Quigómbo* ex Africa traducta & tandem Braſiliæ ob felicem proventum quaſi nativa facta, eſt illa, quæ vulgo ab omnibus paſſim Incolis *Quigómbo*, Angolenſibus autem *Quillobo* nominatur. Caule unico, craſſo, nodoſo, & ruſo ad fruticis fere altitudinem aſſurgit. Pediculis, ramunculorum loco alternatim poſitis decoratur; quorum quilibet ſuſtinet folium in quinque lacinias ſectum, ac toto ambitu ſerratum, Vineæ folio non multum diſſimile, ſuperius obſcure, inferius dilute virens, ac ibidem nervum ruſum & venas virides habens. Ex ſummitate caulis emergunt flores pentaphylli cum ſtamine & apicibus ſulfurei coloris. Fructus ejus pericarpium eſt, pyramidale, novangulare, ex viridi fuſceſcens: conſtans alba & parum glutinoſa carne, cortice craſſo inſtar Mali aurantii; intus in octo loculamenta longa diviſum; in quovis duplex ordo ſeminum rotundorum petiolis ſuis adhærentium. Pericarpium hoc viride totum coquitur in aqua, & coctum comeditur cum oleo, aceto & pipere: quo immaturius eo melius eſt ad coquendum, & melioris ſaporis, alias enim nimis dulceſcit.

Radix lenta albicans in multa tenuiſſima filamenta diviſa, inſipida, ac ab indigenis & advenis hactenus tantum neglecta, quantum fructus expetitus.

Gangila ſive Seſamum Africanum.



QVarta herba ex illa parte Africæ quæ *Congo* dicitur per Æthiopes huc tranſlata, à Luſitanis *Girgilin* dicta, apud Indigenas innominata, nobis Seſami habetur ſpecies. Ex radice tenera, exſurgit caulis rectus, quadratus, viridis; cum foliis oblongis, haud latis, teneris, colore Atriplicis albæ, quaſi farina inferius aſperſa, plerumque binis velut ſibi oppoſitis. Flores fert albos, deciduos, figura Campanulæ: quas ſequuntur ſiliquæ erecte ſtantes ad caulem quadrangulæ, quæ maturefactæ fuſceſcunt & ſponte diſſiliunt, contentumque ſemen excidit, quod parvum & album eſt, figura cordis.

Fr. Ioannes de Santos Hiſtor. Æthiopiæ Orientalis lib. I. cap. 4. In omnibus, inquit, his Provinciis plurimum *Gergilim* reperitur, candidiſſimum & optimum, ex quo fit oleum, quod vulgo uſurpatur & comeditur, ut in Portugallia oliva-

 ceum.

ceum. Contunduntur ſemina in vaſe ligneo, grandi, facto ad modum mortarii. Poſtquam bene contuſum fuerit, & coactum in maſſam, exprimitur rite iiſdem lignis quibus contuſum fuit; effluitque oleum valde clarum: & amurca, quæ reliqua fit, comeditur à Nigritis, cum milio cocto, loco butyri.

CAPVT XLVI.

Cannarum Indicarum diverſæ ſpecies, Meerú, Albará, Paco-ceróca, & Paco-caatinga.

INter eas Plantas quæ in Europæ regionibus calidioribus ex Indiis tranſlatæ vigent, hæc ornatiſſima quoque datur, quam Cannam Americanam non immerito appellarunt, quod ejus ſtolones Arundinum modo firmi, nodoſi extus, & ſpongioſi intus, recta in octo vel novem pedum altitudinem exſurgant. Prima autem occurrit illa, quæ *Meerú* Braſilianis dicta: cujus caulem viridem folia ſolitarie poſita ambiunt, duos fere pedes longa. Caulis ſuperius in alios ramulos dividitur, aurei coloris flores inodoros producentes, quibus capſula ſive fructus echinatus, primum viridis, mox nigreſcens, ubi maturuerit, ſuccedit, in quo per cellulas diviſa ſunt multa ſeminis grana, nigra, lævia, magnitudine & duritie Piſis ſimillima, albaque ſubſtantia quadam repleta. Ex iis vulgo corollæ precariæ fiunt.

MEERV'.



Radix mirum in modum eſt craſſa, tuberoſa, longa, ſucculenta, ſplendens, & inſtar Cepæ ſquammis rufis prædita. Hujus plantæ vel Cannæ Indicæ Cluſius quoque meminit. Ego ejus foliorum dignitates experientia comprobatas exhibere ſatago, quæ ad ſecundum gradum refrigerantia, tum & abſtergentia, contra multa mala cutanea calida, externa atque interna applicantur. Hypochondrio denique utrique contra Lienis & Hepatis calores cum oleo Aningæ & Nymphææ Braſilicæ impoſita, curationem abſolvunt feliciter. Idem præſtat lacryma quædam alba Tragacanthi æmula & ſubdulcis, quæ ex vetuſtis ſtolonibus deſtillat.

Secunda

ALBARA'.



Secunda, *Albará, aliis Paçivíra* dicta. Iiſdem locis ſilveſtribus atque triviis umbroſis luxuriat hæc ſpecies *Meeru*, aſpectu pulchra, ſtolonis & radicis firmitate atque pondere Cannam quoque Indicam, ſed ſummitate ſua *Lilium* Americanum ſilveſtre æmulans: foliis quoque licet prælongis, anguſtioribus tamen eſt & ex imo caulis erumpentibus. Flore denique magno, flavo, inodoro & cochleari formi, nunc incurvato, nunc in poſtica parte inſtar cuſpidis extenſo. Semine eſt nigro, & radice bulboſa, ſicut *Meeru*, prædita.

Folia vulneribus & ulceribus utiliter adhibentur, unde *Erva dos feridos* vulgus Luſitanicum nominat. Tuberoſa & ſucculenta ejus radix à Nigritis comeditur, & ab omnibus pariter Incolis intenſæ habetur caliditatis, ac proinde Hiſpanis æque ac noſtris Chirurgis Batavis in quotidiano eſt uſu; maxime in apoſtematis & ulceribus maturandis.

PACO-ÇERO'CA.



Tertia eſt *Paco-çeróca* Braſil. dicta, in ſex ſeptemve pedum altitudinem aſſurgit; caule recto, ſpongioſo & viridi, inſtar *Meeru*: habetque folia plane illi ſimilia eodem modo, ſed in ſummitate folium convolutum ut in *Paco*. Inferius ad caulis exortum ramuli ſunt, multis cavis incarnate rubentibus floribus onuſti. Quibus ſubſequitur fructus in uvam congeſtus Pruni magnitudine, coloris fuſci, triangularis figuræ, ſuperius eminenti papula præditus. Intus eſt parva pulpa filamentoſa, cinabrii coloris, magnitudine nucis avellanæ, in tres partes diviſibilis, odoris grati & vinoſi, in qua continentur infinita grana triangularia, fuſca, albo nucleo prædita. Cortex exterior ſucculentus, qui cutem tingit colore brunno, ut Ceraſa noſtratia nigra; atque adeo uſurpatur loco atramenti.

Folia recentia ut & caulis & fructus immaturus,

turus, ſi fricentur, odorem de ſe fundunt Zinziberis, & ſuavem admodum. Ac proinde defectum aromatum ſupplent. Balnea quoque calida ex iis conficiuntur.

PACO-CAATINGA.



Quarta eſt *Paco-caatínga*, aliis *Periná*. Quæ inter innumera Braſiliæ Arundinum ſilveſtrium genera reperitur. Præter eximiam illam ſativam Sacchari Cannam, reliquarum omnium facile reginam in nemoribus exſurgunt, admodum excelſæ plumiſqueveſtitæ, ut arborum altitudinem, tibiæ vero humanæ craſſitiem adæquent. Quædam duriores, ſagittiſque ſunt dicatæ. E quarum radicibus decoctis lixivium contra capillorum defluvium concinnatur. Plurimæ quoque dantur aliæ, quas ſilentio prætereo, ob ornatum vel uſum ab opificibus dumtaxat aut agrorum colonis expetitæ.

Hæc vero quæ uſum in Medicina præſtat, bulboſa & ſemper vireſcens, vulgo Canna *do mato* à Luſitanis nominata.

Caulem habet Arundinaceum digitalis craſſitudinis, rotundum, & intus continentem ſucculentam medullam ſubdulcis ſaporis, conſiſtentiæ fere ut Canna ſaccharifera: Hunc porro ambiunt ſine pediculis hinc inde folia ſolida, longa, in medio, nervo ſecundum longitudinem, nullis ſecundum latitudinem venis: ſed ſubtiliſſimis lineis oblique diſcurrentibus, ut in foliis *Meerú*: ſuntque ſuperius glabra & dilute viridia, inferius molli hirſutie prædita & ſubalbicantia. In ſummitate caulis, provenit conus (ut in pinu) in faſtigio paulo acutior, ſquamis præditus, quæ in prominentibus extremitatibus aurei, cæterum miniati ſunt coloris. Sub his tandem dilatatis, floſculus canus inſtar alvearii apiarii, ſub quo cuticula eſt albeſcens, inſtar loculi, continens ultra viginti grana nigra, magnitudinis ſeminis Ceparum, albiſque filamentis adhærentia. Caulis hujus plantæ maſticatus detrahit humores è capite, calefacit ejus ſuccus, & diuretica vi pollet. Atque eſt inſigne remedium contra gonorrhœam & dolores nephriticos.

Ego ſuccum ejus acidum exprimi, certaque doſi, addito convenienti ſyrupo, ægris bis de die exhiberi conſultius duxi, & multum profuiſſe ſum expertus. Ea tamen cautione, ut uſus illius frequens vitetur, quod ſuo acore ventriculum infeſtet, genitalibus quoque obſit, quemadmodum in multis videre contigit, qui temere illo utebantur.

Reperiuntur & aliæ ſpecies præcedenti in multis ſimiles, ſed quia ejus qualitates medicæ nec Incolis nec mihi compertæ, iis ſuperſedeo.

Quinta eſt Arundo ſilveſtris, multis incognita, quam olim aliunde huc delatam teſtantur. Excolitur nunc in hortis Luſitanorum. ſature admodum viret, Cannæ Sacchareæ altitudinem excedens, cæterum illi quam ſimillima. Radice eſt admodum magna, nodoſa, dilute flava, atque Radicis Chinæ inſtar ponderoſa.

Ejus ſubſtantia in pulverem redacta, & ex vino pauxilla quantitate exhibita, tam valide urinas & menſtrua movere, imo fœtum mortuum expellere dicitur; ut inter tuta medicamenta vix haberi poſſit.

CAPVT XLVII.

Diverſæ ſpecies Iaborandi.

ITa primis Incolis, quatuor hiſce plantis, placuit indidiſſe idem nomen *Iaborandi.* Nec immerito, quod quantum facie diſcrepent; tantum efficacia eaque nobiliſſima multum ſibi ſimiles exiſtant, quippe omnium radices (quarum vires Braſiliani Luſitanis & Noſtratibus Belgis revelarunt) adeo commendabiles, ut inter Panaceas hodie habeantur: uſumque in medicina præſtent eximium.

IABORANDI I.



IABORANDI II.




Prima quæ ſe offert *Iaborandi*, recta naſcitur, caule griſeo, tereti, per certa intervalla nodoſo, tortuoſo, & inæquali. Radix filamentoſa, exterius ex albo flaveſcens, interius albicans, odoris & ſaporis acris ut Pyretrum. In ſingulis ramulis ab internodiis tria habet folia ſibi appoſita, ad tactum mollia, parum piloſa, nervo conſpicuo & venis obliquis, pallide virentia, inferne paulum candicantia. In extremitate ramulorum multa foliola parva, venabuli figura, ſibi invicem confertim ſunt appoſita, in duos ramulos diducta, in quibus floſculi albi, quatuor foliolis conſtantes; quos ſequitur ſemen, duplici palea tectum, ut in Cannabi, fuſcum, compreſſum, parvulum, cordis figura, cui ab uno latere pars abſciſſa videtur. Radix valet contra venena imprimis frigida: Pugillus ſiquidem recentis radicis contuſus atque è convenienti liquore propinatus, vim cujuſcumque fere veneni per ſudores & urinas exturbat. Cujus portentoſum ſpecimen Barbaros edidiſſe vidi, præſente Illuſtriſſ. Naſſaviæ Principe, in Capitaneo, qui Fungos venenoſos comederat.

Secunda ſpecies fruticeſcens: caulibus aſſurgit, per longa intervalla nodoſis & teretibus. Foliis eſt ſaturate viridibus, ſplendentibus, & ad tactum inſtar membranaceæ chartæ in extremitate incurvatis, nervis & venis craſſioribus conſpicuis. Radice eſt tenui,

tenui, filamentoſa, quæ primo inſipida, ſed altius maſticata, acrius urit palatum quam ipſum Pyretrum, cujus loco ad liberandum caput & dentes à pituita, adhibetur. Alii Empirici adverſus urinæ ſuppreſſiones & venena à frigore nata, ea utuntur cum ſucceſſu ſatis felici.

IABORANDI' III.



IABORANDI' IV.



Tertia, Fruticis altitudinem adæquat, inque terris tantum ſolidis & pinguibus creſcit. Foliis latioribus & minus acuminatis. In ſummitate pappis vel julis decoratur, quibus ſemen inhæret intenſe calidum & urens. Radice eſt tenui & luxuriante, in qua hujus plantæ dignitas potiſſimum conſiſtit. Ad tertium gradum calida eſt & ſicca, ſubtilium partium, Pyretrique vicem non raro ſupplet in praxi. Peculiari denique vi venenis à frigore natis adverſatur.

Quarta: eſt frutex arboreſcens, caudice duro & nodoſo, ſature viridi, Lauri majore, cæterum non diſſimili. Fructus ſive Iuli potius, Piperis longiſſimi non qualitates, ſed tantum formam æmulantur, & caudici adnaſcuntur, foliis magnis, linguæ figuræ, acuminatis, nunc alternatis, nunc ſibi & Iulis oppoſitis. Radice eſt præcedentium *Iaborandí* efficacia, ſimili: folia pro balneis & fomentis contra affectus frigidos in uſu exiſtunt.

C A-

CAPVT XLVIII.

Caaghiyuyo, Marrubium, Camara-Iápo ſive Mentaſtrum, & Aninga-Peri.

C*Aaghiyuyo* non imbellis planta, luxuriat pluribus in locis Braſiliæ, ad Fruticis altitudinem, caule lignoſo, unico, exſurgens. Foliis eſt acuminatis, hirſutis, ad tactum mollibus, leviter ſerratis, binis ſibi oppoſitis, quæ tribus eminentibus nervis ſecundum longitudinem, multis autem venulis ſecundum latitudinem intertexta ſunt, ac ſuperius tuberculis piloſis, inferius ſcrobiculis ſcatent albicantibus. Floſculis albis ſuccedunt baccæ nigræ, magnitudine baccarum Iuniperi, dulcis ſaporis, quæ comeduntur à Barbaris, & ſuccum dant inſtar Myrtilli fere. Vnde ſmegma ad lavanda linteamina extrahunt.

Caaghiyvyo.



Foliorum pulvis non ſolum, ſed & ſuccus, ulceribus male moratis & ex calore potiſſimum ortis inditus, feliciter illa reſtituit. Ac proinde à Chirurgis multum expetitus.

SIcut quædam Novi Orbis plantæ, ob externam ſolummodo figuram, ita quædam ob internas potiſſimum qualitates, cum Veteris Orbis herbis conferri ſolent. Ita tota equidem hæc cum vulgari noſtratium Marrubio, eundem ſpirat odorem & quidem ſuaviſſimum, efficaciæque eſt facile majoris. A quocumque Marrubio in hoc potiſſimum diſcrepans, quod hic flores non in ambitu ipſius caulis ad certa interſtitia, ſed in extremitatibus ramulorum verticillatim poſiti ſint, & quidem cærulei, tribus foliis conſtantes: Cæterum proxime accedit ad Marrubium Pannonicum Cluſii, quod illa quoque folia ſicut hæc noſtra habeat magis tenuia, oblongiora, acuminatiora, lanugi-noſiora & ſubtiliſſime ſerrata.

Marrvbivm Americanum.



Ad trium circiter pedum altitudinem aſſurgit, caule ſtriato, nodoſo, leniter hirſuto. Circa ſingulos nodos in caule, ad certa intervalla, ramuli tres aut quatuor proveniunt, directe ſibi oppoſiti, foliis quoque aliquot copulatim ibidem dependentibus. Ramuli autem foliis cum parvis pediculis ad ſex ſeptemve paria ſibi directe oppoſitis ornantur, & floribus verticillis finiuntur. Tota planta ad tactum eſt glutinoſa, aromatici odoris, & amareſcentis ſaporis. Calida ac ſicca habetur, ac inter deobſtruentia, contra pectoris imprimis vitia frigida uſurpatur. Syrupi quoque & condita inde concinnantur flatulento ventriculo dicata.

CAMARA-IA'PO ſive MENTASTRVM Americanum.



SI ulla in campis toto anno ſponte luxuriat herba Medicinalis, hæc quidem *Camara-Iápo*, ſive Menthæ ſpecies, facile primatum tenet. Etiamſi enim foliis noſtratium ſit acutioribus, aliiſque partibus externis hinc inde ab ea abludat: tamen, ſi odorem, ſaporem, & qualitates examines, uſque adeo congener Menthæ eſt Europææ, ut vix quicquam ab ea recedat. Luſitani eam quoque *Mentaſtro* appellant. Aſſurgit caule unico, procero, tereti, hirſuto & rufo, in bipedalem altitudinem, foliis leviter ſerratis, hirſutis, inferius quaſi incanis, binis ſibi oppoſitis, cum parvulis adjunctis. In ſuperioribus ramulis caulis, multi flores umbellatim poſiti, toto anno Tanaceti fere modo proveniunt, cum ſtaminulis dilute cærulei coloris. Quorum odor, ut & totius plantæ, eſt Mentaſtri æmula, ſaporis amaricantis & aromatici. Semine nigro, exili, oblongo, quod maturum pappis evolat. Radice eſt tenella, filamentis multis prædita. Tota planta calida & ſicca habetur gradu intenſo.

Eiſdem porro uſibus dicata, quibus Mentha, magnique fit apud Incolas; tenuium enim & aromaticarum cum partium ſit, Syrupi & Electuaria inde cordialia flatus diſcutientia, pectus & ventriculum roborantia præparantur.

ANINGA PERI.



ANinga Peri Braſilienſibus dicta eſt planta fruticeſcens, quæ paſſim in ſilvis denſis naſcitur, flore exiguo albicante, cui paucæ uvulæ è cæruleo nigricantes, Sambuci baccis ſimiles, ſuccedunt. Foliis decoratur lanuginoſis, ovalis figuræ, triſte viridibus quidem, ſed aſpectu pulcherrimis; ad tactum inſtar Vrticæ mortuæ, mollibus & veluti lanuginoſis, quæque nervis multis & craſſis diſtinguuntur.

Folia recenter contuſa vel in pulverem redacta, recentibus & inveteratis ulceribus medentur prima intentione, ſi profunde illorum ſuccus aut pulvis iis immittatur.

CAPVT XLIX.

Aguapé ſive Nymphæa, Aningæ duæ paluſtres, & Potinçóba ſive Hydropiper.

INter illas herbas quæ mundo Occidentali cum Europa ſunt communes, *Nymphæa* eſt, Braſilianis *Aguapé*, Luſitanis *Golvaon* dicta, quæ lacubus & ſtagnis paſſim innatare conſpicitur. Folia noſtrati Nymphææ habet ſimilia, inferius multis venis implexis prædita: florem etiam talem, ſed qui conſtat duodecim foliis oblongis, acutis, anguſtis, albis, & quatuor viridibus foliis ſubtus, ſuavis odoris. Ejus folia & flores ſicut externa facie, ita qualitatibus admodum conveniunt cum noſtratium, iiſdemque ſunt uſibus dicata, apud omnes paſſim incolas. Quippe folia ſola, vel radices tibiarum ulceribus, inflammationibus & eryſipelati applicata, medentur.

AGVAPE' ſive NYMPHÆA.



Oleum radicis *Nymphææ* quoque præſtantiſſimum exiſtitit, atque contra internos & externos affectus calidiores in quotiano uſu receptũ.

Radices *Aguapé* hujus longæ & ſucculentæ ſunt, coctæ ſive leviter aſſatæ inter medicamenta alimentoſa numerantur, & apponuntur inter acetaria.

Præterquam enim quod bilem retundant radices, fluxibus ventris dyſentericis ſolamen afferunt & frenum imponunt. Ita ut ipſi quoque Empirici comprobent quotidiana experientia id quod veteres Arabes & Græci de qualitatibus Nymphææ olim teſtati ſunt; ſcilicet flores ejus quidem refrigerare & humectare, ſed in radicibus & ſemine ſiccandi & refrigerandi qualitates prælucere. Accedit quod in non paucis id vegetabilibus pateat, ut una eademque planta pro diverſa uniuſcujuſque partis natura ſuum variet temperamentum.

INter tot immenſas paluſtres herbas, adhuc tres uſuales hoc capite deſcribendas ſuſcepi. Quarum primo ſe offerunt duo frutices, ſub nomine *Aningæ*, quæ ſicut ob raram & pulchram faciem cæteris facile præcellunt, ita qualitate Medica haud inferi ores exiſtunt. Quæ autem *Aninga-iba* dicta, frutex eſt qui quinque aut ſex pedes ex aqua erigitur unico tantum caudice fragili quaſi internodiis diviſo, cinereo inſtar Iuglandis, in cujus ſummitate aliquot folia magna, læte viridia, craſſa, lævia, figura pene Nymphææ vel Sagittalis, nervo recto & venis tranſverſis conſpicua. Quæ ſingula pediculo innituntur ultra pedem longo, ſucculento. In eadem caulis ſummitate inter folia exſurgit flos unicus, magnus, concavus, folio unico incarnato conſtans, coloris pallide flavi, cum ſtamine craſſo, flavo, in medio floris concavo. Huic ſuccedit julus, qui fructus evadit, perpetuis quadratis conſtans, ovi Struthionis plus minus, magnitudinis & figu-

Aninga I. Aninga II.





ræ, coloris viridis, intus refertus pulpa alba, humida, quæ maturefacta & exſiccata, farinacei ſit ſaporis & tempore famis comeditur. Cujus tamen exceſſus cum evidenti vitæ periculo ſit, quod ob frigiditatem & flatulentiam, more Fungorum terreſtrium ſuffocationem minetur.

Lignum eorum qui ad arboream altitudinem excreverunt, ad varia mechanica uſurpatur, cum enim levis ſit, tenax, ſuberoſus totus caudex, Indigenæ & Nigritæ exinde *Iangadas* potiſſimum conficiunt, id eſt, rates ſuas ex trilignio copulato, ad fluvios raptim trajiciendos. Medica autem qualitas in bulboſa ſua radice conſiſtit, de qua mox in ſecunda *Aninga* agam, quia utræque earundem ſunt virium.

Alter autem *Aninga* eiſdem locis ſtagnantibus, ejuſdemque altitudinis conſpicitur. Caudice itidem unico; ſed qui diſpeſcitur mox in varios caules craſſiuſculos, molles & junceos, Muſæ ſive *Bacobæ* inſtar; unde ex unoquoque caule folium prægrande, oblongum, raris venis conſpicuum faſtigiatur. Flore eſt unico atque magno & candido, ex quo progerminat fructus haud vulgaris, primo viridis, mox ex cinereo flaveſcens, oblongus, craſſus, compactus, ac veluti granis & punctulis diſtinctus. Nobis inutilis habetur fere, Barbaris autem edulis ex defectu melioris alimenti.

Vterque *Aninga* radice eſt craſſa, bulboſa, quæ ſola foliis & fructui harum plantarum in Medicina præferenda eſt. Quippe cum præter primas qualitates frigidas, tenuium quoque ſit partium & deobſtruens, in varios uſus adhibetur à Luſitanis & Barbaris.

Contra

Contra hypochondriorum & renum inflammationes ac obſtructiones, fomenta exinde conficiuntur. Oleum denique expreſſum, præſtantiſſimum habetur contra prædicta mala, atque olei Nymphææ & Capparum vices ſupplet.

Si ex radicibus denique in urina humana coctis balnea fiant, eaque aliquoties calida reiterentur, ſummo exiſtunt ſolatio contra morbos articulares, tam inveteratos, quam recentes.

POTINÇO'BA.



POtinçóba, omnibus paſſim nota, Herba ultra tibiæ altitudinem vix aſſurgens, *Pulgera* Luſitanis dicta, folio oblongo, nunc maculato, nunc immaculato, hinc inde per paludoſa & aquoſa loca ſtagnantia conſpicitur, Perſicariæ per omnia ſimilis, unde eam Perſicariam Americanam appellare placuit. Caulem habet nodoſum, teretem, viridem, & ad nodos rufeſcentem: folia ſimilia foliis Salignis. In Summitate ramulorum proveniunt ſpicæ florum tenues & longæ, plenæ floſculis albis. Fert ſemen triangulare, ſplendens, fuſcum, parvum. Radix eſt inſtar capillorum longorum, quibus ſub aqua ſe ſuſtentat: nam caules oblique ſub aqua natantes, ad nodos habent fibras capillatas ſatis copioſas. Radix illius commanſa intenſiore fervore & acrimonia linguam inficit, Europæumque Hydropiper tantum non ſuperat.

Fomenta è foliis veteres membrorum dolores diſſolvunt, frigiditateſque abolent. Pubi ſæpius applicata urinas è frigore cunctantes ciunt. Cæterum recens herba inter cauſtica primas tenet, cujus rei non ignari Chirurgi, ea quotidie utuntur contra ulcera putrida, & vermibus ſcatentia. Tumores induratos digerit, cataplaſmatis in modo impoſita.

CAPVT L.

Althæa, Camarú, Aguara-quiýa, & Acutiguépoobi.

INter diverſas Malvarum & Althæarum ſpecies Americanas, Europæarum æmulas, hæ quidem duæ familiariſſimæ & ab omnibus expetitæ ſunt. Quarum nomina vernacula mihi exciderunt. Luſitani eas communi nomine *Malva Iſco* vocant.

ALTHÆA.



Prior (cujus iconem hic exhibeo) Malva eſt eleganter arboreſcens, caudice recto, inferius ramis orbo, ſuperius in multos diſtributo, in quibus folia magna, Malvæ hortenſis Europææ, vel Abutili Avicennæ modo, ſolitarie poſita cum longis pediculis adnaſcuntur. ea in totum ſunt hirſuta; inferne albicantia, in ambitu ſubtiliſſime dentata, ad tactum glutinoſa. In extremitatibus ramorum, & capitellis hirſutis, inſtar Alcææ vel Bamiæ Ægyptiacæ enaſcuntur flores inſigniter incarnati, pentaphylli, glutinoſi, cum ſtaminulis multis flavis. Semen eſt ſplendens, nigerrimum, quaſi triangulare.

Folia & flores quotidiani ſunt uſus, loco Malvæ, ſicut mox probabitur in ſequenti herba.

Altera Althæa magnitudine quidem, ſed non dignitate inferior, ex radice multa tenui in caulem rectum, teretem, uno latere ruſeſcentem, vix ad quatuor pedum altitudinem, ramuſculis ornate expanſis, aſſurgit. Cui folia ſingulatim poſita, in longiſſimis pediculis Malvarum more adnaſcuntur, inque tres vel quatuor lacinias ſecta, & craſſe in ambitu ſerrata, quibus notis potiſſimum à præcedenti planta diſcrepat. Superne ſaturate viridia, inferne incana, hirſuta, & ad tactum mollia, nervis & venis ruſeſcentibus. Prope exortum foliorum ad caulem & in ſummitate caulis ac extremitatibus ramorum provenit flos egregie incarnatus, pentaphyllo, ſtamineque in medio incurvato: tot triangulares, hiſpidæ, adhærentes capſulæ griſei coloris, juxta ſe in orbem poſitæ ſunt, quot folia flos habuit; in quibus ſemen triangulare, ſubrotundum, & figura Lunæ gibbæ, coloris griſei, magnitudine Farris. Ego utriuſque herbæ decoctum pro clyſteribus & fomentis quotidie præſcripſi: quod inter modice refrigerantia & emollientia principatum teneat. Nec aliam peculiarem qualitatem, ab Althæa veterum diſcrepantem, in hac potui animadvertere.

C*Amarú*, ſive Solanum veſicarium. etiamſi enim hæc Solani ſpecies Americani ſilveſtris foliis ſuis dentatis, caule piloſo, nonnihil abludat à veterum Solano Halicacabo; tamen ſi cætera externa & interna rite conſiderentur, nulli alteri plantæ comparari poteſt. adde quod hujus ſilveſtris folia in ambitu ſerrata plane conveniant cum foliis Solani hortenſis Fuchſii.

Ex radice parva, alba, filamentoſa, enaſcitur caulis ſatis craſſus, quadrangularis, nodoſus, pilis albis veſtitus. Ramis itidem piloſis folia adnaſcuntur dilute viridia, ad tactum mollia, longis pediculis innitentia; figura cordis, craſſa, modo in ambitu dentata, ſimilia foliis noſtratis Solani Halicacabi. Ex thecula rotunda prodeunt floſculi parvi, pallide flavi, in quinque angulos expanſi; intra florem ſunt quinque maculæ & totidem

CAMARV'.




totidem ſtaminula purpurea : ita ut flos clauſus quinquangularem ſtellam referat. Poſt quos ſequitur fructus pallide flaveſcens , Ceraſi magnitudine, folliculo incluſus modo noſtratis Halicacabi fructus, nimirum pentagono, turbinato, cujus anguli lineis purpureis intexti. Fructus comeditur & eſt ſapore fere ut noſtras Halicacabus. Herba cocta ſervit lavandis cruribus , ac proinde frequenter balnea ex iis conficiuntur.

Fructus tenuium partium cum ſit, hepatis & renum abſtructionibus dicatus eſt, eodemque modo ut in Europa exhibetur. In eo ſolum differens, quod diuretica qualitas in remiſſiori gradu huic videatur conceſſa.

A*Guara-quiy'a*, ſive Solanum bacciferum Americanum. Sponte in agris & deviis arenoſis luxuriat notiſſima hæc planta . vulgus Luſitanorum diverſa indidit nomina: alii enim *Erva Moura* vel *Pimente do Gallinha* ; alii *Erva do Bicho* merito appellarunt, quod frequens ejus ſit vſus in Endemia illa ani inflammatione *Bicho del culo* dicta. Frutex hic ex radice filamentoſa, alba, caule unico, viridi, medulloſo ornate exſurgit. Folia habet Capſico Braſilienſi ſimilia, duo, tria, vel quatuor juxta ſe poſita, inæqualis magnitudinis. In quolibet pediculorum hinc inde naſcentium emergit floſculus albus ex quinque foliolis retrorſum inclinatis, quinque ſtaminulis erectis, luteis, in medio poſitis. His floſculis verno tempore potiſſimum ſuccedunt baccæ rotundæ, quæ maturefactæ, præ nigredine ſplendent, copulatim pendulæ, ſucculentæ, multos acinos purpuraſcentes continentes , quæ ab avibus devorantur.

AGVARA-QVIYA'.



Folia imprimis, magni ſiunt in Medicina, à Chirurgis æque ac à Medicis expetita. Cum aſtringendi & refrigerandi inſigni qualitate vim quoque anodynam habent conjunctam, non tamen ſoporiferam. Vulneribus tibiarum, rimis papillarum mulierum, ſolia cum optimo ſucceſſu apponuntur. omni denique excedenti calori atque inflammationi proſunt, ardoreſque nimios ani extinguunt, ſi eorum ſuccus recens expreſſus cum tædis ano immittatur. Cautio tamen adhibenda perpetua, ne promiſcue in omni inflammatione pro topico apponantur, ob inſignem repellendi & refrigerandi vim, quæ in tota hac planta videtur prælucere.

Cortex ejus contuſus & aquis impoſitus piſces inebriat, ut in retia præcipitentur.

ACVTIGVE'PO-OBI.



A*Cutiguépo-obi.* Non imbellis planta fruticeſcens in ſilvis hinc inde conſpici datur, quæ ex radice ſuperius rotunda inſtar Bulbi, ſucculenta, inferius filamentoſa, exſurgit unico caule longo, recto, arundinaceo, ex quo hinc inde promanant in pediculis folia longa, acuminata, eleganter viridia, ſplendentia, ad tactum inſtar membranaceæ chartæ, nervo ſecundum longitudinem & ſubtiliſſimis lineis obliquis decorata, & in ambitu linea rubra, fimbriata. In ſummitate caulis, provenit flos inſtar Lilii egregie incurvati & ignei coloris, tribus vel quatuor foliis conſtans: apud quodlibet folium tria, quatuor, aut quinque ſtamina extant, ejuſdem coloris, figuræ ut dens apri. Radix aſſata vel cocta tempore famis comeditur. Et inprimis à Medicinæ peritis expetitur, quia ſola abſque alio remedio ulcera male morata ſanat, ſi contuſa iis applicetur.

CAPVT LI.

Variæ ſpecies Quiya ſive Piperis Braſilienſis, & Mangaratia ſive Zinziber.

CIrciter duodecim diverſæ ſpecies Piperis domeſtici ſive Capſici Braſilienſis reperiuntur: ut plurimum figura fructuum differentes, cum in cæteris fere conveniant. Quarum pleræque licet ab exoticorum authoribus traditæ ſint icones, non ſupervacaneum duxi, has addidiſſe. Quinque eorum genera, fructum ſurrectum

QVIYA ſive PIPER BRASILIENSE.




& ſurſum ſpectantem habent, cæteræ ſunt fructibus ſive rotundis ſive oblongis ad terram inclinantibus. Fruteſcentes ſunt omnes foliis & floribus inter ſe ſibi ſimiles; cæterum fructuum inſigni pulchritudine inter ſe certant.

Sed, ne quis erret, longe alia eſt planta ab ea quæ fert notiſſimum aroma *Mallaguetta*, Belgæ vocant *Grayn*, quod ex Africa affertur; nam neque ſemen, neque planta ullo modo conveniunt; ſiquidem *Mallaguetta* ſemen naſcitur in lobis pene ad modum Ireos, & folia dicitur habere ſimilia Gladiolo.

Cæterum licet virium gradu differant hæ noſtræ *Malaguetæ*, fere omnes tamen ſunt acres atque inſignis efficaciæ, & imprimis quorum fructus minimi ſunt, ſive rotundi, ſive oblongi, ut *Quiyaqui*, & *Quiya-apuá* ſive *Pimeta rodonda*, *Quiya-cumati*, & *Quiya-*

QVIYA.



Quiya-carapo. Excipitur tantum unica quæ *Pimenta dolce* appellatur, & ſive cruda ſive condita menſæ deliciis infertur ſine ullo calore moleſto. Flores omnium ſunt candidi, fructus ſanguinei coloris, ſemine ſunt ex flavo albicante & ferventis caloris, foliis Solani ſimilibus, læte virentibus.

Teſte Ximene Mexicani hanc plantam *Chilli* vocant, quæ fert ſiliquas illas, Hiſpaniolæ Incolæ *Axi*, & Antiqui Siliquaſtrum, Hiſpani piper Americanum, & Actuarius Capſicum. De quarum viribus & uſu Ximenes prolixe egit.

Olim ob inſignem acrimoniam, neque in medicinam, neque in cibum admittebatur, ſed poſtquam humanum genus excogitavit correctoria & utendi modum, utriuſque nunc participat.

Indigenæ, Luſitani, & noſtrates, hæc Piperis genera omnia, Orientali Piperi longe præferre ſolent, eaque, tum recentia, tum exſiccata, conciſa, cibo, imprimis piſcibus, optimum ſaporem conciliant, & ſanitati conducunt. In multiplicem uſum præterea à Medicis juxta ac vulgo arefacta reſervantur, nec facile vires deponunt, ſed potius ſumunt ad ſiccitatis & caliditatis ſupremos gradus. Integrum Piper recens (quod minoris eſt ſortis) deglutitum, ſummopere valet ad diſcutiendos ſtomachi flatus, languidamque concoctionem, corroborat denique viſcera à frigore obſita. Vrinam cit in ſpiritu vini maceratæ ſiliquæ infuſum; membra torpida & paralytica reſtituit, ſi eo reiteratis vicibus laventur. Pulvis ejus apoſtemata frigida reſolvit gallinæ axungiæ mixtus. Tutius autem & jucundius hæc præſtat, ſi rite præparatum ciborum obſonia ingrediatur, quod fit aceto, cui integrum Piper immerſum fuerit: tum quoque ſi in pulverem redigatur cum modico Salis Braſilienſis.

Eximiæ hæ plantæ jam dudum in hortis Hiſpaniæ & alibi, non modo propter ornatum, verum & uſum medicum ac condimentorum fuere excultæ. In hortis autem totius fere habitatæ Americæ plures illius ſpecies obſervantur, & ſiliquæ illarum in tam frequenti ſunt uſu, ut vix edulia reperias quibus non admiſceantur. Quamobrem cautio habenda, ne quis iis crebrius & immoderatius utatur. Renes enim, oculi & hepar exinde inflammantur in regionibus his fervidioribus, præcipue juvenibus & viris qui à vino non abſtinent, dolores hypochondriorum, abſceſſus internos excitant. Semen hujus plantæ adeo eſt acre, ut cavendum ſit, ne quis digitos ad oculos ferat, cum illud confricuit. Qui plura volet, adeat Cluſii Curas poſteriores, ubi exhibetur Tractatus egregius Patris Gregorii de Siliquaſtris. Recens enim tuſſim validam proritat, corpus turbat, atque pectus maxime infeſtat, ſi carbonibus impoſitum, ejus fumus excipiatur ore vel naribus. Omnium horum fruticum folia & radices prima balneorum calidorum ſunt ingredientia.

ARte colitur, non ſponte creſcit, *Mangaratiá*, quæ apud totius orbis Incolas in deliciis uſurpatur. Ac proinde cum neque cultura vel externa facie, neque interna

qualitate

MANGARATIA ſive ZINZIBER.



qualitate ab alio Zinzibere multum diſcrepet, deſcriptioni hujus noſtræ non inhærebo. Recens & viridis, ſaporis eſt fortioris quam quæ ætate ſiccata ex India affertur, magnaque quantitate hic Saccharo conditur. Quod antequam fit, Soli exponitur, ut ſuperflua humiditas conſumatur: ſed cave tibi à nimio uſu, præcipue qui ſanguine es fervidiori: adeo enim oſcula venarum acrimonia ſua aperit, ut ſanguinem ſubinde per urinas eliciat. Quando cum caule & folio tranſplantatur, folia decidunt, & poſt trimeſtre demum ſpacium nova generantur; ideo ſine caule ſola radix plantanda.

Etiamſi putem non eſſe Braſiliæ nativam, ſed ex Indiis orientalibus ſicut oryza huc traductam; tamen in omnibus Americæ provinciis luxuriat; ſeritur enim & propagatur tam per ſemen quam per radicem, idque felicius menſibus æſtivis. Interdum integra radix, parieti appenſa, ibi progerminat. Vide quæ Cluſius & Garzias ab Horto ſuper hac Planta notarunt.

Fr. Ximenes. Quod Mexicani vocant *Chilti*, Orientis Arabes, Turcæ, & Perſæ dicunt *Ginzibit*, officinæ *Ginziber*. Duæ autem illius reperiuntur ſpecies: quarum una dicitur mas, altera, fœmina. Mas habet folia magis aſpera quam Gingiber, & craſſiora, verum ejuſdem figuræ: radicem quoque majorem & craſſiorem, ſaporis acris & aliquantum amari; uſurpatur adverſus affectus ventriculi & inteſtinorum è cauſa frigida.

CAPVT LII.

Nhambi, Iacua-Acánga, aliis Aguaraquinha, & Herba Lanuginoſa.

OLim neglecta planta, in ſilvis & nemoroſis dumtaxat locis reperiebatur; tandem, cognitis illius virtutibus, hortis eſt illata. Pro vario naturæ & culturæ luſu, variis modis excreſcit, & faciem ſubinde mutat. Herba eſt caule ſatis craſſo, lignoſo, tereti, geniculato, qui Portulacæ modo partim humi ſerpit, partim erigitur atque radices agit multas, filamentoſas, teneras, albas. Caulis & ramuli perpetua hirſutie quaſi veſtiuntur, atque hinc inde ſe ornate diſpergunt, duo ſibi oppoſiti, quiſque folium producens magnum, dilute viride; quod ut variæ magnitudinis, ita & figuræ eſt; aliquando enim leviter eſt ſerratum, aliquando profunde laciniatum.

In extremitate ramulorum flores proveniunt ſolitarii, magnitudine Ceraſi minoris,

NHAMBI.



ris, conſtantes ſolo umbilico rotundo ſine foliis: Cæterum Chamomælo non multum diſſimiles. Semen in umbilico, ovali figura, plane compreſſum, ex fuſco griſei coloris ſplendentis.

Calida & ſicca eſt in tertio gradu, linguamque prægustata vellicat. Lactucas cæteraſque humectantes & refrigerantes herbas, quæ pro acetariis ſolent apponi, temperat, & ſapore aromatico imbuit. Præterquam quod tenuitate partium & caliditate intenſa calculum frangat, vis peculiaris contra colicos affectus illi ineſt. Tum quoque ſi floſculi & pappi comedantur, renum viſcoſitates & uteri immundities expellunt. Syrupus eiſdem malis dicatus præparatur. Flatus & obſtructiones ex frigore ortas diſſipat, ſi intus aſſumatur, aut balneis, fovendo corpori concinnatis, injiciatur.

Poten-

Potentia antidotali præſtare & toxico ſumme adverſari, experimento compertum habeo. Itaque quod vidi, hic referam. Braſilianus quidam Bufonem nactus prægrandem & veneno tumidum, ſucco floris & foliorum tergo leviter inſtillato, eum confeſtim enecavit. Nec tantum animantia venenata exſtinguit, ſed & præcordia hominum adverſus venena munit, ſi mane & ventriculo adhuc jejuno manducetur.

Aquas hydropicorum feliciter educit, & robur addit viſceribus. Indigenæ ad firmandam valetudinem, pultibus è *Mandihoca* factis, hanc herbam indunt, non ſine proſpero ſucceſſu quod frigiditatem ejus egregie retundat.

IACVA ACA'NGA.



FRuteeſcens & ornatiſſima planta, in arenoſis potiſſimum locis luxurians, à noſtris ac Barbaris in uſum quotidianum recepta. Vulgus Luſitanorum *Fedagoſo* nomen indiderunt. Aſſurgit ultra duorum pedum altitudinem caule hirſuto.

Foliis eſt craſſis Nepetæ ſimilibus, palmæ magnitudinis, rugoſis, & ad tactum pluſquam Vrticæ aſperis, & ut Scarlea corrugatis. Ex quibus exſurgit caulis, ſive ſpica potius, decem circa digitos longa, granulis perpetuis, eiſque viridibus coopertus more Plantaginis, niſi quod ſummitas illius caudæ, Scorpionis inſtar incurvetur, quæ finitur floſculis parvis, è cæruleo & luteo mixtis, figuræ inſtar parvi calicis. Radix pedem longa eſt, fere recta, pauca aut nulla filamenta habens, intus alba, lignoſa & lenta, fere inſipida, cortice fuſco.

Inter abſtergentes & mundificantes numeratur hæc planta, contra vulnera & ulcera, quod ſimul conſolidandi qualitate polleat; tum & contra cutaneos affectus, ex aduſtione natos, feliciter adhibetur, ſive ſimplex, ſive compoſita.

Reperitur & alia ſpecies priori plane ſimilis, niſi quod paulo major ſit quoad caules. Radix eadem eſt, folia autem paulo molliora, ſpica quoque incurvata, floſculis albis, quinque foliolis conſtantibus. Semen denique rotundum, non triangulare, ut in priori. Hæc nomen audit *Aguaraquinha*. Vulgaris quoque & trivialis planta, cujus folia contuſa, apoſtemata & tumores reſolvunt, ſi reiteratis vicibus eorum ſucco fricentur. Multis porro uſibus dicarunt, & contra interna mala exhibent Incolæ.

HERBA LANVGINOSA.



PAucioribus cognita, & in nuperrima peregrinatione mihi tradita hæc herba, aſpectu egregia. Quam hactenus vero nomine deſtitutam, primo intuitu Lanuginoſam appellare placuit, quod caulem & folia, eaque exigua, pulchra, longa & molli lanugine obducta inveniſſem.

Fructum fert rotundum & viridem, lanuginoſum, fatuum: Radicem habet parvam & tenuem, non ingrati ſed ſubamari ſaporis, cum quadam adſtrictione, in qua ſola parte plantæ qualitatem medicam latere compertum eſt.

Contra fluxus ventris à frigore natos, apud mediterraneos & remotiores incolas, familiare eſt remedium, mihique admodum commendatum, ſed nondum in uſus adhibitum, quod in habitata parte Braſiliæ vix occurrat.

CAPVT LIII.

Caa-atája, Ipecacuánha, & Caa-apiá.

IN pratis uliginoſis & apricis campis elegans planta *Caa-atája* reperitur: Luſitanis *Erva de purga de Ioan Pays* dicta. Vnico tenuiſſimo quadrangulari caule, vix palmæ altitudine aſſurgit, ſemper læte vireſcens, partim terræ incumbens, ad genicula iterum in terram radices agens parvulas, partim erecta ſtans. Ad quodlibet geniculum, duo foliola ſibi opponuntur, Nummulariæ figura & magnitudine ſeu rectius Veronicæ aut Chamædryos, in ambitu ſerrata, & pallide viridia. Ad quodlibet par foliorum floſculus minimus provenit, quaſi galeatus, albus. Poſt hunc ſequitur ſiliquula grani avenæ magnitudine & figura, quæ ſponte ſe aperiens, ſemen effundit minimum, rotundum, obſcure flavum, minus ſemine papaveris minimi. Nullius odoris eſt planta, ſed ſaporis amari.

CAA-ATA'IA.





Radice eſt fibroſa, tenui, parva, ſubamari ſaporis.

Inter nobiliſſimas & vere medicinales purgantes & aperientes hæc herba merito cenſetur à peritioribus Incolis: à vulgo profano vix cognita, & nondum in uſus applicata: utpote cujus manibus vix tuto permittitur tam efficax medicamentum.

dicamentum. Quippe illius decoctum vel ſuctus, tum quoque pulvis, ſi exſiccetur, pauca quantitate exhibitus, tam valide menſes movet, ut non impune ab omnibus capiatur. Ego ſuccum recenter expreſſum ad ℥j. circiter, ex convenienti liquore propinatum, menſtrua & urinas, tum quoque excrementa per alvum ſatis vehementer aliquando exturbaſſe obſervavi.

IPECACVA'NHA.



Tandem ad decantatas has ſalutiferas radices ordo nos deducit, quæ præter facultatem purgatricem per ſuperiora & inferiora, omni veneno eximie adverſantur. Nec credo, præſtantius remedium adverſus plurimos morbos ex longa obſtructione ortos, imprimis in ventris fluxibus medendis, in hiſce terris reperiri facile.

Duæ exiſtunt ſpecies, neutra à nemine, quod ſciam, deſcripta, earumve qualitates eximiæ in lucem protractæ. Vtraque eidem uſui dicata, ſed gradibus facultatum, tum & facie, & natali ſolo, differunt. Vna enim earum humi depreſſa, exiguior in pratis creſcit, Pugelio non admodum diſſimilis. nam caulis foliis lanuginoſis exſurgit multis, albiſque floſculis cingitur: radix illius eſt craſſa, filoſa, albicans, à Luſitanis ad differentiam, *Ipecacuánha Blanca* dicta, quæ, quod minus turbet corpus, & venenis validiſſime reſiſtat, æque pueris ac gravidis exhibetur.

Altera, cujus Iconem hic damus, eſt longitudinis ſemicubitalis, trinis vel quinis tantùm foliis ornata. Gaudet locis opacis, & tantum in denſioribus reperitur nemoribus. In ſummitate caulis baccas producit nigras, ſed paucas. Radice eſt tenui, tortuoſa, nodoſa, fuſci coloris, ſaporis ingrati, amari, calidi & acris. Exſiccata in multos annos reſervatur, nec facile vires deponit antidotales, ſudoriferas, ſed quidem vomitivas. Ejus in pulverem redactæ doſis eſt drachma; in infuſo, drachmæ, plus, minus, duæ. Facultatem habet abſtergendi, meatus reſerandi, ac infarctus exſolvendi.

Vtriuſque quotidianus eſt uſus, malunt tamen dilutum, quod vel unius noctis ſub

 dio

dio maceratione aut coctione in aqua, medicam ſuam virtutem abunde liquoribus communicet. Poſtea caput mortuum reſervatum, denuoque eodem modo præparatum, in eumdem uſum exhibetur; minus quidem efficax ad purgandum vel vomendum, ſed magis adſtringens. Ita ut radix hæc non ſolum materiam morbificam, licet tenaciſſimam, à parte affecta revellat, eamque per ſuperiora expellat, ſed & aſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Præterquam enim quod fluxibus ventris, aliiſque morbis medeatur, venenis adverſatur, viruſque, tum occulta qualitate, tum manifeſta, per vomitum ſtatim expellit. Quamobrem religioſe à Braſilienſibus reſervatur, qui illius virtutes primi nobis revelarunt.

CAA-APIA.



SEcretum hujus herbæ Luſitanis debemus, qui nobis eam ſuppeditarunt. Puſilla eſt planta & depreſſa, ſed quæ humilitatem præclaris dotibus abunde compenſet. Ex radice enim pennam olorinam craſſa, verrucoſa, filamentis ad latera, & inferius tenuibus prædita, exterius è griſeo flaveſcente, interius alba, tres vel quatuor pullulant pediculi, teretes, qui quilibet unicum folium ſuſtinent, obrotundum vel oblongum, tenerrimum, ſuperius ſplendide viride, inferius paulum albicans, habens nervum, & inferius venas tranſverſim conſpicuas.

Florem fert in proprio pediculo rotundum, umbilici figura, floris Bellidis æmulum, multis ſtaminulis conſtantem, ex quo ſemen provenit minus Sinapi. Radix ejuſdem fere cum *Ipecacuánha* præſtantiæ & efficaciæ, unde & *Ipecacuánha* abuſive à quibuſdam appellatur. Cujus vicem in vomitu ciendo, & alvi profluvio compeſcendo egregie ſupplet. Eo tamen diſcrimine obſervato, quod primam ſuam dignitatem à virtute antidotali ſortiatur, quam an aliunde mereatur, niſi quod viſcera tetris fuliginibus liberet, mihi nondum experiri licuit. Radix primum haud manifeſto ſapore eſt prædita, ſed manſa, quodammodo acris eſt, & relinquit in lingua vellicantem humorem.

Differt porro ab *Ipecacuánha*, quod ad vomitum proritandum minus ſit valida, nec pari efficacia humores peccantes per ſuperiora exturbet: quo fit, ut radix, quæ odore & ſapore alteri cedit, majori quantitate exhibeatur.

Indigenæ integram plantam contundunt, & ſucco prælibato virus à ventre excludunt: à colubris læſi, aut ſagittis venenatis percuſſi, eundem, antidoti loco, vulneri inſtillant non ſine ſucceſſu.

Datur hic & alia *Caa-apíæ* ſpecies, priori per omnia ſimilis, exceptis foliis; quæ quidem ejuſdem ſunt figuræ, ſed in ambitu ſerrata & hirſuta: pediculi horum raris veſtiuntur pilis. Florem fert in proprio pediculo rotundum cum umbilico in medio, inſtar floris Chamomeli.

CAPVT LIV.

Conambáia ſive Filix, Coaticaá ſive Polypodium, Ononidis ſpecies, Conambái-miri ſive Adianti ſpecies duæ, & Pinó ſive Vrtica.

IN denſis nemoribus mediterraneis variæ Filicis ſpecies luxuriant, quarum præcipuam, minuſque ab Europæa abludentem in medium hic profero. Quæ in trium aut quatuor pedum altitudinem aſſurgit, caule quadrato, ex rufo nigricante ſplendente lanugine rufa obducto. Folia ejus alata ſibi invicem alternatim opponuntur. Foliola autem alæ, ſunt tenera, viridia, itidem alternatim oppoſita, in ambitu ſubtiliter ſerrata; in uno autem latere cujuſque folioli, pulvis ſecundum oram folioli in longum adpendet rufus. Qui inſtar farinæ ulceribus tetris inſpergitur cum ſucceſſu. Nec florem, nec fructum, nec ſemen fert. Radice eſt longa ſaporis amari, nec tamen mordicantis; ulceribus exſiccandis non ſolum exterius, ſed lumbricis enecandis intus exhibita medetur. Iiſdem porro uſibus dicata quibus veterum Filix. Ac proinde ob inſignem abſtergendi & deobſtruendi efficaciam ab advenis æque ac indigenis in medicinam recepta. An vero peculiari vi vulneribus ſagitta arundinea factis auxilio ſit ut Dioſcorides de ea teſtatur, à me nondum compertum eſt, licet vulnera à ſagittis ejuſmodi inflicta, hic nimis frequentia exiſtant.

CONAMBA'IA ſive FILIX.



CATICAA' ſive POLYPODIVM.

VErum Polypodium, undiquaque in ipſis arboribus, præſertim vero in Palma *Urucurí* & Carduo *Caraguatá* creſcit. Cæterum vulgari Polypodio externa facie ſimilis. Radice eſt longa piloſa nodoſa ſubrufo muſco obducta, interius ex albo flaveſcente, ſucculenta, dulci, cum auſteritate mixta. Vnde caules cubitum alti, contorti, ſtriati, nigri aut rubri recta exſurgunt. Qui in ſummitate multa habent folia, trina ſibi directe vel alternatim oppoſita, læte viridia, mollia, nervo obſcure ruſo ſecundum longitudinem: juxta quem in utroque latere inferiori quadruplex ſeries punctorum pulveris luteſcentis è rufo conſpicitur; & inter punctula à nervo per latera tranſverſim multæ tenues venulæ virides. Quantum ad vires hujus Polypodii Americani, facile Europæum dignitate ſuperat, atque validum remedium deobſtruens & incidens, bilemque abſtergendo purgans per alvum.

ONONIDIS ſpecies.

TRivialis herba, cujus nomen Braſilienſe incognitum, vera Ononis non ſpinoſa nobis viſa eſt. Cui multi caules teretes, lenti, piloſi, ex una radice enaſcuntur longi, partim ſurrecti, ad tactum quaſi pinguiuſculi ſeu glutinoſi; è quibus hinc inde alternatim & quaſi mutuo amplexu in exortu prodeunt ramuli, quos eodem modo, petioli breves complectuntur, atque quilibet tria foliola, quidam etiam tantum unicum continentes: ſuntque foliola oblonga, anguſta, nervo ſecundum longitudinem & venulis obliquis inferne prædita, & leviter piloſa. Floſculos ex ſinu prodeuntes fert luteolos Ononidis noſtratis modo, cui etiam circa facultates medicas non abſimilis eſt: quamobrem ſupervacaneum duxi, earum herbarum cognitas qualitates, fuſius enarrare, quæ ab Auctoribus Botanicis traditæ ſunt. Radix enim eſt ex ordine calefacientium atque tenuium partium, viſcoſitatibus veſicæ dicata.

CONAMBAI-MIRI ſive duæ ADIANTI ſpecies.



VEniam facile merebitur qui Novi Orbis vegetabilia non ſatis exacte ſemper ad veterum ſpecies redegerit. Cum enim figura magna ex parte accordent, omnes tamẽ ejuſdem plantæ qualitates atque partes externæ rariſſime conveniunt. Quem Naturæ luſum etiam eſt obſervare in nobili hac, partim agreſti, partim domeſtica facta planta. Indigenæ ob ſimilitudinem quam cum Filice habet, imprimis minor hæc, idem fere nomen quod Filici etiam huic indiderunt. Scilicet *Couambai-miri*, quaſi parvam Filicem dicerent, cum tamen, ſi internæ præſertim qualitates ad examen rite revocentur, Adianti vel Trichomanis ſpecies ſit habenda, quam Luſitani *Avenca* dixerunt. Quarum major & minor hic apponitur. Vtraque celebris, & in quotidianos uſus apud ægros recepta. Aſſurgit major ultra duorum pedum altitudinem ex radice intus flava, extus nigricante, filamentoſa ſub terra ſerpente. Caulis hujus tenuis, ſtriatus, ex brunno nigricantis & ſplendentis coloris, ac lanugine quadam hepatici coloris veſtitus. Superius ramulos aliquot habet inordinate poſitos, qui, ut & caulis, folia habent alternatim poſita, dilute viridia, in ambitu dentata, atque ſingularis figuræ. Nec florem nec ſemen ejus unquam vidi, licet diverſis anni temporibus accurate eam obſervaverim, quod quidem cum vero Adianto Europæo commune habet. Ejuſdem quoque eſt qualitatis, ejuſdemque uſus ad expectorandas viſciditates.

II. Adianti minoris caules ejuſdem cum priore figuræ & coloris, ſed non veſtiti lanugine, verum veluti farina quadam aſperſi. Folia alata diverſæ magnitudinis alternatim poſita, ſuperne ſaturate viridis coloris, inferius farina pulvere nigerrimo mixto

to aſperſa. Nec florem fert nec ſemen hæc quoque. Non putem convenientius remedium excogitatum in pectoris affectibus, quam Syrupi & decocta utriuſque hujus *Conambai*, quod eximie bronchias pulmonum aperit.

Pino' ſive Vrtica



ADeo notæ herbæ quæ prius tactu de nocte peregrinanti, quam de die viſu percipitur, non eſt quod pluribus inhæream. Exſurgit ex radice parva filamentoſa, in terris arenoſis ſponte luxuriat, caule ſtriato, aliquantulum piloſo, & craſſo. Folia autem Vrticæ noſtrati ſimilia, magna, in ambitu ornate triangularibus dentibus, & raris pilis prædita. Fert ſuperius racematim plures floſculos plane parvulos, candidi coloris, longo pediculo inſidentes.

Vrtica hæc eiſdem uſibus dicata quibus Europæa. Nec ſpecificas in ea qualitates hactenus comperi. Semen enim & radix inter digerentia, & urinas moventia uſurpantur.

CAPVT LV.

Tupaípi & Vrucatú, Alliariæ tres ſpecies, Ciporéma, Tipi, Ibiarémo, & quatuor Taiaóba ſive Braſſicæ ſpecies.

PLanta eſt nobilis, quæ nunc humi, nunc ſuper arbore (ſicut aliæ multæ plantæ) ſine radice luxuriat, interque bulboſas, quod Bulbum habeat prægrandem & utilem, facile primum locum meretur. Cujus ſi formam externam, ſi vires ſpectes, Squillam Europæam diceres, quod illam per omnia referat; ac proinde aliqui Indigenæ à potiori videntur nomen *Tupaípi*, quod Bulbum ſignificat, Luſitani. *Çebóla* ſive Cepam, impoſuiſſe. Folia habet numero quinque vel ſex, tribus nervis ſecundum longitudinem more Plantaginis prædita, nec florem, nec fructum ferentia; ſunt autem cubitúm longa, gladiata, inferius deſinentia in Bulbum illum prægrandem, qui medullam vireſcentem, pinguem, & inodoram, ad tactum frigidam inſtar unguenti factitii, ſed ſatis efficacem ſuppeditat. Dolores enim ſedare ex calore natos, perhibent Barbari, ſoporem quoque inducere experientia comprobatum eſt. Luſitani vero mecum ipſum bulbum in uſum quotidianum ſicut ſicut Squillam Europæam feliciter applicabant. Illa autem quæ humi creſcit, facie & efficacia præcedenti eſt ſimilis, Luſitanis *çebola albara*. Bulba eſt rotunda, alba, pugni magnitudinis, cuticula nigricante: folia

Tvpaipi & Vrvcatv'.



folia fert quatuor vel quinque ſeſquipedalis longitudinis, lineis ſecundum longitudinem viridibus texta, infra multis radiculis filamentoſis ſe ſuſtentat.

TRES ALLIARIÆ ſpecies, ÇIPORE'MA, TIPI', IBIRAREMO.

ALiquot plantæ in vaſtis Braſiliæ nemoribus reperiuntur, quæ uſque adeo Allii qualitates æmulantur, ut vel leviſſime attactæ graviſſimo odore ſilvas & ædes integras inficiant, atque ſimul capiti & naribus obſint. Tres diverſæ potiſſimum mihi innotuerunt, quarum prior *Çiporema*, ſed Luſitanis *Çipó d'Alho* nominatur. Illi enim ſub nomine *Çipó* complectuntur omnes illas mirabiles herbas in ſilvis luxuriantes, quæ altiſſimarum arborum cacumina adæquantes, eas flexuoſo & tenaci ductu amplectuntur. Ac proinde cum omni fronde exceptis foliis deſtitutæ ſint, non habeo quo earum deſcriptionem ulterius protraham.

Secunda *Tipí* fruticis altitudinem æquat, flores albicantes, fructus nigros rotundos prunorum inſtar, ſed fatuos profert.

Tertia procera eſt arbor *Ibiraremo*, in ſilvis, tum quoque Olindæ promontorio reperitur, ligno adeo duro ut ciſtæ ſacchariferæ inde conficiantur. Foliis eſt & fructibus rotundis. Ejus facultates cum præcedentibus conveniunt & iiſdem uſibus inſerviunt. Barbari ad duo potiſſimum mala applicant. Cortices admixta aqua contundunt, indeque viſcidum mucum, ſive ſmegma vi eliciunt, quo puerorum corpora quæ febribus lentis & obſtructionibus illis diuturnis è frigore natis, obnoxia ſunt; adultorum quoque membra vagis articulorum doloribus infeſtata inungunt & fricant cum felici ſucceſſu. Ego ob ingentem harum plantarum calorem & efficaciam, poſteriorem hanc potius curationem, quam illam priorem in pueris exercere malui. Multi enim adulti à frigidis illis muſculorum, nervorum & tendinum affectibus internis & externis (*Curímentos* generali nomine appellant Luſitani) crebra & forti hujus mucilaginis inunctione reſtitui ſolent.

TAIAO'BA I.



TAIAO'BA II.



DIverſæ Braſſicæ quas Novus hic Orbis producit, *Taiaóba*, Radices autem *Taia* ab Indigenis vocantur. Harum Prima lacteſcens & alba exiſtit radice orbiculari non tamen bulboſa, exterius incarnati coloris, interius flavi, Cepæ magnitudine aut Porri, multa filamenta inferius obtinente, caule autem brunno ſeu fuſco, folia habente pœne orbicularia & nervos foliorum rufeſcentes. Radix & folium ſunt edulia, laxant alvum.

Secunda quæ *Mangará peuna* dicta, foliis eſt ſaturate viridibus & lacteſcentibus. Radicem habet itidem orbicularem, ut prior. Ex qua radice porro prodeunt caules multi ſpongioſi, ſucculenti, virides, craſſi, cuilibet autem cauli inſidet folium unicum ſagittalis herbæ figura & magnitudine, quando junior adhuc eſt planta; alias triplo aut quadruplo majus, & Petaſitidis herbæ foliorum magnitudine, nervos habens conſpicuos, viride & ad tactum molle ut Braſſica, ac in ambitu cingitur duabus venis.

Radix cocta vulgo comeditur ut *Batata*, eſtque dulcis, & ſingularis quaſi moſchati ſaporis aut floris violacei, quæ etiam febricitantes oblectat, & conducit multum.

Vtriuſque

Vtriuſque ſpeciei folia cum caulibus craſſiſſimis etiam inciduntur & pro olere in aqua coquuntur; molleſcunt ſtatim & optime ſapiunt.

Tertia *Taiaóba* vel *Mangara-miri* Foliis eſt minoribus, durioribus, inedulibus, nec lacteſcentibus, niſi ſola radice quæ cæteris *Taiaóbæ* radicibus eſt ſimilis. Caules, ut primæ, fuſci; folia acuminata ut ſecundæ, ſed anguſtiora, ſuperius ſaturate viridia, inferius albicantia, nervo & venis ex viridi flaveſcentibus, & in centro folii purpuraſcentibus. In caule autem longo flos inodorus unicus longus, albus, unico folio conſtans, inferior medietas hians, viridis coloris, magnitudine juglandis & ejuſdem figuræ, aperturam habens; Ita autem compoſita ſunt clypeiformia corpuſcula ut columna ſeu ſtamen læve & teres appareat. Hæc corpuſcula ſunt ſemen.

TAIAOBA III.



Quarta, eſt *Taiaóba* ſilveſtris aliis *Taiobaraon* dicta & Luſitanis *Mangara-brava*. Ex qua ſuperſtitioſum vulgus philtra aliaque ſimilia ridicula confici poſſe exiſtimat. Radicem autem vere cauſticum eſſe, ejuſque loco proſpere uſurpari experientiam teſtem habeo. Quippe præter balnea quæ ex iis ſolis contra morbos cutaneos, tum imprimis frigidos articulares, apprime conficiuntur, membra quoque affecta, prævia ſcarificatione, contuſis recenter radicibus fricantur cum optimo ſucceſſu. Mox cataplaſmata ex iiſdem, parti dolenti undiquaque imponuntur: quæ ſi per vices aliquot reiterentur, inveterata quæque mala, citra recidivæ metum exterminare ſolent.

Quæ alia præterea Braſſicarum genera hæc tellus producat, ad Medicinam ulterius ſpectantia, ſedula poſteritas inveſtiget.

CAPVT LVI.

Quinque Graminum ſpecies Iaçapé, Paraturá, Capuupeba, Iupicaí, & Amongeaba.

GRamina ut alibi, ita & in Braſilia varia reperiuntur, quæ ultra duodecim diverſa à me & Markgravio meo obſervata ſunt. Quorum quinque tantum vel ſex in Medicina celebrantur.

Primum eſt gramen junceum ad ſeſqui tibiæ altitudinem aliquando exſurgens, Indigenis *Iaçapé* aliis corrupte *çapé* dicta. Ex radicula geniculata juncea, alba, exſurgit caulis primum ſimplex, inſtar culmi ſiliginis, teres qui poſtea in aliquot folia finditur graminea, anguſta, in medio album nervum ſecundum longitudinem habentia. Nullius eſt odoris, nec florem gerit nec ſemen, ſolo ut plurimum effœto naſcitur, radices ſub terra longe lateque agit, novaſque herbas tenaces ductiles protrudit, quibus Indigenæ plerique & Europæi quoque utuntur ad membrorum vulnera liganda, morſuſque ſerpentum,

IAÇAPE'.



quo minus virus ad cor aſcendat, conſtringendos, donec vulnus ſanatum fuerit.

Sed miſſo hoc curandi modo, cui videtur aliquid ſuperſtitioſi intercurrere, ego vires & facultates quas expertus ſum commendo, quæ illius radicibus junceis ſuccoque grato turgentibus inſunt. Multis enim profuiſſe experientia comprobavi decocta illarum poſt aſſumptum venenum.

PARATVRA'.

Herbam hanc licet à vero gramine nonnihil abludentem tamen inter gramina ponere lubet. Sicut enim Carex, Belgis **Halm** in locis Hollandiæ arenoſis circa mare; ita fere in ſitientibus Braſiliæ littoribus hæc *Paraturá* conſpicitur. Raro ad cruris humani altitudinem aſcendit. Caule eſt duro, ligneo, rufi coloris, foliis multis tenuibus, ſature viridibus, ad tactum aſperrimis, ornate comatim aſſurgentibus. Radice eſt tenui, aromatici odoris, quæ ſuffumigiis, balneis in ani & inteſtinorum affectibus indita, emolliendi non ſolum, ſed & roborandi facultate pollet.

CAPVVPE'BA.

Tametſi pauca habeam quæ de tertio hoc Gramine teſtari poſſim; minime tamen prætereundum duxi. Luſitanis optima comparatione *Pe de Gallinha* appellatum, quod ſummitates ejus in tres veluti unguiculos deſinant. Gramen eſt plumeum, ad duorum pedum altitudinem aſſurgens, caule tereti, geniculato, foliis ad genicula longiſſimis. Caules egregie rufeſcunt, & in varios tenuiores cauliculos dividuntur, quorum quilibet verſus ſummitatem argentea veſtitur panicula, quæ in medio ſemen continet. Omni terra feliciter ſponte naſcitur.

Radix contuſa & cum aliquo convenienti liquore propinata quodvis venenum fere feliciter exturbat, ut teſtantur omnes exercitatiores Indigenæ, ſed à me nondum comprobata.

IVPICAI.



In paſcuis irriguis Gramen florens menſibus potiſſimum pluviis eleganti facie luxuriat. E piloſis radiculis caules protruduntur multi tenues juncei, pluſquam pedem longi, qui inferiori parte gramineis foliis veſtiuntur. Quilibet caulis gaudet capitulo ovali ſquamoſo, ſplendenti, coloris ſubluteſcentis & ex pallido variegati: his ſuperius floſculus inſidet, unicus, tribus quatuorve foliolis luteis conſtans. Indigenæ *Iupicai*, Luſitani *Erva d'Empige* quia Impetigini medetur, appellant.

Ob præclaras virtutes, præcipue ad curandam moleſtiſſimam Impetiginem atque ſimiles cutaneos ex calore & humorum acrimonia natos affectus, vix ulli Incolarum eſt incognita. Quippe, cum tota planta concava ſit quaſi juncea, & ſucco refrigerante referta multum liquoris recens contuſa ſuppeditat, quo pars affecta fortiter fricata, ſummum accipit ſolatium & pruritus intolerabilis mitigatur.

AMONGEA'BA



Quinta Graminis ſpecies eleganter plicata atque miliacea , ad trium vel quatuor pedum altitudinem , ex radiculis filamentoſis Arundinis modo in paſcuis aſſurgit. Folia viridia longa hinc inde caulis geniculis annata & ſolitarie poſita. In ſummitate caulis ſpica longa , Milii ſpicæ vel ariſtæ Panici ſilveſtris figura & magnitudine ſimilis.

Facies hujus plantæ Gramineæ mihi diutius nota quam ejus qualitates;quippe ab illis Incolis tantum mihi traditæ, quibus Malvæ & *Tupeiçava* copia deeſt, quod emollientium herbarum vices ſuppleat, & eodem modo externe adhibita, eoſdem quoque uſus ſuppeditet. Imprimis autem fomenta & lavacra ex ea confecta Anum ex Teneſmo afflictum demulcent.

CAPVT LVII.

Erva de Sta Maria ſive Dracunculus major, Capicatinga aliis Içarecatinga Acori ſpecies, Cararú ſive Blitum Americanum, Vvæ Criſpæ, & Meliſſæ ſpecies agreſtes.

INter plantas huc olim ex aliis regionibus illatas , atque tractu temporis domeſticas factas ; eſt illa quæ Serpentariæ majoris polyphylli nomen habet. Quamobrem tanquam exotica à primis incolis neglecta,ac proinde vernaculo nomine deſtituta, eam Luſitanorum vulgus *Erva de Sta Maria* nominarunt. Hortis irriguis, terris gleboſis gaudet, idque menſibus pluvioſis, ſicut magna pars herbarum exoticarum ; aridiora enim loca maritima, menſeſque æſtivos vix ferunt ſata aliunde huc illata, ſicut ſuo loco probavi.

Ex

ERVA de S.ta MARIA ſive DRACVNCVLVS major.



Ex caule naſcitur erecto, rotundo, craſſo, viridi, flavo & albo, more Serpentum variegato. Hinc novi caules ramorum inſtar emergunt, quilibet deſinens in folium quater vel quinquies laciniatum more noſtratis Dracunculi, viride & glabrum: continetque quælibet lacinia nervum craſſum varie & profunde exſectum. Præter enarratum caulem alius priori ſimilis exſurgit, è cujus ſummitate vagina prodit in acumen deſinens, pedem longa, ad cujus pediculum ſpicæ in modum inſtar Milii Indici componuntur grana ſucculenta, ſtriata, flava & punctulis rubris variegata, in quibus ſemen continetur. Radice eſt tuberoſa, craſſa, rotunda, filamentoſa, pellicula ex albo parum ruſeſcente.

Quantum ad qualitates medicas, eaſdem quidem cum noſtrati communes habet, ſed in gradu intenſiori. Vt enim aliqua ſata, quamvis ad terram & Solem clementiorem tranſlata, remiſſioribus aliquando exiſtant viribus; ita quædam, ob peculiarem ſoli genium, majoris fiunt efficaciæ, quod in Serpentaria hac quoque locum habuit. Folia & radices acris & amari ſunt ſaporis, & ſimile quid habent cum Aro ac Dracunculo veterum. Lentos enim & craſſos humores extenuat, obſtructiones aperit. Præter hæc levem aſtrictoriam vim cum enarratis qualitatibus habet conjunctam. Vnde fit quod inter efficacia medicamenta, & ab omnibus paſſim incolis, contra contumacia vulnera uſurpatur.

MIſſis diſputationum ſalebris de vero Acoro vel Calamo Aromatico Veterum ac Neotericorum? ego nobilem hanc plantam *Capicatinga* dictam, veri Acori ſpeciem pronuntiarim. Europæo noſtro externa figura ſive radicem ſive folia ſpectes excepta magnitudine, multum ſimilis. Sed quantum mole inferior tantum efficacia ſuperior exiſtit imprimis radix, quæ calida & ſicca eſt, grato amarore & aromatico ſapore linguam

CAPICATINGA, aliis IACARECATINGA ACORI ſpecies.



CARARV' ſpecies BLITI Americani.



linguam vellicans. Ea ſola vel aliis mixta non tantum ad incidendos frigidos humores peccantes feliciter adhibetur, ſed & contra venena aſſumta imprimis uſurpatur, ab advenis æque ac indigenis. Vnde facile eſt colligere intenſo ſatis gradu qualitatis eam eſſe calidæ, & conſiſtentiæ admodum tenuis. Non ſemper uliginoſis locis, ſicut Iris creſcit; ſed etiam promiſcue aliis terris gaudet depreſſis gleboſis, unde magna quantitate à Barbaris ad nos defertur.

VVlgaris herba *Cararú* in campis & hortis naſcens Bliti albi potius quam rubri videtur ſpecies quæ *Bredos* vulgo Luſitanorum dicta. Ex radice alba, craſſa, filamentoſa, caulis unus atque alter provenit cui hinc inde ramuſculi adnaſcuntur, cum foliis Bliti ſimilibus, quæ farina quaſi videntur aſperſa. In extremitatibus ramulorum proveniunt floſculi virides, ſpicatim congeſti more Bliti, niſi quod multo ſint tenuiores. Semen producunt nigerrimum ſplendens, rotundum, parvum inſtar Papaveris.

Blitum hoc oleris modo eſtur & loco Spinachiæ coquitur, ejuſdemque eſt ſaporis & efficaciæ, addito ſucco Limonum pro condimento. Nec minoris fit in Medicina quam officinarum Blitum, benigne enim alvum laxat, facillimæ eſt digeſtionis, humidæque ac frigidæ temperaturæ. Proinde ego malo circa ejus qualitates Galeno quam Plinio vel Dioſcoridi ſubſcribere; quod hi Blitum iners plane, nulliuſque in Medicina uſus pronuntiaverint.

Fr. Ximenes multas Atriplicis ſpecies teſtatur dari in Nova Hiſpania Mexicanis *Hautiquilite*, Hiſpanis corrupte *Quilites* nominatas.

Ejuſdem hæc videtur Species, cujus Cluſius meminit ſub nomine *Quimia* ſive Bliti Americani.

Vva Crispa Americana.



MEnſibus potiſſimum pluviis (quibus magna pars fructuum hic vigere ſolet) fructifera eſt hæc planta. Quæ ex radice alba, longa filamentoſa, caulibus, è viridi albicantibus ad ordinariæ fruticis altitudinem exſurgit, ſpinis undiquaque armata. Cui hinc inde alternata ſerie cum longiſſimis pediculis adnaſcuntur folia diverſæ figuræ & magnitudinis, *Iuripebæ* foliis ſimilia, dilute viridia ad tactum mollia, tenera, ac à tergo ſecundum longitudinem aculeata. In extremitate & medio caulis & ramorum, veniunt tres vel quatuor floſculi, ex viridi ad luteum inclinantes pentaphylli cum multis ſtaminulis erectis. His ſuccedunt fructus (qui ſimul cum floribus à pictore prætermiſſi ob itineris injurias) Meſpili magnitudine, rotundi, læves, coloris è viridi albicantis, ſtriis viridibus ſaturatis ſecundum longitudinem, mox dilute flaveſcentes, folliculo & pulpa conſtantes, ut uvæ criſpæ noſtrates, ſaporis acidi grati. Semina orbicularia, compreſſa, flaveſcentia, figuræ ferme ut Lentes pulpæ inſperſa; quæ ſimul cum fructibus deglutiuntur. fructus antequam plane maturuerit, ſanis æque & ægris ad ob gratum acorem ad ſitim ſedandam in uſu eſt frequenti. Alia præſidia medica promittit radix hujus fruticis, ſed quia à me nondum experta, ejus deſcriptioni ſuperſedeo & curioſæ poſteritati relinquo.

Melissæ ſpecies Agrestis.

CElebris planta (cujus nomen vernaculum ſimul cum ejus icone exciderunt), à Luſitanis *Erva Cidreira* ob Citri odorem dicta, à me ob odoris & facultatum convenientiam inter Meliſſæ ſilveſtris ſpecies relata, licet externa facie ab ea abludat.

Ex tenui radice caulis ſtriatus, geniculatus ultra noſtratis Meliſſæ altitudinem aſſurgit, unicuique geniculo duo folia oppoſita, tam in caule quam in ramulis apparent. Folia acuminata in ambitu ſerrata, brevi pediculo nituntur. In ſummitatibus ramorum oblongæ ſpicæ naſcuntur, cum floſculis minimis, ex albo cæruleis.

Omnes partes plantæ fragrantiſſimæ ſunt, imprimis folia, quæ non ſolum recentia, ſed ad annos exſiccata, tenaciſſime reſervant odorem, facile gratiorem & fortiorem quam Meliſſa ſativa: proinde mihi aliiſque rei medicæ peritis incolis in quotidiano ſunt uſu, non tantum ad externa fomenta ſed ad potiones cardiacas, loco aquæ Meliſſæ deſtillatæ exhibendas, in frigidis potiſſimum affectibus ad flatus & colicos dolores diſcutiendos maxime celebratas.

C A-

CAPVT LVIII.

Caapongæ ſive Crithmi marini diverſæ ſpecies, quæ vulgo Soldanellæ, & Portulacæ nomina audiunt.

TRes haſce plantas facie & nomine non ſolum ſed & qualitate ſibi congeneres, una quaſi fidelia dealbare conſtitui, quia omnes hæ quotidiani uſus ſunt, tamque in Pharmacopœa quam in Culina receptæ pro acetariis. In locis maritimis ubi ſalſo humore terra imbuitur, luxuriat familiaris planta, Luſitani *Perexil do mar* vocant. Ex uno atque altero caule ſucculento, rufeſcente, molli, nodoſo, partim humi incumbente, partim ſe erigente, naſcitur. Foliis itidem ſucculentis, oblongis craſſis hinc inde ad ſingulos nodos provenientibus. In ſummitate autem cujuſcunque fere caulis, capitulum oblongum album ut in Trifolio, fere, loco floris exiſtit, habens in ſe aliquot ſtaminula parva crocei coloris. Folia & breves ramuli decerpti ac parum cocti ſuperfuſo aceto condiuntur, & eduntur, cum carnibus aut piſcibus pro acetariis; excitant enim appetitum, movent urinam & aperiunt viſcerum oppilationes, ita ut ſi referatur ad plantas Europæas, licet Crithmo marino facie nonnihil diſſimilis, ratione tamen qualitatum illa ſimillima ſit.

Caaponga I.



Caaponga II.



Secunda, caule eſt Portulacæ, tereti, geniculato, rufo humi ſerpit, atque circa maritima luxuriat in infinitum. ad quodlibet autem geniculum quinque aut ſex folia appoſita, figura foliorum Lavendulæ, veruntamen craſſa & ſucculenta ut Portulacæ. Inter folia in ſingulari pediculo fert floſculum dilute purpureum, quinque foliolis conſtantem deorſum incurvatis & multis ejuſdem coloris ſtaminulis in orbem diſpoſitis, quæ in medio adhuc ſtamen viride ovale continent. Radices hinc inde unicas

agit, innumerabilibus ſubtiliſſimis filamentis circumdatas, & fibræ ex illo variis locis prodeuntes, ſe terræ infigunt. Folia muria & aceto condiuntur, & pro acetariis uſurpantur, ſicut Crithmum marinum, Soldanella & ſimilia.

CAAPONGA III.



Tertia *Caaponga*, Portulacæ eſt quoque ſpecies quæ *Bel droga* Luſitanis dicitur; ex radice autem brevi & in multa filamenta alba deſinente, producit caulem rotundum, ſucculentum foliis quoque inſtar Portulacæ ſucculentis. Rami quaſi lana alba circumdati & in extremitate cujuſlibet rami, octo folia in ſtellæ modum diſpoſita ſunt, ex quorum medio flos enaſcitur luteus, inſtar floris Portulacæ noſtratis. Cui ſupermanet corpuſculum quoddam, pappo albo circumdatum, in quo ſemen continetur nigricans rotundum, papaveris ſemine paulo minus. Cocta loco acetariorum tota herba comeditur ad excitandam orexim.


Quia Acetoſa Braſilienſis, cum hiſce Portulacæ ſpeciebus in quotidianis quoque acetariis recepta, hic ſub jungendam putavi. Caule eſt tereti viridi & ſucculento: foliis itidem ſucculentis oblongis & lævibus. Floribus dilute purpureis in ramulis triangularibus prodeuntibus. Tota planta gratiſſimæ eſt aciditatis, nec Europææ acetoſæ cedens.

CAPVT LIX.

Herba lanuginoſa Dictamni æmula, Ibiraeém ſive Liquiritia ſilveſtris, Tupeicava ſive Scoparia, & Caiatiá aliis Caaçicá.

NObilis hæc odorifera planta, quæ ſerius mihi innotuit, quod in diſſitis locis tantum reperiatur, ac proinde rarius in ſolamen ægrorum exhibita; tamen, quia ob inſignem aromaticum ſaporem & odorem multa promittit in re medica, eam ſedulæ poſteritati revelandam putavi, ut ulterius de ejus cogitet qualitatibus.

HERBA LANVGINOSA.




In ſilveſtribus terris ſiccioribus luxuriat tenella herba ex radice exili, filamentoſa. Ad pedis circa altitudinem aſſurgit caule uno atque altero tereti, ex viridi albicante adeo lanuginoſo, ut totus goſſypio aſperſus videatur. Pro vario Naturæ luſu ramuli longi hinc inde à terra ſurſum expanduntur, foliis, nunc ſibi oppoſitis, nunc ſolitarie poſitis, inæqualis longitudinis in ambitu leviter criſpatis, quæ omnia cum ramuſculis more Dictamni Cretici lanuginoſa inſtar mollis ſerici ad tactum apparent. In extremitatibus caulis & ramulorum flores ſpicatim congeſti proveniunt, parvuli ſplendentes ex argenteo ſubflavi, quibus decidentibus ſtellulæ argenteæ remanent.

Folia odoris ſunt ſingularis proxime ad Dictamnum Creticum accedentis ſi modo leviſſime confricentur. Succus eorum recenter expreſſus & leniter aſperſus culicum & muſcarum non ſolum puncturis, ſed & aliorum inſectorum ictibus malignis medetur virus extrahendo. Multa

præterea

præterea incolæ de dignitate hujus plantæ prædicarunt, quæ experiri non mihi datum fuit.

IBIRAEE'M ſive LIQVIRITIA ſilveſtris.



FAmiliariſſima illa radix quæ Braſilianis *Ibiraeém* (quod dulcedinem exprimit), Luſitanis *Alcaçú*, dicitur, eadem plane habetur quæ Liquiritiæ nomen à Latinis accepit. Majoris fruticis eſt altitudine, caule lignoſo, foliis Pyri ſimilibus: locis aridioribus creſcit in ſilvis Paranambuci. Glycyrrhizæ virium eſt æmula, non æque tamen dulcis ſi maſticetur radix, cæterum grata & iiſdem uſibus quibus Liquiritia noſtratium, dicata. Pectori enim amiciſſima, & difficultatibus urinæ ſuccurrens.

CAIATIA'.




PRæſtantiſſima hæc Herba, merito à Luſitanis *Erva dos Cobres* eſt appellata, quod Colubrorum morſibus feliciſſime medeatur, nec ulli Antidotalium herbarum dignitate cedat. Lippis & tonſoribus, tam ob inſignem uſum, quam frequentiam notiſſima, quod in triviis ubique creſcat, omnique ſolo gaudeat. Exigua hæc Panacea lacticeſcens eſt inſtar Eſulæ, foliis Menthæ non diſſimilibus, ſed longioribus paulo & anguſtioribus exiſtit, iiſque criſtatis, ſed admodum triſtis & ſature viridis coloris, cauliculis ad rubedinem vergentibus, radicibus filamentoſis & miniatis, terræ hinc inde inſertis. Inter folia ad nodos multi prodeunt floſculi viridis coloris cum aliquantillo rubore mixti, in umbellam compoſiti. Humi

X 3 depreſſa

depreſſa tota repit planta. Ita ut licet aſpectus imbellis ac ignobilis ſit, qualitate tamen interna compenſetur. Quippe recens maſticata vel contuſa, & morſui Serpentum applicata, dolorem non ſolum ſedat, ſed ipſum venenum validiſſime extrahit, & vulnera reſtituit in integrum. Sicca vero, & in pulverem redacta, ſi è convenienti liquore, ad pugillum exhibeatur, munit cor, vireſque à veneno lapſas reſtituit.

Datur & alia ſpecies *Caaçica* à domeſtico meo primum detecta. Quæ ejuſdem licet figuræ fere & nominis, non ejuſdem tamen qualitatis hactenus eſt deprehenſa. Lac enim quo tota planta turget, contra rubedines & dolores oculorum commendatur, ſed à me nondum comprobatum. An polleat vi antidotali ut præcedens *Caaçica*, nondum mihi conſtat. Quod humi repat, & lacteſcens ſit herba, Peplo majori Cluſii non male reſpondet, cæterum externa figura illi multum diſſimilis.

TYPEIÇAVA ſive SCOPARIA.



NIhil vulgarius in triviis undiquaque creſcit quam *Baſoura*, qua Æthiopes dominorum ſuorum ædes verrere ſolent. Alia huic affinis, ſed minor, Luſitanis *Baſourinha* dicta, in longe nobiliores uſus à Medicinæ peritis applicata, Braſilienſibus *Tupeiçava* nominatur, quæ Verbenæ fere eſt facie.

Herba non ſilvis, ſed apricis campis gaudet. Vix cubitum alta, tenaci lignoſo unico plerumque caule aſſurgit, cui à fundo ad verticem uſque perpetui ramuſculi adnaſcuntur ornate expanſi ſuperne, pyramidis inſtar. Qui undiquaque plurimis anguſtis & exiguis acuminatis foliis, ſtellatim compactis hinc inde ſibi invicem oppoſitis veſtiuntur. His inſerti apparent infiniti oculi virides, aciculæ capitis magnitudine, è quibus floſculi dilute albicantes & cærulei erumpunt. Et poſt illos rotunda corpuſcula inſtar Baccularum quibus continetur ſemen minimum fuſcum. Radice eſt recta, brevi, candida, filamentoſa, quæ ſicut & tota planta manifeſto ſapore & odore caret. Integræ herbæ, præſertim juvenis, decocta, balnea, ſuffumigia, admodum ſunt anodyna, emollientia & attemperantia, ut tot inſignibus Malvis in Braſilia luxuriantibus præferri debeant. Nec memini me in Teneſmo, Hæmorrhoidibus, ani inflammationibus vel doloribus, præſentius adhibuiſſe remedium tam familiare, ſive externe, ut ſupra dictum, admotum, ſive per clyſteres injectum.

Huic emolliendi qualitate æmulæ ſunt herbæ *Paratura* & *Amongeaba*, cæterum dignitate multum inferiores.

CAPVT LX.

Variæ ſpecies Murucuiá, Granadillæ dictæ.

POſt ſedulam inquiſitionem decem ſpecies *Murucuiá* repperi. Quarum duæ majores non in campeſtribus ſed tantum in hortis inveniuntur. Prima & nobiliſſima quæ ſe offert ſimplex nomen vernaculum *Murucuiá*, ab Hiſpanis *Granadillæ* à Belgis **franck-appels** accepit. Secunda Pyriformis *Murucuia-guaçu* ſive magna vocatur. Cæteræ octo ſpecies minores ſunt, nec ad ſativas traductæ, inque ſaltibus remotioribus

MVRVCVIA' I.



tioribus arbores conſcendunt, quibus claviculis ſuis adhærentes, jucundum opus topiarium repræſentant. Qui ſilveſtres, addito cognomine diſtinguuntur, ut ſunt *Murucuiá-eté*, *Satá*, *Mixíra*, *Poca*, *Peróba*, *Piuna*, *Ternacuia*, *Vná*. Hæ eximiæ *Murucuiá* hederæ ſunt fructiferæ & eſculentæ, licet ab incolis ob excellentiam & frequentiam duarum illarum ſativarum minus expetitæ. Foliorum, florum & fructuum facie ac qualitatibus internis inter ſe diſcrepant, ut ex picturis & deſcriptionibus facile conſtabit.

Prima nobilis hæc *Murucuiá* hortenſis, cuivis terræ inſita creſcit totoque anni tempore pulchre vireſcit; felicius tamen ſi quotannis à luxuriantibus ſarmentis liberetur, ſecus enim ſuffocatur. Frondes jucundiſſimam umbram præbent ſi hederæ aut vitium inſtar huc illuc flectantur, funiumque modo in fornicis formam ducantur, foliis hinc inde veſtiuntur, in quinque alia eleganter ſectis. Tandem flores admodum celebres ſuccedunt qui Paſſionis Chriſti dicti, quorum circumferentiæ Roſam longe ſuperantes, ex foliolis inferne vireſcentibus, ſuperne cæruleo purpureis emergunt: dehinc radiatim Solis ut pingitur figura, multa filamenta criſpata & in orbem explicata apparent, quæ in centro, in medio & in circumferentia exterius & interius cæruleo, purpureo, cyaneo uraneoque colore ſplendentia, punctulis dilutis albo & rubro variegantur ſupra conſuetam naturæ elegantiam quaſi pulchritudine inter ſe certarent. Columella autem illa pallida quæ è medio floris exſurgit, ſuperius diſſecatur in quinque partes, quæ ad latera curvatæ extenduntur; cuique parti ſpongiæ formi corpus luteſcens, pulverem luteum aſperſum habens adhæret. In medio autem columellæ piſiformis orbiculus ex flavo albicans eſt, & huic tres clavi ſuperius infixi è flavo albi & punctulis minimis purpureis variegati & deorſum inclinati, ut brachia columnæ. Flores omnes tertia poſt Solis ortum hora aperiuntur, pauloque ante occaſum denuo clauduntur, ne decora eorum facies nimis proſtituatur. Contrarium fit in Mirabilis Peruanæ aliiſque floribus, qui de die clauduntur. Florent maxime ſub finem æſtatis, fructumque menſibus pluviis æque ac æſtivis maturum magna copia producunt. Omnium autem pomorum *Murucuiá* præſtantiſſimum eſt hoc quod ab ægris pariter ac ſanis expetitum, exacte rotundum, glabrum, læte vireſcens cum maculis albicantibus, cortice craſſo ac tenaci, pulpa crocea gratoque & vinoſo acore jucunda, in quo multa granu-

la ſeminis nigri, variis tuberculis inſigniti & folliculo incluſi. Mirandum vero, aliquos ſcribere (inter quos doctus Monardus) Pomum hoc eſſe inſipidum. Niſi forte de Peruviana Granadilla ſint locuti, cujus meminit Petrus de Cieca in Hiſtoria Peruviana, quam colore & ſapore ab hac noſtra differre facile crediderim. Ad Medicam illius hiſtoriam tranſeo.

Pulpa quæ ſummo febricitantium ſolatio & oblectamento eſt, mihi in quotidiano uſu eſſe conſuevit, vicemque ſyrupi cordialis, ut & Rob Ribium vel Berberis egregie ſupplet. Qualitate refrigerandi cæteras Granadillas omnes antecellit, nullamque noxam, etiamſi abunde comedatur, adfert: niſi quod immoderato ejus uſu dentes ſtupore obtorpeſcant. Æſtu laborantes mirifice refocillat ſitimque exſtinguit. Ad hæc appetitum excitat, ſtomachi ardores reprimit, ſpirituſque vitales, cum recens pomum, tum ſuccus ejus in ſyrupi conſiſtentiam coactus, & ex poſca propinatus, reſtaurat. Idem præſtant flores & pomi cortices conditi, qui vix ulli fructui dignitate concedunt. Folia loco hederæ cauteriis applicata, multum proſunt.

MVRVCVIA' II.



Secunda ſpecies maliformis *Murucuiá* inter ſilveſtres habita, caule itidem eſt, ut Bryonia ſarmentoſo ſed ſubrufo, in quo cum ſuo petiolo folia hinc inde ſolitarie poſita & in quinque alia ſecta, naſcuntur, quorum medium utrimque rara inciſura laciniatum, ſingula læte virentia nervo recto & venis tranſverſis obſita. flos ſuavis eſt odoris, ejuſdem figuræ & colorum elegantiæ ut præcedentis, ſed minor circumferentia filamentorum, antequam ſe aperit ita ſe habet, ut ſupra in Icone. Fructus æquat Pomum noſtrum vulgare rotundus, cortice craſſo, flaveſcentis coloris, conſtans pulpa ſucculenta, vinoſe acida, tam odore quam ſapore commendabili, linguam quoque croceo colore tingente. Fructus pulpa ægris ac ſanis ad viſcerum ardores temperandos & ſitim extinguendam licet præcedenti inferior, tamen in pretio quoque habita.


Tertia maliformis *Murucuiá* ſive Granadilla eodem modo quidem ut aliqua præcedentium in caule folia diſpoſita habet, ſed peculiari naturæ luſu in tres lacinias ſecta, in ambitu ſerrata, læte virentia, nervis rectis & venis obliquis multis prædita. Flore eſt ſuavis odoris, magnitudine & figura convenit cum pleriſque antecedentibus, idem de ejus filamentis & columella, imo & de fructu ipſo dictum volo, qui immaturus ſplendet atque ex viridi ſubflaveſcit, ex albo inſtar Colocynthidis variegatus, maturefactus citrini fit coloris & digito attactus cum ſtrepitu diſſolvitur.

MVRVCVIA' III.



ſolvitur. De caulium, radicum, vel fructuum qualitatibus medicamentoſis nihil hactenus mihi compertum eſt, fructus tamen edulis, licet ſilveſtris & minus cæteris ſaporoſus.

MVRVCVIA' IV.



Quarta *Murucuiá*, pyriformis prima, quæ *Murucuia-guaçu* ſive Granadilla magna dicitur. Planta eſt egregie viminea, lignoſa, lentiſſima: Caulis contortus, quadratus, coloris griſei, vitis craſſitie: longe ſerpit ac etiam arboribus & fruticibus ſe implicat. Folia habet læte viridia, lævia, ſplendida, non ſerrata, inæqualis figuræ; quædam enim ſunt ſimplicia, quædam laciniata. ex hiſce foliis contuſis promanat color egregie viridis quo pictores utuntur. Flore quoque eſt eleganti, magnitudine Roſæ, exterius quinque foliis, nunc viridibus, nunc rubris, alternatim poſitis. His foliis circumnaſcuntur filamenta criſpa, purpurea, in centro vero columna ex flavo albicante. Flos facillime perit decer-

decerptus, & vermiculi in illo generantur ut in caſeo. Fructus pyriformis eſt, initio viridis, maturus flaveſcentis è viridi coloris. Intus multi proceſſus, quibus ſemen cum pulpa fructus per tenues cuticulas annectitur. Pulpa, alba, ſucculenta, glabra, inſtar rudimenti avis in ovo, cui inhærent infinita grana ſeminis ſuo folliculo incluſa, nigra, ſplendida, compreſſa. Odor & ſapor fructus dulcis & ſuavis, nihilque aciditatis ſapit ſicut pleræque aliæ. Cortex craſſior eſt quam Mali aurantii. Quando comeditur, ſcinditur tranſverſim (non ſecundum longitudinem) & pulpa paulum ſeparatur à cortice, adhærens illis proceſſibus, ac dein una cum ſeminibus ſorbendo inſtar ovi tremuli exhauritur. Febricitantibus, tabidiſque multum prodeſt. Temperat renum calores, & mucilagine ſua ſanat ulcera inteſtinorum ex dyſenteria orta; inflammationes pulmonum mitigat.

MVRVCVIA' V.



Quinta *Murucuiá-miri* ſive parva pyriformis altera, folia habet ſolitarie poſita, cordis bubuli figura, læte virentia, lævia, non laciniata neque ſerrata, ſicut in maliformi *Murucuiá*. Ad quemlibet quoque pediculum folii etiam capreolum habet caulis, quo ſe annectit more Vitis. Flos, qui ſuavis eſt odoris, in eodem caule ex decem foliolis ſuperne & inferne, nunc viridis, nunc rubri coloris, alternatim ita poſitis, emergit, cujus facies, color & ornamenta, paucis exceptis cum præcedentibus conveniunt. Quamobrem ad internas ejus qualitates, quas noviſſe plus intereſt, me nunc confero.

Quantum enim hæc nobilis Granadilla præcedentibus magnitudine cedit: tantum dignitate virium medicinalium cæteras ſuperat. Quippe uſque adeo inſignis habetur efficaciæ hæc planta (licet paucioribus Incolis nota) ut non ſolum officinarum Çarçaparillam æmuletur, ſed eam facile ſuperet, deobſtrudendo, ſudores atque urinas movendo. Integra enim herba quæ pauci eſt ſaporis, modo leviter attrita, & ex vino, vel aqua exhibita, tuto, cito & jucunde ſecundinas & cæteras uteri immunditi es expellit, mox robur viſceribus reſtituit. Quod cum ab exercitatiſſimis rei Botanicæ Braſilianis ad Fluvium Divi Franciſci habitantibus, accepiſſem, qui nullum remedium, huic *Murucuiá-miri* in obſtructionibus & frigiditatibus præferrent: illud tandem à Luſitanis & Batavis noſtris colonis imitandum volui, qui proſpero ſucceſſu etiam nunc id in uſus quotidianos applicant.


Folia denique contuſa, ferventique aquæ, donec tepeſcat, indita, atque podici aliquoties applicata, præſentiſſimum præbent remedium contra hæmorrhoides.

CAPVT LXI.

Variæ Timbó, Cururú-apé, & Tety-pote-iba ſive Vitis Arbuſtina.

PRæter eas quas generali nomine *çipó* nuncupatas eſſe diximus: variæ & mirabiles dantur Herbæ ἄφυλλοι *Timbó* vulgo dictæ, & variis uſibus & abuſibus dicatæ; quæ omnes jucundum dant ſpectaculum. Quædam enim inſtar funium, in aëre tenſæ, vix pollicis craſſitiei, ad altiſſimarum arborum faſtigia enituntur, indeque rurſum demiſſæ humi ſe præcipitant; unde denuo continuato & tenaciſſimo ductu inſurgunt in infinitas chordas, ita ut ſilvas vix penetrabiles conficiant. Quædam vero ſunt humani cruris craſſitie triangularis, quadrangularis, & rotundæ figuræ, arborumque cacumina adæquant, eaſque nunc hederæ in modum amplectuntur, nunc eas rurſus deſerunt atque in nodoſos gyros & concinnos hinc inde luxuriant, adeo flexibiles & validæ, ut quoquomodo conſtringas, numquam rumpantur. His *Timbó-guaçú* à magnitudine; illis *Timbó de Cono* à Braſilianis, *Barbaſco* à Luſitanis nomen inditum, vietoribus ad vaſa liganda, contuſa coriariis rhois, naupegis vero ſtupæ vices præbet. Piſcatoribus ad retia non ſolum tingenda, & præſervanda: ſed & ad piſces capiendos interior & exterior ſubſtantia inſervit. Quibus ad Fluviorum ripas (ut ipſe multoties vidi) contuſis, aquas atro colore & virulentia quadam inficiunt, unde Piſces non tam moriuntur ſtatim, quam vertiginoſi & quaſi ebrii in retia ſe præcipitant. Male quoque fit pecoribus ſi ex hac aqua nimium bibant. Multi tamen teſtantur ſe lymphas multoties abſque damno licet ejus ſucco infectas, hauſiſſe.

GVAIA'NA-TIMBO'.



Sequitur tandem *Guaiána-Timbó*, nomine & noxia hac qualitate præcedentibus ſimilis, cæterum diſſimillima apparens, quæ ſola in Medicos uſus recepta eſt, nec frondibus deſtituta, ſicut pleræque *Timbó*, ſed floribus, foliis magnis, glabris, acuminatis hinc inde vagatur, atque in caulis extremitate tenuibus ſiliquis, lævibus, cubitum longis, copulatiſque ornatur. Quæ merito à Luſitanis *Faiſaons d'impige* ſive Fabæ Impetiginis appellantur, quod earum cortex, ſuccum, piſcibus quidem infeſtum ſicut & præcedentes *Timbó*, ſed impetigini & puerorum ſcabiei, cæteriſque hujus generis affectibus cutaneis, proficuum continet. Menſibus enim pluviis immaturæ ſiliquæ & virides, ſucco turgent præſtantiſſimo, eoque frigido & acri, quo ſi fricetur qui impetigine laborat curabitur; modo aliquoties reiteretur remedium.

Quando maturuerunt ſiliquæ tempore æſtivo, mox exſiccantur, tuncque non ſolum tunicam externam, ſed & ſuccum atque ſemina, quibus ſcatent, paulatim nigreſcere & aromaticum odorem ſpirare comperies; verum tunc prædictis malis minus aptæ judicantur.

Inter has *çipó*, illa quoque cenſetur quæ *Guembé* nomen habet mirabilis ſane herba ad Ancoralia imprimis utiliſſima, ut in tractatu de Aëre. Aquis & Locis latius egi. Sicut & illa quæ *Guembe-guaçu* hoc eſt *Guembé* magna, dicta quæ rādices habet ultra triginta cubitos longas. Cortices autem contuſi & prunis ardentibus impoſiti, ſuffumigio ſuo ſiſtunt ſanguinis fluxum, præſertim in fœminis.

In

CVRVRV-APE'.



IN tanta vegetabilium multitudine, non mirum eſt, quaſdam hominibus tantum, quaſdam ſolum cæteris animalibus, vel prodeſſe, vel obeſſe. Inter has exiſtunt imprimis *Cururu-apé* & *Guaiana-Timbó*, de qua modo egi. Vtraque in Medicinam recepta; utraque piſcibus noxia. Quas proinde potius inter ſalutiferas quam venenatas recenſendas exiſtimo.

Hæc itaque *Cururu-apé* nec facie, nec efficacia vulgaris exiſtit. In vaſtis nemoribus aliis arboribus innititur. Ligno eſt tenaci ſarmentoſo & flexibili, foliis decoratur oblongis, ſuperius viride ſplendentibus, dentatis, ex ſe invicem, ad ficus fere Indicæ modum, pronaſcentibus. Ita ut non raro, pro naturæ luſu, quinquefolium conficiant, inferius duobus expanſis foliis, ſuperius tribus eminentibus.

In extremitatibus ramulorum proveniunt longæ ſpicæ, onuſtæ floſculis ex albo & viridi luteſcentibus; poſt quos ſequuntur capſulæ, triangulatæ, & ubi maturiores ovalis figuræ, quæ ſponte in tres partes dehiſcunt; cortex autem exterior rubicundus, interius eximie eſt ruber, continetque quilibet fructus duas fabas, quarum quælibet involuta materiæ molli, albæ, nuci conſiſtentia ſimili, ad tactum frigidæ: ex illo albo involucro faba ſecundum longitudinem eminet, nigerrima macula ſplendens, reliqua pars fabæ eſt fuſci coloris. Continet denique faba interius carnem fabaceam flavam. Hi fructus ad abuſus potius quam uſus, recepti ſunt: quippe contuſi, aquas venenata qualitate inficiunt, ita ut piſces inebrientur & moriantur. Folia autem viridia contuſa applicata, eorumque recens ſuccus vulneratis tantum prodeſt, quantum fructus aſſumtus aliis animantibus ſolet obeſſe. Adeo enim qualiacunque vulnera, etiam prima intentione, mundificat & reſtituit, ut merito inter præcipuas vulnerarias hæc herba numerari mereatur.

TETY-POTE-IBA ſive VITIS ARBVSTINA.

EX ſtercore avium, quæ *Tetyns* dicuntur, ad arbores Aurantiorum depoſito, herba naſcitur voluntaria, Indigenis *Tety-pote-iba* appellata quæ Vitis Arbuſtinæ inſtar, ſed folio *Myrti* majoris ſimili, ipſi arbori maritatur: quam præ nimia luxuria tandem cooperiens, exitium totale illi infert. Sed quantum hæc Zizania Aſſyriæ malo noxia, tantum homini atque ipſis avibus *Tetyns* dictis proficua exiſtit. Quippe eædem aviculæ herbam hanc è ſtercore ſuo natam, ſive amore alimenti, ſive medicamenti depopulari amant. Denique à radicibus & ramulis contuſis & ex oleo communi frixis, emanat inſigne medica-

medicamentum calidum, cujus crebris inunctionibus, ad vices aliquot reiteratis, ventris & pedum inflationes, tam adultorum quam puerorum, ex frigido enatæ, feliciſſime reſtituuntur. Adeo diſcutere & confortare creditur hoc oleum, præſertim vetus, ut nulli remedio cedat, meritoque à ruſticis tanquam domeſticum reſervetur. Raſura caulium in aqua macerata oculorum obſcuritates abſtergit, præcipue in affectibus ictericis.

CAPVT LXII.

Variæ Phaſeolorum ſpecies Cumandá dictæ.

QVum antea lectori indicarim, inſtituti mei eſſe, eas tantum perſtringere plantas & animalia, quorum qualitates alimentoſæ, medicæ, vel venenatæ mihi innotuerint: Idem imprimis circa Phaſeolos, Ciceres & Piſa nunc proſequor; quoniam immenſi eſſet laboris, imo charta mihi prius quam materia deficeret, antequam tot luxuriantium Fabarum & Siliquarum ſilvam graphice depingerem.

Hoc itaque capite eas tantum recenſeo, quæ omnibus pariter incolis familiares, & inter alimentoſas potiſſimum habitæ. Vt ſunt primo *Cumanda-guaçu*, id eſt Fabæ magnæ dictæ. Quæ pollicis ſunt craſſitie, & ſicut præſtant Europæis magnitudine, ita etiam ſapore & ſalubritate. Inſtar funis ad arborum cacumina enituntur, eaſque Hederæ modo amplectuntur. Fabæ torrefactæ & contuſæ cumque ovo exhibitæ contra fluxus ventris in uſu ſunt. Coctæ vero ad cataplaſmatis modum ventri impoſitæ colicis doloribus medentur; ad reſolvenda quoque apoſtemata parti affectæ applicantur.

CVMANDATIA'.



Cumandá-guirá eſt frutex elegans toto anno florens & fructifera. Cortice viridi, ligno fragili, ramis ſurrectis ſibi oppoſitis exſurgit, foliis oblongis Salviæ acutæ ſimilibus, inferne albicantibus, ſuperne viridioribus, lanuginoſis, floribus luteis magnitudinis noſtratium Piſorum, quibus ſiliquæ compreſſæ & quaſi contortæ ſuccedunt noſtris paulo minores. Horum uſus omnibus paſſim incolis frequens ſi coquantur, præterquam enim quod palato blandiantur, lubricam reddunt alvum.

Illæ autem quæ ſimpliciter nomen *Cumandá* induunt, Fabis Turcicis tum ſapore tum magnitudine ſimillimæ, ſed ſubinde colore tantum, non forma differunt, aliæ enim prorſus ſunt albæ, aliæ dilute è candido flaveſcentes, aliæ obſcure purpureæ renis formam referentes: omnium cutis admodum nitet, & eleganter maculis diſtincta.

Cumandá-mirí, id eſt, Fabæ parvæ, ſunt Piſa, Europæis magnitudine paria, ſed oblonga & non rotunda, albi quoque & leucopœi coloris.

Sequuntur tandem & illæ quæ *Cumandatiá* appellatæ, *Lablab* Proſp. Alpini. de quibus vide Carol. Cluſium Rar. plant. pag. CCXXVII. Planta hæc ex Africa in Braſiliam creditur tranſlata, undique nota tam ob elegantiam quam ob uſum; perpetuis floribus & ſarmentis luxuriat toto anno. Semina nigra, ſiliquis latioribus haud longis continentur, quæ edulia non ſolum ſed guſtu gratiſſima exiſtunt, ſi cibis immiſceantur & coquantur. Pectoris morbis medentur. Proſp. Alpinus teſtatur, urinam & menſtrua movere.

GVANDV'.



His annumerantur Ciceres quibus *Guandú* Braſiliani, Belgæ, à ſiliquarum forma **Witte krombekjes** nomen dederunt, adeo expetiti præ cæteris, ut non minus ægris, quam ſanis conducant. Elegans hic Phaſeolus Turcicorum modo ſcandit, iiſdemque eſt foliis & floribus, ſed multo minoribus. Iucunde ſemper viret, perpetuiſque copulatis ſiliquis parvis decoratur: ita ut ob ornatum æque ac uſum ſativa facta ſit planta.

Quæ *Guarumbeé* dictæ, Turcicis Phaſeolis aliquanto ſunt majores, coloris nigerrimi & optimi ſaporis, ſed minus frequentes præcedentibus.

CAPVT LXIII.

Ietucu ſive Mechoacan, & Xalappa.

DE ea nunc agendum radice medicinali, quæ in Novo & Veteri orbe nomen audit à ſua Regione Americæ natali quæ Mechoacan appellatur. Adeo per omnes ſilvas ſponte luxuriat; ut non minus terram frequentia radicum, quam nemora elegantibus ſarmentis & floribus impleat.

Docte ſane & curioſe harum plantarum quatuor ſpecies gradu & dignitate impares Ximenes tractavit, ut videre eſt in Annotatione ſub capite Mechoacannæ in Hiſtoria noſtra Braſiliæ naturali. quarum natura ut & ſemina, licet ab hac noſtra nonnihil diſcrepare videantur: tamen ſarmentis, foliis, floribuſque convenire apparet. Mihi, hic non licuit ultra duas vidiſſe ſpecies, facie ſibi ſimillimas; ſed ut

efficacia

efficacia differentes, ita & radice, quæ in poſteriori hac Mechoacannæ ſpecie non ſolum longior, circuloſior & nigricantior, ſed & purgandi qualitate ſuperior exiſtit. Ac, ut verbo abſolvam, eadem eſt quæ nomen Xalappæ in nova Hiſpania accepit. Quæ, cum nuper ibidem adhuc latitaverit, quis mirabitur, ſi etiam nunc in vaſta hac Barbarie minus innotuerit, & ſub communi Mechoacannæ nomine in uſu fuerit.

Omnis itaque *Ietucú* ſive Mechoacannæ ſpecies Luſitanis *Patáta da purga* dicitur: quæ adeo toto fere anno in agris luxuriat, ut exoſa ſit ruſticis, atque ob nimiam ubertatem vileſcat. Terræ impoſita radix, ſpatio octidui adoleſcit cum foliis: imo parieti appenſa progerminat feliciter. Planta caule lacteſcente ſarmentoſo, ruſo, multangulari, lento repit vel ſcandit. Foliis ſolitariis hinc inde veſtitur teneris, ſature viridibus, inodoris, cordis figuram, cum vel ſine auriculis repræſentantibus. Flore decoratur quadrifolio (quam hic ſeparatim ad vivum ea qua erat forma & magnitudine appoſui) dilute incarnato, intus purpureo; in cujus medio capſula, loco umbilici rotunda prominet, ex qua ſemina aliquot nigricantia Piſi magnitudine ſed non figura, quia compreſſa & quaſi triangularia apparent. Radice eſt magna bifida utcunque extus fuſca, intus tota lacteſcente, in quo reſinoſo liquore medica qualitas reſidet; ac proinde verno tempore Braſilienſi collecta, atque in taleolas circulares diſſecta, atque filo tranſſutim excepta, ſollicite reſervatur, quod ab externa injuria facile afficiatur.

IETUCU' ſive MECHOACANNA cum FLORE.





Pulvis radicis à ſemiuncia ad integram ex convenienti liquore tuto exhibetur ad deturbandum pituitoſum imprimis & aqueum humorem. Vel radix recens, mundato cortice, exprimitur per pannum ad horas aliquot; quod ſubſedit ſiccatur in umbra (ob ſimilitudinem *Tipioca* dictum) drachma in pueris, duæ vel tres drachmæ in adultis, exhibentur. Delicatioribus autem qui ab omni medicamento abhorrent, conſerva exinde cum ſaccharo fit, cujus doſis caſtaneæ circiter eſt magnitudinis. Hæc conditura, quod blandum & gratum ſimul ſit medicamentum, magnopere expetitur, & in varias Europæ regiones diſtrahitur.

CAPVT LXIV.

Ietíca vulgo Batáta, Cará, Tamoatarána, Mundubí, & Mandobí.

INter fructus ſubterraneos alimentoſos primum locum merentur, quos *Batátas*, nuncupant vulgo. Quæ Peruvianis *Apichu*, Braſilianis *Ietíca* dictæ, eæque quidem diverſi coloris, ſed qualitate congeneres, nutrientes, magnoque incolarum commodo in victum cedunt. Pingues ſunt & dulces atque flatulentæ: & in hortis mul-

IETÍCA vulgo BATA'TA.



tum excoluntur. Caule ſarmentoſo, lento, viridi, tenui ſuper terram repunt, ſemper nova filamenta terræ ingerentes, ex quibus novæ radices generantur variæ figuræ, coloris extus flaveſcentis, intus lacteo ſicco turgentes. Quibus pediculus ad caulem in exortu incurvatus, folium ſuſtinet dilute vireſcens, inferne caneſcens, figura cordis, ut vulgo pingitur, vel etiam ad latera auriculas habens ut Mechoacanna. Flores ferunt exterius dilute virides, interius candidos figura Campanulæ, quibus deficientibus ſemen quoddam videtur formari, ſed nullius uſus, quia optime tranſplantantur ſcindendo radices in taleolas & imponendo terræ. Coquuntur aut ſub cineribus aſſantur, ſuntque optimi ſaporis & præferendæ noſtris Rapis.

Batáta recens contuſa & affuſa paucula aqua atque macerata, fermentando fit potus, quo Indigenæ utuntur, imo, ſubinde abutuntur ad inebriandum.

Aliæ quoque dantur *Batáta* ſpecies, quarum prima vocatur *Omenapó yeima*, humi ſerpens caule ſarmentoſo, viridi: folia quoque habens cordis figura, vel etiam aurita, ſolitarie poſita, nervis & venis viridibus obſita. Radix ut plurimum eſt rotunda, cruda, alba, ſed cocta fit per totam ſubſtantiam, inſtar Betæ rubra, manuſque tingit cæruleo. Cuticula eſt obſcure rubra; cultro inciſa nigreſcit inſtar atramenti ſutorii.

Secunda *Pararo* dicta eſt caule & foliis ſicut præcedens, niſi quod caulis hujus ſit purpureus, & nervi atque venæ foliorum itidem purpureæ, ut & radix.

Quæ *Ietiopé* vocatur alba eſt quoque radice optimi ſaporis, paulo macerata comeditur, ſed imprimis à febricitantibus.

QVæ autem *Inhame de S. Thome* vulgo, & Braſilienſibus *Cará* dictæ, quantum omnibus enarratis *Batátis* mole ſuperiores: tantum dignitate inferiores exiſtunt, & à plebe

CARA'.



plebe ſolum expetitæ, iiſque ob ubertatem in quotidiano uſu ſunt. Planta eſt caule quadrato, & paulum hinc inde contorto; longiſſime repit ſuper terram, aut etiam aſcendit ſepes, latiſſimeque ſe propagat: nam ramuli illius terram contingentes, fibras protrudunt & novas agunt radices. Verſus extremitatem caulis ſenioris, multæ quaſi ſpicæ producuntur, in quibus aliqua triangulata & turbinata corpora adhærent ſuperius, rudimenta habentes parvi floris lutei. Interſtitio magno ad caulem proveniunt pediculi duo oppoſiti, itidem quadrati, quorum cuilibet inſidet folium Sagittalis noſtratis figura, quod læta viriditate ſplendet, ſolidum, ſeptem aut novem nervis ex pediculi inſertione prodeuntibus & per longitudinem diſcurrentibus, inferius prominentibus, ſuperius profunde jacentibus, in extremitate acuminatum. Copioſum liquorem aqueum fundit caulis inciſus inſtar lacrymarum vitis. Craſſa eſt radix, unum pedem longa, cuticula ex cinereo fuſca veſtita, ſub qua flaveſcit, intus autem habet carnem ſucculentam & quaſi lacteſcentem. Cocta cum oleo & pipere condita bene ſapit: ſicca tamen eſt, & farinam refert. Vnde & pro pane à Guineenſibus uſurpatur.

TAMOATARA'NA.



Eiuſdem naturæ & uſus quondam huc tranſplantata radix *Tamoatarána*, Planta quæ ex bulbo albo, ſplendente, figura fere ovali, magnitudine ovi anatini, producit caulem & duo vel tria acuminata folia, ejuſdem fere cum caule longitudinis. Præter hæc in ſummitate folium unum atque alterum eſt, ſub quo aliquot pediculi proveniunt, quatuor flores producentes, ſplendide albos, ex triangulatis ſquamis more Pineæ Nucis compoſitos, inodoros.

Nullius

Nullius uſus, quantum conſtat, folia & caulis; excipiuntur Bulbi, qui more Batatæ pro bono alimento apponuntur.

MVNDVBI' & FRVCTVS.





SIcut Mandioca radix aliaque ſata menſibus potiſſimum æſtivis & terris ſitientibus gaudent; ita alii fructus ſubterranei & radices edules humida amant loca & tempora, inter quæ non ſolum *Batatas* mox deſcripta, ſed & *Mundubí* & *Mandobí* primatum tenent. Horum prior Luſitanis corrupte *Amenduinas*, Lerio *Manobí*. Peruvianis, teſte Monardo *Anchic*, Hiſpanis *Ibimani* vocatur. Familiaris hæc planta domeſtica facta, nunc humi decumbens, nunc ultra pedalem erigitur altitudinem. Caule eſt quadrato aut ſtriato, ex viridi ruſeſcente, & piloſo. Hinc inde enaſcuntur ramuli primo quaſi caulem amplectentes & foliolis anguſtis acuminatis circa nodos ſtipati; continetque quilibet ramulus quatuor folia, ovalis figuræ in extremitate obtuſa, leviter piloſa, unico nervo recto & ſubtilibus venis conſpicua, inferne caneſcentia, ſuperne læte viridia. Floſculos habet flavos, per ora rubentes. Radice eſt brevi, tenui, contorta, filamentoſa, cui adnaſcuntur folliculi ex albicante griſei, figura minimi Cucumeris, fragiles, ſed ſtrepitum edentes: quilibet autem continet in ſe tres nucleos, pellicula ſaturate purpurea veſtitos, carne intus alba, oleaginoſa, ſapore Piſtaceorum, qui comeduntur cocti & inter bellaria apponuntur. Flatulenti ſunt atque ad Venerem incitantes. Multum tamen comeſti capitis dolores cauſant. Forma cataplaſmatis contuſi, & morſui ſerpentum applicati, dolori medentur. Ex illis quoque oleum clariſſimum exprimitur, non ingrati ſaporis, iiſdemque uſibus dicatum, quibus oleum Amygdali.

MANDOBI'.

POſterior fructus ſubterraneus, ex oris Africæ olim tranſlatus, tandem Americæ nativus quaſi factus *Mandobi* vocatur: qui non erigitur, ſed more Cucumerum tenuibus ſarmentis ſupra terram luxuriat, unde hinc inde pediculi ſtriati exſurgunt, quibus floſculi flavi, & folia, more Phaſeolorum ſibi tria conjuncta adnaſcuntur. Fibris ſubterraneis horum caulium reticulati folliculi, nucis avellanæ magnitudinis adhærent. Quilibet autem folliculus ſecundum longitudinem circum circa quaſi ſuturam monſtrat & preſſus circa illam finditur, continens in ſe duo utcumque grana piſiformia &

ejuſdem

ejuſdem magnitudinis flavo pallida, ejuſdem cum piſis recentibus conſiſtentiæ, & ſaporis, cruda & cocta comeduntur, quod boni ſint ſaporis, ſed flatulenta, omnibus paſſim incolis in quotidiano uſu exiſtentia, cæterum prioribus *Mundubí* congenera quidem, ſed nutriendi qualitate iis cedunt.

CAPVT LXV.

Iupicánga vulgo Radix Chinæ, Ivapecánga vulgo çarçaparilla, & Convolvulus marinus.

SImilem quam Chinæ radicem ſolent nominare hæc quoque producit terra. Pſeudo Chinam, de qua Dodonæus & alii ſcribunt, verius dixeris, eamque admodum nodoſam, & lignoſam, in Territorio imprimis Paraybienſi, ubi copioſe naſcitur. Formatur in aliquot tubera ſicut ex appoſita Icone liquet, intus & extus ſubrutilo co-

IVPICA'NGA vulgo RADIX CHINÆ.



lore. Tres omnino reperiuntur ſpecies, licet paucioribus cognitæ, quæ omnes ſub eodem nomine comprehenduntur, ob ſummam quam inter ſe habent, ſimilitudinem; quas tamen ſi in uſus applices, diſtinguere neceſſe eſt: quapropter eligenda eſt quæ magis craſſa, glabra & rubeſcens eſt, quæ facile ex magnitudine pedis plantæ, tum &, ex in frequentibus caulium ſpinis, internoſci poteſt. Ejus brachia ſpinis acutiſſimis hinc inde obſita, Clematis inſtar, vicinas arbores, earumque ſummitates, ſinuoſis flexibus amplectuntur. Folia fert Plantagini haud diſſimilia, & baccas croceas ad aureum colorem vergentes.

In hac planta cum nihil ſit fere, quin ab aliis Scriptoribus tractatum, ſollicite aut prolixe

prolixe diſſerere operæpretium non erit. Ea uti ſolent ad eadem mala expugnanda, quæ in Europa expelli ſolent: tametſi Chinenſi (ut, quod ſentio, dicam) dignitate & præſtantia nonnihil concedat.

IVAPECANGA vulgo ÇARÇAPARILLA.



LIcet à plurimis Incolis, tam advenis quam Indigenis, neglecta fere fuerit hæc, quod vulgaris illa & notiſſima *Çarçaparilla* ex aliis Americæ regionibus huc adferatur; tamen à peritioribus Empiricis, mox propria experientia edoctus, hæc *Ivapecanga* à me aliiſque Luſitanis in uſus Medicos eſt recepta.

Duæ reperiuntur ſpecies ſibi ſimiles, in ſilvis littoralibus repentes, caule ſarmentoſo, lento, viridi, aculeos ſeu ſpinas hinc inde habente acutas. Folia acuminata diverſæ longitudinis & latitudinis, exterius dilute, interius ſature virentia. ſolitarie alternatim cauli adnaſcuntur, in quibus tres nervi inſigniter conſpicui ſecundum longitudinem, tranſverſim autem multæ minutæ venulæ vario flexu tendunt. Ad quemlibet cujuſlibet folii pediculum duæ claviculæ prodeunt lentæ, longæ, quibus aliis plantis ſe firmiter annectit. Flores fert racematim: ſequuntur dein baccæ, primo virides, mox cinnabriæ, ubi autem maturuere, nigræ, rotundæ, rugoſæ, more Ceraſorum ſiccatorum pediculis inſiſtentes. Intus continent unum aut duos lapides albo flavos, duros, in quibus durus albicans nucleus. Vide Monard. cap. XXII.

Fr. Ximenes quoque diverſas & nobiliores Sarçaparillæ ſpecies, varioſque parandi modos in Mexico & Nova Hiſpania dari teſtatur, *Mecapatli* illis dictas. Optima autem creditur eſſe ea, quæ provenit in Hondura, quæque potiſſimum infertur Europæ. Sunt qui omnes has plantas referendas putent ad ſpecies Chinæ, verum quia radices plurimum differunt, non eſt dubium quin ſui generis ſint plantæ, licet figura foliorum, caulium volubilitate & capreolis conveniant. Quibus autem uſibus benigna mater natura condiderit hanc nobiliſſimam herbam, toto fere mundo innotuit, ſed quanto validius & felicius in Indiis ubi indigena eſt, morbis chronicis medeatur, illi optime norunt qui Indias Orientales & Occidentales habitarunt.

CONVOLVVLVS MARINVS.



PRæter *Çarçaparillam* officinarum, altera hæc non imbellis, licet ignobilior, reperitur. Luſitanis *Salſa do Praya*, ſive *Çarça* littoralis nuncupata, quam tamen Convolvulum maximum rectius dixeris. Ex radice lenta, longa, non craſſa, ſed gracili, paucis fibris prædita, nigricantis exterius coloris, intus alba & lactis glutinoſi plena, naſcuntur

ſcuntur aliquot caules, longiſſime repentes ſupra terram atque hinc inde iterum radices agentes. His adnaſcuntur folia alternatim poſita, læte viridia, craſſa, obrotunda. Ex pediculis flores prodeunt ſuperius quinquangulares, Campanulæ figura, coloris dilute purpurei, qui poſt meridiem clauduntur, mane excluduntur.

Sarmenta & folia recentia, temperate calida habentur, & emolliendi quoque vi pollent, ac proinde in balneis factitandis uſum habent haud exiguum, tum ad corroborandum corpus in affectibus præcipue frigidis, ſumme proſunt.

Decocta denique è ſarmentis & radicibus exſiccatis per os exhibita, eidem uſui inſerviunt. Folia recenter avulſa fonticulis appoſita ſolatium adferunt.

CAPVT LXVI.

Nhandiróba, Acariçóba, Ambuyaembó, & Caapéba.

HEderæ ſcandentis ſpecies, more Bryoniæ, ſarmentis paulo tenerioribus faſtigia arborum enititur. Folia habet diſpoſita more Hederæ, ſubrotunda & quaſi in tres angulos deſinentia, viridia, glabra, ſplendentia. Floſculos parvos ex pallido luteſcentes fructus ſequitur rotundus, viridis, ſplendens, Pomi majoris


NHANDIRÓBA.



magnitudine, ſuperius circulum inſculptum quaſi continens & in centro ejus tres lineas, una extremitate ad angulos obtuſos ſe contingentes. Fructus in medio per interſtitia more juglandis, in tres diſpeſcitur cavitates, continetque multa ordine diſpoſita corpora ſubrotunda, ſatis craſſa, quæ tracto cortice intus alba apparent, continentque oleaginoſum nucleum ex albo flaveſcentem, pelliculæ incluſum. Ex hoc nucleo oleum parant, quo in lucernis utuntur, clariſſimum & optimum, tarde enim conſumitur: in cibo non poteſt uſurpari, quia amarum eſt, quemadmodum & totus fructus. Præterea oleo hoc, utpote calido, contra dolores ex frigore natos utuntur. Integras familias Braſilianorum ex nocturno frigore dolentes, ſolo hujus olei affrictu, memini reſtitutas.

PLanta reperitur præſtantiſſima, locis irriguis, maxime vero circa rivos & aquas ſalientes, quæ ab Indigenis *Acariçóba*, à Luſitanis *Erva do Capitaon* appellatur. Radix teres, geniculata, alba, ſub terra ſerpit, ad genicula multa tenuia filamenta agens, ibidemque ex albo purpureum, ſucculentum, fiſtuloſum, teretem, in altum protrudens caulem, in cujus ſummitate unicum folium rotundum, læte viride inſtar Nymphææ, & leviter in ambitu more Vmbilici Veneris crenatum, protrudit. Eminus eam intuenti Scabioſæ Alpini ſimilis apparet. Ex centro inſertionis caulis in folium, tenues venæ ad circumferentiam ſparguntur. Flores hinc inde ex diverſis caulibus ex luteo albeſcentes fert. Radix quæ longa & ſarmentoſa quaſi eſt, contrita odoris eſt radicis Petroſelini,

ACARIÇO'BA.



troſelini, guſtatu perquam jucunda & aromatica, tenuium & calidarum eſt partium, ac inter radices aperientes haud poſtremum locum meretur. Hepatis & renum obſtructiones & intemperies adeo feliciter emendat, ut nullum remedium illi prætulerim. Incolæ quoque recentem foliorum ſuccum inter decantata habent antidota, vomitumque ſicut noſtrates foliis Aſari, eo ſuſcitant.

AMBVYAEMBO'.




SI ulla ſarmentoſa planta egregie topiarium opus in ſilvis repræſentet, hæc ſane ob inuſitatam faciem oblectat. Ex tenui enim & lento caule ſolitaria & lata folia pallide virentia prodeunt, nervo craſſo & venis tenuibus obliquis dotata, ex quibus promanant hinc inde flores inodori, ex albo flaveſcentes, & venis punctuliſque purpureis intertexti, quorum figura & ſtructura humani ventriculi cum utroque proceſſu æmula. Cui deſuper adnectitur tenuis membrana obrotunda, ipſo flore multo major, innumeris

riſ venulis rubris varie intertexta, haud male referens hepar humanum ventriculo incumbens.

Integra herba in varios uſus medicos uſurpatur. Amari eſt ſaporis, balnea exinde confortantia & diſcutientia conficiuntur. Suffumigia ex iis parantur ſicca, quæ nudo corpore vel leviter cooperto Europæi æque ac Barbari excipiunt, membraque externa & viſcera interna à frigidis humoribus torpentia ad priſtinum vigorem reſtituunt. Imprimis autem decoctum ejus ſolum, vel cum radice *Iuripéba* mixtum, obſtructiones hypochondriorum ex frigore natas tollit, ſi aliquandiu aſſumantur.

Caapéba.



Clematiti non abſimilis, tenaci ac prælongo ſarmento, nunc vicinas arbores ornate conſcendit, nunc humi inſtar Colubri repit hæc herba; ob ſimilitudinem *Cipó de Cobras*, ob eximias virtutes & præſtantiam *Erva de noſſa Senhora* à plebe Luſitanica cognominatur. Tenuiſſimo eſt folio, rotundo, læteque ſemper virente, ſeorſim poſito in caule, nunc orbiculari, nunc cordis latioris figura, ſuperius dilute vireſcente, inferius albeſcente. Ad horum foliorum pediculos rufeſcentes, flores pallidi flaveſcentes proveniunt. In ſummitate pediculi granum provenit magnitudine parvi piſi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum. Radice tortuoſa, è cineritio nigricante, & digitalis circiter craſſitiei, ſi juvenis ſit, ſin vetuſtior, brachium fere adæquat, nigraque exiſtit. Vt ex duabus hic appoſitis liquet. Obque hanc differentiam, aliqui duas ejus ſpecies eſſe putarunt.

Subſtantia intus eſt ſolida, compacta & pingui, non multi, ſed tamen ſubamari, ſaporis, partium calidarum & tenuium, quæ manducando ſe produnt.

Floret planta menſe Iulio, & ſemen fert magnum coloris roſacei, è capſulis (lupulo ſimilibus) prominens.

Ego duplicem radicis ſimul & foliorum uſum ſum expertus.

Radix in taleolas ſecta, perque aliquot dies ſub dio in liquido convenienti macerata, vim ſuam illi communicat, nec ingrato adeo ſapore aut cereviſiam, aut vinum, quo diluitur,

diluitur, imbuit; quin potus ordinarii loco ægri illo utuntur, quod renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medeatur. Vſque adeo Calculi expellit materiam (licet rarius hic detur hoc malum) ut Magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint. Cæterum hæc tantopere prædicata herba, non tantum propter virtutes jam dictas, ſed & eximiam, qua contra venena valet, facultatem, ab omnibus expetitur. Quippe ſuccus ex recentibus foliis expreſſus, ſerpentum ſanat morſus: proinde *Erva do Cobres* Luſitanis dicta: radix autem cum foliis contuſa, & è vino hauſta, veneni intus aſſumti vim retundit, penituſque expellit, ſi imprimis ab exceſſu frigiditatis nata fuerit.

CAPVT LXVII.

Curuá vel Curuba, Iaeé aliis Iba-guaçu ſive Anguria, Iurumú Ieruá, Taquera, & Guarerua-obe ſive Cucumer Aſininus.

CVruá vel ut aliis placet, *Curubá*, herba ſarmentoſa, ſpecies eſt Cucurbitæ, arbores & tecta aſcendens. Primo protrudit duo folia Cucumeris modo, ſibi oppoſita, è quorum medio poſtea prodit caulis ſtriatus, ſarmentoſus, primo hirſu-


CVRVA.



tus mox glaber, humi repes aut ſcanndens Cucurbitarum modo, ac capreolis ſuis ſe annectens.

annectens. Folia hinc inde Cucumerum modo appoſita habet, ſingula ſuis pediculis longis inſiſtentia, in lacinias diviſa, inferius hirſuta, albicantia, ſuperius viridia & glabra: Prope pediculum cujuſlibet folii clavicula prodit longa, contorta, arcte ſe implicans vicinis arboribus aut pedamentis appoſitis. Inter folia hinc inde in propriis pediculis naſcuntur florum rudimenta conicæ figuræ, unde prodeunt flores magni, craſſi, dilute flavi, exterius ſtriis vireſcentibus diſtincti. Fructus longus eſt aliquando viginti digitos, cortice glabro ut Pepo, ex rubro purpureus. Caro ſeu pulpa ad flavedinem accedit, odoris dulci-acidi, inſtar pyrorum agreſtium, ſaporis ingrati, ideo vix comeditur niſi aſſata: ſemen continet copioſum, figura & magnitudine Cucurbitæ ſeminis, ſed quod exterius in ſuperficie ſua fuſco eſt punctulatum. Fructus ob fragrantem odorem imprimis expetiti, imprimis ſi per menſes aliquot (ut ipſe ſæpe tentavi) ciſtæ incluſæ & veſtibus appoſitæ ſint. Pulpa eſt refrigerans & humectans, ac proinde Barbari febricitantes ea utuntur.


IAEE' ſive ANGVRIA.



Iaeé aliis *Iba-guacu* ſive Anguria, ſativa planta, & tractu temporis quaſi nativa facta; nullibi in Indiis felicius quam in Braſilia provenit, Luſitanis *Balançia*, Belgis **Water-meloen** ſive Melo aquaticus, non improprie dicta. Per omnes Europæ Americæque regiones calidiores notiſſima. Repit caule ſarmentoſo, hirſuto, multis capreolis ſe terræ affigente: foliis profundis laciniatis & inciſis, longis, erectis, ſtriatis. Ex flore pentaphyllo, parvo, flavo, ingens fructus rotundus cum cortice viridi tenaci naſcitur. Carnem habet ſucculentiſſimam in medio juxta ſemina roſacei, ceterum albi coloris, tanta aquæ dulcis & frigidæ copia refertam, ut inter edendum tanquam è poculo hauriri poſſit. Adeoque æſtum viſcerum compeſcit, ut haud facile febricitantibus convenientius refrigerium ſuaſerim. Idem præſtant ſaccharo conditæ. Ingentis molis feliciſſime toto anno, imprimis menſibus æſtivis proveniunt, terra licet ſterili & arenoſa. Seminibus ſcatent multis, Cucurbitarum magnitudine & figura, diverſi coloris, quæ primum locum obtinent inter ſemina frigida majora. Vnde emulſiones, aliaque medicamina refrigerantia quotidie parantur; accedentibus cæteris ſeminibus frigidis, imprimis Melopeponum & Cucumerum.

Adeo enim horti Incolarum Melopeponibus imprimis luxuriant, ob facilem culturam & felicem proventum, ut nimia abundantia vileſcant; excipiuntur tamen qui carne ſunt viridi, ſolida, guſtu & olfactu ſuaviſſima, & cæteris flavis Melonibus ſalubriori; ſed quia figura & natura cum Europæis conveniunt, eorum deſcriptioni non immoror, Iconemque ſatis ſuperque ab autoribus exhibitam, ſupervacaneum duxi denuo hic addidiſſe.

IVRVMV.



SEquuntur aliquot plantæ humi repentes, ex parte Peponibus, ex parte autem Cucurbitis ſive Hiſpanorum *Calabaçis* aſcribendæ; figura potius externa quam qualitatibus internis, ab iis abludentes. Prima & optima eſt *Vrumú*, Luſitanis *Bobora*, Folia fert fere ſimilia noſtratibus Peponibus ſilveſtribus rotundiformibus; & florem quoque flavum pentaphyllum, magnum. Fructus eſt magnus, orbicularis, ſtriatus, compreſſus, cortice tenuiſſimo, coloris cinnabrii cum plurimo albo mixti, interius autem croceus, ſemine multo, albo, noſtratium ſimillimo.

Boni ſaporis eſt coctus ſeu etiam aſſatus ſub cineribus. Incolæ eo, tam ad ſanitatem quam ad palatum, cum melle veſcuntur.

Secunda vocatur, *Ieruá* figura & qualitatibus priori haud multum diſſimilis.

Tertia, *Taquéra* dicta, inter Cucurbitas lageniformes potiſſimum numerata. Foliis cæterarum Cucurbitarum ſpeciebus ſimilibus. Flore quoque albo, magno, pentaphyllo, obrotundo, in medio habente ſtamina brevia luteſcentia. Semine pallido, compreſſo, utraque extremitate quaſi bicorni. Fructus eſt cortice duriori, ſaporis dulcis, qui inter alimenta medicamentoſa primis Incolis & ipſis Europæis reſervatur, refrigerandi ſimul & nutriendi facultate pollens. Saccharo conditus inter bellaria apponitur; alias enim, licet diverſos apparandi modos admittat, minus gratus eſt ſtomacho. Cruda enim non ſolum minus ſuavis, ſed ſi pravos offenderit humores in ventriculo, ibique moretur, corruptio concoctionem antevertere ſolet. Quod idem Gal. Dioſcorid. & alii veteres de Cucurbitarum natura teſtati ſunt.

GVARERVA-OBA ſive CVCVMER Aſininus.



IN omni terra arenoſa ſitienti luxuriat, & ſarmentoſo caule humi repit Cucumer ſilveſtris. Folia habet in longis pediculis ſingulatim poſita, quodlibet in tres lacinias ſectum, ac in ambitu dentatum atque hirſutum. Flore, ut ſolet, flavo, capaci. Fructu magnitudinis ovi gallinacei, ellipticæ figuræ, tuberculis per ambitum acutis, qui ubi maturuerit, palleſcit. Semina tranſverſum multa, in pulpa more Cucumerum ſita.

Ita ut, ſi quis hujus noſtræ Americanæ deſcriptionem conferat cum Cucumeris Aſinini Europæi, ex parte cum ea convenire, atque ex parte diſcrepare, pro vario naturæ luſu comperiet.

Succus autem ejus, quod Elaterii nomen audit, ſumme amarus ſed ex ſecundo calefacientium ordine habetur. Vſus ejus haud frequens apud advenas, multo minus apud indigenas, etiamſi efficacia illius non ſit incognita: & parium credo virium ac illud, de quo

quo veteres paſſim teſtati ſunt. Ego ſane, licet contra hydropem valeat, diſſuaſor fui iſtius medicamenti, idque ob tres potiſſimum rationes. Primo, quod perpetua debet eſſe cautio in Indiis circa uſum medicamentorum tam efficaciter purgantium.

Secundo, quia expertus ſum idem quod Meſue de ejus viribus olim teſtatum reliquit, ſcilicet præter alia quæ adfert nocumenta, vaſorum quoque oſcula aperire, tormina excitare, inteſtinorumque tunicas abradere, licet correctoriis munitum. Vnde Dyſenteria facile provocatur, qui morbus in Indiis plus quam alibi, medicæ artis peritis merito extimeſcendus.

Tertio, quia licet ſerum ſanguinis à remotioribus partibus in articulorum morbis extrahat, tamen minus conducat. Quod Arthritis ut & Nephritis fere incognitæ ſint, ſaltem rariſſime hic appareant.

CAPVT LXVIII.

Tres Arbuſculæ Marinæ, Coralloides, Spongioſa, & Baccifera.

IN quibuſdam Braſiliæ locis juxta rupem illam *Reçiffo* vulgo dictam, quando maris receſſibus littus minus immerſum eſt, infinitæ lapideæ excreſcentiæ, nunc arbuſcularum, nunc Braſſicæ Cyprinæ inſtar, in ipſo fundo, cælo ſereno conſpiciuntur. Quæ pro diverſitate vel algæ, vel fungorum plantarumque maritimarum (quibus cryſtalli

ARBVSCVLA CORALLOIDES



SPONGIOSA.



more paulatim ſingulis acceſſibus aqua ſalſa vi Solis agglutinatur) vario & miro naturæ luſu creſcunt, atque è fundo erutæ, mox duriſſimæ, ſi inſolentur in littore ſicco, niveique coloris fiunt. A magnatibus in Hiſpania & Belgio expetitæ, ut ædes & ſubterraneas cavernas illis exornent. Maris accolæ & piſcatores in uſum medicum potius hoc qualecunque coralli genus adhibent, & raſuram ejus contra fluxus ventris & ruentes humores exhibent. Ego remedium hoc utpote crudum Barbaris reliqui, atque apud noſtrates Europæos nondum in uſus applicavi, niſi arte inſtar coralli officinarum præparatum.

IIſdem rupibus & vadis petroſis ſupernaſcuntur, quoque ſpongioſæ arbuſculæ. Inter illas inuſitatæ formæ prodit una cæteris facile elegantior, cujus Iconem hic exhibeo.

Ad tactum quidem ejuſdem cum aliis ſpongiis mollitiei & coloris, ſed non tantæ flexibilitatis: erigitur enim inſtar petroſæ arbuſculæ coralloides ad duorum circa pedum longitudinem, & duarum palmarum latitudinem, mediocri ſoliditate prædita, imprimis inferius circa plantæ pediculum. Quia autem nullus ejus præterquam aliarum ſpongiarum uſus innotuit, illius deſcriptioni ſuperſedeo, ſed ob elegantiam tantum & raritatem, mantiſſæ loco, eam lectoribus exhibeo.

SARGAÇO.



HErba illa Marina quæ ab Hiſpanis *Sargáço*, à Noſtratibus **Steen-kroost** nomen accepit, Lenticula marina, licet improprie, nominatur. Eſt enim non Alga, ſed Arbuſcula baccifera, palmum longa, tenuibus caulibus griſeis, & perpetuis foliolis ſerratis ſature rubris in glomos convoluta. Quæ circa Inſulas Flandricas vulgo dictas, incerta quidem origine undiquaque fluitans, adeo magnam maris partem obſidet, ut ſolum, non ſalum diceres, & remiſſiore vento moram navibus haud parvam faciat. Atque ideo ille tractus Oceani Lenticularis, de **Kroost-Zee** à Belgis ex Indiis redeuntibus nomen accepit. Raram hanc plantam pubes nautica Luſitanorum, ut & Batavorum, indiſcreta quantitate macerant & coquunt cum liquore convenienti, eoque non ſine felici ſucceſſu contra difficultates urinandi utuntur. Inſipida eſt, præter ſalſuginem ex aqua contractam. Nulla radix conſpicitur, ſed ſola rupturæ veſtigia apparent.

FINIS LIBRI QVARTI.

GVLIEL-

GVLIELMVS PISO

Clariſſimo Viro,

D. IOHANNI ANTONIDÆ VANDER LINDEN,

Doct. & Prof. Medic. Pract. ordin. in Acad. Lugd. Bat.

Amico veteri & ſolido.

NAturæ hæc non tam ſacra, quam admiranda quæ deinceps animus eſt promere, priuſquam adeas contemplatum, patere te in ipſo limine pauliſper à vetere tuo & inde à communibus ſtudiorum tirociniis conjunctiſſimo amico ſiſti, atque tuo ſub nomine paucis me ad lectorem præfari. Quod quidem eo confidentius urgeo, quia, invitis tot eruditis tuis curis facilem te ſemper atque promtum fuerim expertus, cuique nihil ſolet evenire gratius, quam veterem amicitiam novis uſque & uſque ſuccendiculis foveri atque perpetuari.

Ita ſcilicet fert Natura rerum, Clariſſime Vir, ut dum in ſpecioſa & admirabili illa rerum varietate qua Mundus conſiſtit, alii aliis dediti ſunt ſtudiis & exercitamentis, certum tamen maneat dictum illud, Suum cuique pulchrum. Dum enim tu crebris ſcriptis exaſciatis teſtaris, facundiam & eruditionem illum non deſerere cui potenter lecta eſt res: ſic ego mihi congratulor in parergo hoc, jucundiſſimi veteris naturæ theatri in Orbe novo obſervata ad incudem denuo redigere. Decennium circiter eſt quod exoticas illas lucubrationes meas protruderim potius quam ediderim in lucem, rogatu coactus fere, ſi fas dicere, amicorum, & inter eos Excellentiſſimi P. M. viri, Ioannis de Laet, qui ſuis ſe meritis optimi cujuſque memoriæ atque deſiderio intulit velut cælo. Cui viro, cum difficile mihi erat quidquam negare, ad præli curam ſe offerenti, non potui non, tum hoc, tum cætera mea ſcripta credere, avocatus ipſe in caſtra ad Illuſtriſſimum Auriacæ Principem. Vnde factum, ut omnis mihi adempta fuerit occaſio, non dicam addendi quæ neceſſaria & generis erant difficilioris, adeoque otium & meditationem requirebant attentiorem; ſed vel relegendi ea quæ non neſciebam reſtare emendanda in ſchediaſmatis meis ſæpe ſubito natis & è memoria limandis poliendiſque. Poſteaquam ergo flagitare Typographus novam cœpit editionem, prorſus me ad eam curam appuli, & quidquid ſubcidere temporis curſitationibus & περιοδειῶν (quæ, ut ipſe olim egregie es expertus in hac urbe, totos requirit dies) potui, id illi uni totum impendi, ſatagens ἐκ τῶν δευτέρων φροντίδων, quod aiunt, opus proferre ſi non ſapientius, luculentius ſaltem & quod multorum curioſitatem multis in rebus oblectaturum confido. Revocare itaque conſtitui hoc libro ad examen, primo Venena quæ plantæ partim, partim animantia produnt, una cum eorum antidotis ſeu ipſis venenorum venenis. Deinde Inſectorum aliquot cum naturam tum metamorphoſin vere admirandam & in æternum celebrandæ Creatoris potentiæ atque ſapientiæ locupletiſſimum teſtem. Etſi vero ſatis mihi bene ſim conſcius, non omne me punctum tuliſſe in re tam difficilis quam abſtruſæ & vix perſequendæ indaginis, ob denſam, qua involvitur, caliginem, & polydædalam mæandrorum, quibus indagari debet, varietatem atque perplexitatem: tamen videor ſpondere Medicorum filiis poſſe, non contemnendum ad ſe emolumentum ex horum lectione redundaturum: præſertim ſi animum dignabuntur advertere ad ea, quæ & ego præmonenda putavi, & facile Tu, ſi quiſquam eruditorum, agnoſces. Horum primum eſt, ut eorum, quæ enarrabimus præcipua, quantumvis primo intuitu vel nova vel etiam portentoſa videbuntur, non modo ceu antiquiſſima, ſed & quam maxime Naturæ, imo ejus autoris Dei legibus conſentanea contemplentur. Homines quippe novi & in ſcru-

ſcrutandis Naturæ receſſibus parum exercitati, de facili fidem derogant his, quæ, quod ante ſibi inaudita ſunt, impoſſibilia opinantur. Quod videtur haud aliunde ipſis evenire, quam quod pleraque ſingularia Naturæ opera in ſenſus quidem, tam infrunitorum quam brutorum magiſtros atque duces, incurrant: univerſalis autem vis & incomparabilis ejus majeſtas paucorum ſe oculis & menti ingerat; utpote eorum duntaxat, qui indefeſſo labore & irrequieta meditatione nituntur Naturæ librum nocturna verſare manu, verſare diurna. Iſtos itaque exhortatos velim, ad meliorem horum cognitionem adferre judicium rectum & circumſpectum, quo ſe non ſolum muniant contra nimium credulas Indorum ſuperſtitiones, & pluſquam aniles perſuaſiones: ſed vel imprimis contra propriorum ſenſuum incantatrices fallacias. à quibus facile eſt decipi eum, qui ex uno vel altero intuitu, guſtu, olfactu pervenire ſe poſſe putat in notitiam corporum ſublunarium eorumque facultatum: quaſi ſcilicet Natura rerum, veluti proſtibulum in veſtibulo ſedeat, ſuique copiam faciat quibuſlibet prætereuntium; non vero intimo in receſſu atque penetrali ſe abſcondat, non ſine magno labore, ſine caſto amore, ſine numinis æterni ſeu parentis faventia atque permiſſu adeundam. Iſta ergo avia viarum quo & certius tutiuſque devitent, monendi ſunt præterea & illud, (quod neſcio qua aut temporum injuria, aut ingeniorum ſocordia, aut nimia ſui fiducia abiit omnino in deſuetudinem,) nempe ut noſtra hæc qualiacunque inventa ad priſcorum & fidiſſimorum, imprimis Hippocratis Naturæ & Medicinæ fidiſſimi interpretis, nulli non Naturæ prudenti vere admiranda placita, conferant diligenter & trutinent exacte. Certum quippe, illum virum, & quotquot ejus veſtigiis inhæſere preſſius, ad illud veritatis ac utilitatis rerum notitiæ culmen pervaſiſſe, quo adire quemquam poſſe negant, qui aliam fuerit ingreſſus viam. Id certe haud invitus fatebitur, quiſquis ſe tuum imitatus exemplum, totum dabit in ruminationem eorum, quos ex libris ejus reliquos fecit, non dicam, invidioſa vetuſtas, ſed humanum in genus mire miſericors clementia divina. Neque propterea tamen eos nos quis putet, qui cenſeamus, ullum hominem, quantus quantus etiam fuerit, infallibilem, ulliuſque dogmata pro indubitatæ veritatis norma perfectaque faciendi regula eſſe habenda. Vt jam ſibi parcere liceat iſtis Neotericis paraphyſicis, qui ipſum hoc de Medicis dogmaticis ad ravim uſque clamitant totieſque ingeminant, & nullis non argumentis contendunt, ſecum ipſi digladiantes. Qui quales ſint ipſi, facile eſt diſcernere detracta jam obſoleta illa Veritatis & Caritatis larva, qua ſe ſcioli iſti & uni quæſtui inſervientes abſcondere ſolent apud imperitam & falli tam pronam quam promptam plebem. Cujus in omnem opinionem per quamlibet & quantumvis abſurdam, modo ſpecioſam jactantiam, mobili ingenio freti, non raro triumphum canunt ante victoriam. Quid enim, an non quotidie videre eſt ingentibus promiſſis turgidos illos, ſive Vroſcopos impoſtores, ſive fumum olentes ciniflones, magnis excidere auſis, imo excindere è terra viventium multos eorum, quos morbi tædium, vitæ dulcedo, ſpei fallacia, & amicorum ſæpe importuna commendatio pellexit in ipſorum caſſes? Qui tamen, quamvis manifeſti ſint famam novitate aucupari, ut animas & crumenas, præſertim opulentiorum negotientur, ſi forte caſu in bonum eventum inciderint, vel jejunum aliquod in Macro vel Microcoſmo inventum adepti ſunt, ſe propterea audent invidiæ ſubjectum crepare. Quaſi vero hoc quod vivimus, ſæculum, adeo fœcundum & ferax eſſet magnorum ingeniorum & invidiam vere merentium: Cum per Deum atque hominum fidem perpetua potius commiſeratione digni ſint omnes hujus farinæ homunciones, qui in contemnendis quæ non intelligunt, imo ne adeunt quidem, ſunt fervidiores, quam felices in novitatum ſuarum aut certitudine demonſtranda aut utilitate edocenda. His, inquam, univerſa erudita antiquitas, imprimis noſter Hippocrates, nomen eſt, prætereaque nihil. Quem quia pauci legunt, pauciores intelligunt, idcirco eſt, quod multi ad illum Solem cæcutientes, neſcio cujus Syderis vel Lunæ lumen malignum ſequi potius, & quamvis Charybdes ſe vitare profeſſi, in Novaturientium Scyllas ferri cum ægris ſuis malunt, neque errores fateri prius, quam ubi in ſe experimenta capientes, idem in præcipitium ſe dederint.

Sed hæc quid attinet apud te, Amicorum optime, aut prolixius narrare, aut queri enixius? quem novimus, iſta non modo non ignorare, ſed ne diſſimulare quidem; quin omnibus in id unum animi intentis viribus incumbere, ut tandem aliquando Hippocrate nata, an ſata dicam, Medicina & ſuo reddatur nitori & omnium inſeratur amori. Vnde ſane Viri in Medica republica graviſſimi, ut D. Tulpius, D. Vicquius, D. Wullenius,

nius, atque alii multi in arte exercitatiſſimi, tibi pariter ac ſibi gratulantur, quod incomparabile illud Aſclepiadium lumen, hodiernæ lippitudini uſque adeo moleſtum, non ceſſes objicere toties, eoque non paucos aut parvos detegere errores, & in certam medendi rationem præire. Ita interim denuo reperta & ſua laude digna attemperare priſcis ſatagens, ut ſperandum ſit, populum deinceps Academicum ſucco magis ſalutari, erectioreque imbutum ſpiritu, fore aliquando obſervantiſſimum aurei illius apud Tacitum dicti, tam Medicorum filiis, quam Politicorum apprime neceſſarii ſcitu. Intra deforme obſequium & abruptam contumaciam pergere, iter periculis & ambitione vacuum. Cujus ſi noſtri recte ſenſum intelligant, videbunt moneri ſe non minus illiberale eſſe ingenuo, alterius ſe ad opinionem, quam libidinem componere, & gregis inſtar hunc illumve Caprum ſequi ducem, eo præſertim in ſtudio, in quo nunquam aut finis eſt inveſtigandi aut poſteritati adempta facultas aliquid vel inventis addendi vel temere creditis demendi. Sed & illud iſta monet gnome, ne nimio quis ſtudio declinandi vitia in contraria currat, nimiumque confiſus vel ſuis vel tot recentiorum titubantibus inventis tuto ſe poſſe putet inſultare priſcæ ſapientiæ conſultis: quin diſcat potius, depoſita laſcivientis ingenioli intemperie, putidaque philautia, & noſtri ſeculi & veteris pariter bonis uti frui, medendique viam periculis quam maxime vacuam amplecti. Quo ſane ſi & illi, & nos cum illis, atque adeo animis viribuſque & ſtudiis ſociatis aſpirabimus, procul dubio cum populi ſalute (cujus nos præſidem artem profiteri gloriamur) agetur longe melius. Quam ſibi mentem qui non optet, è noſtris puto eſſe neminem.

GVLIELMI PISONIS

HISTORIÆ NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER QVINTVS.

De Noxiis & Venenoſis Vegetabilibus ac Senſitivis, atque eorum Antidotis. Quibus aliquot Metamorphoſes Inſectorum, tum & Vivæ ſectiones quorumdam Animalium inſeruntur.

CAPVT I.

De Venenis, eorumque Antidotis.

MAgno licet Venenorum proventu, quibus paſſim Animalia, Plantæ, ac Mineralia turgeant, univerſus Orbis terrarum luxuriet: tamen præter primum Naturæ inſtitutum accidit, ut quiddam alicui ſit malum & noxium. Nam quod multis alimento, quibuſdam eſt veneno. Lepus marinus Mullo cibus eſt innoxius, at lethalis eſt nobis: ac viciſſim, quod uni eſt veneno, ut Elleborus & Cicuta homini, quibuſdam animalibus, ut Capræ Sturno & Coturnici, eſt alimento. Et vice verſa Aloë vulpem, nux vomica Feles, Mures & aves enecat, nobis medicina eſt ſalutaris. Sic radix altilis *Mandihoca* à venenato ſucco nondum repurgata, homini lethalis, equis & bobus cæteriſque animantibus nutrimentum præbet. Celebris quoque illa Herba Viva, *Iuquiri* dicta, Oves & Capras pinguefacit, interimit homines. Baſiliſco venenum eſt naturale, & aliis animantibus minime. Non autem Plinio aſſentiendum, qui in eum finem à Natura produci teſtatur, ut iis pro libitu homo, incurabili vel animi vel corporis morbo detentus, utatur, ac violentis toxico hauſto cruciatibus & vitæ finem imponat. Niſi hoc forte attribuendum huic genti Barbaræ, artibuſque Magicis ſupra modum deditæ, & in omnibus prope venenis dignoſcendis mire ſolerti, quibus hoſtes & ſocios, lucri aut libidinis cauſa, pari ſorte exſtinguunt. Mancipia illa ex Africa huc deducta, ubi horrendi voti compotes fieri nequeunt, cum dominorum vitæ inſidiantur, duriſſimæ ſervitutis jugi, inediæ, ac variarum calamitatum impatientes, ad unicam illam libertatis viam, nemini non perviam, confugiunt. Veneno ubique obvio, ſibimet ipſis atroces manus inferunt. Gratulantes ſibi Naturæ renuntiare, vindictamque, dominis plus juſto ſeveris, reponere. Sed hæc, relicto abuſu, ſecus interpretanda ſunt: cum animali non ſolum rationali ſed & irrationali inſtinctus ſit datus, per quem creatis omnibus dextre utatur, bona & vitæ utilia ſeligat, fugiatque nocitura. Quo ſpectat quoque pulchrum illud patris eloquentiæ Romanæ de finibus. Placet Stoi-
» cis, quorum ratio mihi probatur, ſimul atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari &
» commendari ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus
ſtatus, diligenda. Ecquid enim, per Deum immortalem, ex quo non aliquam percipiat utilitatem? Ex ipſis Viperis adverſus Viperas conficit antidotum, quo venenis omnibus & venenatis morbis reſiſtat. Ex *Mandihoca* radice, maximo ſcatente veneno, optimum alimentum non ſolum, ſed & antidotum concinnatur. A Scorpio, Scolopendra, Colubro, reliquiſque Serpentibus ictus, ab iiſdem petit remedium: à ſolo hepate piſcis *Vruti* punctura ejus venenata curatur, cum cæteris remediis refragetur. Nec exiſtimandum, benignam Naturam remedium denegaſſe, ubi morbum invexerit, ſed omni veneno alexipharmacum addidiſſe atque oppoſuiſſe. Baſiliſci lethifero veneno, Muſtelæ

ſtelæ virus, ſalivam hominis jejuni, Serpenti, Viperæ, Scorpio cæteriſque venenatis adverſari conſtat. Adeo placuit Naturæ nihil eſſe ſine pari. Equidem vix dixeris, venena, an alexiteria plura ſint pronata; & ubi ſpecificum incognitum, magnæ illæ compoſitiones ejus vicem ſupplent. Folia, flores & fructus herbarum *Tangaracá* & *Iuquiri*, venena Braſiliæ facile prima, propriam ſuam unaquæque radicem oppoſitum habet Antidotum. Bufoni *Cururí* aliiſque inſectis venenatis, ſolius *Nhambí*, decantatæ illius panaceæ, ſuccus ſuffuſus, vel cinis Tabaci aſperſus, præſentem mortem inferunt. Plurima alia hujuſmodi hic producuntur, Indigenis Barbaris, quam exercitatiſſimis advenis, notiora. Illi enim Serpentum, Viperarum, Bufonum, & Piſcium venenatorum pinguedinem, capita & jecinora ictibus venenatis paſſim applicant; imo integra inſecta quæ vulnera inflixerunt, propriis vulneribus audacter & felici cum ſucceſſu imponunt. Quo quidem experimento comprobant veritatem jam à Galeno 11. de ſimpl. Cap. de Dracone marino, & lib. de theriac. c. 11. aſſertam, aliaque ſimilia veterum ac neotericorum obſervationibus firmatam: ineſſe ſcilicet multis venenatis propriam antidotum. Poſſum ego teſtari, aliquas venenatorum puncturas nulli ceſſiſſe remedio, quam hepati ejuſdem animalis, & potiſſimum ea parte applicato, qua veſiculæ fellis eſt continuum, teſtante id quoque experientiſſimo Rondeletio; aliquas autem pro remedio admiſiſſe tantum carnem ejuſdem animalis impoſitam. De quo exactius in particulari venenatorum enarratione. Hinc manifeſte apparet, partes diverſas animalium non tantum diverſo ex primis qualitatibus proveniente temperamento: ſed & peculiari qualitatum occultarum, ſeu ut aliqui loqui malunt, virtutum ſpecificarum harmonia invicem adverſari: & aliquando noxam à veneno inferendam vel illatam tolli, quia elicitur vel extrahitur propter ſimilitudinem ſubſtantiæ, quam pars exterius applicita habet cum veneno impreſſo; aliquando vero, quia extinguitur, &, ut ita dicam, mortificatur propter contrarietatem & antipathiam, quæ parti impoſitæ eſt cum veneno inflicto.

Hactenus de venenatis ictibus eorumque remediis topicis, quorum fit mentio apud Authores profanos non ſolum, ſed quod ſacra pagina quoque in Hiſtoria Tobiæ cap. 6. 8. & 11. confirmat, uſum ſcilicet & abuſum Iecorum & Fellium antiquiſſimum ſimul & veriſſimum eſſe. Nunc alius nodus, qui quidem altioris videtur indaginis, diſſolvendus reſtat, ſcilicet de Fellibus & Iecinoribus quorundam animalium intus aſſumtis, quod duo illa vicina viſcera, ſi alterutrum eorum propinetur, maxime contrarios edant effectus. Sicut enim venenatiſſimi ſerpentis Hæmorrhois ictui Gobii piſcis jecur cum Allio ſumtum; Aſpidum vulneri, Iecur Apri exhibitum; ipſius denique canis rabidi hepar toſtum & in cibis aſſumtum; Viperæ morſui, illius caro medeatur, teſtante id tota fere erudita antiquitate; Ita Fel Viperinum apud omnes ſtatuitur venenum tam præſens, ut vix quiſquam ab ejus aſſumtione evadat niſi per propriam Viperæ carnem: Fel Leopardi intra ſex horas interficiens, niſi per coagulum Hirci ſilveſtris ſubveniatur. Fel Leuncæ cito quoque occidens: Fel piſcis Canis, unius grani quantitate deleterium eſt. Sic ego, quæ quaſi magica vel ſuperſtitioſa mihi primo intuitu apparebant, cum ſtupore vidi exercitatiſſimos Indos medicaſtros, eorumque imitatores, ex propinato unius animalis Felle calamitates & mortes: ex alterius vero animalis Hepatis exhibitione ſalutem & vitam promiſiſſe & præſtitiſſe; ſicque alterum veneni, alterum Alexipharmaci vices ſubiiſſe. Ratio hujus rei ſatis obſcura, quæque me ſæpe torſit; nec hactenus inveni quod mihi plene ſatisfecerit. Lis quidem hæret inter authores, an venena animalium, quorum ſunt venena, ſint nutrimentum, an excrementum. Si primum, haud facile eſt dicere cur una pars animalis venenati magis ſit venenata quam altera, cum nutrimentum ad omnes partes appellere debeat; niſi quod in aliis partibus permiſceatur aut ſanguini aut pituitæ aut ſeroſis humoribus, quibus vis illius infringitur; in folliculo vero fellis à bilis acrimonia exacuatur. Si poſterius, facilius poteſt dari ratio; quod nimirum venenum illud excrementitium, à maſſa ſanguinea ſegregatum, ad folliculum fellis amandetur. Mentem tamen meam libere aperiam, ut ſaltem aliis calcar addatur ingenium quoque ſuum convocandi. Neque enim facile eſt vel ſagaciſſimo Philoſopho tot rerum idioſyncraſias dignoſcere, imprimis in novitatibus his à receptæ doctrinæ fundamentis alieniſſimis. Cum itaque Fel inter omnia quæ ſunt in corpore, partium ſit maxime acutarum & tenuium, vimque poſſideat ſolvendi, penetrandi, imo & erodendi, venenum certe animalis hiſce adjutum qualitatibus multo

to facilius ſeſe exſerere, & ſanguini reliquiſque partibus communicare poteſt, quam ſi in alia aliqua parte vel humore conſiſteret hiſce qualitatibus deſtitutis. Quod vero ratione manifeſtarum qualitatum additarum, virtutes rerum ſpecificæ, vel intendantur vel remittantur, probari poſſet multis argumentis. Hepar autem, quandoquidem aliquam habeat cum Felle affinitatem, utpote viſcus Fellis vel generationi vel ſeparationi dicatum, atque hac ratione aliquo modo ſit ſimile: diſſimile tamen quatenus habet vim ſpecificam venenatæ Fellis qualitati adverſam: ratione itaque ſimilitudinis venenum petit, cumque eo ſe involvit; ratione vero qualitatis ſpecificæ Felli talis animalis contrariæ, ipſum vel expellit, vel extinguit.

Licet otii mei non ſit recentiorum & veteranorum Anatomicorum componere lites circa officia Hepatum & Fellium vivorum animalium; enarratæ tamen utriuſque operationes diverſæ, ſavebunt potius eorum opinioni, qui nobiliorem ſanguinis portionem à felleo & fæculento ſegregandi officium jecinori conceſſerint, quam iis, quibus abſurda Helmontii ſententia arridet, ipſum ſcilicet Fel balſamum jecoris & ſanguinis clamitantes. Quippe ſicut in hepate & ſanguine alexipharmaca videtur latere qualitas ad toxica quævis fuganda & obtundenda idonea: Ita è contra Fella quorundam animalium adeo videntur degenerare, ut haud facile quis impune ea aſſumſerit: mitto quod aliquorum venenatorum Fella, qualitate ſua deleteria primatum teneant, ſive incaute, ſive per dolum ea exhibita fuerint. Etenim ut nihil vulgatius apud Plinium alioſque veteres Practicos, quam Tauri, Capri, Vituli, Apri, tum & quarundam avium & piſcium Fella vel ſola, vel aliis mixta, contra alopecias, oculorum & aurium affectus, aliaque mala extus applicari, quatenus vi eroſiva & abſterſoria admodum ſunt proficua: Ita quoque inter venena qualiacunque ab animalibus deſumta & intus aſſumta, nullum præſentius atque efficacius quam ipſum eorum Fel agnoſcunt æque Barbari noſtri Americani, ac abſtruſioris olim eruditionis Mauritani, Arabes & Græci. Cujus uſus & abuſus tantum abeſt ut exoleverit, ut è contra tanquam hibernus flatus extremos Mundi ambitus pervaſerit, atque etiam nunc in Indorum animis, proh dolor, vires acquirat eundo.

Quamvis mihi occaſione multoties deſiderata infinita alia nondum explorare licuerit, ea tamen quæ aſſequi potui, poſteris ulterius indaganda relinquo. Nec enim facile eſt veneni ſpeciem cito diſtinguere; neque etiamſi cognoſcatur, protinus illius proprium alexipharmacum ſuccurrit. Accedit, quod aliqua reperiantur, quæ in Europa venenata, hic veſca, vel ſaltem minus noxia ſint, & vice verſa; quippe ranæ & piſciculi hic dantur præter opinionem venenati: E contrario formicæ illæ grandiores, tum carnes aliquot ſerpentum, lacertorum, bufonum, vermium & glirium ſylveſtrium, primis incolis inter delicias habentur. Idem Plinius de Africa confirmat lib. VI. cap. 29. Celſus lib. V. cap. 36. Scaliger Exercit. 189. ſect. 4. In India atque Æthiopia non ſolum innoxios ſerpentes multos, ſed etiam eſculentos dari, ita ut Ophiophagi dici poſſint. Præ cæteris autem in Braſilia, centipedes *Caraſitú* & *Caramouritú* virides & nigri, toſti & eviſcerati; tum imprimis vermes illi *Iarumái* & *Caramatorí*, pingues & albicantes, inque medulloſis ſilveſtrium Palmarum truncis viventes, in pretio illis ſunt. Plinius lib. XVII. cap. 24. Ælianus lib. XIV. de Animalib. cap. 13. narrant, vermes quoque in uſu multis Indis eſſe.

Innumera alia portentoſa à Tapuyeris fando accepi, quæ, quod eorum aliqua ſubleſtæ fidei videbantur, ſilentio prætereo; tantiſper donec ulteriore inveſtigatione atque experimento eorum veritas magis illuceſcat. Multa equidem inter hæc notatu digniſſima, à paucis tamen, quod ſciam, annotata, adeoque neglecta, ut rara veſtigia horum ac ſimilium naturæ mirabilium exſtent, unde lucubrationes phyſicas quis illuſtrare poſſit. Quamobrem multa partim propria experientia, partim pretio & precibus à Barbaris extorquere neceſſe fuit; qui ſicut tenebriones ſunt in porrigendis venenis & pertinaciſſimi in revelandis ejuſmodi ſecretis; ita officioſi in exhibendis antidotis; dictoque citius ubi de natura veneni conſtiterit, in ſilvis efficaciſſimas herbas colligunt, quas contuſas inſtar potionis ægris ſubminiſtrant, animaſque pene exſtinctas ſuſcitant.

At vero, his remediorum generibus non contenti miſeri ac ſuperſtitioſi mortales, futilia illa ac illicita, ut faſcinationes, incantamenta, philtra ac ſortilegia amplectuntur. Quod tamen ex parte condonandum huic genti profanæ, utpote nullis literis vel Dei cultu imbutis, ſed Stygiis tantum atque infernalibus auguriis, ultra quam credi poteſt,

poteſt, deditæ. Illud mirum, reperiri etiam inter Chriſtianos, quos inſana hæc & ridicula credulitas involvat. Pudet profecto, quam indigne homines cæterum cordatos, mancipiorum & pecorum ſuorum externos & internos affectus, neſcio quibus præſtigiis à ſe curatos gloriari, meamque incredulitatem haud parum accuſantes, audiverim. Quum tamen quæ primum technis impoſtorum, veneficiis ac magicis incantamentis obvelata erant, longo poſt tempore ingenii aciem intendentibus, detecta ſtolidam opinionem exemerunt. Nemo equidem tam excors, quin fateatur, plurimos præter expectationem Medici, citra artem, abſque manifeſta cauſa ſanitati reſtitui vel beneficio naturæ ſolo, accedente imaginationis vi; quinimo vecordia potius eſſet, omnia manifeſtis qualitatibus aſcribere & occultas illas proprietates tollere. Sed hæc nihil ad præſtigia aut patrocinium impoſtorum reſpiciunt. Verba & characteres ſunt Medicinæ dæmonum, ſyrupi & apozemata hominum, inquit Paracelſus. Ex Agyrtis & circumforaneis qui pluſculum ſapiunt, norunt quo tempore & quibus morbis ſua amuleta inſtituant. Si ſucceſſu res careat, æger incuſatur. In minimo enim qui peccat, omnium fit reus. In myſteriis magicis, qui cadit ſyllaba, cadit cauſa. Plebecula maxime dedita ejuſmodi nugis, plus fidei & ſpei iis concipit, gaudens falli ſpecie recti. Orationes cum certis cæremoniis dicendas ſuſcipit, & jam vix demurmuratis verbis vi fortiſſimæ imaginationis, aliquam convaleſcentiam ſentire ſe clamitat. Quod ipſum quoque Galenus his verbis teſtatur; plures ſanat, cui plures fidunt. Vnde merito credulos Agrippa ad ſacra magiæ cæremonialis admittit. Sed longius provectus, dum me tantæ credulitatis piget tædetque: revoco me, & ad venenatorum enarrationem redeo. Quorum occultæ qualitati abditæ, quoque medicamentorum proprietate (quæ per experientiam fuerit revelata) ſuccurrendum.

Inter venenata Braſiliæ animantia, Serpentes primum locum occupant, è quorum numero circiter viginti hactenus innotuerunt, ut ſunt, *Boiguaçú*, ſive *Iiboya*, *Arabó*, *Boiobi*, *Boicaiba*, *Guon*, *Çacabóia*, *Boiçininga*, *Boitiapó*, *Boiçupecánga*, *Boipéba*, *Çurucucú*, *Caninána*, *Çurucutinga*, *Guinpiiaguara*, *Ibyara*, *Iaçapecoáia*, *Ibibobocá*, *Iararáca*, *Manima*, *Tareiboya*, *&* *Amorepiníma*, *Çucuriiú*, *Ibiracoá*, quorum poſteriores quatuor ſunt Angues aquatici. Hos omnes ſerpentes generali nomine *Boia* vel *Mboia* appellant, quibus ex ſuo arbitrio, & pro Serpentum diverſitate, cognomen & agnomen imponunt. In quo quum ſibi non conſtent, ſed nimium varient, fit ut advenæ æque ac ipſi indigenæ fluctuent. Proinde benevolus lector facile veniam concedet, ſi in his exoticis rite diſtinguendis, non omnibus ſatisfiat. difficillimum enim eſt ex æquo vel affirmare veritatem, vel falſimonium refellere, quia perpetuus errorum parens eſt vocabuli aut rei alicujus vicinitas & ſimilitudo. Frequentiores, ædes & ſilvas perreptantes, in hoc habitato Parnambuci tractu attingo; reliquorum minus cognitorum naturam cogor præterire. Horum Serpentum Americanorum aliqui Europæis minus ſunt noxii, utcunque tamen majores & vegetiores iis exiſtunt; quaſi harum regionum calor externus nativum in hiſce frigidis animantibus intendat. Tantumque abeſt ut his vel aliis venenatis tarditas poſſit attribui à Cardano, ut noverim Angues tantæ celeritatis, ut ſagittæ ſimiles viderentur. Præter Galeni aliorumque teſtimonia, multa ſunt argumenta ab ipſa experientia deſumta, quæ evincunt, temperiem nactam eſſe frigidam, omnem Lacertorum & Serpentum cohortem, contra Avicennæ opinionem: licet quorundam venenum ardorem ſummum inferat. Nam non ſolum contactus ipſe frigidus vel maxima æſtate, hoc arguit, ſed eorum plerique ad menſes aliquot vivi abſque cibo reſervati, hoc confirmant; cum tamen ſi quid eſculenti illis præbetur, comederent. Idem teſtatur Scaliger commentariis in Hiſtoriis Animalium, l. 11. &c. Cæterum qui plura volet de Serpentibus, conſulat Æliani & imprimis Geſneri Hiſtoriam Animalium. In illis enim quidquid Veteres & Neoterici de eorum natura ſcripſerunt, congeſtum reperiet.

Serpentum venenum in capite potiſſimum latere, facile liquet, quod Incolis ophiophagis bene fiat ex eſu eorum, capite amputato: contrarium vero illis contingere, capitis quorundam viſcerumve minima parte deguſtata. Capita enim inter externa remedia adverſus ſerpentum morſus reſervari ſolent, ut mox demonſtrabitur. quaſi nullum adeo atrox venenum à Deo creatum, quin liberalem in medicina opem ſuppeditet, ipſaque reptilia majeſtatem Creatoris humilitate ſua perpetuo exaggerent. Porro hoc qualecunque venenum, nunc circa dentes in ſaliva, nunc in ipſis dentibus latitare, vel exinde patere putem, quod dentes mortuorum ſerpentum, hominum & canum carnes inflamment.

Degunt paſſim in cavernis & arborum truncis, ſuſtentant ſe gliribus, bufonibus, ranis, aviumque ovis. Teſtibus carent, eorumque loco meatus duos habent ſicut piſces, qui ſemine implentur tempore coitus, lacteumque emittunt humorem. Coëunt complexu, adeo ſibi circumvoluti, ut unus exiſtimari biceps poſſit. Ita ut in his aliiſque naturalibus functionibus vix quidquam differre ab iis quæ Autores in Aſia prodiderunt, deprehenderim. Ventriculus laxiori inteſtino ſimillimus uno ductu ad caudam producitur. Renes & vreteres quidem apparent, ſed non veſica; quaſi iis hoc cum avibus aliiſque animalibus oviparis pitiſſando bibentibus commune eſſet, lotiumque qualecunque in alvum cum ſtercore deponerent. In uteri cornibus infinita pene ovorum ſunt rudimenta, & globulorum modo inter ſe quaſi agglutinata. Ita ut ovipari plerique Serpentes dici poſſint, exceptis paucis, præſertim Viperis illis *Iararáca* dictis, quæ inter vivipara recenſentur. Non tamen ad opinionem quorundam ſcriptorum, dicentium, earum partus quaſi moræ impatientes, vi erumpere, matremque enecare, quum utriuſque ſexus Viperæ in vivario poſitæ, more ceterorum animalium pepererint.

An vero bibituræ & coituræ, venenum deponant, lis hæret inter Autores, & à me hactenus incompertum fateor. Ab Incolis paſſim obſervatur, Angues & Viperas inſito timore à Cancris abhorrere; tum quoque Porcos ab iis læſos, inſtinctu naturali ſe Cancrorum eſu curare.

Hæc de Serpentum, Anguium, Viperarum natura in genere dicta ſufficiant, nunc generales quoque cautiones ſauciatis præſcribendæ. Primo quiſque vulneratus ab aqua ſibi caveat, licet Oppianus & alii de Cervis Libyæ vulneratis à Serpente, inſtinctu Naturæ fluviis ſe immergere teſtentur, ut curentur. Hic autem contrarium datur experiri. Qui diverſitatem venenorum & antidotorum ſupra enarratorum bene conſideraverit, cauſam facile percipiet, cum diverſi & inuſitati, imo contrarii ſubinde curandi modi inde exſurgant.

Secundo ſataget quiſque, ut vulnus, à perpetuo illo humani generis inimico inflictum, ſtatim dilatetur, ſi ſanguis non abunde profluat. Mox cauteriis tum potentialibus tum actualibus pars læſa muniatur vel exſtirpetur.


Tertio decantata illa potio *Carimá* ex *Mandihoca* facta, largiter potetur. Hæc enim ſitim, quæ comitari ſolet, non ſolum reſtinguit, ſed peculiari vi antidotali corroborat, ſanguiniſque ardorem mitigat.

CAPVT II.

Boiçininga, & Boiçuaiba.

PRimo, domina illa atrocium Serpentum occurit *Boiçininga*, quam *Caſcavela* & *Tangedor* Hiſpani, noſtrates **Ratel-ſlang** / Mexicani *Hoacoatl*, nominant, propterea quod ſonitum inſtar tintinnabuli cauda edat. In triviis juxta ac deviis locis cernitur, tam celeriter proreptans ut volare videatur, idque velocius per loca ſaxoſa, quam ter-

BOIÇININGA.



reſtria. Huic tam pernicioſo Colubro, benigna Natura, cautionis quaſi gratia, crepitaculum addidiſſe videtur, ut illius ſonitu admonitus quilibet, homo non ſolum, ſed & qualecunque pecus vel jumentum, tempeſtive ſibi caveat à vicino hoſte. Brachii eſt craſſitie, longitudine interdum quinque pedum, lingua biſulca, dentibus longis & acutis, colore fuſco & ad flavum vergente. Venter ſquammas habet grandiores reliquis, quaſi parallelogrammas, pallide flaveſcentes. Quotannis articulus, quo infeſtare ſolet, in cauda creſcit, ita ut Serpens decem annorum habeat crepitaculum longum duos digitos, ſemidigitum latum, ſubſtantia lævi, glabra, pellucida, ſicca. Irritatus in ſpiras ſe contorquet, itaque ſibi cavet undique, ut nulla non parte ſe vindicet ab illata iniuria.

Caudæ

Caudæ extremitate in anum hominis immiſſa, mortem infert confeſtim; venenum autem quod ore vel dentibus infundit, multo lentius vitam tollit. Ex vulnere mox ſanies cruenta effluit, caro livet, ulcuſque paulatim ſerpit. Ad remedia extrahentia, vulnus dilatantia, ſcarificationes, cucurbitulas, & ſi pars læſa intercipi poſſit, ad vincula feſtinandum, idque junco *Iaçapé*, cui remedio maxime fidunt ſuperſtitioſi Incolæ; ſin minus, cauterio utendum eſt. Interim dum veneni qualitas ad cor penetrat, curandum ut interius præmuniatur *Tipiocæ* hauſtu & ſucco recenti præſtantiſſimæ herbæ colubrinæ *Caatia* & Limonum recentium, ſudoreſque evocantibus inſiſtendum. Præſentiſſimum præ cæteris remedium, quod Barbaris contra hujus aut qualiſcunque Serpentis morſus reſtat, eſt ipſius nocentis caput, quod contundunt, contuſum emplaſtri forma vulneri calens applicant: viciniſque partibus virentia Tabaci folia imponunt. Præ doloris atrocitate icta humant membra cum felici ſucceſſu. Cui remedio ſimul addunt, in omni fere morſu, ſalivam hominis jejuni, qua perpetuo partem affectam demulcent, (Plinius lib. VII. cap. 2. Galenus lib. x. Simplic. Scaliger in Hiſtor. Animal. lib. II. cap. 18. hanc ſalivæ vim quoque agnoſcunt) adeoque his antidotis nituntur, ut deſperent, ſi in illis voti compotes non fiant. Ego hæc & ſimilia remedia, quæ longa illis experientia dictavit, jubente neceſſitate, lubenter ſum imitatus. Non intermittendo tamen ea quæ à veneranda antiquitate & autoribus nobis ſunt relicta. Ne nimium temere hiſce novitiis, aut pertinacius adhærerem veteribus, quibus negatum fuit Orbem Americanum, ejuſque animalium peculiarem genium inquirere.

BOIÇVAI'BA.


Boiçuaíba Serpens craſſitie & longitudine *Boiguaçú* ſimilis, ſed coloribus diſcrepans, quippe hic ſine maculis, continuato ductu, anteriori corporis medietate nigricante, poſteriori vero eſt flaveſcente. Mire quoque eſt rabioſus, cum omnibus Serpentibus vel maxime venenatis perpetuum bellum exercet, eoſque inſidioſe opprimit, imo venenatiſſimum *Boiçininínga*, ſpectantibus viatoribus, aliquando devorat; ipſeque adeo tamen veneni expers deprehenditur, ut incolæ carnem ejus comedere non extimeſcant. Ita ut in hoc quoque Serpente occurrat illud quod antea monui, ſcilicet in toto rerum ambitu nihil pene eſſe, quod cuipiam prædæ non ſit, & nihil è contra, quod non alterius damno vivat.

CAPVT III.

Curucúcu, Curucatinga, Ibiraccá, & Boipéba, Hæmorrhoum ſpecies venenatiſſimæ.

Curucucú eſt anguis craſſius cineritii coloris, interius flavus, externis maculis nigris diſtinctus, & iiſdem ut *Caſcavel* ſquamis veſtitus; novem & interdum duodecim pedes longus. Capite eſt compreſſiori quam plerique ſerpentes. Maxime eſt venenatus & plurimum metuendus, licet caro ejus præparata à Barbaris

ÇVRVCVCV.



comedatur. Nocere cupiens in gyros ſe componit & inſidioſo ſaltu ruit in hoſtem: fugit homines, nec nocet ulli niſi irritatus, tuncque mordet in infinitum tanquam rabioſus, grandibus dentibus armatus. Præcipuum illi venenum in capite, ideoque Braſiliani intercepto quantocius caput amputant & cooperiunt humo. Ab illo ictus, corripitur vertigine, tremoribus, torminibus, animi deliquiis, febribus ardentibus, quibus ſudor frigidus ac ipſa denique mors, intra diem naturalem, aliquando & celerius, ſuc-

cedit:

cedit: Præter enarratas qualitates, peculiare eſt huic Serpenti diabolico, quod ex morſu ejus virulento, venæ erodi videantur, tantamque inflammationem & ardorem efficiat, ut ſanguis bulliens mox è naribus, auribuſque, imo manuum & pedum unguibus promanet. Cujus peſtiferæ proprietatis cauſa ad calcem hujus capitis ventilabitur. Huic malo ſi quæ Medicina detur, ipſius Serpentis, qui morſum intulit, caput emplaſtri forma, vulneri applicatum; tum Allium & folia Tabaci recentia, leviter tantum ab ignis flamma tacta, mirabiliter proſunt, cauterii loco. Idem præſtat contra hujus, aliorumque Serpentum morſus radicis *Caa-apiá* decoctum, ut & ptiſana ex Mandioca, quæ *Carimá* dicitur; Omnium vero præſentiſſimum eſt antidotum, ſuccus herbæ colubrinæ toties enarratæ, *Caaçica* dictæ, qui partim hauſtus, partim vulneri applicatus, me aliiſque præſentibus, ſauciatos reſtituerunt. Deinde ſuccedunt ſudorifera, vel ipſo ſtatim initio convenienter exhibita, ut ſunt radices *Iurepéba*, *Vrucú*, *Malviſco*, *Iaborandí*, inter ſimplicia ſatis ſuperque deſcripta. Succus Limonum puſillorum recens, refrigerando & aſtringendo non ſolum, ſed & ſpecifica qualitate modice aſſumtus mirifice prodeſt.

ÇVRVCVTÍNGA.

QVi *Çurucutinga* nomen tenet, mole & longitudine non multum inferior ſerpente *Boiguaçú*; venenata autem qualitate longe ſuperior. Duplici ordine dentium acutiſſimorum, paulo incurvatorum, in utraque maxilla armatus. Cæterum toto corpore eleganter nigro & albo variegatus & ſquamoſus, in caudam inſtar ſubulæ acutam deſinens. Deteſtabilis hæc bellua omnibus merito formidabilis. Morſus enim ejus difficillimæ eſt curationis, licet ſupra dicta remedia rite adhibeantur.

IBIRACOÁ & BOIPÉBA.

HVic accedit ſerpens *Ibiracoá*, variegati coloris, albis, nigris rubriſque maculis inſignis, vertice cæruleo. In medietate arborum vivit, unde inſidioſe deſilit in prædam qualemcunque. Vtriuſque hujus morſus, ſicut & morſus quoque ſerpentis *Boipéba*, admodum eſt venenatus, & peſſima ſymptomata infert, haud ſecus quam *çurucucú*, ut à Braſilienſibus exercitatioribus ipſe accepi, quippe ſanguis quantocius à morſu, ex auribus, naribus, & oculis profluit, atque, niſi ſtatim ſubventum fuerit, moritur vulneratus. ſi virus nondum cor infecerit, carne ipſius anguis cocta cum radice *Iuripéba*, *Iaborandi*, *Malva Iſco*, *Caapéba*, *Capypuba*, additis ſummitatibus *Nhambi*, ex vino interne exhibitis, reſtituuntur ægri. Stupa arboris *Pindaiba* vulneri impoſita, ſanguinem undiquaque profluentem ſiſtit. Raſura quoque cornu bovis largiter cum frigida, vel ptiſana *Carimá*, pota, equos & homines curat. Addatur externum remedium, ex capite ipſius feræ contuſo, & cum *Caatiá* herba, & tantillo ſucci Limonum aliiſque ejuſmodi ante enarratis, præparatum.

Cum ſupra monuerim, ſanguinis fluxum ex morſu horum ſerpentum excitari, non tamen exiſtimandum, eum, vel per conſuetas ſolummodo vias & modos, vel ex communi ardore, ac inflammatione; ſed ex ſpecifica quadam proprietate venenata, quam totius ſubſtantiæ dixerunt, provenire, quæ facta continui profunda ſolutione, omnes corporis poros orificiaque venarum & arteriarum diſrumpit, unde ex angulis oculorum & aurium, imo & ulceribus conſolidatis, ſanguinem profluere videmus, ſicut in peſtilentialibus morbis evenire conſtat. Tanta enim partis læſæ fit combuſtio & denigratio, tanta denique ſpirituum vitalium ſubita proſtratio à permeante ſubtiliſſimo veneno, ut ſpaſmi ex inanitione & ſiccitate, tum etiam ex ſanguinis aliarumque humiditatum naturalium privatione, vocis & anhelitus interceptio, & tandem mors ipſa non raro ſubſequatur. Ita ut ex inſolito hoc ſymptomatum concurſu ſatis confirmetur, cauſam horum lethalium vulnerum minime ex primis & ſecundis qualitatibus petendam eſſe.


CAPVT IV.

Boiguaçu.


BOiguaçu, ſive *Iibóya*, Serpentium omnium facile maximus, femur fere hominis craſſus, Luſitanis *Cobra de Veado* dictus, quod Dorcades integras devoret, idque ſugendo potius quam maſticando: Ita ut Plinio C. 14. l. 8. fides facile debeatur, de ſerpentibus quæ Cervos hauriant, ac de *Boa* Serpente quæ tempore Claudii infantem

deglutie-

BOIGVAÇV.



deglutierat. Ex horum genere quidam octodecim vel quatuor & viginti pedes reperiuntur longi. Cineritio, ſpadiceo, elegantiſſime variegato ſunt colore. Tota pellis diverſæ magnitudinis nigris maculis quaſi incatenatis decoratur, in quarum centro albæ conſpiciuntur maculæ. Non æque veneno, ut multi alii, turgent. Carne eorum alba non ſolum Indigenæ & Nigritæ, ſed & noſtrates veſcuntur. Famelicus hic Anguis vel ex dumetis proſilit, caudæque ſuæ duobus unguibus armatæ nitens, horrende ſe erigit & ſtrenue cum feris hominibuſque luctatur, & ſibilat irritatus: vel ex arbore inſidioſe in viatorem deſilit, eumque validiſſimis cingit amplexibus, ita ut vel ſolo complexu, tum quoque cauda rigidiſſime in podicem immiſſa, interimat. Nec minus validi atque feroces exiſtunt ingentes illi *Arabó*, *Çucuríu*, feris quoque & hominibus inſidiantes. Omnes Serpentes ſolidis & multis vertebris & coſtis præditos ex Anatome animadverti. Anticæ & mediæ potiſſimum corporis partes ſpiritu attracto ſupra fidem turgent, & fortioribus coſtis munitæ, non ſolum ad inſidioſos ſaltus, ſed ad degluttiendam prædam longe aptiores efficiunt has belluas repentes: Coſtarum enim ope magis profundam & validam ſuctionem exercent, idque in commodum prædæ nactæ vel nanciſcendæ. Vertebrarum vero robore ſuſtentantur & eriguntur, earumque pluralitate commodius in gyros quoſcunque moventur. Sceleton hujus Serpentis, in India Orientali & Occidentali familiaris, omniumque Braſilienſium facile principis, Theatro anatomico Amſtelodamenſi ex Braſilia à me miſſum, ſententiam meam confirmat, ſicut ex hac appoſita icone videre eſt.





In qua fabrica oſſea præ cæteris notatu digna occurrunt, quod magna pars capitis amplitudinem rictus demonſtrat cum acutiſſimis & longis dentibus. Dein vertebræ plus quam ſeptuaginta concinno & perpetuo ordine à cervice ad caudæ extremitatem compoſitæ; capiti autem propinquiores majuſculæ ſunt, decreſcenteque ordine abeunt ad caudam, quarum circiter viginti poſteriores, conformatione & figura nonnihil à cæteris diſcrepant.

Ictus eorum vix cenſetur venenatus, & per ſe aliquando, vel leviori ſaltem adhibito remedio, curatur. Ita ut inter rabioſos potius quam venenatos Serpentes haberi debeant: quibus *Caninana*, *Manima* & *Vona* annumerare licet. Cæterum hic *Boiguaçu* adeo terribilis Cervis & Capreis, à Formicis tamen necatur, patulum ejus os turmatim ingreſſis, quum eædem Formicæ à parva vipera *Ibiiára* in fugam abigantur. Quaſi nimirum


nihil tam potens ſit in rerum natura, (ut in rebus quoque humanis) quod everti non poſſit à multo minori. Ita ut ſapientis ſit, ſemper in animo habere vetus illud Diogenianum, Ἔνεςι ϗ μύρμηκι χολή. Accedit & Plinianum illud, l. XI. c. XXIX, his verbis: Serpentem (locuſtæ) cum libuit, necant ſingulæ, faucibus ejus apprehenſis mordicus. Talia cum apud Plinium legunt, fidem multi derogant; quia vix credunt, niſi quæ vident. Quibus Voſſius in lib. de Idololatria Gentilium reſpondet, ſcilicet quod illi non viderunt, cernere ſubinde vulgares animas; quibuſcum ſi ſermonem ſerere non gravaremur, plura ſciremus Naturæ arcana. Nunc aliis rebus publicis, aut forenſibus, aut umbraticis ſtudiis occupati, multa non conſpicimus, quæ illi, quos contemnere ſolemus, vident & obſervant.

CAPVT V.

Ibibobóca, Boióbi, & Cacaboia.


INter infeſtiſſimos facile Braſiliæ ſerpentes eſt pulcher *Ibibobóca*, *Cobra de Coral* Luſitanis dictus: duos pedes longus, & pollicem humanum craſſus, verſus poſteriorem partem teres & inſtar ſubulæ acutus. Totus venter eſt albus & ſplendens, dorſum & latera tincta. Caput craſſum, compreſſum, oculi fœdi, profundi; rictus ingens, dentibus

IBIBOBO'CA.



obſitus. toto vertice habet ſquamulas albas cubicas, ad oras, nigras, hinc cinnabria ſequitur macula, cujus ſquamæ per oras nigræ, & ita ſemper rubra macula eſt, hinc ſequitur nigra, hinc alba, iterum nigra, hinc rubra, & ſic deinceps. Rubra macula longa, duæ albæ, & tres nigræ ſimul ſumtæ, æquales inter ſe: nigræ autem maculæ totaliter ſunt nigræ, albarum autem oræ nigræ. Circa Formicarum latebras ſe occultat, quas paſtum ituras perſequitur, & vaſtat. Lente graditur, nec nocet homini niſi irritatus. Sed quantum pulchritudine, tantum quoque virulentia cæteros ſuperat. Morſus quippe ejus venenatiſſimus, non extemplo vitam depaſcitur, ſed tarde ſe promovet. Sanatur emplaſtro è capite ejuſdem Serpentis concinnato & efficaciter appoſito. Pulvis plantæ *Nhambu*, tum & ſuccus foliorum *Caapeba* & *Caiatiá*, vulneri inſtillatus, & per aliquod tempus exhibitus, expellit virus.

BOIO'BI.



SErpens *Boióbi* Braſilienſibus, *Cobre verde* Luſitanis dicitur: ulnæ eſt longitudine & pollicis craſſitie, coloris porracei & pulchre micantis. amplo ore, lingua nigricante. ædificiis gaudet, nec ulli facile nocet niſi irritatus, tuncque erectus caudæ nitens, viatoris manus apprehendit. morſus adeo habetur venenatus, ut remedio quantumvis præſtanti vix cedat. Radix autem illa nodoſa herbæ *Caa-apiá*, contuſa & ex aqua pota, ſummopere prodeſt, cæteriſque herbis antidotalibus facile palmam præripit. Miles quidam gregarius, Anguem hunc inter arbuſta latitantem, dum pede forte conterit, ab eo in femore demorſus, paucis poſt diebus, toto corpore tumefacto & liveſcente, deficientibus radicibus *Caa-apiá*, cæteriſque remediis fruſtra adhibitis, quam miſerrime exſpiravit, præſentibus commilitonibus.

ÇACA-

ÇACABOI'A.


Ille qui *Çacaboía* vocatur, inter minores cenſetur, pediſque eſt longitudinis, digiti craſſitiei, terrei coloris. merito à Luſitanis *Cobre de çipó* nomen accepit, quia colore & figura climaces illas, chordarum inſtar reptantes humi, æmulatur. Hinc fit ut viatoribus facile noxam inferat. Morſus tamen ejus licet venenatus, à ſupra dictis remediis reſtituitur.

CAPVT VI.

Caninána, Boitiapó, & Guon.

SErpens *Caninána* dictus, eſt oblongus octo circiter palmos, ventre flavo, dorſo eleganter viridi, inter minus venenatos habetur, ovis victitat & volucribus, tum quoque quibuſvis inſectis domeſticis. Adeo ſe cicurari patitur, ut manibus tractetur impune, hominemque ſequatur reptando. Capite & cauda reſectis, ab Afris & Americanis comeditur. De peculiari illius antidoto, nihil certi adhuc mihi conſtat. Vulgaribus Alexipharmacis ſuprà enarratis, malum ſi quod infert, facile expugnatur. Familiare autem illud decoctum antidotale, ex radice *Iuripeba* cum pauxillo ſalis huic morſui ſæpe applicandum; nec non *Ananas* viridis, iſque in cataplaſmatis modum contuſus. Denique ſi neceſſitas ulterius urgeat, pars læſa ſcarificetur, moxque vivus gallinaceus pullus imponatur.

BOITIAPO'.



BOitiapó quoque inter minus noxios recenſetur, roſtro eſt oblongo, totus anguis novem vel octo pedes longus, brachium craſſus: ſquamulis veſtitur elegantibus, ſed admodum parvis, fere triangulatis, olivacei coloris, in ventre flaveſcens: ranis potiſſimum victitat. irritatus, mordet, ſed vulnus facile curabile infligit. Poſtica parte inſtar ſubulæ acuminata hoſtem quoque ſuum ferit. ſuperſtitioſi Indigenæ ſtrenue contendunt, fæminas ſuas ſteriles, reddi fœcundas, ſi aliquoties lumbis illarum ſerpentes hi affricentur.

GVON.

ACcedit ingentis molis ſerpens *Guon* Braſilienſibus dictus, colore cæruleo. Velociſſimus, cæterum innocuus, niſi quod admodum rapinus ſit, & ſummus ovorum & volucrum helluo, ſicut & ille niger *Guinpiaguára* dictus. Vterque enim tam velociter ſupra faſtigia arborum feruntur, quaſi in aquis natarent, & ibidem volucrum nidos depopulantur.

CAPVT VII.

Viperæ venenatiſſimæ, Iararácæ, & Ibiiáram, dictæ.

DIverſæ Viperarum ſpecies nomine *Iararácæ* deſignantur, quarum maxima appellatur *Iarará guaçú*, ultra decem palmos longa, quæ morſura grandiuſculos protrudit dentes, alioquin buccis tectos, circa quos potiſſimum virus latet, qui eſt hu-

eſt humor crocei coloris, adeo potens, ut viginti horarum ſpatio homines de medio tollat. Vtinam vero noxium hoc animal minus prolificum eſſet, quia duodecim aliquando ſimul eniti fœtus ab Incolis accepi.


IARARA-COAPITI'NGA.

SEcunda ſpecies dicitur *Iarara-coapitínga.* teſtantibus Luſitanis, ipſa Vipera Hiſpalienſi venenoſior; extremitas caudæ eſt alba, unde hoc nomen illi inditum: longitudinis eſt quinque vel ſex pedum circiter.

IARARA'CÆ-MIRI'.

TErtia & minima, cujus longitudo dimidium cubitum vix excedit. Terreo colore, venis quibuſdam in capite prominentibus inſtar Viperarum, & haud aliter quam illæ ſtrident. Hæ *Iararácæ-mirí* dictæ ſunt, id eſt parvæ. Omnes itaque hæ *Iararáca* mole & figura corporis potius quam noxia qualitate differunt: inter eas muſcum redolent adeo fortiter, ut dolorem capitis inferant; hoc tamen odore facilius ab hominibus horum gnaris, aut occiduntur, aut evitantur.

IARARAEPE'BA.



QVarta *Iararaepéba* nomen obtinet. (cujus ſolius Iconem exhibeo.) Huic linea rubri coloris, catenulæ inſtar, ſuper dorſum & ſub ventre diſcurrit, cætera fuſcus aut cinereus. Ipſa fera poſtquam vulnus inflixit, à cute, cauda, capite, & interaneis repurgata, & in aqua radicis *Iuripéba*, cum ſale, oleo, porro, ſemine *Imbira*, atque radice *Iaborandi* cocta, à vulneratis comeditur, magnoque illis ſolet eſſe præſidio.


Verum licet caro illarum (ex qua Trochiſci illi notiſſimi de Vipera parari ſolent) uſque adeo antidotalis, etiam in hiſce regionibus ſit habita, tamen hæ belluæ longe plures utique calamitates quam commoda humano generi ſuppeditant. Quippe morſu non ſolum virulento & ſanie fervente lethalia vulnera infligunt; ſed & Fel earum à Veneficis exemptum & minima quantitate propinatum, mortem affert, ſi non quantocius vomitus ex radice *Ipecacuanha* promoveatur, atque in inſtanti fructuum *Ananas*, Limonum, & herbæ *Caaçicæ* ſuccis, reliquiæ ſubtiliſſimi veneni, per urinas & ſudores protrudantur, moxque decocto *Carimá* ſpiritus reſoluti revocentur & roborentur. Sed cum requiſita hæc vix in tempore ſimul concurrant, plurimi ſuccumbunt, ſive ab illato, ſive ab aſſumto veneno. Naturam tanti veneni ſollicite hic inquirere ſupervacaneum puto, quia ſymptomata cum fervente ſanie & ſanguine, eorumque remedia id ſatis arguant; medicamina enim pleraque, licet cum manifeſta caliditate conjuncta ſint, tamen proprietate occulta venenum ſuperare, ab aliis & me ſuo loco ſatis comprobatum eſſe puto.

IBIIA'RAM.

VIperam quam Braſilienſes nominant *Ibiiáram*, id eſt, *Seignor de la terra*, vulgus Luſitanorum *Cobre çega*, vel *Cobre de dos Cabeças* vocat, quod duo capita videatur habere. Ipſe Plinius, qui idem de eadem vipera teſtatur, aliorum relatu, deceptus fuit. Geminum, inquit, l. 8. c. 23. Amphisbænæ caput, tanquam parum eſſet uno ore fundi venenum. Salit enim in utramque partem retro & ante, propter coſtarum ſuarum in utramque partem mobilitatem, informis hæc vipera, & in gyrum quaſi compoſita ex inſidiis opprimit incautos. Adeo difficile eſt caudam à capite diſcernere: adde quod tam capite quam ore feriat. Non procul ab extremitate caudæ anum habet inſtar reliquorum ſerpentum. Minimi digiti craſſitiem æquat, & longitudine vix ſeſquipedem. Color eſt albus, ſplendens inſtar vitri: annulis & elegantibus lineis notatur, coloris brunni aut aërei: oculos habet minimos & vix conſpicuos; hærent in cute inſtar punctuli acu facti. Sub terra vivit, & illam fodiendo eruitur. Amat formica-

rum

IBIIA'RAM.




rum latebras, quas adeo perſequitur, ut integras cohortes videas ſua domicilia relinquere, & avolare quando alatæ factæ fuerint. Ejus morſu nihil eſt virulentius, qui cum inſigni ardore à vulnere ad cor tranſit in momento; non tamen citra ſpem curationis exiſtit, ſi ſupradictis remediis tempeſtive interius & exterius utaris. Quæ, quod nihil immutandum occurrit, toties repetere ſupervacaneum duco.

CAPVT VIII.

Quatuor Hydri, Amorepinima, Manima, Tareiboia, & çucuriiú.

TAndem ſequuntur Angues, amphibiorum more, modo in ſicco, modo in lacubus degentes, ac proinde Hydri vel Natrices merito dicti, minus tamen Europæis pernicioſi habentur. Irritati nocent, vulnuſque facile curabile infligunt.

AMOREPINI'MA.



PRimus eſt *Amorepinima* circa ſex pedes longus, cute fuſca, maculis luteis interius, in ambitu autem brunnis. Etiamſi morſus ejus non uſque adeo extimeſcatur, incolæ tamen

men ſecuritatis cauſa herbas *Nhambi* & *Caapiá* vulneri imponunt, atque vim veneni, ſi quod modo adſit, feliciter retundunt.

MANÍMA.

SEcundus *Maníma*, non nocens, cui, præterquam quod cutis admodum variegatis coloribus micet, ut pulchritudine ſua facile celebrem illum & formoſum Nili hydrum ſuperet, hoc quoque peculiare videtur conceſſum, ut dum in ſtagnis apricatur, tanto cum fulgore adverſo Sole radios de ſe ſpargat, ut cum admiratione in aſtantes homines & arbores Iridum inſtar undati reverberentur.

TAREIBOÍA.

TErtius *Tareiboía* appellatur, quæ lutei eſt coloris, ſex palmas longus, ruricolis potius extimeſcenda, quod gallinas devoret, quam quod homini venenum inferat.

ÇVCVRIIV́.


QVartus hydra eſt *Çucuriiú*, tantæ magnitudinis & voracitatis, ut cervos, capreas, imo infantes integros aquatum euntes deglutiat. Sicut in *Bahia de todos los Sanctos* juxta Braſilianum pagum, puerulis ad ripas ludentibus contigit. Cujus portentoſæ jacturæ ſocii aſtantes attoniti, convocant amicos, qui mox cultro armati in aquas ſe præcipitant, & feram onuſtam puero ſauciant interimuntque, quam aquis emerſam diſſecant, illæſumque fere infantem redimunt, quia ut alias dictum eſt, angues non adeo maſticando vel mordendo quam ſugendo prædam deglutiunt. Hinc facile eſt confirmare, animalia aquatica cum ejuſdem ſpeciei terreſtrium feritate & magnitudine certare.

CAPVT IX.

Iacaré ſive Crocodilus vulgo Cayman, & Teiú ſive Lacerti.

CRocodili in fluviorum, ſtagnorumque latebris degunt, Africanis & Aſiaticis Crocodilis ſimiles, ſed utique minores; raro ſex vel ſeptem pedum longitudinem excedunt. Hominibus natantibus inſidiantur rictu late diducto, acutiſſimiſque dentibus ingentia vulnera inferentes. Quæ vulgaribus remediis coaleſcunt, præſertim

IACARE' ſive CRÓCODILVS.



vero adipe ipſius animantis. Vulnerati pariter & non vulnerati Crocodilos ſummo ſtudio venantur, partim propter virtutem adipis, loco emplaſtri vulneri imponendæ, partim ob ipſorum teſtes, myrothecium redolentes, quos care divendunt. Omaſus quoque hujus *Iacaré* ſiccatus, & in pulverem redactus, contra morbos calculi exhibetur. Ova quæ plus quam viginti vel triginta ſubinde profert, nova Luna contegit arena, veteri vero effodit, edita jam prole. Gallinarum ovorum magnitudinem excedunt, nec ſolum à barbaris, ſed & militibus noſtratibus expetuntur & comeduntur. Idem de ipſa carne ejus albicante dictum volo.

Fr. Ximenes obſervat remedia quæ ex glandulis illius ſub gutture poſitis, atque etiam è ventriculo, præparantur. idem teſtatur, animal hoc, cum alio cibo deſtituitur, devorare

vorare lapillos, eoſque ſæpe in ventriculo illius reperiri ſemi-coctos, quorum pulvis hauſtus ſingulare remedium ſit contra lapides qui in renibus hominum naſcuntur.

Braſilienſis autem Crocodilus Æthiopibus & Noſtratibus *Cayman* vocatur. Capite eſt compreſſo, ſuperius firmiſſima teſta munito. Oris hiatu amplo, qui longe ultra oculos aperiri poteſt; mandibulam ſuperiorem movet, inferior eſt immobilis, (quod nulli animalium, niſi huic conceſſum teſtatur Ariſtot. de Animalibus) utraque autem dentibus acutis, nunc longioribus nunc brevioribus prædita. Linguam habet nullam, ſed tantum membranam, quæ mandibulæ interiori interjacet, & linguæ figuram refert, quam tamen ſuſtollere non poteſt. Oculos habet magnos, rotundos, pupilla nigra. Collum ſuperius & dorſum tuberculis majoribus exornatis ſquamis veſtitur. ultima caudæ medietas, firma pinna ſuperius erecte ſtante, ad finem uſque dotata eſt: qua inter natandum, more piſcium ſe gubernat.

Elegans hoc amphibium à rapina ſatur, exilit è fluvio diebus æſtivis, & ad ripam aperto rictu apricari amat. Quo avicula quædam advolans ſomnolentæ feræ dentes à prædæ reliquiis expurgat eodem fere modo quo Plinius l. 8. c. 25. de Nili Africano *Crocodilo* narrat. Cujus dormiturientis fauces Mus Indicus, Ichneumon dictus, repente intrat ventremque exedit, unde *Crocodilus* mox tantæ deſidiæ pœnas dat crudeli morte. Hi vero Americani *Crocodili*, etiamſi immunes ab illo Ichneumone, non tamen evadunt barbaros ſagaces, qui tunc per inſidias opprimunt belluam ſatietate enervatam.

TEIV'.



IN tanta Lacertorum frequentia, ſilvas ædiumque rudera paſſim oberrante, unus atque alter tantum quoad hactenus conſtat, reperitur venenoſus. Omnes nomen *Teiú* audiunt, & Philanthropi habentur.

Prima venenata *Çarapopeba* tres vel quatuor digitos longa. Figura corporis inſtar vulgarium Lacertorum, quatuor eſt cruribus & pedibus: in anterioribus quinque, in poſterioribus quatuor habens digitos. Corpus totum eſt hepatici coloris cum albis notulis, in cauda autem albis lineolis, hinc inde etiam aliquid flavi mixtum. Oculos habet ſplendentes & quaſi vitreos. Cauda eſt cæteris latiori & breviori. Velociſſime movetur, prædaſque per inſidias venatur. Totus veneno turget, unde morſus illius admodum venenoſus habetur: qui tamen ab aſſumptis & applicatis antidotis infra explicandis reſtituuntur.

AMERIÇI'MA.



SEcunda *Ameriçíma* dicitur: Lacertulus tres digitos longus & pennam olorinam craſſus: crura & pedes cæterorum Lacertorum ſimiles, ſed cauda brevior, & incurvata: ocellos habet nigros, corpus autem fere quadratum videtur. Totum dorſum ſquamulis veſtitur leucopœis, latera, caput & crura fuſcis, cauda vero cæruleis: omnes autem ſplendent, & ad tactum apprime ſunt læves. Digiti in pedibus inſtar ſetarum porcinarum. Admodum venenoſum eſt animalculum. Si devoretur à Fele, ventrem ejus inflat veneno, hoſtemque interimit ſuum. Cupidum eſt exſugendi ſanguinem humanum, proinde in ædibus ſe abſcondit, lucemque fugit: cum è contra cæteri innocui Lacerti perpetui ſint apricatores. Referunt, fœminam ſemel tactam ab hoc Lacerto, vel ſolum indumentum, nunquam poſtea concipere, à me autem nondum compertum, quapropter fides ſit apud incolas.

Plaga ab hiſce noxiis Lacertulis illata, dilutam fœtidamque ſaniem effundit cum tumore livido, cardialgia, torminibus, ac magnis cruciatibus. Peculiare huic malo antidotum nondum eſt inventum. Quapropter hæc aliaque communibus alexipharmacis tam exoticis quam indigenis, exturbanda ſunt.

Quia nunc ſermo incidit de Lacertis, unicum addam de eorum natura in genere, quod

quod cum meo Markgravio obſervavi. Veriſſimum ſcilicet eſſe quod Plinius l. 11. c. 50. teſtatum reliquit, caudas Lacertorum ex parte amputatas renaſci, ſed integre abſciſſas non renaſci, contra Scaligerum. Coire volens mas leni morſu adprehendit fœmellæ cervicem, paulo poſt ad latus ſe inclinat; & fœmina propriam caudam ſurſum levando admittit marem, qui pedibus complectitur corpus ejus à tergo. Ex ovis, quæ utcunque piſi ſunt magnitudinis, fœtus ſponte excluduntur; iis enim leviter tantum terra tectis non incubat, ſed Solis calori ea relinquit.

Illi autem qui *Taraguira* & *Tejunhana* dicti & ubique frequentiſſimi, pedalis ſunt longitudinis, cauda longiſſima: velociſſime nutantes capite quando aliquid vident, celerrimeque currunt: imprimis tum cum vident hominem dormientem, cui Serpens, aut aliud venenatum animal lædendi cauſa appropinquat, illumque expergefaciunt, ne ſaucietur. Ita ut hi non minus philanthropi, quam prædicti illi miſanthropi nomen mereantur. Præterea tanta ſagacitate & pernicitate muſcas, vermes aliaſque prædas venantur, ut nulli animalium fere cedant: abſoluto hoc opere diurno non tamen plane requieſcunt, ſed integras noctes inter ſe, continuo ſtrepitu vocibuſque inconcinnis tranſigunt.

Cæterum antequam finiam Lacertorum hiſtoriam, non prætereundum puto quod in illorum diſſectionibus (grandiorum imprimis, quorum mentio facta in l. 3. de Alimentoſis) comperi; pulmones ſcilicet admodum capaces & magnos iis conceſſos, reſpectu ſuæ conformationis. Quaſi Natura prærogativam voluiſſet concedere hiſce animalculis ad aliquot menſes aliquando à cibo & potu ſeſe abſtinentibus, ut rorem & auram, quibus perpetuo veſci amant, tanto liberius accipere & acceptam recondere poſſent. Eodem fere modo gulam & ventriculum juſto majores aliis rapacibus animalibus in ſuum commodum conceſſos vidi ſæpiſſime.

CAPVT X.

Araneæ magnæ, & parvæ, Nhamdú dictæ.

ARaneis vulgaribus diverſæ figuræ, coloris & magnitudinis telam more noſtratium facientibus, non deſtituta eſt Braſilia; qui ab Indigenis communi nomine *Nhamdú* appellantur. Horum maximam partem prætereo, illoſque tantum exhibeo quibus à natura peculiare quid conceſſum eſt. Inter eos maxime celebris & notatu dignus ex Phalangiorum genere qui *Nhamdu-guaçu*, hoc eſt, Araneus magnus dictus, quia reſpectu cæterorum ſtupendæ eſt molis (forte ejuſdem cujus Plinius meminit in Indiis conſpici magnitudinis Paſſerum) & more avium in ruderibus & veterum arborum concavitatibus nidificat. Corpore eſt biſſecto pilis molliuſculis nigris cooperto, quibus nudatur poſterior corporis pars, quando ſeneſcit, manetque depilis cutis ex albo incarnata, quam integram certis temporibus deponit nova ſubtus generata. Capite caret ſpeciali, ocellos habet ſplendentes, in anteriori corporis parte

NHAMDV' I.



upra os pôſitos, ad cujus latera ex quadam prominentia bini dentes unguiformes ſemidigitum longi ex nigro ſplendentes emergunt, qui auro incluſi pro dentiſcalpiis uſurpantur atque in dentium doloribus à multis in pretio habentur. In medio dorſo verſus anteriora foramen habet umbilicale pilis circumdatum, nullius quod ſciam uſus. Crura illi ſunt decem quinque internodiis diviſa, in extremitate corniculis nigris curvis biſſectis prædita. Inſectum eſt admodum longævum & inediæ patientiſſimum. Memini illa ad aliquot menſes capſulis incluſa à muſcis quibus veſci amant abſtinuiſſe.

Proceſ-

Proceſſus duo juxta ſe poſiti prope anum protuberant, quibus nent & retia capacia conficiunt, licet rarius, eodemque ordine, ut cæteræ omnes Araneæ, ſtamen, tramam, texturam, medium & cubile deſignant; exindeque omnes illas celebres ſapientiæ & aſtutiæ actiones ſolito more exercent, de quibus morales Philoſophi tot prodiderunt. Averſis clunibus copulantur & Venerem abſolvunt. Ova ſub ventre portant. Caute ſunt apprehendendi, ob veneni liquorem, quem primo attactu ſpargunt, qui ſi oculum feriat, totalem viſus ablationem minatur. Pili quoque venenoſi cutem humanam, ſicut Erucæ pili ſolent, vrunt. Irritati venenatum aculeum infigunt, ita tenuem, ut vix conſpici poſſit. Hinc tumor lividus non ſine cruciatu multoque dolore exſurgit. Nonnunquam ratione partis percuſſæ & ſymptomatum ſupervenientium malum adeo exaſperatur, ut incurabile reddatur, omnibuſque remediis applicatis prorſus refragetur. Proinde ratio habenda ut vulnus dilatetur, ſcarificetur, cauteriſetur, ſi pars læſa ſevera hæc remedia non ferat. Cæteris medelis præferetur Cancer *Aratu* præparatus eodem modo ſicut in Capite de piſce *Guamaiacu* dixi. Adeo Cancri marini ac fluviatiles peculiares vires antidotales videntur præ ſe ferre etiam nunc, de quorum utilitate tota erudita olim antiquitas tot prodidit.

NHANDIV II.



ARaneus ſecundus, magnitudine noſtrates longe ſuperat, licet præcedenti multo minor ſit. Corpore eſt biſecto: parte priori eſt piſi ordinarii, poſteriore vero fabæ formis & magnitudine. Corpore toto & cruribus eſt piloſis inſtar holoſerici fuſci detriti, intercurrentibus ſuperius maculis nigris. Ab utroque latere quatuor longis tenuibus præditus cruribus tribus internodiis diviſis. Anterius duos ſemilunatos propedes habet exiguos loco promuſcidis, quibus apprehendit. His ſuccedunt duo denticuli nigri ſplendentes acutiſſimi, more præcedentis magni Aranei. Hi quoque exuvias certo tempore deponunt, dentibus ipſis adhærentibus, ita ut cutis exuta Araneum ipſum repræſentet, nam ſolum inferius finditur, ubi Araneus, nova cute recuperata, exivit. Cæterum coëunt, texuntque, & ova portant, ut major ille, fœtus in orbiculari folle ſub ventre progenerantes: cum in ædibus frequenter reperiantur, multoque veneno turgeant, ſedulo à venenato illo liquore cavendum, cum non multo minora ſymptomata adferat quam prioris magni. Proinde ad eadem remedia refugiendum eſt, quæ ſupra enarrata ſunt.

NHANDIV III.




TErtius Araneus egregii ſplendoris eſt, cui quaſi facies humana ſculpta, & ex argenteo videtur obducta, ſicut ex appoſita figura liquet, quam pro corollario ob elegantem & inuſitatam formam appoſui, quia de peculiari indole, bona vel mala, nihil mihi compertum eſt.

CAPVT XI.

Varia Inſecta noxia, Arumatiá, Iapuruiá, Tataurana, Ambuá, & Scorpio.

REſtat, ut quæ circa cætera noxia Inſecta mihi innotuerunt, perſtringam. Primo occurrunt varia *Arumatiá*, quorum majus hoc homini nocere deprehendi. Septem digitos eſt longum, & fere minimum craſſum, capite obrotundo, ocellis prominulis, duobus corniculis longis ſeu pilis. Crura habet ſex; corpus internodia duode-

ARVMATIA'.



duodecim ; prima junctura eſt capitis & corporis ; mox ſequitur alia, in quam & capitis junctura in duo brachia, quibus & pedum loco utitur, adnexa ſunt;tertia junctura longius ab hac diſtat, habens & duo crura ; quarta itidem par crurum tenet: Corpus denique deſinit in acumen, & habet aculeum, quem quaſi in vaginam recondit. Color ligneus. Tuberculis quoque parvulis corpus ſcatet, præcipue inter brachia & ſecundum par crurum. Si hominem feriat aliquem, tremorem excitat in toto corpore: non facile autem alicui nocet, niſi quis manibus premat aut pedibus. Doloroſus ille tremor ſedatur facile radice *Mangle* parti affectæ applicata, tum quoque inunctione olei fructuum palmæ *Vrucuri* dictæ.

IAPVRVCA' I.



VAriæ quoque Scolopendræ, Braſilianis *Iapurucá*, Luſitanis *çeniopta*, Belgis **Duyſent-been** / dictæ. Inſectum hoc quatuor circiter digitos longum, plurimas habet juncturas, obſcure flavi & in conjunctionibus nigricantis coloris: in quolibet latere viginti pedes: caput compreſſum, latiuſculum, fuſcum: cornicula duo: ſub ore duos dentes inſtar forcipis. Cauda illius eſt furcata, & deſinit in duo quaſi cornua. Admodum frequentes ſunt in ædibus, & valde venenoſæ ſunt beſtiolæ, ſupra enarratis remediis curandæ.

IAPVRVCA' II.



HIs annumeratur & alia Millepedæ ſpecies frequentiſſima, multis ſectionibus nigris & flavis conſtans compreſſis, capitulo parvo cum duobus incurvatis corniculis breviuſculis, cruribus exilibus innumeris.


TATAVRA'NA & AMBVA.



CEntipedes hirſuti duo arcuatim repentes, *Tataurána* & *Ambua* Braſil. *çentopéa* Luſitanis dicti, interque Erucas habiti, ad venenatorum ordinem referuntur. Sicut Scolopendræ ædes; ita hæ ſilvas perreptant, olerumque hortenſium frutices non ſolum, ſed & homines infeſtant. Prior duos digitos longus & majori penna anſerina craſſior, teres ſive cylindricus, nigerrimus capitulo ſplendente nigro & maculas majuſculas albas habens, in lateribus ordine poſitas: pedes octo, ſatis craſſos, ſed breves nigerrimos. Totum corpus pilis duriuſculis eleganter flavis veſtitum eſt, conſtantibus ſubſtantia inſtar ſetarum equinarum.

Altera,

AMBVA'.



ALtera, ut ex figura apparet, obeſiore ſed breviore eſt corpore, eoque miris juncturis diviſo, pilis undiquaque elegantioribus & majoribus, plumarum more copulatis. Si Vermes hi cutem humanam attingant, urunt inſtar ignis. Omnes denique Erucæ uridam vim habent, cutique deglubendæ & veſicis excitandis aptam.

Scorpiones Europæis externa figura ſunt ſimiles, licet non æque noxii, proinde ictus eorum, curatu minus difficiles. Adeo ut hiſce Scorpionibus idem fere attribui poſſit quod Mathiolus de iis qui in Tridentinis regionibus reperiuntur teſtatum reliquit, ſcilicet illorum puncturas leviſſimas eſſe & non lethales.

Quapropter cum horum inſectorum natura, vulnerumque curatio ab Auctoribus paſſim ante me traditæ ſint, nec quicquam ad illuſtrationem ulteriorem occurrat, acquieſcam. Quippe ſolum oleum, quod eorum viventium qualitates abſorbuerit, contra morſus cum ſucceſſu applicatur.

CAPVT XII.

Copueruçú ſive Veſpæ, Marigúi, Nhatiú, Mberóbi ſive Culices, Tunga ſive pedum Vermiculi, & Iatebúcú ſive Ricini.

INfeſtiſſima Veſparum examina in arboribus nidificantia, non armenta ſolum, ſed viatores aufugientes perſequi amant; imo turmis equitum non parcunt irritata. Quibus ob corporis magnitudinem diverſam & coloris diſcrepantiam varia nomina ab Indigenis ſunt impoſita. Omnium maximæ in cavitatibus arborum nidificantes *Copueruçú*, quibus ſuccedunt *Vruperána*, deinde *Aiçáva* nigri & parvi, ut & *Tupeiçava*, nigri quoque & omnium minimi, qui duo poſteriores horrende pungunt præ cæteris. Omnes uno nomine *Mariposas* vel *Maribundas* Hiſpanis appellati.

COPVERVÇV'.



Nidus minorum Veſparum (cujus iconem exhibeo) eſt plus quam majoris ovi oloris magnitudinis & formæ, ſed leviſſimi ponderis. Exterius obductus villoſa, tenui & tenaci materia griſei coloris, qua avulſa apparent tres quatuorve tabulæ parietibus diſtinctæ, ex meris cellulis ro-

tundis egregie fabricatæ, & more parvi apiarii concinnatæ. Quibus reconditum melligineum humorem haud facile quiſquam impune attingit, quia Crabrones vix patiuntur ſe irritarier. Vnde quoque fit, ut de harum coitu, deque materia, ex qua generentur, nondum ſatis perſpectum ſit. Idem ille nidus quem in ramorum extremitatibus fabricant, in medicinam receptus eſt, atque contra frigidos affectus, interne, ſed externe potiſſimum adhibetur, ſicut nidus Hirundinum. Magnitudine inter ſe variant, ſed figura Europæis Veſpis haud diſſimiles ſunt, Crabronibus atque Oeſtris omnibus infenſiores. Eaſque ejuſdem putem generis eſſe, cujus Ariſtoteles meminit non in terra ſed in arboribus nidificantis. Cum nihil ex floribus hauriant ſed animalium carnes tantum petant, facile erit has à Veſpis vulgaribus & Apibus diſcernere, quod hæ carnem fugiant; illæ flores & carnem quoque petant. Noxia hæc inſecta velociſſima, ipſo eodemque momento, quo inſultant, aculeo rigidiſſime faciem petunt, atque mox avolant. Vnde atrociſſimus dolor cum ardore ſummo exſurgit, duratque ad horas, manente rubore & elata cute. Vix ullum ſatis præſens tam immani cruciatui exiſtit remedium conveniens, quod pars eorum balſamis indigenis, atque refrigerante quodam unguento de *Imbaíba*; pars cauteriis potentialibus, calorem extrahendo præſtat.

MARIGVI'.

INter Culices noxios qui maxime familiares, & ab omnibus pariter incolis ob morſum extimeſcuntur, ſunt *Marigui*, *Nhatiu*, & *Mberobi*. Horum quidem *Marigui* omnium crudeliſſime affligunt, ſed adeo exigui, ut tactus ſenſu potius quam viſus percipiantur. More aliorum Culicum gregatim volitant, atque rarius apparent, niſi ſumma exiſtente malacia, idque veſpertino tempore potiſſimum, circa fluviorum ripas inter paludoſas illas arbores *Mangues* dictas, hærent. Novi- & pleni-lunio potiſſimum, raro interlunio vagantur. Merito ab omnibus pariter incolis extimeſcuntur hæc inſecta moleſtiſſima; quippe adeo exercent & lancinant agricolas, ut non ſolum membra eorum nuda, ſed & veſtita morſu doloroſo infeſtent, acuumque mucrones referant. Scapha fluvium lento gradu aſcendentibus mecum Hiſpanis, adeo intumuerat, veſiciſque ac rubore conſperſa erat nobis facies, ut à familiariſſimis ne quidem dignoſceremur amicis. Æthiopes juſſu domini ſui palo affixos, perque integram noctem (mirum ſupplicii genus) relictos, poſtridie, ex meris doloribus & morſuum cruciatibus delirio captos memini.

NHATIV.



SEquitur nunc ſecundum Culicum genus *Nhatiun* præ cæteris quoque moleſtiſſimum, Luſitanis *Moſquito Peſni-longo*, noſtratibus **Lang-been** dictum quod longitudine pedum imprimis præcedentes Culices ſuperat. Monitum tamen volo lectorem hanc effigiem *Nhatiun* ſicut & aliorum minimorum inſectorum ſextuplo eſſe majorem quam beſtiola viva, ac proinde per Megaſcopium eſſe depictam ſine cujus ope impoſſibile erat ſubtiliſſimas conformationes & articulationes noviſſe. Capite eſt parvo, obrotundo, cui duo cirri ab utroque latere oculorum pilis longis ordine decorati, adſtant. Corpore eſt elliptico ex flavo & nigro undato variis ſectionibus diviſo, in extremitate Scorpionum more incurvato, alis duabus magnis, cruribus ſex, tribus internodiis diviſis: Totum inſectum veſtitur pilis ſubtilibus brevibus flaveſcentibus, variegatum maculis undatis, obſcure flavis. In extremitate roſtillo longo tenui ſanguinem exſugit, pungitque acerrime, etiam per linea veſtimenta doloroſum pruritum excitans. Noctu potiſſimum in paluſtribus & maritimis locis gregatim vagatur ſicut præcedens *Marigui*; ſed ab eo differt, quod hic moleſtiam ſimul magnam pariat dormiturientibus tinnula ſua voce; tum quoque non igne aliave re ſe abigi patitur, niſi ſolummodo fumo accenſi fimi bubuli exſiccati.

Tandem tertium genus Culicum reſtat deſcribendum, quod *Mberobi*, dictum diverſæ

eſt

eſt magnitudinis, adeoque profunde pungens, ut aculeum vulneri infixum relinquat, iſque mox corrupta parte læſa tranſmutetur in inſectum huic *Mberobi* ſimile, habens ſex crura, quorum ultimum par longiſſimum. Cornicula duo in capite, alæ quatuor variegatæ. Tota muſca viridis eſt cum aureo mixti, in fronte ſapphirini coloris. Oculi nigri corniculares.

Aliud denique mirum genus vermiculi ex ſubſidentia aquæ pluvialis naſcitur, quod de ſubito depoſitis exuviis alatum prodit, longis pedibus & culicum præcedentium more homines & pecora infeſtat.

Idem faciunt culices *Çaúa*, *Taturána*, *Ietinga*, *Pinu*, *Niguas*, & alii, quos enarrare tædioſum foret.

Peregrinantes noctu ſive per loca littoralia, ſive per illa nemora quo defatigata aura marina vix pertingit, præſentiorem cautelam non amplectuntur, quam ipſum ignem integroſque rogos: tum quoque Balſamum *Copaíba* & *Cabureíba*, quibus membra nuda inungunt. Ante horam unam atque alteram tumores & puncturæ evaneſcere ſolent, modo non nimia frictione vel frigidæ aſperſione irritentur partes læſæ. Dolores apprime ſedantur muccagine Cardu littoralis, tum & arborum *Samouna* & *Imbaíba* ac herbæ *Paiomirioba*, cæteriſque ejuſdem generis ſuccis inſpiſſatis, qui frigida & anodyna qualitate pollent.

Braſiliani parvis Cicindelis ſplendidididiſſimis, non ſolum ad noctis tenebras illuminandas; ſed ad fugandum quoque moleſtiſſimum hoc genus culicum, utuntur. De quarum indole & lumine mox ex profeſſo dicetur.

TVNGA.

MInutiſſimis Inſectis quæ Luſitan. *Bicho*, Braſil. *Tunga* dicuntur, pleræque Regiones Americanæ obnoxiæ ſunt. Sæpe cum pruritu, raro cum dolore, pedum digitorum extremitatibus innaſcuntur. Maximopere infeſtant præ cæteris eos qui nudis pedibus loca arenoſa perambulant; in quibus utpote calidiſſimis vivere amant inviſibiliter, fugiuntque pavimenta lithoſtrata. Initio in cute exteriori aliquandiu latitant. Mox ingenti cum pruritu, præcipue circa plantas pedum, imo & manuum, cutem ſine noxa penetrant, inque ea ſe recondunt. Nihil cum Guineenſibus vermiculis commune habent, qui longi, lati & albicantes, chordarum ſpeciem referunt. Hi vero exigui intuſque paulo profundius occultati & veſicula orbiculata incluſi, nigricantes apparent, eoſque per megaſcopium explorare oportet; ſecus enim ne à lynceo quidem exacte ſatis perſpici poſſunt. Tandem ubi ad juſtam magnitudinem, quod eſt circa triduum vel quatriduum, excreviſſe compertum fuerit, tunc maxime de exciſione cogitandum, quod ſolius aciculæ aut argenteæ cuſpidis beneficio, à Braſiliano aut Æthiope, facillimo negotio fieri conſuevit. Ea ſolum adhibenda cautio, ut vermis folliculo pellucido & rotundo incluſus integer eximatur, antequam ſobolem progeneret innumeram, quæ unguibus icta lendium modo crepitant. Rupto enim ſponte folliculo nova parti vitiatæ exſurgunt ſymptomata; imo vicinas illæſas inficiunt. Et tunc quidem non minus calamitoſi, quam illi in Guinea habentur, adeoque gangrænam ipſam intuliſſe memini, ut pedum digitos amputare non ſemel neceſſe fuerit. Videre mihi contigit in Noſocomio, cutem in calce pedis calloſam, ſub qua innumeri latitabant vermiculi, militibus penitus fuiſſe reſectam. Remedium quo præcautionis gratia Luſitani æque ac Braſiliani inungunt plantas & digitos pedum, eſt mordaciſſimum illud oleum glandium, qui pomis *Acaiu* adnaſcuntur. Quod quidem oleum ſit extractum ex immaturis & crudis glandibus; nam ſi maturuerint, qualitate uſtiva fere caret, nec huic affectui remedium præbet. Lachryma flavæ arboris *Camacarí* dictæ admota eidem malo prodeſt. Quod ipſum quoque gentem nauticam pice navali præſtare videmus, ut & piſcium pinguedine, à cujus fœtore fugantur vel moriuntur.

IATEBVCV'.

IAtebucú Braſil. *κρότων* Græcis nuncupatur, beſtiola fœda; lentis magnitudine, ſubrotunda, plane compreſſa, cute punctulata ſeu tuberculata, cum lurido clypeo triangulari in dorſo. Coloris eſt hepatici, octo cruribus prædita, capite prominente qua-

dratæ figuræ, roſtro longo tereti, quo in quacunque parte corporis ſugendo ſe ingurgitat, ac inſignem ibi excitat pruritum doloroſum, ita ut ex cute vi extracta per aliquot dies eo loci ſanies profluat & vix quindecim dierum ſpatio vulnus licet exiguum reſtituatur. Omni fere anni tempore vigent, & peregrinantes imprimis ſi humi conſideant, vehementer exercent. Poſtquam autem parti alicui adhæſerunt, brevi grandeſcunt turgentque, mox à paucis diebus nimia ſatietate dehiſcunt, ita ut ea Plinius merito inter turpia animalcula appellarit, quorum ſaginæ finis, mors ipſa eſt. Noſter hic *Iatebucu* ſive Ricinus Americanus, licet ejuſdem cum Reduvio generis, ab eo tamen potiſſimum differt, quod ſolo ſanguine vivi animalis delectetur: à cæteris autem Inſectis diſcrepat, quod licet ſanguine affatim repletus, excrementi tamen exitu deſtitutus ſit. Idem quoque in Europa ab aliis ante me obſervatum eſt. Nec prolem gignere, nec ab aliis beſtiolis gigni animadvertere potui. Sed ex putri quodam humore inter herbarum folia naſci crediderim. Vulnuſcula in cute humana ab iis illata, oleis & ſuccis anodynis, atque balſamis nativis ſupra enarratis curantur.

CAPVT XIII.

Andira ſive Veſpertilio, Cupiæ ſive Formicæ, & Memoa ſive Cicindela.

SVnt denique in tota Braſilia, præſertim in ruderibus, ut & in Palmis nuciferis Veſpertiliones majores & minores, hos appellant Braſilii *Andira*, illos vero *Andiraguacu.* Majorum corpora columbas æquant Europæas, vocanturque Veſpertiliones cornuti, præpingues, cinerei coloris, mollibus & longioribus pilis, auribus latis;

ANDIRA.



in ſingulis pedibus habentes quinque digitos, acutis unguibus armatos. Dentes candidi, & ſupra naſum corpuſculum, ejuſdem cum auribus longitudinis, ſatis grande, ex materia qualis illius rictus, flexile ſeu mobile. Alarum magnitudo ſemipedem ſuperat. Miræ ſane conformationis eſt animal (ut verbis Scaligeri utar) bipes, quadrupes, ambulans non pedibus, volans non pennis, videns ſine luce, cæcus in luce, extra lucem luce utitur, in luce luce caret, avis cum dentibus, ſine roſtro, cum mammis, cum lacte, pullos etiam inter volandum gerens. Omne genus animalium appetunt, eorumque ſanguinem exorbent. In præfectura autem *Maranhan* eſt genus quoddam Veſpertilionum, quod de nocte, dormientium hominum pedes veſtibus denudatos adoriuntur: & roſtro vulnerant, humani ſanguinis exſugendi cauſa: morſus tam levis & ſubtilis eſt, ut non perſentiſcant illum vulnerati, antequam lectus ſanguine perfuſus, indicium vulneris faciat: tanta copia ſanguinis à venenato morſu effluit, ut difficulter ſiſti poſſit; adeoque evidens vitæ periculum dormientibus adfert niſi prædictis internis & externis remediis opem ferant. Imprimis autem omnes paſſim Incolæ vulnera hæc curant lotione aquæ marinæ fervidæ, tum quoque cineribus calentibus, vel tandem uſtione, ſi ſanguis non ſiſtatur. Veſpertilionum linguam & cor inter primaria ponunt venena: ſed an guſtata ejuſdem naturæ veneni ſint, cujus Canis rabidi, hydrophobiam inducentis, ſicut graviſſimi autores de eo teſtati ſunt, à me nondum compertum eſt.

Vide Carolum Cluſium Exot. l. v. c. 1. qui ex Oviedo teſtatur, ejuſdem generis Veſper-

ſpertiliones reperiri pingues, quibus aquæ ferventi immerſis & excoriatis Incolæ in Inſula D. Ioannis veſcuntur, quia Paſſeribus non minus albi ſunt, nec minus, ut aſſerunt, boni ſaporis.

FORMICÆ alatæ CVPIA', & non alatæ TAPIIA'I dictæ.

IMmenſa Formicarum agmina, proh dolor, Braſilia, eaque diverſæ ſpeciei producit. ut enim quædam Europæas magnitudine æquant; ita plurimæ triplo iis majores atque omnivoræ ſunt; nam piſces, carnes fruges & fructus (exceptis acidis à quibus ſolis abſtinent) quin & venenata Inſecta, Scorpiones, Scolopendras, Glires, & ſimilia impune depaſcere; mox velociſſime vel avolare vel terram Talparum inſtar fodere & ſubterraneis non parcere Satis, teſtis ſum oculatus. Verum ut merito his Inſectis ſupra narratis & ipſis quoque agricolis formidabiles; ita & illæ viciſſim ſuos extimeſcunt hoſtes, ſcilicet plurimos Serpentes & imprimis quadrupedia illa *Tamendoá* quæ iis perpetuo inſidiantur, integraſque myriades deglutiunt, ut alio loco probavi. De miranda earum indole & œconomia, deque condendis ſemitis & aggeribus cavernoſis, dicere nunc ſuperſedeo, quia in tractatu de Aëre, Aquis & Locis, ſatis ſuperque de iis egi.

Formicæ autem hæ non ſolum magnitudine & colore, ſed ſi per megaſcopium rite examinentur conformatione partium quoque inter ſe differunt: imo earum aliquæ ſpecies, certo tempore alas acquirunt eaſque poſtea rurſus deponunt. Quod à paucis autoribus obſervatum eſſe reperio, neque ipſe Mouffetus ſagaciſſimus Inſectorum indagator, amplam licet dederit Formicarum deſcriptionem, meminiſſe videtur Formicarum volantium. Ex earum cadaveribus Vermiculi naſcuntur, qui mox in alatas Formicas prioribus ſimiles faceſſunt, quaſi illud quod ex alterius corruptione generetur, non diverſum, ſed ſimilem ſubinde vultum contraheret. Inter alatas quibuſdam *Cupiá* nomen à Braſilianis inditum. Muſcis ſunt æquales, corpore biſecto tenuiſſimoque ligamento copulato. Alis quatuor tenuibus & tranſparentibus, quarum poſteriores duæ minores anterioribus, aliquæ ſpadicei, aliquæ obſcure flavi ſunt coloris. Ocellis parvis, nigris, capite fere triangulari, cui duo gracilia cornicula longa impoſita, forcipeſque duo exerti pro dentibus. In anteriore corporis ſectione quæ piſi eſt figuræ & magnitudinis, ſex apparent crura tribus articulationibus conſtantia. Poſterior ſectio corporis major eſt anteriore, quam multi in cibum præparant & comedunt. Totum Inſectum minutulis pilis brunnis cooperitur. Alia præterea datur grandis ſpecies *Tama-ioura* dicta digiti articulum adæquans. Quarum etiam clunes diſſecantur & friguntur pro bono alimento.

Formicæ autem *Tapiiái* alis deſtitutæ, aliquæ prægrandes, corpore tripartito, atro, ſplendente. cætera corporis membra præcedentium Formicarum fere ſimilia, exceptis oculis qui multo majores ſunt, quippe totum caput nihil aliud apparet, quam duo oculi magni ſibi invicem appoſiti.

Atque hæc de grandioribus Formicis tantum breviter dicta velim, quarum noxias vel proficuas qualitates noviſſe conducit. Inter quas illæ quæ *Taioques* dictæ peſſime mordent.

Morſus earum ruborem, tumorem, pruritum, deinde acrem dolorem & ardorem inferunt. Qui emplaſtro ex ipſis Formicis præparato, partique dolenti applicato, ſanantur, ita ut hæ Formicæ more Scorpionum ſuis morſibus pariter medelam cum malo afferant. Sed ne quis opinetur hæc animalcula (infeſta licet adeo humano generi) nullis malis internis opem ferre. Præterquam enim, quod veſca ſint toſta, ut ſupra monui; tum quoque æque feliciter urinæ difficultatibus ſuccurrunt ſi aſſumantur, ac de Aſellis ſeu Millepedis Europæis obſervatum eſt. Ita ut ex Murmecia, diverſa remedia reſultent, quæ non ſolum ab his barbaris, ſed ab erudita antiquitate admodum celebrata ſunt.

MEMOA'.

MEmoa Latinis Cicindela, Noſtratibus **Ligt-mugge**. Quoniam multi de nobili hoc Inſecto multa miranda teſtati ſunt, ego pauca tantum notatu digna de Cicindela ſive Noctiluca inſerenda putavi. An Veneris faſtidium adferant ſi aſſumantur, hic à nemine hactenus compertum eſt: ſicut Rhaſis, Albertus, Benedictus, aliique de ſuis Cicindelis teſtati ſunt. Veteres Græci ac Latini à noviciis autoribus diſcrepant non ſolum circa eorum nomina, generationem & conformationem; ſed imprimis circa naturam atque ſitum tanti luminis. Ego miſſis variarum opinio-

num ſalebris, quibus multa ſuperſtitioſa videntur intercurrere, aperiam quid mihi de Braſilienſi noſtra conſtet.

Beſtiola hæc exigua, granum cucumeris æquans, nigricantis eſt coloris, corpore oblongo in duas partes æquales ſecto. Capitulo admodum exiguo, in quo globuli nigri apparent Gagatis ſplendore, qui oculorum vicem ſupplent. Ori aſtant quatuor tenacula, & duo barbæ pili. Crura habet ſex piloſa, ſingula tribus internodiis diſtincta. Alas duas, ſub quibus verſus caudam in utroque latere macula apparet magnitudine ſeminis papaveris, rotunda, alba, ſplendens; ex quibus lumen emittit, imprimis noctu, facitque pro lubitu has maculas thalaſſini coloris ſplendidiſſimi. Poſt hos ignis focos corniculum eſt exiguum flaveſcens, vergens verſus poſteriora, quod vix niſi Megaſcopii beneficio conſpicitur.

Albæ maculæ ſupra enarratæ inter volandum tam mirabili ſplendore fulgent, ut quaſi ſcintillæ igneæ per aërem volitare videantur: ad illud Politiani,

Inde opus integrant, donec ſub nocte coruſcent,
Flammigeræ parvæ ſtellanti luce volucres.

Ita ut mihi non tantum peregrinanti illud lumen, ſed & militibus primo illius inſuetis, terrorem injecerit, metu hoſtis inſidioſi cum ignitis fomitibus poſt carecta latitantis: cum tamen idem lumen mox aſſuefactis ſolatio fuerit nobis in deſertis noctu errantibus, quod lucernarum vicem ſuppleverit, adeoque, lunæ & ſtellarum ſplendore jam per imbres & nubes ablato, harum tamen fulgorem ne Cimmeria quidem caligo diminuerit, imo auxerit. Adde quod multæ vivæ ſimul collectæ legendi copiam præbuerint, ita tamen ut lux illa paulo poſt cum ſpiritu vitali evanuerit. Quod idem in theatro ſuo Inſectorum Eruditiſſimus Mouffetus aliique non vanæ fidei teſtati ſunt. Ita ut non videam quid ſibi velint Cardanus, Albertus, Mizaldus de perpetua illa luce quam hic ad ravim uſque contendunt dari. Imo varias compoſitiones venditantes, perennem lucem exinde quaſi lunam de cœlo in varios uſus humanos promittere auſi ſunt.

An vero medicamenta quoque idonea more Cantharidum ex iis parentur, ut quidam ſcripſerunt, à me nondum compertum fateor.

Porro cum liqueat naturam non ſolum ſed ſitum quoque hujus decantati luminis variare tam in Europæis, quam Ex-europæis Cicindelis, meo quidem judicio nemo propius accedit ad ea quorum αὐτόπτης fui in Braſilia quam Plinius, dicens fulgorem igni ſimilem alarum compreſſu tegi, ſecumque lumen habere & noctem. Quamvis enim, ut ſupra monui, à lateribus utrimque juxta clunes fulgor ille exeat inter volandum; illum tamen niſi hiantibus & elatis alis non rite emicare multoties mecum viderunt multi.

Quantum vero ad generationem hujus Inſecti, condonandum mihi ſi in ea titubem etiam cum doctioribus. Quod haud adeo facile eſt diſcernere ea quæ perpetuo velo metamorphoſeos involuta ſunt. E rore quidem non ipſam vitam, ut quibuſdam de Cicindelis Europæis placuit, ſed vitæ ſuſtentaculum nanciſcuntur. Ego primo admonitus experientia incomparabilis noſtri ſeculi philoſophi Scaligeri, eas copulatas volantes, & ſedentes, in coitu repperi, diuque in eo hærere comperi, quibus dein ſolutis, infinita apparuere ova, quæ cito vel intra diem vivificata abierunt. quo ſpectat illud Ariſtotelis de generatione Inſectorum: Συμπλέκεται μὲν πολὺν χρόνον· διαλυθὲν δὲ τίκτει ταχέως. Mox veſtigia ſecutus Brueri & Mouffeti, ea, ut ſupra monui, ex ovis excluſa obſervavi. Atque tandem comperi, ſecundum conſuetum naturæ ordinem animalcula ex iis prodiiſſe, Erucas ſcilicet minores, nigricantes, piloſas, ex quibus Cicindelas primo non volantes, ex iis autem rurſus in Chryſalidem mutatas, volucres ortum duxiſſe.

Toto anno in hoc Americæ tractu, non vero ſtatis ſementis & meſſis temporibus, ut in Europa, vagantur, atque noctu imprimis eſcam ex floribus venantur.

Plura equidem reſtarent referenda de hoc animalculo: ſed quia id vix unius eſt hominis ex profeſſo talia tractantis, veniam merebor, ſi inſtitutum proſequar, ac cætera ſedulæ poſteritati ulterius indaganda relinquam.


C A-

CAPVT XIV.

Nari-Nari, Aieréba, Iabebireté, Niqui, Mouçicú, & Amoreatim.

PRæter tot planos Piſces cartilagineos dantur Paſtinacæ marinæ, Torpedinum, & Raiarum ſpecies, læves, cæruleæ, ſine ſquamis vel aculeis in toto corpore, præterquam in caudæ principio, ubi duo breves non ſerrati, ſed ad ſagittæ figuram formati apparent, ac proinde hi Piſces à noſtratibus merito **Pijlſtaert**; à Braſilianis

NARI-NARI.




Nari-Nari appellantur. Non procul à littoribus degunt, veſcuntur Piſcibus, quibus ex occulto inſidiantur, radiumque iis infigunt, quo ablato edules ſunt, ſicut multis illis terreſtribus & marinis belluis contingit, quæ ictu vel morſu tantum venenum infundunt. Pars vulnerata infeſtiſſimo dolore, aliquando & paralyſi miſere afficitur. An aculeus etiam mortua Paſtinaca vires ſuas ſervet, atque non ſolum in animantes, ſed & in ſaxa & herbas, exſerat eas, ſicut Oppianus, Ælianus, & alii teſtantur de Europæa Paſtinaca, ego nondum comperi. Dolores ſedantur optima illa radice *Mangue* aſſata, eodemque modo, ſicut in ictu Piſcis *Niquí* dictum eſt. Dein dilatato vulneri ejuſdem Piſcis jecur, & teli ipſius cineres cum ſucceſſu applicantur. Ita ut hic quoque Piſcis veneni ſui antipharmacum in ſe habere videatur.

De Braſilienſi Torpedine, ejuſque malo, vix ad horam unam atque alteram durabili, quia cum Europæa in pleriſque convenit, iiſdemque remediis & eodem modo curatur, particulatim nunc agere ſupervacuum duco.

Ex tanta Raiarum familia, duas tantum adducam ictibus venenatis celebres. Cæterum figura & alimentoſa qualitate differentes, ut in libro de alimentoſis piſcibus probavi. Quippe prior hæc *Aieréba* ex cibis rejicitur. Poſterior *Iabebireté* probatiſſimæ eſt carnis; utræque tamen ſibi pares malignitate radiorum circa caudam hærentium. *Aieréba* itaque haud vulgaris quidem eſt conſormationis, rotundus plane, atque in ſuperiori ſuperficie punctulis acuminatis variegatur, ibique duo foramina habet ſatis

 ampla,


AIERÉBA.



ampla. Prope caudæ exortum orbicularis inciſura eſt in quolibet latere: cauda teres, longa, & circiter in medio ſui, duas oſſeas ſpinas craſſas retro dentatas habet, quibus pungit, quando ad ſpiracula apprehenditur, caudam incurvatam ſupra corpus levando. Os inferius habet, haud amplum, edentulum. Cute tegitur in ſuperiori corpore ferrei coloris, & in medio dorſo inſignitur tuberculis nigris parvis: inferius corpus totum album.

Harum Raiarum puncturæ admodum malignæ, exquiſitoſque dolores viginti quatuor horarum adferunt, quos præter radicem arboris *Mangue*, oleum imprimis fructuum Palmæ *Vrucurí* mirabiliter mitigat, ſicut in capite Palmarum notavi. Alterutrum enim horum remediorum unguenti vel cataplaſmatis forma ſauciatæ parti applicitum, ſanat, abſque ullo remedio interno.

IABEBIRETÉ.



I*Abebireté* vero, cauda eſt longiſſima quam irritatus in gyros contorquet, ut piſcatorem telis ſuis ad caudæ exortum prominentibus facilius feriat. Vulnus iiſdem remediis curatur ut ſupra, addito tamen ipſius piſcis hepate.

NIQVI.




NOxiis piſcibus annumerantur quoque uterque illi, qui *Niqui* dicuntur Braſilienſibus. Aculeis in capite & dorſo præditi ſunt admodum noxiis, quibus irritati, tanta vehementia pungunt, ut dolor non ſolum intenſus inde exoriatur, ſed membrum paralyticum pro tempore maneat, præſertim ſi telum (quod aliquando fit) in parte vulnerata relinquatur. Capite eſt craſſo ſquamoſo, ore patulo, edentulo, branchiis am-

plis,

plis. Oculis exertis Cancrorum more, ante exortum pinnæ dorſalis, quæ ad caudam continuatur, duobus fortibus aculeis armatus. Tegitur cute ex nigro griſea. Cauda tenuis & parva. Vulneratis præſentiſſimo remedio eſt, dilatatio vulneris, applicata mox radice *Mangue* aſſata & contuſa. Vnde quidem dolores in inſtanti exacerbantur, ſed mox ceſſant.


NIQVI' II.



ALtera *Niquí*, præcedenti quo ad figuram & magnitudinem diſſimillima, à noſtratibus abuſive, ob puncturas credo **Pieterman** appellatur. Capite eſt craſſo, ore Ranæ amplo, edentulo & craſſa lingua. Anterior corporis medietas eſt paulo latior, poſterior anguſta & teres: Ocelli ipſi parvi cylindracei. Branchias, pinnas & caudam in ambitu quaſi circinatas habet. Ante exortum pinnæ dorſalis duos aculeos fortes & ſupra poſtbranchialem utramque, unum acutum quibus atrocia vulnera incaute tangenti infert. Per totum dorſum, caput & latera, punctula nigra, magnitudine ſeminis papaveris, diſperſa. Edulis eſt piſcis ſi fel bene ſeparetur, alias lethalis ut *Guamaiacú*. Notatu dignum quod fella quantum intus aſſumta, noxia; ita extus applicata non raro venenatis puncturis medelæ exiſtunt.

INter ea animalia quæ viva nocent & mortua proſunt, non ſolum Raiæ & Torpedines exiſtunt ſed illi imprimis piſciculi qui vulgo *Bagres* vocantur, de quorum carne alimentoſa ſuo loco egi. Nunc ex ordine eſt de venenatis ejus ictibus quiddam premonere, ut ſibi quiſque caveat, quia haud facile quis illos impune laceſſit: mox etiam edocere conſtitui, quomodo ſauciatus de promptiſſimis ſibi provideat remediis; quæ quidem varia à variis incolis ſuppeditantur, nullum tamen eorum tutius eligendum quam ipſius lædentis jecur, quod vulneri applicatum mox immanes dolores ſedat.

VRVTV'.



Miſſis cæteris quinque piſcibus *Bagres*, ſextum huc ſolum adduco *Vrutú* dictum tanquam primarium hoſtem, utpote qui præ cæteris *Bagris* horridioribus & eminentioribus ſpinis dupliciter ſerratis, eſt armatus, quarum altera dorſalis, altera ſubbranchialis, utraque ſolida & oſſea, quas pro lubitu erigit, & in rima recondit, iiſque adeo pungit incaute tangentem, tantumque infert ardorem & inflammationem, ut vulneratus ſubinde animo deficiat. Proinde miſſis generalibus illis remediis antidotalibus, ad duo ſequentia potiſſimum recurrendum eſt. Succus recens herbæ ubique obviæ *Caaçica* dictæ cum cremore *Tipiocæ* intus aſſumptus ad muniendum cor & reſtaurandos ſpiritus accenſos aptiſſimus eſt: extus jecur vel crudum vel cum oleo pauliſper frixum puncturæ applicatum, mox quaſi per ſimilitudinem ſubſtantiæ, ut vocant, venenum extrahit. Accedit tertium remedium, quod ligaturis herbæ *Iaçape* abſolvitur, membrum ſcilicet muniendo, ne altius ſerpat malum.

CVm inter marina Zoophyta ſponte provenientia, Holothuria, Stellas & Pulmones Ariſtoteles, Plinius, aliique recentiores repoſuerint, ac fruticis potius quam animalium naturæ participare teſtentur; ego, corpus hoc maris pellucidum *Mouçicú* Bullis marinis aſcriberem; licet externa figura & internis proprietatibus, ab iis hinc inde diſcrepet. Illud enim quod exhibeo (etiamſi non adeo exacte ejus pictura exprimi potuit) altera extremitate elevatius, altera depreſſius eſt. Cæteræ omnes par-

Movçicv.



tes externæ & internæ indiſcretæ, nec ulla in ambitu apertura. In littore ejectum ſponte in ſe concidit, ſtrepitumque edit ſi ſvi conteratur. In mari vero inflatum pulchre rubro colore & purpureis maculis ſplendet, aquis ſupernatat ac inſtar bullæ figura variat, multo flatu & liquore turgens. In ſaxorum rimis deliteſcit aliquando & inter algas, unde per maris impetus hinc inde fertur. Si multa ſimul ad littora appareant, non minus pro tempeſtatis ſigno habentur, quam Pulmo marinus de quo Plin. l. 18. c. 35. teſtatur. Adeo denique *Mouçicú* urendi qualitates cum Holothuriis & Stellis communes habet, ut ſi qui nudis pedibus littora obambulent, Bullamque hanc venenatam minus provide conculcent, ingenti ardore afficiuntur, qui plantas non ſolum pedum calloſas ſed & totius corporis cutem in momento magno cruciatu infeſtat. Ad horas aliquot durat malum, invito quovis remedio refrigerante & anodyno, ad quod confugiunt ſæpe fruſtra. ego felicius cauſticis & calidis ad extrahendum ardorem uſus ſum, applicato mordaci illo oleo caſtaneæ de *Acaiu* diſſoluto in ſpiritu vini, imprimis autem Cancro *Aguarauçá* dicto, ſi recens applicetur.

Amoreatim.

A*Moreatim* Ranæ piſcatrici ſimilis, multis aculeis aſpera, abſcondit ſe ad littus ſub arena, pedeſque ſupergradientium crudeliter vulnerat, & aliquando cum præſenti vitæ diſcrimine niſi cauterio ſubveniatur. Idem de *Caramurú*, Anguibus marinis ſimilibus, decem aut duodecim palmos longis, & pinguibus, dictum volo, quia morſus illorum quoque ſunt admodum venenati.

His quoque addi debet Solearum minorum ſpecies, Luſitanis *Peize Sola* dicta, non edulis. Quæ mira ſane efficacia non ſolum manum vel leviſſimo attactu, ſed & pedem licet optime calceati piſcatoris incaute piſciculum conterentis, paralyſi & ſtupore afficit, inſtar Torpedinis Europææ, ſed minus durabili.

CAPVT XV.

Venena intus aſſumta, Cururú ſive Bufo, Variæ ſpecies Piſcis Guamaiacu, & Piraqué.

HActenus de Natura Serpentem eorumque animantium, quæ morſu vel ictu virento hominibus inſidiantur & toxico ſuo nocent. Quibus calidas & humidas haſce regiones abundare haud mirum eſt, quod pauca agricolarum induſtria excultæ, nec vi frigoris à venenatis & noxiis animantibus repurgatæ, eæ in immenſum multiplicentur. Proinde haud aſſentiendum mihi videtur Cardano dicenti, Serpentes non multiplicari ultra metam quandam, quia ſunt homini peſtiferi. Nunc ad illa venena quæ intra corpus aſſumuntur deſcendamus. Quæ quidem diverſorum ſunt generum, nempe venenata tantum, & tota ſubſtantia aliena à natura, ac proinde nihil alimentoſi in ſe continentia ut quædam Mineralia, vel quædam manifeſta qualitate nocentia, quædam vero licet occulte vim inferentia aliqua tantum parte id efficientia ut plantæ & animalia. Omnibus his ſua remediorum genera, manifeſtæ vel

occultæ


occultæ qualitatis oppoſita ſunt, quæ licet diverſa, tamen in curandi modo conveniunt. Nam cujuſcunque generis venena ore percepta, ſi in prima adhuc corporis regione hæreant, per vomitum potiſſimum & clyſteres exturbare convenit: ſin in corporis receſſus abierint, circumferentiam verſus trahuntur. Proinde ſomnus qua poſſibile, arcendus quoque. Interim cor adverſus hoſtem admiſſum muniri debet, etiamſi vera & infallibilia ſigna veneni intus aſſumti non compareant. Non enim æque manifeſte hic atque in morſu vel ictu Serpentum morbi cauſa ſe profert, ſed fere latet, quia qui venena ſubminiſtrant, variis technis dolum non ſolum tegunt, ſed execrandis artibus novas quotidie mixturas comminiſcuntur, ſegnia venena exaltando, ſicut, proh dolor, apud Veteres quoque in uſu fuiſſe legimus, applicando activa paſſivis, & qualitatibus aut addendo, aut demendo, ut longo tempore poſt, ſigna illa & ſymptomata ulla vix ſe prodant. Nec enim (ut fieri ſolet iis qui forte improvide ſimplex aliquod venenum hauſerint) ſemper animi & virium defectus, cordis anguſtia, vertigo, vomitus, torvus aſpectus, aliaque ſimilia ſubſequuntur, ſicut quoque Galenus docet cap. VI. de locis affectis evenire. Quid? quod ſubinde vix ulla primis menſibus triſtitia aut leviſſimum ægritudinis indicium in illis notetur. Donec tandem longo temporis intervallo, ungues & corporis extrema livere incipiant. Aliquando nihil niſi poſt mortem exterius apparet prorſus, atque unum vel alterum viſcus corruptum ac tabidum per anatomen ſeſe offert. Cur, & quantum venena lateant, docet Thom. à Vega Com. in loc. Affect. Theophraſt. l. IX. Imprimis Galen. de ſimpl. med. atque alii multi doctiſſimi Medicophiloſophi. Adeo ut facile conſtet ratio, cur hoſtis ille infenſus in corpore humano nec vincat nec vincatur, ſed deliteſcat aliquandiu, donec oportuno tempore & loco ſeſe exerat paulatim, ſicut ſeminale principium ſpontaneo ortu viventium. Vtinam Barbarorum nequitia numquam excogitaſſet tam pernicioſos horum venenorum abuſus, minorique ſolertia præparare noviſſent, ut ocius vel tardius operarentur! Nam licet ob majorem vel minorem ſubjecti reſiſtentiam, ea arte concinnare illa neſciant, ut ſtata hora interimant: tamen ut experientia potius quam ratione conſtat, ignaviorem eſſe Cicutæ ac Opii operationem, quam Arſenici aut Sublimati: ita venena illi habent vel ſimplicia vel compoſita, quæ exhibita & admota, ad menſes aliquot ſepulta manebunt, antequam ſuas facultates exerant. Vnde liquet, venena haud una eademque ratione operari, neque recta ad cor ſemper ferri, ſed eam partem maxime occupare, cum qua occulte inimicitiam exercent: Cum alias, teſte Avicenna oporteret omnia venena eſſe frigida & ſicca. Nam ſicut Solanum & Hyoſcyamus; ita quoque fel piſciculi *Guamaiacú* cum capite antipathiam habet. Fungi & ſuccus *Manipuera* nervos infeſtant, ſpaſmos convulſioneſque mortiferas inducunt.

Supplicium quidam Barbari venefici ſubituri, mihi obnixe roganti; ut me horum arcanorum, priuſquam è vita diſcederent, participem facerent, inviti pauciora quædam revelarunt, faſſique ſunt, impune non ſolum ſe hæc & ſimilia veneficia exercere; ſed & regium eſſe laudemque mereri inter ſuos, ingenii ſolertia excellere, novaſque veneni miſcelas excogitaſſe. Illi namque ſagittas, veſtes, cibos, & fructus creſcentes, aquam & integros fluvios inficiunt, ut tardius & pedetentim, non ſtatim homines extinguant. Ita ut rite collatis, animalium brutorum, cum ſceleratorum hominum noxis in perniciem humani generis tendentibus, vix me contineam quin cum Plinio doleam; præparare ſe quidem animalia ad nocendum, ſed nullum tamen eorum tela ſua excepto homine, venenis tingere? Nos & ſagittas inungimus, & ferro ipſi nocentius aliquid addimus! Nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa. Ipſum quoque, quo vivitur, aërem in perniciem vertimus, nec ab ullo præter hominem, veneno pugnatum alieno. Ita ut merito in hominis inhumanitatem declamandi eſſet occaſio, quia neque à malis boni tam queunt eſſe tuti, quam omnes homines ab omnibus ſerpentibus, quos in nos irruentes vel declinare vel interficere facilius, quam à venefico impoſtore ſibi cavere.

Sic fellis Bufonis *Cururú*, & Vermiculorum ex venenato ſucco *Manipuera* pronatorum, herbarum denique *Tangaracá*, *Iuquiry*, fructuum *Ahovai* & *Mucuná*, aliarumque multarum vires artificioſe & variis modis ab illis intenduntur ac retunduntur. Ita ut in his ac ſimilibus venenis, ad innatam abditamque eorum vim, occulta quædam mixtura accedat, ac proinde curationis aliquando ſit exſors. Quapropter ipſo Veneno, quo noxa eſt illata, incognito, partim ad communia antidota, paſſim à Veteribus autoribus

ribus prodita, partim ad propria illa nativa, ab incolis primis celebrata, confugiendum. Multa ſane ad hanc doctrinam facientia deſiderantur, ac fortaſſe ſemper deſiderabuntur, invito ſedulo ac indefeſſo occulta remedia inveſtigandi ſtudio, adverſus tot abditas & tam malignas rerum qualitates, calamitoſo generi humano infeſtas. Si vero contingat, ſigna venenorum calidorum & frigidorum, tum & obſtruentium, ſuffocantium atque erodentium in ægris apparere, ſingulis ſtatim qualitatibus ſua opponenda eſſe remedia contraria nemo ignorat. Minus tamen conſultum ſolis illis fidere; quia licet manifeſtarum qualitatum ſymptomata multa graviora videntur, aliis latentibus, occulta tamen magis exitialia adeoque pluris facienda ſunt.

CVRVRV'.



INter venena quæ deleteria potiſſimum vi pollent eſt bufo *Cururú*, Braſilianis, Luſitanis *Çápo*; ab utraque parte excreſcentias capitis habet, inſtar magnarum verrucarum, buccam inferiorem remiſſius movet terræ immunditie nutritur, eſt inſignis & tumens, duploque Europæo major, cineritii vel ſpadicei coloris, nimium notus, ac quovis modo vel mictu & ſaliva exterius, vel intus, longe quidem pejus, ſanguine, adipe, imprimis felle aſſumto, inficit. Hos perditiſſimi Incolæ aliique eorum æmuli torrefactos in pulverem redigunt, & lethalia inde pocula conficiunt, eaque vel minima quantitate clam propinant. Hinc faucium ſtatim & gutturis inflammationes, ſiccitates, anhelitus, fœtores, ſingultus, vomitus, dyſenteriæ, animi deliquia, oculorum caligines, convulſiones, deliria, ac pallores. Si remedio locus, corpus ſtatim per ſuperiora & inferiora evacuant & liberant à reliquiis veneni, exercitio, balneo, ægro in furnum calentem vel animal diſciſſum impoſito. Generalia alexipharmaca, compoſita, per dies aliquot, juxta & *Tipióca*, tum radices nativas antidotales ex vino propinant. Præ cæteris vero herba *Nhambí*, quæ prærogativam à benigna natura videtur accepiſſe tam magno malo adverſam, exhibenda. Nam etiamſi Bufo hic tam pernicioſo turgeat veneno, non tamen ita invincibile eſt, ut ſuo contrario non cedat. Quippe cineres Tabaci, vel etiam ſolus ſuccus *Nhambí* expreſſus & capiti vel dorſo Bufonis (præſertim prius in terram fricato) inſtillatus, illum dicto citius interimit. Sceleſtiſſimi inter Barbaros, hujus Bufonis ſub Sole ſuſpenſi bilem & ſpumam colligunt, eamque inter ſecretiora venena quæ lente occidunt, reſervant.

Ranæ quoque dantur variæ, terreſtres, & paludoſæ, in arboribus quoque viventes, partim edules, partim, ſicut in Europa, non edules. Quod etiam Plinius lib. XXXII. cap. V. de quibuſdam Ranis teſtatur. Idem de mira linguæ conformatione obſervavi, cujus Philoſophus in Aſia meminit; quod neque ut piſces eam totam cohærentem, neque ut ſerpentes totam ſolutam habeant.

Illa quæ *Cotorá* à Braſilianis nuncupatur, intus aſſumta, veneno eſt, quod ſupradictis remediis facile expellitur: forinſecus vero applicata & ex arte linimenti vel emplaſtri forma præparata, doloribus articulorum & membrorum ex frigore natis, medetur. Huc ſpectat illud Galeni quod l. de compoſ. medicamentor. de Rubetis teſtatum reliquit. Multi alii dantur Bufones & Ranæ, quibus ſuperſedeo, cum nihil in iis animadvertere potui, quod ad rem noſtram faciat, exceptis tamen illis quæ *Giia* Braſilianis dictæ, carnoſæ, grandes, dorſo nigricante, ventre albicante, quarum caro albicans bene ſapit, imo diætam ægrorum imprimis Tabidorum ingreditur, quod boni ſit nutrimenti & facilis digeſtionis.

Minime prætereundum volui, quod de eorum generatione mihi conſtat. Contingit enim ſubinde tempore imbrido, comitante ſuffocativo tepore Veris, corruptionem accelerante,


celerante, ex unaquaque gutta aquæ craſſæ, in momento quaſi generari Buſones, plus minus avellanæ magnitudinis, tot myriades ſimul, ut ſolum univerſum lateat ſub iis. Indigenæ *Cucuruy'* appellant. Nec differunt ullo modo à cæteris Ranis vel Buſonibus ex coitu utriuſque ſexus natis. Plinius & Ariſtoteles aliique circa cauſas & modos generationis variant. Sed cum nunquam hujus ſubitæ generationis modum à quoquam ſupra tecta ædium vel loca lithoſtrota viſum autumem: hic quoque eas non niſi ubi magna eſt copia pulveris terræ gleboſæ ab imbribus imprægnati, generari conſtat.

CAPVT XVI.

Variæ ſpecies Guamaiacú venenatæ, cum Antidoto Aratú.

INter tam immenſas fluviorum & marium beſtias nantes Americanas, quædam in totum edules, quædam parte aliqua vel externa, vel interna venenatæ habentur. Quod ut in aliis animantibus, ita in Serpentibus & quibuſdam Piſcibus evenit. Sicut enim Draco marinus in Europa, & *Vrutú* in America ſolis ſpinis, Paſtinaca ſolo radio, Iulides ſolo morſu venenum infundunt, aliis partibus ſine pernicie edulibus: ita imprimis in his Piſcibus *Guamaiacú* videre eſt, qui non minus externa facie, quam interna qualitate ſunt admirabiles. Cæteris autem ejuſdem ſpeciei præeminet familiariſſima Rana piſcatrix, Braſil. *Guamaiacú-atínga*, Luſitanis *Pexe Coelgo*, Belgis **Zee-Egel** / omnibus merito Sufflator dicitur, quod mirum in modum ab aquis extractus ronchum quendam edat & ad orbis figuram ſe inflet, atque in momento intumeſcat ac detumeſcat. Ego inter Orbes quoque numeraverim licet corpore appareat procero. Rictu eſt late diducto, Ranæ ſimili, ore edentulo, ſed intus loco dentium duritie undiquaque obſito. Oculis itidem maximis rotundis valde protuberantibus, cum circulis flaveſcentibus: Branchiis deſtituitur, quarum vices ab utroque latere foramen ſupplet ſatis amplum. Cute eſt gryſea ex fuſco maculata valde dura præſertim capitis, ubi teſtacea evadit, totque horridis ſpinis oſſeis ex albo flaveſcentibus undiquaque ſcatet, ut haud facile impune manibus tractetur, excepto infimo ventre, qui ſpinis non ſolum, ſed omni duritie deſtituitur. Pinnæ ſunt parvæ, numero quatuor, duæ poſt branchiales, duæ verſus caudam oblongiores. Iuxta primas, maculæ inſignes rotundæ, nigerrimæ, hinc inde diverſæ magnitudinis ſparſæ conſpiciuntur.

GVAMAIACV'-ATI'NGA.



Hujus Orbis ſexum maſculum à fœmineo facile eſt diſcernere, quod ille mole quidem minor, carne probatior, hæc major quidem, ſed carne magis flaccida. Ventriculus in mare eſt ſatis capax, cum multis appendicibus & vaſis gaſtricis. Inteſtina, ob inſuetam hanc piſcis figuram, in gyros compoſita more animalium terreſtrium; quod rariſſime in piſcibus obſervavi. Meſenterii glandulæ lacteo humore refertæ. hepar ordinariæ magnitudinis & coloris, veſica renibus quaſi annexa, juxta mentulam cavitas apparet in lactes deſinens. Cor juxta mediaſtinum & branchias ſitum. Multum expetitur, & pro epulis, maximo interdum vitæ diſcrimine, ab imperita plebe apponitur, ſi folliculo fellis non probe liberetur. Intra horæ namque ſpatium, ejus particula vel ciceris magnitudine aſſumta, tam horrenda ſymptomata infert, ut mox caligent oculi, mens vacillet, lingua tardeſcat, membrorum tremor, ſudorque frigidus ſubſequatur, facultates omnes reſolvantur & ſileant, moxque veneno extinguantur. Sed benigna mater natura, præſens ac facile remedium huic calamitati oppoſuit. Cum prædicti enim Orbes *Guamaiacú* juxta fluviorum oſtia, ubi paludes & ſtagnantia loca ſingulis æſtibus inundantur, ſedem figant, iiſdem quoque locis plurima Cancrorum genera vivunt & arbuſta habitant paludoſa. Quos inter non ita magni reperiuntur, quadratæ figuræ, in arborum truncis latitantes, ut Oſtreis & Mytilis inſidientur. Qui multiplici ac varie-


ARATV'.



variegato colore, albo, rubro, violaceo, chelis æqualibus armati, crura pilis nigricantibus habent veſtita. Hos *Aratú* appellant Braſiliani. Ex his unus contuſus, & ex vino citra moram, aſſumto veneno (nam ante horas quinque vel ſex lethum ſæpe infert) propinatus, per vomitum virus exturbat, qualitateque occulta malo validiſſimo reſiſtit. Præmiſſis ſpecialibus, communia quoque præſidia ſuperius tradita non negligenda, ut ſunt *Tipióca de Mandihóca*, radices *Iaborandí*, *Ipepacuánha*, *Caiapiá*, *Vrucú*, aliaque ſimilia remedia quæ neceſſitas excogitavit.

Nec forte natura differt hic Cancer Braſilienſis ab illo, de quo Galenus in libro ſimplicium contra Pelopem præceptorem ſuum contendit, Cancrum rabioſis conferre, occulta, non manifeſta qualitate. Plinius lib. IX. cap. 31. eos Serpentum ictibus mederi dicit. Et imprimis illud lib. V. cap. 32. Cancri fluviatiles triti potique ex aqua recentes, contra omnia venena proſunt. Morſis vero à cane rabido, item Phalangio, Scorpio, aliiſque venenatis, prodeſſe etiam apud Ariſtotelem legere eſt lib. IX. cap. V. Dioſcoridem lib. II. cap. 12. & Galenum lib. IX. de ſimplicium medicamentorum facultatibus; Aëtium lib. VI. cap. 24. Æginetam lib. V. cap. 3.

GVAMAIACV'-GVARA.



ALius datur *Guamaiacú-guara* dictus, priori multum ſimilis. Luſitanis *Peixe Porco* & *Diabe*. Orbis eſt ſpecies, & muricatus Orbis Geſneri dici poteſt, quia aculei ipſius referunt murices. Corpore eſt magis rotundo quam præcedens *Guamaiacu*. Squamarum loco, tegitur cute, ex fuſco viridis & albeſcentis coloris, intermixtis maculis nigris. Totum corpus, excepto ventre, adeo aculeis acutis horret indiſcretæ magnitudinis, ut intractabile ſit, ſinguli tribus inſertionibus, quaſi triquetris, cuti infixi. Oculis eſt magnis admodum, prominentibus, quorum circuli circumdati quoque aculis ſatis acutis. Ore exiguo, edentulo, rotundo. More aliorum Orbium ſe inflare & in momento conſidere facit. Stridorem per os edit inconcinnum. Quatuor habet pinnas. Si quis inflationem deſiderat, pinnam dorſalem vellicare oportet. Noxam fere eandem infert fel illius, ut præcedentis, ſed multo remiſſius; ac proinde facile eiſdem remediis ut ſupra curatur, Viſcera porro ejuſdem naturæ & conformationis cum præcedentis inveni; adeo ut vix inter ſe diſcrepent.

GVAMAIACV-APE'.




TErtius denique, *Guamaiacú-apé* Braſilienſibus, ejuſdem quidem generis, non tamen orbicularis, ſed potius triangularis, à ſquamis quoque ut cæteri nudus, verum quaſi

quaſi ſcutiferus & loricatus. Duo ſunt diverſæ ſpeciei ejuſdem nominis, quorum alter cornutus, hic noſter cornibus deſtitutus. Per totum corpus excepto ventre ſexangularibus figuris inſignitus, cum innumeris exiguis tuberculis. Colore eſt ex flavo cinereo, in gibbum arcuato. Ore exiguo in utraque mandibula dentato. Oculis amplis. Pinnas habet quinque haud magnas, præter has ſexta eſt, quæ caudam facit validam, ſatis longam & late diductam.

Ab ingentibus piſcibus rapinis aliquando devoratur, & integer adhuc ex eorum ventriculo eximitur, poſtquam hoſtes ſuos à quibus deglutitus fuerit, ſuis aculeis interfecerit. Tantæ denique eſt malignitatis caro, ut ſi immediate à coctione comedatur, mentem turbet, ebriiſque & phreneticis ſimiles eos efficiat. Quod omnibus ſimul illam prandentibus contigiſſe memini, & vix poſt quatriduum ſumptis alexipharmacis ſupra enarratis convaluerunt. Simile quid obſervavit domeſticus meus in piſce *Guamaiacu*, qui ab alio piſce antea deglutitus fuerat. Sin vero coctus per integram noctem ſervetur, tuto apponitur, ſed paucæ eſt carnis atque intus fere cavus, ſolam ſpinam habens ſecundum longitudinem, cui per membranas inteſtina adhærent.

PIRAQUE'.



PIraqué ejuſdem fere eſt efficaciæ ut *Guamaiacú* præcedens, Luſitanis improprie *Peixe-viola* dictus. totus piſcis eſt cartilagineus, non ſquamatus ſed mollis, latus non craſſus. Caret branchiis. Recens tranſparens fere eſt luci obverſus. Caput etiam noctu lucet, deſinens in coni figuram. Vtrique oculo poſterius fiſtula appoſita eſt, per quam aquam evomit. Sub oculis autem in inferiori corporis parte, os habet edentulum cum quinque inciſuris utriuſque lateris inſtar Raiarum & Tiburonum. coloris eſt in ventre incarnati cum albo mixti. in dorſo fuſcis maculis, cum punctis ex albo cæruleſcentibus variegatur.

Caro ejus non eſt veſca, ſed ſi per dolum aut inſcitiam comedatur, infatuat per aliquot dies. Attactus, mediante licet baculo oblongo, crepitum articulorum cauſat, qui tamen brevi ceſſat; & ſi in medio tangatur, artuum tremorem efficit. Capitur menſibus pluviis in fluviis in comitatu Raiarum & Paſtinacarum, cum quarum puncturis ex parte convenit, atque eodem modo curatur, ſicut videre eſt in tractatu de venenatis Raiis.

CAPUT XVII.

Diverſæ ſpecies Tangaracæ venenatæ, Caaeo ſive Herbæ caſtæ duæ, & Manipuera ſive Succus Mandiocæ.

LVſitani omnes has herbas *Tangaracá*, ab indigenis æque ac advenis deteſtabiles habitas, uno nomine *Ervas do Ratto*, merito appellant; quod facultate ſingulari deleteria polleant, & homines æque ac beſtias interimant. Tres earum ſpecies mihi innotuerunt in triviis nimis obviæ: quæ licet floribus & fructibus inter ſe differant; ligno tamen, foliis, natali ſolo, & qualitate virulenta conveniunt.

Prima, quæ omnium maxime noxia, frutex eſt ligno lento, cui ramuli ſibi oppoſiti, atque his denuo duo vel tria ſemper ſibi oppoſita adnaſcuntur folia oblonga, primo læte, mox dilute viridia, eminentibus nervis & coſtis conſpicua. In ſummitati-

TANGARACA' I.



bus ramorum tenues pediculi oblongi, crocei coloris enaſcuntur, unde ſpicæ, ex multis floribus longis umbellatim poſitis conſtantes emanant. Quem fructum producat, nondum mihi datum fuit obſervare. Flores non ſolum & folia, ſed oculi imprimis erumpentes, ſummo turgent veneno, qui recentes, vel exſiccati, per incuriam, vel per dolum guſtati, præſentiſſimo ſunt veneno. Radix vero mox exhibita, tutum apud Incolas habetur antidotum.

TANGARACA' II.





SEcunda paulo excelſior frutex, ramulis& foliis binis ſibi directe oppoſitis, primæ *Tangaracæ* non diſſimilis quodad figuram, ſed cortice magis cinereo, foliis ſuperne ſature viridibus ubi adoleverint, inferne caneſcentibus, quaſi leni hirſutie præditis. In ramorum ſummitatibus flores primo aurei coloris ſtellares, mox ex brunno purpuraſcentes. Folia eorum exteriora, interioribus multo majora & expanſa. Medium ſeu totum ſpatium florum, more holoſerici eſt plenum, conſtans foliolis parvis, primo læte, mox triſte purpureis, inſtar florum Scabioſæ peregrinæ. Ex horum medio prodit bacca Rubo ſilveſtri haud diſſimilis, cærulea, quaſi gemma Turcois flori eſſet impoſita, quæ ſumma venenoſitate inter omnes *Tangaracas* primatum facile tenet. Proinde florem qua erat magnitudine, ſeparatim apponi juſſi, ut ex hac icone liquet.

Tertia

TANGARACA' III.



TErtia eſt planta fruticeſcens, radice craſſa, foliis, nunc alternatim, nunc ſibi directe oppoſitis, cæterum craſſioribus & rotundioribus quam priores *Tangaracæ.* In extremitatibus ramorum pediculi longi, ex quibus floſculi umbellati producuntur; primo albicantes, mox aureo colore niteſcentes. Vnde advenæ ignari gratoque illecti colore, temeritatis ſuæ nimis magnas pœnas aliquando dederunt, modo eos olfecerint & tractarint.

An plures dentur *Tangaracá*, mihi nondum conſtitit. In harum trium foliis, floribus, & ſeminibus, tam alte poſita eſt deleteria vis, licet gradu differat, ut vel ex leviſſimo eorum guſtu corpus intumeſcat, mens turbetur, oculi incipiant caligare, vertigines, animique deliquia oboriantur, denique mors ipſa ſequatur, niſi quantocius præſentiſſimo remedio obviam eatur. Reliquis Antidotis merito præferuntur radices illæ decantatæ *Ipecacuanha* & *Caapia*, quod cum antidotali efficacia, ſimul emetica vi polleant, ut ſuo loco probavi; his ſuccedunt radices *Iaborandi* & *Iambu.* Aliqui exercitatiores rutiſſimum exiſtimant, ipſi radici *Tangaracæ* ſe fidere, quam miro ac felici cum ſucceſſu indiſcreta quantitate exhibent. Quaſi benigna mater natura facultatem non minus ſalutiferam quam mortiferam eidem plantæ indidiſſet. Condonandum facile Barbaris Empiricis, ſi non certæ doſi medicamentorum, imprimis vero Alexipharmacorum, nitantur: tutius enim multo judicant, exceſſu quam defectu peccare, ne forte antidoti inopia à veneni copia vincatur, ſicut aliquando ſe obſervaſſe mihi teſtati ſunt.

EXimiæ illæ herbæ Caſtæ ſive Mimoſæ à Cluſio, aliiſque Exoticorum conſultis deſcriptæ, quarum figuram & faciem quoque ego cum D. Markgravio meo in hiſtoria naturali prolixe explicavimus, ſed à nemine adhuc, quod ſciam, earum qualitates bonæ vel malæ explicatæ.

CAAEO I.



CAAEO II.



Primo quidem, folia in pulverem redacta, & exigua quantitate aliquoties exhibita, clam exitium hominibus inferunt, pecoribus alimentalia exiſtunt. Idque præſertim de prima ſpecie dictum volo.

Secundo, radices earum non minus tutum præſtant Antidotum, quam folia pernicioſo turgent veneno, ſi multum & ſæpe in uſum adhibeantur, ut liceat dicere vulneratis:

—— Qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

Providi

Providi autem eſt Medici in hoc & ſimili caſu, præter ſpecifica ad generalia quoque confugere alexipharmaca, ſive exotica, ſive domeſtica. Præſertim ad omnia illa ſupra in eodem capite ſub titulo veneni *Tangaracá* enarrata, & ſub titulo *Manipueræ* mox explicanda. Tum, quod ſcelerati homines hæc & ſimilia venena, varie componant & clam cibis immiſceant; tum quod ſubinde in principio vix quicquam evidenter ac ſignis præviis appareat, ſed ſenſim vitam depopuletur. Quippe non ſolum pro ſubjecti reſiſtentia, ſed veneni quoque miſcela & quantitate, tardius vel citius vitam depaſcitur hæc herba, ut cachectici, anheloſi, triſtes incedant, donec tandem vita defungantur. Memini enim ſceleratiſſimos veneficos, tantillum pulveris foliorum exſiccatorum, fiſtulæ clam Peto inditum ſimul ſociis propinaſſe, nullamque exinde longo temporis ſpatio noxam eos perſentiiſſe: nihilominus tamen, nullo licet accedente evidenti effectu, tandem emaciatos mortem obiiſſe.

MANIPVERA ſive ſuccus MANDIHOCÆ.



CVm in tractatu de *Mandihocæ* radicis vi alimentoſa ſpecifice, atque ex profeſſo; de medica vero & venenoſa qualitate egerim tantum tranſitorie & in genere, ordo nunc poſtulat, non intactum reliquiſſe venenum tam familiare ne dicam domeſticum, *Manipueram*, id eſt, ſuccum altilis & familiariſſimæ noſtræ radicis *Mandihoca*, qui potatus vehementer inflat corpus, ventriculum afficit dolore, cum ructu, nauſea & Teneſmo: hinc mox oculi obfuſcantur, vertigines, perpetuique dolores capitis accedunt, tandemque extremorum frigus, animi deliquium, & ipſa mors ſuccedit. Quapropter famulis hanc radicem præparantibus, ne à noxiis vaporibus inficiantur, flores *Nhambí* & radices *Vrucú* eſculentis & potulentis admiſcere neceſſe eſt, ad muniendum cor, & ventriculum. Sed diabolici venefici tam præſenti veneno non contenti, ex ſucco hoc, ſtudio reſervato uſque ad totalem ejus putredinem, altiorem corruptionis gradum ex vermiculis inde pronaſcentibus (qui *Tapurú* ipſis dicuntur) quærunt, iiſque in pulverem redactis, hominibus pro libitu inſidiantur, ita ut, exigua licet quantitate, vitam certiſſime & citiſſime adimat, ſi ſimplex exhibeatur; ſi vero compoſitum & viribus imminutis, (quod potiſſimum pulvere herbæ *Caapeba* & *Nhambí* fieri ſolet) longo poſt tempore, ne nefanda ſcelera in publicum prodeant, miſere interimat. Multa quidem remedia contra hoc malum excogitata, omnium tamen præſtantiſſima ſunt, quæ ipſo ſtatim principio morbi, per vomitoria inſtituuntur. Horum *Ipecacuanha* & *Caiapiá* facile præcipua ſunt, quod alexiteria & vomitiva vi ſimul polleant. Clyſteres veneno frigido reſiſtentes, ac flatus tetros diſcutientes, mox ſuccedant, eoſque *Tipióca* & radix *Iaborandí* imprimis ingrediatur, quorum antidotalis vis alte poſita eſt à Natura. Poſthæc præter Diaſcordium & Theriacam, malum per ſudores & urinas educentia, familiaria præſidia ſunt, radices de *Capiipuba*, *Aguaxima*, *Cacapomonga*,

pomonga, Nhambi, Iaçapé, Iurupeba, Vrucú, Caapéba. Adhæc radix, & præſertim ſuccus fructus *Ananas*, largiter & crebro hauſtus, cum tantillo ſucci Limonum recentium. Notatu dignum, quod ſuccus *Manipuera* adeo venenoſus eſt, ut, ſi crudus aſſumatur, ſtatim enecet; ſi vero percoquatur, nutritivus fiat, quum tamen omnium venenorum, tam frigidorum quam calidorum, innata potentia à calore in actum producta, celerius atque validius cor petat. Sed ratio eſt, quod ſicut ipſa radix *Mandihoca* diverſis & contrariis gaudet qualitatibus: ita liquor ejus partibus plurimum inter ſe diverſis conſtat: quarum prior ſubtilis & vaporoſa, atque veneni illius compos, ebullitione exhalat: altera craſſa, dulcis & naturæ noſtræ amica remanet.

CAPVT XVIII.

Araticu-paná, Mucuna-guaçu & miri, Aboay, & Carapucu ſive Fungi.

ACtum agerem, ſi penſiculatim denuo Arboris *Araticu-paná* partes deſcriberem; cum illius figura & creſcendi modus in tractatu de ſimplicibus ſatis ſuperque graphice depicta ſit. Quamobrem pauca, eaque veriſſima, utpote longo uſu comprobata, de Fructu ſolo addenda putavi, ne huic tractatui de venenis quicquam deeſſet. Cum enim magna advenarum multitudo, rerum novitate allecta, fructus quoque omnes *Araticú* legere amat, cumque iis qui *Araticuponhe* dicti, his *Araticu-paná* ſine delectu promiſcue veſci cogitent, peſſime ſanitati conſulunt, dum ſeſe iis ingurgitando, nimio frigore calorem naturalem opprimunt, unde eadem ventris ſymptomata excitantur, quæ venena, manifeſto & occulto frigore efficacia, movere ſolent. Quamobrem cum nihil ulterius de hoc fructu dicendum reſtat, quod in præcedentibus ſit intactum, iiſdemque remediis ejus malignitati ſuccurratur, quibus Fungorum & *Manipuera* inoxæ qualitates expugnantur, lectorem eo remitto, atque ad alia tranſeo.

FRVCTVS ARATICV-PANA'.



CVm ad examen revocarem eximias has & undiquaque luxuriantes herbas & arbores fabiferas *Mucuná* dictas, dubitavi, noxiarumne eas an proficuarum plantarum catalogo aſcriberem, quum illarum lobi utriuſque qualitatis participent: attamen cum

cum mihi aliiſque rei medicæ peritis plus inde mali quam boni hactenus redundarit, Venenatis inſerere malui.

MVCVNA'-GVAÇV.



Hæc itaque *Mucunà-guaçu* in tanta piſorum fabarumque ſilveſtrium varietate, cæteris pulchritudine & magnitudine facile præcellit. Creſcit ex arbore quæ ejuſdem eſt nominis. Faba autem hæc nigra pelle lapidis fere duritiei, pilis flavis molliter eſt veſtita, manum longa, & tres digitos lata. Vi effracta, pulcherrimi globuli, interſtitiis diviſi, exinde prodeunt, tres quatuorve, punicei & rubri coloris, rotundi, læves, magno hilo, qui, ſi in aqua macerentur, vim noxiam ex parte deponunt, & cum *Tipioca de Mandihoca* præparati Barbaris edules fiunt. Ita ut venenata eorum qualitas, non uſque adeo alte poſita à natura videatur, quin retundi ſe patiatur à correctorio convenienti. Quippe cum interior fabæ ſubſtantia acris ſit & mordicans, viſcera vellicet, & uſque adeo corpus turbet, ut vomitus violentus & alvus moveatur; refrigerans & demulcens alimentum hoc medicamentoſum ex *Tipioca* factum, cæteris Antidotis præferri ſolet.

MVCVNA'.



SEcunda *Mucunà* præcedenti longe inferior, forma & figura imbellis apparet. Interioris ſubſtantiæ qualitates cum præcedenti *Mucunà* convenire perhibent, ſed mihi incompertæ, non autem exteriores. Quippe nobis per teſqua vi viam facientibus loborum ſetæ pungentes faciem & manus uſque adeo inficiebant, ut ardentiſſimas puſtulas excitarent, quæ vel optimis ſuccis anodynis & refrigerantibus, ultra octiduum adhibitis, vix cedebant. Caule craſſo, ſarmentoſo, admodum


lento

lento & tenaci, altiſſimarum arborum ramis ſe implicat. Tria ubique folia in unoquoque pediculo oppoſita habet, quæ eminentibus ſunt nervis, cæterum ſaturate ſuperius virent, inferius albicant, & ſubtiliſſima lanugine ad tactum ſericum æquant. In pediculis ſuperioribus plurimi flavi pentaphylli inodori proveniunt flores juxta ſe poſiti, figura ſiliquarum Piſi apertarum. Eminet in medio ſtamen fiſtuloſum pallidum, ſuperius multipliciter diviſum in fila, quorum quodlibet apicem habet fuſcum.

Flores ſequuntur ſiliquæ, longæ, exterius ex ruſo rugoſæ, quæ non ſolum adhærent, ſed & pungunt, cum doloroſo pruritu; ſiliquæ maturæ exterius nigreſcunt & ſponte diſſiliunt: interior earum ſuperficies eſt inſtar matris perlarum, alba, ſplendida: in qualibet continentur ut plurimum tres phaſeoli orbiculares, compreſſi, coloris luridi, cum ſemilunari macula nigra in uno latere.

AHOÁY.





DVplex datur *Ahoay* arbor; altera *Ahoay-guaçu*, ſive major, altera *Ahoay-miri*, ſeu minor, dicta. Propter arboris non ſolum, ſed & fructuum quoque magnitudinem, differunt. Quippe hæc poſterior vix nucem avellanam, cui multum ſimilis eſt, adæquat: illa plus quam caſtaneæ magnitudre pinis nucesprofert, ut apparet ex triangulari hoc fructu in arboendenti. In diſſitis tantum nemoribus utraque hæc reperitur. Folia habet ternos vel quaternos digitos longa, duos lata, Mali noſtratis non abſimilia, toto anno virentia. Cortice candicante. Ramus amputatus ſuccum emittit album & quaſi lacteum, adeoque teter tunc ſpargitur odor ligni, ut ne igni quidem ſtruendo idoneum habeatur, ac proinde à Barbaris numquam ad pyras ſuas uſurpatum videtur. Vtriuſque arboris fructus monſtrare, toties negarunt Barbari,

Barbari, præ metu ne aliquando in illos hæc cuderetur faba. Cum enim præſentius venenum, quam nucleus prædicti fructus, ab illis nondum ſit inventum, id ſecretum ſibi ſervandum arbitrantur, ut tuto veneficia ſua diabolica exerceant. Nucleos enim illi in pulverem redactos, variis dolis & technis præparant, & clam ciborum obſoniis vel Nicotianæ immiſcent, ut ocius vel tardius vires exerceant. Scrupuli enim plus minuſve quantitas ore aſſumta, graviora facile ſymptomata, quam ab aliis ullis venenis illata, inducit. Quibus ſpecificum antidotum ad hæc uſque tempora nondum eſt inventum; quamobrem mortem quantocius adfert, ſi generalia & communia alexipharmaca nihil proſint. Horum fructuum putamina, duriſſima ſunt & tinnula, quare ab illis tintinnabulorum vice uſurpantur, & brachiis pedibuſque circa talos in ſaltationibus potiſſimum circumdantur ornatus gratia.

Carapucý ſive Fungi.



Novem Fungorum ſpecies diverſis nominibus ſunt diſtinctæ, ſicut alibi traditum eſt, quos omnes generali nomine *Carapucú* nominant. Horum quoque in hoc Americæ tractu, ſicut in Europa, alii venenati, qui confracti, varii ſunt coloris, lividi & cæſii, ex ſterquiliniis lignoque putrido protuberantes; alii edules, ac copia tantum nocere dicuntur. Forte quod in pratis prima æſtate naſcantur, ad illud Horatii:

—— Pratenſibus optima fungis
Natura eſt, aliis male creditur. ——

Hinc, puto, iſti ſales Iuvenalis & Martialis, alludentes ad Boletos ſive Fungos illos qui temere manduntur. Equidem, ſi me audias, cavendum ſedulo, ab omnibus quoviſcunque modo hic natis Fungis. Ob regionis enim temperiem calidam & humidam, noctium quoque frigus & vapores venenatos, tot denique venenata & inſidioſa Inſecta, minus tuti judicari debent, quam in aliis regionibus, ubi uſque adeo divitum moroſo palato arrident, ut eos in mortis diſcrimen ſæpius adducant. Quæ enim voluptas tanta ancipitis cibi; cum ne merentur quidem inter ruſticas dapes recenſeri; Etiamſi vel Athenæi, vel ipſius Apitii apparatu exhibeantur? Inter illos, pejores qui ſunt, ſingultum excitant, inteſtina exulcerant, corpori ac faciei inducunt pallorem, urinam remorantur, arterias intercipiunt: ad hæc frigus, tremorem, ſudorem frigidum, mortem denique afferunt. Præter communia alexipharmaca calidiora, eximium & præſens Natura produxit Antidotum, nimirum ſuccos herbæ *Nhambú*, & radicum *Iaborandi*, de quibus ſuo loco, qui ſudores & urinas cunctantes provocant, & calorem nativum ſuffocatum à frigido malignoque vapore vindicant: imo deſperatos revocant à letho, ſi ſtatim à ſumto veneno, ſuccus illarum ex hauſtu vini exhibeatur.

CAPVT XIX.

Nhambú, Caapiá, Caaçica ſive Herba Colubrina, Iaborandí, & Caapéba ſive Convolvulus Colubrinus.

Non actum videbor egiſſe, ſi Herbas quaſdam, antea in l. 4 Simplicium deſcriptas, huc denuo adduxero, cum nunc ordo poſtulet, proprietates earum ſpecificas & antidotales; non vero primas & ſecundas illas manifeſtas qualitates tractare. Has inter nobilis herba *Nhambú*, primatum facile tenet. Quæ quidem ſe exſerit non ſolita aliqua ſenſuali per vomitum vel ſudores vel urinas operatione, ſed occulta quadam efficacia; quippe, præter calidam & aromaticam vim, quam ſatis intenſo gradu continet, venena frigida intus aſſumta, & *Araticu-paná*, *Mucuná*, fungos, & ſuc-

NHAMBV'.



& ſuccos *Mandihocæ* venenatos, & ſimilia retundit; præ cæteris autem adeo contrariatur veneno Bufonis, ut non ſolum fellis aſſumti vim deleteriam vincat; ſed ipſos Bufones vivos pulvere vel ſucco ejus aſperſos, enecet in inſtanti. Quapropter non tantum ii qui ſuſpicantur, ſe venenum aliquod hauſiſſe, ſibi hac Panacea provident, ſed ad eam quoque tanquam ad ſacram anchoram confugiunt illi qui veneficia clandeſtina alicujus inimici extimeſcunt, eaque vel ſola in pulte quæ *Carima* dicitur, vel acetariis mixta, ſæpe multumque utuntur. Ita ut, ſi quoquam Alexipharmaco ſe præſervare & munire poſſe autument, huic antidoto paſſim ſe fidant, contra obvia quævis venena, vel arte per inſidias parata.

DVæ herbæ Antidotales nomen *Ipecacuánha* ſibi vendicant, quarum prior, ob evidentem vim emeticam, ut præcedenti Libro prolixe docui: poſterior vero hæc quæ

Caapiá

Caapiá vulgò nomen audit, ob alexiterias virtutes magis celebris, proinde quod qualecumque venenum aſſumtum, antequam ex ventriculo & primis viis ad penetralia corporis permeaverit, per vomitum benignè ejiciat, ſi duæ circiter drachmæ ex liquore convenienti maceratæ propinentur: mox ſecundum ejus infuſum, vel ſolum vel cum radice *Iaborandi* mixtum ſuperadditur, non quidem ad vomitum, ſed ad urinas & ſudores concitandos. Ita ut in hac nobiliſſima planta diverſæ qualitates ſe prodant, utræque quidem veneno exturbando dicatæ, ſed ita tamen, ut hæ poſteriores altius poſitæ, tum demum ſe videantur manifeſtare, cum emeticæ facultates poſt primam præparationem & macerationem evanuerint.

CAAPIA'.



CAAÇICA ſive Herba COLVBRINA.




TErtia antidotalis planta, quæ *Caaçica* dicitur, adeo indigenis ac advenis accepta, ut providi peregrinatores ſe vix ſilvis committant, quin inſignem hanc herbam, vel ejus ſuccum expreſſum circumferant, non adeo quidem contra omnis generis venena, quam quidem Serpentum qualiacunque vulnera inflicta, tum applicandum, tum aſſumendum. Vnde non immerito *Erva de Cobras* nomen vulgo audit. Memini, Æthiopes ab *Ibiboboca* Serpente miſere ſauciatos, vix quicquam ex alio remedio levaminis ſentiiſſe, quam ex largiori hauſtu propinati liquoris, nullo alio accedente medicamine. Succus ejus eſt lacteſcens guſtuque acris & ingratus, nulla manifeſta operatione veneni victor evadit, ſed ſpecifica & occulta vi in inſtanti dolores ſedat & virus obtundit; imprimis ſi eadem herba contuſa, & cataplaſmatis modo præparata, vulneri ſimul applicetur.

IABORANDI.



IN tractatu Simplicium quatuor ſpecies radicum *Iaborandí*, earum que uſum medicum, quem compertum habeo, expoſui; hoc autem loco primam tantum ſpeciem utpote efficaciſſimam & maxime uſualem, atque obviam, tractandam ſuſcepi, licet cæteræ quoque dignitatibus alexiteriis non deſtitutæ ſint. Hæc itaque, non, ut cæteræ, fruticeſcens, ad duarum palmarum altitudinem erigitur; primo guſtu aromatica, & acris pyretri æmula, mox ſubtiliſſime fauces & pectus pervadit, adeoque contra malignos humores & flatus ſe exerit, ut venena, licet à multo tempore jam aſſumta, à corde repellat verſus ſuperficiem corporis, ſeroſoſque imprimis humores per ſudores & urinas copioſe ejiciat, unde ſpiritus vitales à terris fuliginibus liberati refocillantur. Atque hæc omnia cum feliciori ſucceſſu inſtituuntur contra venena frigida, ut ſunt Fungi, & ſuccus ille venenatus radicis *Mandihocæ*, & ſi quæ ſunt alia ejuſdem farinæ venena ſupra enarrata.

CAAPE'BA, ſive Convolvulus COLVBRINVS.



SI ulli plantæ appropriatum nomen, huic ſane ſarmentoſæ Clematiti Luſitani indiderunt, eam *Çipó de Cobras* ſive Convolvulum colubrinum, ab inſigni efficacia antidotali Serpentibus inimica, nominantes. Radix æque ac folia in Medicina celebratiſſima; eo tamen diſcrimine, ut radices, imprimis illæ quæ jam plane adoleverunt, humoribus ſeroſis movendis, & calculis frangendis dicatæ; quæ vero primo natæ frondes & ſarmenta, morſibus Serpentum medeantur, ſi ſemel atque iterum eorum ſuccus, recenter expreſſus indiſcreta quantitate propinetur, atque ſimul extus applicetur. Nulla interim ſubſequente manifeſta evacuatione, neque per vomitum, neque per ſu dores, neque per aliam aliquam viam, quantum aſſequi potui.

Licet autem ab Anguium aliorumque Reptilium & Inſectorum venenatorum ictibus & morſibus tantum curandis videatur bene au dire hujus Convolvuli ſuccus, qui amaro ſapore caloris prædominium, quod ad manifeſtas qualitates, præ ſe fert; venenis tamen ſupra enarratis frigidis, quoque contrariari comperi, teſtantibus id mecum exercitatiſſimis Empiricis.

CAPVT XX.

Limonia Malus Americana, Antidotalis.

ANtequam Vegetabilibus Antidotalibus, in hac Americæ parte familiaribus, finem imponam, ex re fore putavi, Mali Limoniæ uſus Medicos peculiares, ejuſque in Indiis neceſſitates edocuiſſe. Cum ſupra in tractatu de Morbis Endemiis vulgatiores utilitates Citreorum, Limoniorum, & Arantiorum (quæ communi nomine, propter vires & dignitates ſibi admodum ſimiles, Mala Medica recte dixerunt autores) in commodum medentium & delicias ægrotantium perſtrinxerim; nunc occultiores & minus obviæ quoque qualitates, quouſque ab Empiricis Indigenis, atque propria experientia mihi innotuerunt, exponendæ reſtant. Vt enim rudior antiquitas, ſpreta corticum & ſeminum amaritudine medullæque acore, frondes, flores, & fructus, tantummodo ad oculorum & narium delicias olim aſſervarunt, mox edoctiores, mediante ſedula cultura & mitiori terræ genio, pro eſculentis medicamentoſis eos uſurparunt. Tandem benefica Medicarum Malorum vis & multiplex utilitas paulatim ope eruditæ induſtriæ compertior, quotidianoque experimento per ſeculorum gradus proficiente, virtus contra venenum efficax primum in Africa & Ægypto detecta, mox in Europa atque Indiarum quoque Regionibus confirmata fuit, teſtantibus id paſſim præter me veteribus ac neotericis exoticorum fruticum ſcriptoribus.

Licet vero pleraque ex hoc novo Orbe huc allegata, experientia potius quam auctoritate aliorum niti velim, tamen non pœnitebit, unum atque alterum ex multis allegaſſe in laudes Limonum. quibus confirmatur, eos ante cibum deguſtatos, à putredine ac venenis ipſis præſervare, atque ſubinde ab aſſumto veneno vindicare. Athenæus ætate ſua in Ægypto eorum vim compertam ſic narrat. Sumptum Citreum ante cibum quemlibet, (ſive is humidus ſit, ſive ſiccus) venenis omnibus reſiſtere ex cive meo didici, cui fuerat Ægypti adminiſtratio demandata. Quoſdam hic facinoroſos homines Alexandrino more ad Serpentum morſus damnaverat. Illis ad locum ſicariorum ſupplicio deſtinatum procedentibus, muliercula quædam cauponis uxor in ipſa via, quod in manibus forte habebat, admordebatque, Malum Citreum, miſerata porrexit. Pomo illi commanducato, ingentibus ac ſæviſſimis Anguibus objecti, citra noxam venenatos ictus excepere. Attonitus rei novitate judex, ab eo, qui cuſtodiebat, milite quæſivit, an antidotum aliquod prægustaſſent? à quo certior factus, abſque dolo malo Citreum illis fuiſſe datum; juſſit, poſtridie alteri tantum dari: deinde utrumque Anguibus objici. Ex quo factum eſt, ut Citreo paſtus, ſoſpes evaſerit; alter illico expirarit. Exinde crebra experimenta fidem fecere certiſſimam, venenis Citrea & Limonia omnibus adverſari. Accedit quod pomi ejuſdem ſingula membra ſalubri temperie ſic invicem diſcrepant, ut varios conſanare morbos poſſint, & contra ipſa venena in unam coaleſcere Medicinam. Quos uſus Plinius compendioſe & ingenioſe exprimit, Citrea, contra venena in vino bibuntur, vel ipſa, vel ſemen. Virgilius quoque, Homerum imitatus, luculentis verſibus per longam periphraſin eorum dotes exprimit:

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis Mali, quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba;
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbor, faciemque ſimillima Lauro,
Et, ſi non alium late jactaret odorem,
Laurus erat, folia haud ullis labentia ventis.
Flos apprima tenax, animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Extra inſtituti limites eſſet, me autorum diſcrepantibus opinionibus involvere, circa diverſas partium qualitates in hac arbore ejuſque fructu contentarum; folia enim, flores, medulla, ſemen, & cortex fructuum ac radices in medicinam receptæ, frequentiſſimi uſus exiſtunt, atque licet gradu dignitatis, tum & primis ſecundiſque qualitatibus inter

ter ſe diſcrepent; tamen ſemen & medulla inter omnes arboris partes, quod ad qualitates ſpecificas & alexipharmacas, primatum obtinent. Imo peritiſſimi nonnulli Indiarum Orientalium & Occidentalium medicaſtri, præter vulgares illas toti Orbi celebratiſſimas Limonum & Citreorum vires, quas quoque perpetuo commendabiles habent, plus præſidii in duabus his Limonum partibus ponunt contra malignos morbos & peſtilentes febres, atque ipſa denique venena, quam in Lapide Bezoardico & faſtidioſa Theriacæ compoſitione. Quaſi his arboribus Medicis, non magis patria quam ſalubritas, Medicæ nomen feciſſe videretur. Quæ omnes ut olim in Hiſpaniam & Italiam, ſic quoque in Indias Occidentales tranſlatæ, &, licet illic per inſitiones aliaque naturæ adulteria hortenſes, hic vero in America etiam nunc minus excultæ ſint, tamen ob calores Solis perpetuos & ſoli hujus genium, Europæis ſativis, ſi non præſtantiores, ſaltem pares exiſtunt, adeoque ſponte in ſilvis ſata ſtercoribus avicularum depoſita luxuriant, ut ob nimiam ubertatem vileſcant. Quippe toto anno ver, æſtas, & autumnus in iis conſpici datur, quod una eademque arbor, flores fragrantes, fructus vireſcentes & flaveſcentes aſſidua oculorum & narium ac oris oblectamenta oſtentat. Vnde variæ compoſitiones, Iulapia refrigerantia, Conditur æ, imo Extracta Chy-

LIMONIA Malus AMERICANA, Antidotalis.



mica, quas quintas eſſentias vocant, ab induſtrioribus incolis nunquam non parantur. Quos ego in hac Indiarum Occidentali parte imitatus, ſine jactantia affirmare auſim, me ex nullo alio aliquo remedio ſimplici tot felices in tota praxi obſervaſſe effectus, quam ex ſupra enarratis Citrei & Limonii arboribus. Cum enim ſuccus frigidus & intenſe acidus, ab advenis & indigenis aliquando male uſurpatur in ſenum vel puerorum frigidis, ſive pectoris, ſive nervorum, ſive inteſtinorum, affectibus, tunc flores, ſemina, & cortices ipſius fructus medelam iſti malo quantocius conciliant; imo, quid ſi hæc non ſufficiant, eorum, ut & primarum frondium, olea deſtillata vices ſupplent,

plent, urinas vel ſudores egregie protrudentes. Mitto quod ipſi radicum cortices, calidarum & tenuium adeo partium à me deprehenſi ſint, ut multos viſcerum, à jecoris imprimis & renum, obſtructionibus vindicaverint. Quod quidem potiſſimum de radicibus Mali Limoniæ, cujus iconem ſolam exhibeo, dictum volo, ejuſque deſcriptionem nunc ſpeciatim aggredior; cum hactenus in genere malis Medicis earumque virtutibus inhæſerim.

Non male equidem ſcriptores natale ſolum & naturam Limonii cum Citreo communem attribuiſſe viſi ſunt mihi, quum circa præcipuas earum vires haud multum inter ſe diſcrepent; (exceptis dulcibus illis Limoniis minus uſualibus in Medicina) niſi quod puſillus hic Limon agreſtis, quantum viſus, odoris & ſaporis lenociniis majoribus illis hortenſibus cedat, tantum eos proprietatibus medicis facile ſuperet.

Arbor eſt Pruni figuræ & proceritatis, caudice ſature cinereo, ramis ſpiniferis, foliis laureis ſed minutioribus & dilutioribus, ſæparatim hinc inde poſitis, cum appendicibus juxta pediculum, Aurantiæ more denſiſſima fruticatione luxuriantibus, perpetuis floribus, obſoleto candore albicantibus, & Lilium convallium nonnihil redolentibus, fœcunditatiſque munere aſſidue nullo non menſe conſpicua qui primo naſcitur Limon, à ſpinis maternis ſpineolus, & ab acutiſſimo ſapore palatum vellicante, Irritator appetentiæ merito dicitur. In ipſa enim viriditate præmaturus ac tempeſtivus ad obſonia & medicamina, magnitudinis eſt nucis juglandis, ſed figura magis ſphærica, in papillam exiguam deſinente, tenuiſſima, viridi, & lævi cute obducta, nulla carne, ſed ſola medulla, acida, ſubviridi, turgida, denis duodeniſque intermediis membranulis pariter diſpertita, & nonnullo ſemine gravida. Radix arboris eſt tenuis, ex fuſco flaveſcens, calida, ſicca, amara & acris tenuiumque partium, ac proinde inter aperientes & diureticas celebris. Porro Limon hic noſter ſapore acerrimo veſcus non eſt ut cæteri, ſed qua palatum fraudat, cum fœnore voluptatem ſanitati rependit, dum æſtuantibus & à bile vomiturientibus parabile condimentum in cibis & potu promiſcue ſuppeditat, ſi tantillo ſacchari vel jure vis ejus infringatur. Ea tamen adhibita cautela, ut juvenili potiſſimum ætati & cholericæ tempe raturæ concedatur; ſenibus vero, ut & pueris pituitoſis interdicatur. Hæc eadem fere potio eſt in toto Oriente, ac imprimis apud Turcas, admodum expetita, cui vulgarem *Sorbetti* appellationem Latium ſorbendi verbum, *Scerberti* vero nomen vox Arabica, Turcica & Perſica, impertivit, quam quiſque illorum ſuo more ad delicias præparat: hic præcipue fructus nunc in muria nunc in ſaccharo reconditus, vel etiam ejus liquor ſolus in doliis reſervatus, pubem nauticam in diutinis trajectionibus ab humorum putredine conſervat; imo maritimi non ſolum Septentrionales, ſed Aſiæ, Africæ, & Americæ littorales populi à ſcorbutica lue infecti illo reſtituuntur. Eodem hoc ſucco, quid mirum, impetigines, vitiligines, aliaque fœdiora cutis vitia quoque deleri ſi Chymica arte præparatus valeat ad uniones & margaritas in tabem ſolvendas? Vidi aliquando Nigritos ſceleſtos coquendis ſaccharis dicatos, injuriam dominis clam inferentes, inſtillato parum recentis Limonis ſucco, vehementiſſimæ ſacchari ebullitioni in cacabo capaciſſimo reſtitiſſe. Ex quo abuſu, anſam mihi ſuppeditari autumabam, aliquid ad artis noſtræ incrementum ediſcendi, idque aliquoties tentans, non infeliciter proceſſit, in febribus ſcilicet intermittentibus, circa initium paroxyſmi, ut Chymiatri ſua emetica ſolent, hauſtu ſcilicet calido ſucci prædicti cum ſacchari & aquæ fontanæ tantillo ebulliti, ſemel atque iterum exhibito, exacerbationes vel in totum ceſſaſſe, vel ſaltem indies præter expectationem ſimul cum ſiti deferbuiſſe, & intra paucos dies plane ſiluiſſe, deprehendi, ſubſequente utique manifeſto effectu, urinæ ſcilicet & imprimis ſudorum larga promotione. Quaſi eximius hic ſuccus frigiditate ſua ſiti ſedandæ, tenuitate ſero ſanguinis propellendo, acuta aciditate malignitati æſtuantis bilis frenandæ, adeoque ſpiritibus vitalibus concentrandis & corroborandis dicatus eſſet. Poſitis itaque tribus enarratis his manifeſtis qualitatibus, rationi haud diſſonum videtur, harmoniam ſpecificam & occultam ex earum mixtura poſſe reſultare, quæ ictibus Serpentum & venenatorum inſectorum imprimis omnibus iſtis venenis aſſumtis, igneo & ſubtiliſſimo ſpiritu venas & arterias permeantibus, adverſetur.

Atque hactenus de pulpæ ſucco ex legibus artis exhibito. Reſtant aliæ ejuſdem arboris partes, flos, ſemen, & cortex, minime prætereundæ, veneniſque potiſſimum frigidis, ſive propinatis ſive inflictis, obtundendis conſecratæ. Ex ſeminibus ſolis contuſis & decorticatis vel etiam ex eorum oleis deſtillatis tot ſtupendos effectus videre contigit,

ut mirari deſierim, neotericos æque ac veteres Arabes & Græcos iis efficaciam vere antidotalem attribuiſſe, atque non ſolum contra vermes inteſtinorum, morſuſque ſerpentum, ſed & loco Theriacæ, contra peſtilentes & contagioſos morbos feliciſſime uſurpaſſe. Cum enim ſemina caliditate, ſiccitate, acore & amaritudine à pulpa differant; ſolaque fere evidenti aciditate videantur inter ſe convenire: Vtraque tamen craſſos humores diſcutere, incidere, & attenuare, putredini reſiſtere conſtat; ſed ſemina ob concomitantem manifeſtum calorem, frigidis venenis; pulpam vero potiſſimum calidis dicatam eſſe. His ſuccedunt extracta quoque florum & corticum, quæ ejuſdem naturæ & efficaciæ habentur, & maximo diſſidio quævis deleteria oppugnant.

Tandem Medicæ hujus arboris pars infirmior etiam vim habet ſalutarem curandi vulnera malemorata & à venenatis ictibus relicta, modo ſuccus ex prætenuibus foliis & recentibus germinibus expreſſus, vel ſolus, vel aliis mixtus, applicetur. Quaſi perennis viriditas argumentum oleoſi & efficacis ſucci, non modo ad ipſarum arborum pabulum; verum etiam ad hominum commoda & neceſſitates exuberans exiſteret; quapropter optandum, ut ſedula poſteritas ex ejuſmodi vivacibus potiſſimum ſtirpibus liquores medicatos ulteriori induſtria eruere cogitet.

CAPVT XXI.

Locuſtarum, Papilionum, Erucarum, & Avicularum Guainumbi transformatio.

SVpra de natura & cura quorundam Inſectorum ſuo loco egi, nunc pro mantiſſa, de aliquot innoxiorum miranda generatione & interitu, poſteris ulterius indaganda, pauca addam. Miſſis fabuloſis vel quæ dubiæ fidei ſunt, veriſſima ac proinde Philoſopho non contemnenda ſubnectam.


De Bombycibus autem Braſilienſibus nihil ex profeſſo dicturus, utpote quorum figura, natura, & transformatio, ab Europæorum haud differat. Indigenæ eos *Içocú*, ſericum vero *Içocúrenimbo* vocant.

Ad Locuſtas itaque me accingo. Quarum tria genera tradidit ſacræ philoſophiæ ſacerdos Moſes, eaque ex Hebræa Lingua in latinum verſa, Locuſtam, Aſtacum & Bruchum nominarunt. Græci aliique eruditi recentiores, plures agnoverunt ſpecies. Inter ἀπτέρους Locuſtas illam tantum tractandam ſuſcepi quæ Græcis Mantis, latinis Vates dicta, quod ubicunque appareat, macra ſit & famem portendere perhibeatur.

Propoſiti limites excurrerem, ſi vulgarium Locuſtarum Americanarum differentes magnitudines, figuras, colores, ſonos, volatus & ſaltus deſcriberem; ortum quoque earum & interitum, à veteribus ac neotericis ſatis ſuperque traditum, repetere, ſupervacui foret laboris; nam licet generationis & obitus varii dentur modi, in eo tamen, ni fallor, plerique conſentiunt, mares à diutiſſimo coitu, ſpiritus omnes exigente; fœmellas autem fœturæ pluralitate exhauriri, & brevi poſt è vita abſque ulla alia Metamorphoſi decedere. At vero hæc noſtra inuſitatæ figuræ & naturæ Locuſta, incognito ſexus diſcrimine, & naſcendi modo, certo quodam tempore, veris vicem in hac Americæ parte ſupplente, vitam ſenſitivam derelinquit, & in plantam migrans aliquandiu, tandem more cæterorum vegetabilium marceſcit. Duæ earum dantur ſpecies, ejuſdem quidem figuræ, ſed non ejuſdem coloris, quod illa toto corpuſculo lurida inſtar folii arboris decidui, vulgo *feuille morte*; hæc vero læte viridis ſit coloris. Vtraque macilenta eſt, *Caayára*, aliis *Gaayára*, dicta, rore potiſſimum victitantes; differentes tamen ab iis, quæ à Rondeletio & Mouffeto in Theatro Inſectorum, ad calcem libri, *Mantes* dicuntur; quod Americanæ ſint collo longiſſimo tenui & erecto, inſtar Cameli. Corpore lævi, vix digitum longo ab utraque extremitate acuminato, & dorſi medio, eminenti linea recta per longitudinem, cum obliquis fibris, inſtar folii arboris, diviſo. Capite ſunt triangulari, in cujus vertice duo cornicula oblonga, tenuia, erecta ſtant. Oculis prominentibus, lenticularibus, fuſcis. Crura habent ſex, duo in ſummo fere collo, unum digitum longa, tribus internodiis conſtantia, & in extremitatibus denticulata: reliqua duo paria, triſte viridia, liventia, ſicut folia ſicca. Priores autem pedes quia inſtar brachiorum junctos, & quaſi manus ad cælum elevatas, plerumque habeant, Luſitani *Louva dios*, Galli *Preque Dieu*, appellarunt.

Vnde

GAAYÁRA.



Vnde Barbari non ſolum, ſed & Chriſtiani imprimis, multa ſuperſtitioſa ſibi imaginantur. Quaſi macie perpetua confectæ, homines docerent ſupplices ad Cælum palmas tendere. Beſtiolæ hæ in plantam ejuſdem fere viriditatis & tenuitatis, duarum palmarum magnitudinis, transformantur. Pedes primum terræ affiguntur, unde, accedente humiditate requiſita, radices exeunt, quæ terræ inſiguntur, atque ita paulatim parvo temporis ſpatio totæ convertuntur. Aliquando autem inferior tantum corporis pars naturam & faciem plantæ induit, manente ſuperiori parte aliquandiu mobili, ut ante; donec tandem totum inſectum paulatim tranſmutetur, atque ſenſitivum quod fuit, vegetativum fiat, natura per circulum quaſi, ſucceſſive agente, motuque perpetuo in ſe recurrente. Hanc plantam libentiſſime curioſo lectori exhibuiſſem, ſed per varias temporis & itineris injurias re deſiderata potiri non licuit.

Nec eſt quod quiſquam de veritate dubitet, cum infinitos teſtes habeat Braſilia, & plures minus hallucinarentur circa ejuſmodi mira Naturæ opera, ſi animum & mentem non perfunctorie eo applicarent. Idem contingere in Ægypto præter Plinium, fide digniſſimi de ſimilibus Locuſtis conſtanter affirmarunt. Atque annales Iaponiæ teſtantur, cujuſdam terreſtris animalis transformationem in ſquamiferum. Alibi de Agno Tartarico qui in arbuſtum degenerat, ab optimis confirmatur. Quorum narrationi nihil tribuo, nec derogo, ſed fidem apud Autores relinquo. Iam dudum innotuit, Concham Anatiferam in Scotia (licet nuper adhuc ſubleſtæ fidei videbatur), ex arbore pronaſci.

Quidquid ſit, cum appareat, fibulas eſſe inter germinantia & ſentientia, mutuaque retaliatione animalia germinare, & plantas ſenſu animare, idipſum quoque Ariſtotele, Plinio, & Theophraſto conteſtantibus: Quidni tot nova hujus Novi Orbis Zoophyta mereantur, ut vitarum confuſionem earumque fœdus admiremur; imprimis ſi ſenſuum arbitri, non opinioni populari, fabularum artifici, pareamus. Eventu enim naturæ prodigioſæ autoritatem reſtaurante, increduli facile cauſa cadunt. Vſque adeo denique omnium corporum ſublunarium inter ſe commercium patet perpetuum, ut Chymiater magno merito quoque non patiatur haſce metamorphoſes metallis denegatum iri poſſe.

PANAMÁ.



PApilionum porro & Erucarum innumeræ dantur ſpecies; non ab uno deſcribendæ, magnitudine, & colore diſcrepantes. Figuræ aliquot graphice quidem depictæ in Cluſio & Hiſtoria noſtra Braſiliæ naturali, ſed earum metamorphoſis neglecta. Omnes, ni fallor, hi Papiliones quatuor ſunt alis, duobus corniculis, ſex cruribus & filo convoluto ad os. Alæ pulchritudine argentearum macularum & fimbriarum certant. Horum prædatrices gulæ, aliquando in horto Illuſtriſſimi Principis Naſſaviæ

elegan-

elegantes hederas, *Murucuiá* dictas depaſcebantur, innumerabiliaque ova papaveris magnitudinis ponentes, ex quibus primum parvæ hepatici coloris Erucæ, & ex his ſecundo Papiliones naſcebantur. Erucæ autem hæ in craſſitiem pennæ anſerinæ excreſcunt, nigris aculeis hiſpidæ, capite nigro bicorni, per corpus quaſi ruſo punctulatæ; morientes griſea obducuntur pelle ſeu folliculo, qui poſt certum tempus ſe aperit & prodeunt denuo Papiliones alati, Braſilianis *Panáma*, Luſitanis *Barboléta* dicti. Horum ſubinde aliquot myriades ſubito apparent, atque ſine ulla disjunctione aut interruptione turmatim aërem inſtar denſiſſimi imbris replent, idque ductu adeo continuato, ut vix ſex horarum ſpatio exercitus ille aëreus diſpareat, ſicut quoque in Europa paſſim, ringente agricola, videre contingit. Qui herbarum arborumque helluones, ubi devorandi tempus præteriit, vaguli huc illuc & jejuni migrant, ſenſimque marceſcentes, locum idoneum quæritant, ubi ſeſe vel filo appenſi in aureliam membrana tectam, vel in thecam transforment. Nec tamen omnes Papiliones & Erucæ in aurelias convertuntur, ſed aliæ contractæ, putreſcunt, è quibus nonnunquam ova excidunt, aliorum inſectorum matrices. Has Erucarum tranſmutationes Theophraſtus recte diſtinxit his verbis, 2 Περὶ φυτῶν. πρῶτον μὲν ἐκ κάμπης, χρυσαλλὶς, εἶτ' ἐκ ταύτης ψύλη, ἐκ ψύλης ἡ πάλιν κάμπη.

Quemadmodum vero Papiliones partim à coitu utriuſque ſexus, partim ex viridibus illis Erucis generari conſtat, alis paulatim adnaſcentibus: Ita viciſſim turmas illas gregariarum Erucarum, non ſolum roris pluviarumque proles, ſed & Papilionum eſſe filias; imo maximam Erucarum partem iis debere proſapiam, omnibus experientia confirmatum eſſe putem.

GVAINVMBÍ I.



AT vero harum Erucarum Braſilienſum aliquæ (*Lagartas des verças* Luſitanis dictæ) tranſmutantur in aviculas illas totius Braſiliæ facile pulcherrimas, Indigenis *Guainumbí*, Luſitanis *Pegafrol*, Belgis **Bloem-Spegt** appellatas. Quarum novem ſpecierum, in Hiſtoria Naturali deſcriptarum, duas imagines addidi, quæ inſtar Pavonis rubini & auri colore fulgent adeo, ut à pictore haud exprimi poſſint. Pleriſque Americæ regionibus familiares ſunt hæ aviculæ, ac proinde variis nominibus expreſſæ, ut apud omnes paſſim novi Orbis ſcriptores videre licet. Quorum aliqui neſcio an relatu an autopſia edocti, alicujus quoque transformationis conſcii, quantum ex Cluſio colligi poteſt. Præter generale nomen *Guainumbí*, aliud ſortiuntur, idque maxime appropriatum *Guaraçyába*, id eſt, Radius ſolis, meritoque illud Poëtæ iis applicari meretur.

Mille trahunt varios adverſo Sole colores.

A vertice enim ad caudæ extremitatem plumæ admirabili colorum varietate inter ſe certant & micant. Volatus earum adeo præceps & celer eſt, ut viſum fere fugiant, alarumque motus non magis conſpici queat, quam Crabronis. Magnitudine Cicadam haud ſuperant, adeoque leves, ut intra viginti & triginta grana unaquæque pendeat. Roſtello ſunt omnes (non quidem ejuſdem longitudinis, ut ex appoſitis Iconibus

nibus liquet) tenui lingua, biſecta, inſtar ſerici fili tenuiſſimi, quam extra roſtellum longe exſerunt, ut florum rorem lambant. Ocellos habent parvos & nigricantes. Alarum pennæ ſingulari arte à natura ſunt compoſitæ. Ab exortu enim alarum duplex ordo pennarum eſt, unus longior altero, & ſuperpoſitæ ſunt ſibi invicem pennæ, quaſi alæ breves ſuper longas. His alis expanſis volare diu poſſunt, ac in aëre quaſi pendulæ manere. Frequentes ſunt in ſilvis, præſertim tempore matutino, dum flores rore turgent, ſtrepitumque tunc excitant ingentem, non canendo, ut aliqui ſcripſerunt, ſed fere Paſſerum more ſibilando *Screp Screp*. Nidulum faciunt in ramis arborum exiguum, ex Xyli flocco compoſitum, ibique ova ponunt albiſſima, duo ut plurimum, ordinariæ figuræ, piſo haud majora. Pedibus ſunt valde exilibus, nigris, quatuor digitis, more aliarum avicularum, præditis, deſinentibus in unguiculos, inſtar acus ſubtiliſſimos. Quia floribus eorumque rore victitant melligineo, captæ, diu vivæ detineri nequeunt, ſed moriuntur, atque bonum de ſe ſpargunt odorem. Fr. Ximenes ſcribit, eaſdem à Mexicanis *Huitzitzil* appellari, teſtaturque, eas non diutius vivere, quam durantibus floribus, iiſque decidentibus, roſtello ſuo affigi arborum truncis, & ſex menſes ita immotas (ſive mortuas, ſive jejunas) manere, donec pluviis redeuntibus Flora rurſus campos veſtiat. Idem confirmat Iohannes Euſebius 1. l. Hiſt. Nat. & Lopez de Gomara, aliique, Egregii hujus viſci (ex tuberibus aliarum arborum naſcentis) floribus flavis potiſſimum delectantur quos idcirco hic exprimi juſſi.

GVAINVMBI II.



Quum itaque enarratæ Erucæ in aviculas has incipiunt transformari, elegantiſſimæ plumæ cum alis primo apparent, ita ut tunc manifeſte conſpici detur forma Erucæ, quod ad partem corporis inferiorem, altera ſuperiori jam in aviculam tranſmutata. Idem de Papilionibus dictum volo, qui ſubinde in eaſdem aviculas eodemque modo convertuntur, atque durante illa converſione naſcentis avis & denaſcentis inſecti, utriuſque medietas eodem tempore liquido appareat. Emanuel de Morais Theologus Luſitanus in Braſilia, multique alii fide digni & curioſi Monachi, prodigioſa hæc quoque viderunt, & inſecta ipſa tempore metamorphoſeos manibus tractarunt.

Scilicet conſtat utique Naturæ Autoris potentia in quacunque re minima, etiamſi novicii ob inſcitiam obſtupeſcant, imo pro lubitu fidem derogent. Apprime Plinius exclamaſſe mihi viſus eſt: Quæ res eſt in hoc univerſo, quæ non miraculi inſtar multis videtur, quando primo innoteſcit! Quid denique à nobis non familiare factum, quod primo intuitu inter impoſſibilia judicaveramus! Ita ut hæc, ſimiliaque Naturæ admiranda eorumque cauſas ulterius indagare ſatagens, ob incomparabilem ejus majeſtatem, & imperſcrutabilem profunditatem obſtupeſcens confundar, atque tandem imbecillam obtuſamque mentis humanæ aciem inculpans, in eaſdem cum Fracaſtorio querelas erumpam, quas ingenioſiſſimis verſibus his expreſſit:

Quid dicam miſerum me agere, & quam ducere vitam,
Irrequietum animi & quærentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem, quæ ſe ubi paulum

oſten-

Oſtendit mihi, mox ſpecies in mille repente
Ceu Proteus converſa, ſequentem eludit & angit,
Mærentem ſeniique horas caſſumque laborem?
Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum,
Quæ fluere ex ipſis dicuntur, perque meare
Omnia, dum ſector, meditans, tacituſque requiro
Avia ſylvarum, & ſecreta ſilentia ſolus:
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis;
Vt ſenſus feriant noſtros ſemperque laceſſant
Perque fores, caulaſque animi ludantque meentque
Ac remeent, ipſumque nec inter ſomnia linquant.

CAPVT XXII.

Duæ Tamanduæ ſive Myrmecophagi.

PORtentoſa aſpectu utraque hæc beſtia *Tamanduá*, major & minor, Formicis potius quam hominibus extimeſcenda; attamen ob miros in iis Naturæ luſus & dotes, minime prætereunda. Feroces quidem irritatæ & naribus ſtertunt, cruribuſque inſidentes poſterioribus inſtar urſi, unguibus baculum vel telum quodvis fortiſſime

TAMANDVA'-GVAÇV' ſive major.



apprehendunt & mordent; ſed quia minus agiles, prius manu capiuntur, quam quod præda potiantur: niſi forte eam per inſidias opprimant; tunc enim ipſi Tigres ab iis aliquando interimuntur. Tantæ denique ſunt pervicaciæ & ſtultitiæ, ut, ſi animalia ſemel apprehenſa emori ipſis ſuperſtitibus contigerit, non prius ſeſe explicent, quam cum iis occumbant ac pereant. Mactatæ comeduntur à Barbaris defectu melioris alimenti, quia caro inſtar Vulpinæ, ferinum quid olet. Interiori & exteriori conformatione multum inter ſe conveniunt; differunt autem mole & magnitudine, potiſſimum vero cauda, quod eam *Tamanduá-guaçú* habeat latam & hirtam, ſetis canis & nigris, equinis ſimillimam, quam irritata erigit, ſomnolenta vero diducit eaque ſe tegit.

Tamanduá minor, longa quidem, ſed ex parte depili, cauda prædita eſt, inſtar Simiæ, qua ſe arborum ramis ſuſpendit, ut commodius Formicis inſidietur. Ob perpetuam tyrannidem quam in Formicarum myriades exercent, merito à Belgis **Mieren-eters** appellatæ; utræque ſunt noctambulæ pabuli cauſa, cicuratæ carne quoque veſcuntur, ſed minute conciſa, quia non ſolum capite, promuſcide, ſed & ore ſunt anguſto, acuminato edentuloque lingua denique inſtar craſſioris chordæ tereti, adeoque longa, præſertim in *Tamanduá* majori, ut duorum pedum longitudinem excedat, atque proinde duplicata (quod notatu ſane dignum!) quaſi canali incumbit inter inferiores genas, quam eſuriens madidam

TAMANDVA'-MIRI'.



madidam exerit, & arborum truncis diu imponit, mox Formicis opertam repente retrahit. Si alte fodiendo latebræ earum detegi poſtulant, unguibus id præſtat commode, quibus pedes poſteriores inſtructi ſunt ſatis validis & longis, numero quinque; anteriores, quatuor, iiſque recurvis, duobus in medio maximis, vola pedis rotunda, imbelle ſatis facta. *Tamanduá* major undique minori piloſior exiſtit. Vtrique per pectus ad latera & medium longitudinis corporis, uſque grandis macula nigris pilis excurrit, quam albicans linea deſuper attingit continue. Corio ſunt craſſo, carne Vulpina & vix eduli, tenaciſſimæ denique vitæ, excoriataque adhuc aliquandiu vivunt, etiamſi ultra duodecim dies inediam paſſæ. In diſſectione, renis ſiniſtri ſuperius proceſſus triangularis inventus, per duplicem tenuem membranam reni annexus: valvulæ autem cordis & veſicula fellis ordinariam excedebant magnitudinem. Cæteræ partes internæ, ab aliorum animalium viſceribus haud diſcrepabant: ventriculo erant unico, inteſtinis tenuioribus, quæ teretibus lumbricis (ut in multis hic paſſim apparet) ſcatebant. Nervis & Tendinibus undique validiſſimis & tenaciſſimis prædita.

CAPVT XXIII.

Ai, ſive Ignavus.

QVia animadverti, autores, Lerium & Thevetum (quem Geſnerus & alii poſtea ſequuti) paſſim errasſe in deſcriptione, tum & vera figura hujus animalis, malui pro corollario repentis Iconem ad vivum depictam, tum quoque vivam ejus ſectionem addidiſſe, oſſiumque compagem delineasſe. De ſumma in gradiendo tarditate conveniunt omnes, ſed de pedibus erectis, & de ventre pendulo, ut hactenus ab illis exhibitæ ſunt, diſſentiunt. Sicut enim inuſitata natura eſt animal, ita & effigie, quod à re ipſa Luſitani *Preguiza*, id eſt, Ignavum, ſive per ἀντίφρασιν, Agilem, Noſtrates **Leuy-aert** Braſilienſes *Aí*, appellant. Quippe tam lentus eſt illius greſſus & membrorum motus, ut quindecim ipſis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat.

AI' REPENS MINOR.



Medio-

Mediocris Canis eſt magnitudine, roſtro ad aſpectum fœdo, & perpetua ſaliva madido, cauda admodum brevi, unguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus, tenaciter adeo tenet, quidquid apprehendit, ut pendens dormiat ſecure, quia à junctura pedis cum tibia tres nervi ſolidiſſimi, ad quemlibet unguem unus intentus tendit, quibus ungues incurvare & validiſſime ſe ſuſtentare, poteſt. Corio eſt ſolidiſſimo & tenaci. Totum corpus prolixis & mollibus pilis cinerei coloris eſt veſtitum, & ex occipitio coma cervicem velat jubarum inſtar, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum, nec unquam in pedes exſurgit, etiamſi quædam imagines id videantur exprimere. Non bibit, victitat arborum foliis, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantumdem in deſcenſu ponit. Neque vero adhortationibus tantum aut minis, ſed ne plagis quidem, fuſtibuſve, beſtiam vel tantillum de inſita ignavia ac tarditate dimoveas. Secui cum domeſtico meo fœmellam vivam (cujus Sceleton, ex oſſibus undiquaque validis compoſitum, Theatro Anatomico Leydenſi donavi) habentem in ſe fœtum omnibus modis perfectum, cum pilis, unguibus & dentibus, Amnioni, more cæterorum animalium, incluſum. Cor motum ſuum

AI' ERECTVS MAIOR.



AI' MAIORIS SCELETOS.



validiſſime retinebat, poſtquam exemptum erat è corpore per ſemihorium; placenta uterina conſtabat multis particulis carneis inſtar ſubſtantiæ renum, rubicundis, magnitudinis variæ, inſtar fabarum; in illas autem particulas carneas (tenuibus membranulis connexas) per multos ramulos vaſa umbilicalia inſtar funis contorta, inſerta erant. Cor fœmellæ duas inſignes habebat auriculas, cavas. Exempto corde cæteriſque viſceribus naturalibus, multo poſt, ſe movebat, & pedes lente contrahebat, ſicut dormituriens ſolet. Mamillas duas cum totidem papillis in pectore fœmella & fœtus gerebant. In ventriculo os ſuperius duos digitos tranſverſos à pyloro: eratque in altera parte ventriculi, ubi alias ſuperius os eſſe ſolet, proceſſus longus ſine exitu.

CAPVT XXIV.

çarigueyá, & Maritacáca aliis Biaratacáca.

INuſitata hæc beſtiola majorum Glirium montanorum numero aſcribenda, littoralibus *çarigueyá*, mediterraneis *Iupatiima*, Lerio *çarigoy*, Luſitanis *Rapoza*, dicitur, Vulpeculæ eſt magnitudine, capite & ore vulpino, barba felina, corpore coloris eſt nigricantis, ſed leucopœis pilis admixtis. Cauda ultra pedem longa & rotunda, in

ÇARIGVEYÁ.



extremitate depili, coloris pardi & nigri, quam curvatam geſtat, eaque ſe arborum ramis more Simiæ adpendet.

Mirum ſane animal: nam in infimo ventre circa anum pellis ejus eſt dupla, & exterior rima ſciſſa, facitque quaſi manticam eamque intus piloſam, *Tambeio* vernaculo idiomate dictam. Cujus os arcte clauditur, ut vix conſpiciatur, niſi digitis diſtendatur, tumque mammæ in interiore pelle apparent octo papillis.

Ex reiteratis horum animalium ſectionibus alium non invenimus uterum præter hanc burſam, in qua ſemen concipitur & catuli formantur. Quos deinde quinos vel ſenos ſimul circumfert, mobiles, perfectos, ſed depiles, adeoque pertinaciter uberibus affixos, ut à perpetuo ſuctu vix avellantur, antequam permittente matre ad paſtum ipſi egrediantur; unde redeuntes denuo, uterum maternum pro lubitu ingrediantur, Sicut ſæpe Illuſtriſſ. Princeps Naſſavius, aliique multi, non ſine admiratione mecum viderunt. Teſtes fœmella ſub ano gerit interius abſconditos. Mas fœmellæ plane ſimilis in burſa pendulos more Gati teſticulos fert, &, quod notatu dignum, manticam (licet à fœmellæ diverſam) habet, qua alternatis vicibus catulos quoque circumfert, ſicut avis mas amore pullorum, fœmellam ab incubatu ſubinde liberans. Vterque fœtent, mordaces ſunt, ut Vulpes, earumque more Gallinis, & Columbis non ſolum, ſed avibus in faſtigiis arborum inſidiantur, quarum defectu Cannis ſacchareis aliiſque optimis vegetabilibus veſcuntur.

Cauda horum animalium ob multos uſus medicos apud incolas in pretio habetur, præcipue autem ad exturbandas viſcoſitates & immundities veſicæ, renum, & uteri, ſi vel duorum ſcrupulorum quantitas reiterata cum convenienti liquore exhibeatur.

Fr. Ximenes idem animal in aliis Americæ regionibus reperiri teſtatur, quod in nova Hiſpania *Tlaquatzin* nomen accepit. Deque caudæ virtutibus mira prædicat, ſupra id quod à me dictum eſt. Viderint curioſi, an nihil ſuperſtitioſi intercurrat.

In Indiis Orientalibus, idque ſolum, quantum hactenus conſtat, in Amboina, ſimilis beſtia frequens ad Felis magnitudinem accedens, mactata ab incolis comeditur, ſi rite præpretur, nam alias fœtet. Nomen illi *Cous Cous* inditum.

ANimalculum eſt Felis mole, forma oblonga, Viverram æmulatur: ſi referendum ſit ad aliquod animal Europæum, nulli videtur magis quadrare, quam Putorio Geſneri, Bunſing Belgis, cui à tetro & putido fœtore, apprime hoc Putorii

Maritacáca aliis Biaratacáca.



nomen inditum. Qui ad Muſtelas ſilveſtres retulerit, me judice, non multum aberrabit, etiamſi id doctiſſimo Scaligero minus placeat. Os & dentes habet leporinos, ut & pilos barbamque, oculorum pupillæ ſunt cæruleſcentes, auriculæ breves obrotundæ. In anterioribus pedibus, quatuor; in poſterioribus, quinque digiti unguibus acutis. Caudam longam cum corpore villoſam eamque erectam aliquando geſtat, qua totum corpus inſtar Vulpeculæ tegere poteſt. Color totius corporis ex pallido flavo cum multo fuſco mixtus, leporinus quaſi eſt. Ad latera dorſi linea alba excurrit quibuſdam pro Naturæ luſu, crucis in modum eleganter diſtincta. Manſuetum eſt & velox nec imbelle animalculum. Volucribus earumque ovis victitat; imprimis Ambræ griſeæ avidum, cujus appetitu noctu ſæpe in littore vagatur. Verum tantum abeſt, ut quis opinari poſſit ex eſu Ambræ gratum ſpargere odorem, ut è contra vel leviter modo irritatum, crepitum ventris cum intolerabili fœtore Alliique æmulo, emittat. Quamobrem ſupra modum metuitur mirum hoc animalculum à feris æque ac hominibus; non ſolum quod tetro & graviſſimo odore inſequentium inſidias eludat, ſed quoque plus noxæ iis afferat, quam aliæ feræ unguibus vel dentibus venenatis armatæ. Quippe adeo virulentus eſt fœtor, ut quibuſdam ſi non mortem, ſaltem capitis dolores, vomitus, atque animi deliquia adducat. Admiratione ſane digna proprietas huic beſtiolæ conceſſa, quod vel ſolo ani flatu longe lateque aërem non ſolummodo, ſed ſaxa, militum arma, veſtes, capillos inficiat, ut ne quidem fortiſſimo lixivio & inſolatione viginti dierum ſpatio fœtorem deponant. Memini, quoſdam ad capillitii raſuram, induſii, imo ad ædium totalem abdicationem coactos fuiſſe, cum nullum tanto malo hactenus remedium inventum ſit. Sagaciores autem barbari, ſi quando ejus certiores fiant, nudi vento ſecundo eoque forti, eam diuturna venatione fatigant, donec telis ſuis venenatis aliquoties fruſtra in aërem emiſſis, fœtoris expers fiat, tandemque illi deſiderata potiantur præda, & cicuratam domi reſervent more Scyuri. Vafra hæc *Maritacáca* nunc decipulis nunc ſagittis, occiditur. Technis & artibus noſtrati eſt Vulpeculæ ſimilis. Cæterum innoxia, eaque ratione ſolum horridiſſima, quod urina, ſtercus, & ventris crepitus fœtidiſſima exiſtant. Cum tamen teſte I. Euſebio, caro ejus in Mexico ſalubri eventu comedatur. Oleum quoque Vulpinum noſtratium more ex inde confici aſſerit.

CAPVT XXV.

Cuandú major, Vrubú fœtens, & Tophus Bovinus.

QVamvis utrumque Erinaceum *Cuandú* dictum, inter alimentoſos quadrupedes potuiſſem recenſuiſſe, quod multum inter ſe conveniant qua ad figuram, conformationem & naturam, de quibus egi Libro tertio, quo lectorem remitto; tamen quia minores *Cuandú*, ſive ob carnis albedinem & teneritatem, ſive ob pellem magis tractabilem minuſque ſetis rigidam, celebriores & familiariores utique exiſtant; ſeparatim nunc de Erinaceo hoc majori, aculeis perpetuis horrido, eorumque noxiis qualitatibus pauca perſtringere, operæ pretium duxi. Idque non adeo quidem ut lectori mira vel inaudita de illius genio prædicem, quam ut in Indiarum luſtratorum & Naturæ indagatorum commodum, Erinaceorum differentias & diſcrepantes qualitates ſuppeditem.

Omnis quidem Erinacei Americani, ab iis quos Africa, Æthiopia, Tartaria, producere autores teſtantur, diverſitatem facile dijudicabit, qui picturas horum animalium

Cvandv' major.



malium internaſque qualitates cum illis contulerit: Aliqui enim in novo hoc Orbe (ſicut quoque Hieronymus Cardanus de ſuis Erinaceis ſcriptum reliquit) ſpinas emiſſarias, aliqui vero immobiles habent: omnes tamen promiſcue ſetis ſive aculeis indiſcretæ magnitudinis multo magis horrent, quam Apri ſetis ſuis rigere ſolent. Noſtrates appoſite eos, me judice, **Yſer-verkens** appellarunt, non adeo quia roſtro & promuſcide ſint aliquantum porcino, ſed quod viſcera Porcorum fere more conformata & diſpoſita habeant, ut ex diſſectione eorum experiri contigit. Nec Luſitani eos male *Orico Cachero* nominarunt, quia corpore contracto ſeſe occultant, ne quid apprehendi poſſit præter aculeos: Alterum nomen Luſitanicum *Eſpinho*, cutis animalis ſpiniferum meruit, quod ſpinis rigidis, acutis, concavis, diverſicoloribus, ſpithamam longis, totum corpus, pedes, & cauda adeo ſint armata, ut haud impune manibus tractentur. Has peculiari qualitate venenata infectas irritati in perſecutores ſuos ejaculantur tam profunde, ut penetrent ſenſim in carnem, & viſcera inficiant, transfixoſque lente interimant. Verum quantum tela hæc viva nocent, tantum emortua proſunt, quod pulvis eorum drachmæ plus minus pondere aſſumtus familiari iſti Indiarum dyſenterico malo medeatur, ſi aliquoties reiteretur cum liquore convenienti.


Cum autem major hic *Cuandú* frequentior ſit, minuſque notus indigenis; cumque multa alia de aculeorum ejaculatione, eorumque efficacia, quadrent cum illo Erinaceo *Tlaquatzin* in Nova Hiſpania dicto, non immerito dubitandi anſa mihi fuit data, quod ſolus *Cuandú* minor inter Braſiliæ patrios ſit cenſendus: hunc vero majorem ex aliis olim Americæ Regionibus huc tranſlatum & tandem tractu temporis indigenam factum putem. Tantæ eſt voracitatis & malitiæ, ut ægre feratur aut cicuretur.

Equidem ſi Franciſc. Ximenem, nec vanæ fidei, nec contemnendæ experientiæ virum, conſulamus, cum admiratione legere eſt, quam portentoſos effectus eorundem aciculorum pulveri aſcribat circa curationem lapillorum in renibus & veſica contentorum, tum quoque ad quemvis capitis dolorem placandum, ſi illi applicentur; adeoque tenaciter ahærere eos & infigi teſtatur, ut non ante decidant ad modum ſanguiſugarum, antequam vaſa ſanguinis exhauſerint. Quæ à me quidem hactenus incomperta fateor, ſed curioſæ poſteritati ulterius indaganda commendo.

IN tanta Avium Americanarum frequentia pauciſſimæ reperiuntur, in quibus vel medicamentoſæ vel venenoſæ qualitates hactenus detectæ, contra quam in Piſcibus evenire ſolet; ſive quod natura in aquatilibus magis ſollicita, eas abundantius indidiſſe voluerit, ſive quod Aucupum minor ſit induſtria quam Piſcatorum in revelandis rerum naturalium viribus. In avibus enim tantum duo mihi experiri contigit ad rem medicam facientia, quæ huc afferri merentur: Quorum alterum eſt antidotale illud Cornu tenue & acutum, quod egregia illa avis *Anhima* dicta, in vertice gerit, cujus

jus

VRVBV' fœtens.



jus mentionem feci l. 3. de Alimentoſis: Alterum vero, deterrima & fœtidiſſima hæc *Vrubú*, Mexicanis *Aura* dicta, quæ pleriſque Americæ regionibus notiſſima & frequens, nomine ac coloribus, non indole tamen nec figura diſcrepans. Mediocris Aquilæ vel Vulturis potius eſt magnitudinis, cum quibus ratione caudæ, volatus, & voracitatis, affinitatem habet; ſed quo ad colores, Gallinam Africanam æmulatur; quo denique ad gravem odorem, Corvi ſpecies eſſe videtur, licet vulgaris Corvi fœtorem intenſione ſuperet, & proprietate longe differat. Tantum autem abeſt, veſcam eſſe, ut ſolus odor, ſive vivæ, ſive mortuæ avis, haud impune aliquando feratur, quod ſpiritus animales inficiat, quibuſdam nauſeam quoque & vomitum promovens. Vnde miror, Fr. Ximenem teſtari, Cor ſiccatum redolere muſcum; ex eſu quoque ipſius carnis, ſuadentibus Mexicanis Medicaſtris, Hiſpanos Lue venerea laborantes, invitis aliis remediis, feliciter reſtitutos. Vidi durante obſidione Vrbis Salvatoris, in Sinu omnium Sanctorum, aliiſque præliis, ubi ſtrages jumentorum & hominum erat, eas viſcera & ſtercora cum ipſis cadaveribus avidiſſime deglutiiſſe, quorum defectu Serpentibus, Bufonibus, Lacertis, ſimilibuſque ſordidis beſtiis veſcebantur. Memini, etiamſi à caſtris noſtris diſſitiſſimas, odorem adeo intolerabilem intuliſſe, ut multi exinde male habuerint, & non ſine moleſtia reſtituerentur. Quamobrem ſuaſor fui omnibus peregrinantibus, ut earum præſentiam declinarent, cum de ſublimi æthere & incognitis illis mediterraneis deſertis catervatim verſus littoralia convolarent ad depaſcenda quæcunque cadavera. Egregiæ ſtaturæ aves apparent eminus intuentibus, tetro tamen aſpectu, ſi cominus examinentur, ſemper macræ, nunquam ſaturæ, etiamſi ſe ita ingurgitent, ut ad volandum ineptæ, ſclopetiſque impetrabiles fiant. Capite ſunt rugoſo, ex rufo brunni coloris horrido, illudque inſtar Gallopavi contrahunt & diducunt. In vertice dividitur quaſi cutis, variegaturque color imprimis verſus latera capitis circa oculos ex croceo & cæruleo albicante tincta. Ipſi oculi apparent ignei, ſatis elegantes, rubini fere coloris, pupilla nigricante, palpebris croceis, roſtro craſſo, longo, valido, adunco, acuto, & ad rapinam compoſito, atque ultra medietatem ex croceo cæruleſcente, narium foraminibus ſatis patulis, lingua carinata, in ambitu denticulis acutis circumdata. Nidificatio pullorumque excluſio hactenus incomperta; tantum abeſt eas ex continuo volatu fatigari, ut ſupra fidem contra ventum vehementiſſimum per immenſa ſpatia nitantur, feliciuſque olfactu è longinquo eſcam venentur. Nec credibile eſt, Vultures, aliaſque ejus generis aves, quas mare tranſvolare, novaſque regiones prædæ notitia viſitare, Authores olim prodiderunt, olfactus vel volatus ſagacitate has americanas ſuperaſſe.

VAriæ magnitudinis Tophi piloſi, ſphærici, in Iumentorum quorumdam, Boumque imprimis ventriculis reperiuntur, quos Laniones ad me deferre ſolebant. Proinde ſitum eorum curioſius inquirere ſatagens, pilam fluctuantem in diſſecti Bovis ven-

ventriculo inveni, eamque ea, qua erat, figura & magnitudine depingi juſſi, ut ex appoſita figura videre licet. Has itaque aliquoties diſſecans, ex meris pilis bovinis arctiſſime compactis, interius conſtare comperi, exterius vero cinerea & piloſa; mox, ubi adoleverint, nigra, glabra & dura pelle tegi. Vnde facile eſt dijudicare, Boves ſibimet, pruriente cute, dentibus pilos evellere, qui cum ab omaſo digeri nequeant, in maſſam cogi rotundam, quæ poſtea in pilæ majoris magnitudinem excreſcit, unde anheloſi & quaſi aſthmatici diu incedunt: (ſicut Capreæ, quibus lapis Bezoar innaſcitur) quod animadvertentes ruſtici, ne totius animalis jacturam patiantur, eos mactant. Ita ut hujus pomi conſtructio, ſit animalis deſtructio.

Tophvs Bovinvs.



Barbari raſuram piloſam interne exhibent contra pertinaces alvi fluxus ſanguineos. Externe emplaſtra, ſicut è pilis Leporinis fieri ſolet, contra hæmorrhagias cum felici ſucceſſu applicant. Ego hoc externum, quam illud internum remedium imitari malui.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM.

A.

Abacatuára piſcis. 55
Acajá arbor. 139
Acajaiba arbor, & Acajú fructus. 120, 121
Acariçoba herba. 260
Acará piſcis. 67
Acara-áya piſcis. ibid.
Acara-peba piſcis. 69
Acará-Pinima piſcis. 51
Acara-pitamba piſcis. ibid.
Acaraúna piſcis. 55
Acetoſa herba. 244
Acori ſpecies herba. 241
Adianti ſpecies. 234
Africæ fluctuum rara viciſſitudo. 6
Aguape Nymphea ſpecies. 219
Aguara-Quiyá herba. 224
Aguaxima frutex. 197
Aguti quadrupes. 102
Aguti-guepo herba. 224
Ahoay arbor & fructus venenati. 308
Aí ſive Ignavus, quadrupes. 321, 322
Aiereba piſcis. 294
Airi arbor. 129
Aipimixira piſcis. 53
Aiurú pſittacus. 85
Alba Coretta, piſcis. 73
Albara canna. 213
Alcea muſcata herba. 210
Alliária tres ſpecies herba. 236
Althæa ſpecies herba. 222
Ambaiba arbor. 147
Ambua & Tataurána. 286, 287
Ambuya embó herba. 260
Americúna lacertulus. 283
Aminiú ſive Goſſipium. 186
Amongeába herba. 239
Amoreatim piſcis. 296
Amore-guaçú piſcis. 72
Amore-pixuma piſcis. ibid.
Amore-pinima Hydrus. 281
Amphiſbæna vipera. 280
Ananas herba. 195
Anda arbor cum fructu. 148, 149
Andira vulgo Angelyn. 175
Andirá veſpertilio. 290
Anguria ſive Iaeé herba. 263
Anhyma avis. 91
Anhuiba arbor. 146
Aningæ duæ frutices 220
Aninga-peri herba 218
Anime gummi. 122
Anir, frutex. 198
Antidotum Iecur Animalium. 271
—— *Limon puſillus.* 314
—— *Tabacum.* 206
Aperéa quadrupes. 103
Apes variæ. 112
Apiaria marina. 113
Aquarum diſcrimen & uſus. 18
Aracarí avis. 92
Araça-iba guaçu arbor. 152
Araçá-miri frutex. 151
Araguágua piſcis. 54
Aramacá piſcis. 66
Armadilho ſive Tatú, quadrupes. 100
Araneæ variæ. 284, 285
Aratu cancer antidotum. 300
Araticu diverſæ ſpecies arbores. 141
Araticu-paña arbor. 142
—— *arbor & fructus.* 306
Arborum immenſa altitudo. 9
Arbuſculæ marinæ Baccifera. 265, 266
—— *Coralloides.* 265
—— *Spongioſa.* 265
Ardeæ aves variæ. 89
Aroeira arbor. 132
Arumatia inſectum. 286
Arundo ſacchariſera ſive Tacomareé. 108
Avaramo-temo arbor. 168
Aurantiorum ubertas, uſus, & dignitas. 8

B.

Bagre piſces varii. 63
Bananiera arbor cum fructu Banána. 154
Batata radix. 254
Belingela. 210
Betijs vel Betre frutex. 196
Biaratacáca quadrupes. 324
Blitum herba. 241
Boi-guaçu ſerpens. 277
Boiçininga ſerpens. 274
Boiçuaiba ſerpens. 275
Boiobi ſerpens. 278
Boipéba & Ibiracoá ſerpens. 276
Boitiapó ſerpens. 279
Braſiliæ ſitus. 3. *aëris temperies.* 4. *anni tempeſtates.* 4. *Serenitas.* 5. 6. *æquoris facies & æſtus* 6. 7. *Præfectura.* 7. *fluvii.* 7. *Soli facies* 8. *Nemora* 9. *ſalubritas.* 11. 12. & ſeqq. *Incolarum longævitas & fertilitas.* 12. *Indigenarum diverſitas.* 13. *Cibus & potus uſitatus.* 16. 17. *Animantia.* 11. 16. 17. *modi piſcandi. venandi natandi. Religio.* 13. *Medicina.* 19. *morbi Endemii.* 22. *prognoſtica.* 21
Braſſicæ ſpecies herba. 236
Bufo venenatus. 298

C.

Caa-apía herba. 232, 311
Caa-ataía herba. 230
Caaeó frutex. 202, 203, 304
Caaçica herba. 311
Caaghiyuyo herba. 217
Caachiræ duæ frutices. 198, 199
Caaopiá arbor. 124
Caapéba herba. 261, 312
Caaponga herba. 243, 244
Caapomongá variæ herbæ. 200, 201

Caaróba,

Caaróba arbor & frutex. 143
Cabureiba arbor balſamifera. 119
Çacaboía Serpens. 279
Caiatiá herba. 245
Camaræ variæ herbæ. 176, 177
Camara-iápo herba. 177, 218
Camara-uuba herba. 177
Camaripu-guaçu piſcis. 65
Camarú herba. 223
Camari piſcis. 74
Cambuy myrtus herba. 178
Cannæ Indicæ variæ. 212
Caninana ſerpens. 279
Capibára porcus fluviatilis. 99
Caoopia arbor. 124
Cäpeúna piſcis. 54
Capiipuba gramen. 241
Cacaguatæ, variæ frutices. 192, 193, 194
Çaragueya quadrupes. 323
Carapucú fungus. 309
Cara-cará avis. 82
Cará radix. 255
Cararu herba. 241
Caranaibæ variæ arbores. 126
Carapó piſcis. 72
Carauna piſcis. 52
Çargaço herba marina. 266
Çarçaparilla radix, vulgo Iuapecanga. 255
Cariama avis. 81
Caryophyllata herba. 209
Catarrhi. 28
Cavia Çobá'ya, quadrupes. 102
Cebipira-gua ú arbor. 169
Ceixapira piſcis. 48
Cereiba arbor. 204
Cicindela inſectum. 291
Ciri-apoá cancer. 76
Çocoí aves variæ. 89, 90
Crocodilus ſive Iacaré. 282
Cocos vulgo Inaia guacuiba arbor. 130
Conambaiá, ſive Filix herba. 233
Conambai-miri: herba. 234
Convolvulus marinus. 258
Coorza piſcis. 73
Copaíba Balſamifera arbor. 118
Coperucu inſectum. 287
Coralli ſpecies. 265
Corororoca piſcis. 59
Cotiá quadrupes. 102
Cotora rana. 298
Cruſtacei piſces. 74
Cuambu herba. 209
Cuandú major quadrupes. 325
Cuandú quadrupes. 99
Cucumer aſininus ſive Guarerúa-oba. 264
Çucuriú, hydrus. 282
Çucurúcu ſerpens. 275
Çucuri piſcis. 49
Cuguaçu-pete quadrupes. 98
Cuipouna arbor. 178
Cuiete arbor. 173
Cumandatia herba. 251
Culex inſectum. 288
Cunarú cancer. 76
Cunapú-guacu piſcis. 49
Cupiá formica. 291
Curema piſcis. 70
Curicáca avis. 88
Curimata piſcis. 70
Cururu bufo. 298
Curuí piſcis. 63
Curuata pinima piſcis. 51
Cúrua vel Curuba herba. 262
Cururu-apé herba. 250
Çurucutinga ſerpens. 276

D.

Diæta Medicorum. 24
Dracunculus herba. 240
Dyſenteria. 39

E.

Eirirucu, Eiruba & Eixa apes diverſæ. 112
Erva de Santa Maria. 240
Eruca inſectum. 318

F.

Fœminarum fœcunditas. 13
Febres. 25
Febrifuga vegetabilia. 27
Fellis venenoſitatis ratio. 270
Filix herba. 233
Fluxus ventris. 37
Formicæ. 9. 291
Fungus terræ. 309

G.

Gaa-yára locuſta. 317
Gangila herba. 211
Garapæ potus abuſus. 18
Gonorrhœa. 44
Granadilla herba. 248, 249
Graminis variæ ſpecies. 237
Guacari piſcis. 72
Guaia-guacu Cancer. 75
Guaia-apará Cancer. 75
Guaiába arbor. 153
Guaiana-timbó herba. 249
Guaibi pocecabíba arbor. 170
Guaibi-Ocára piſcis. 56
Guainumbi Aviculæ variæ. 318, 319
Guamaiacu piſcis. 299
Guamaiacu-ape piſcis. 300
—— atinga piſcis. 299
—— Guara piſcis. 300
Guandú herba. 252
Guanhumi Cancer. 77
Guaperoíba arbor. 204
Guaperua piſcis. 57
Guaracapéma piſcis. 48
Guarapucú piſcis. 59
Guara-una avis. 91
Guarerúa oba. ſive Cucumer Aſininus. 264
Guaraterebá piſcis. 57
Guaru-guarú piſcis. 70
Guatucupa piſcis. 62
Guatucupa iúba piſcis. 52
Guebucu piſcis. 56
Guira-acangatára avis. 95
Guira-guacu piſcis. 64
Guira-guainumbi avis. 93
Guira jenoja avis. 94
Guira-peréa avis. 95
Guira-querea avis. 94
Guirapunga mas & femina, aves. 93
Guiritinga piſcis. 64
Guirybaco piſcis. 61
Guitys variæ arbores. 136, 137
Guon ſerpens. 279

H.

Hepaticus fluxus. 40
Herba lanuginoſa. 230
Herba lanuginoſa altera dictamni æmula. 244
Hydrops. 35
Hydri. 281

I.

Iabebara piſcis. 59
Iabebireté piſcis. 294
Iabicu-guacu avis. 87

Iaborandi herbæ variæ. 215, 216, 312
Iaboti teſtudo. 105
Iabotapita arbor. 166
Iabuticaba arbor. 121
Iacamacirí avis. 96
Iacaranda arbor variæ ſpecies. 164, 165
Iaçána avis. 90
Iaçabucaia arbor & fructus. 135
Iaçapé gramen. 237
Iacua Acánga herba. 229
Iacupema avis. 81
Iacare ſive Crocodilus. 282
Iaeé ſive Angúra herba. 263
Iaguaqua-guáre piſcis. 68
Iaguara quadrupes. 103
Iaguareté quadrupes. ibid.
Iaguaracá piſcis. 56
Iambú avis. 81
Iamacaru herba variæ ſpecies. 188, 189, 190, 191
Ianipápa arbor. 138
Iaparandiba arbor. 172
Iapuruca millepes. 286
Iararacæ variæ viperæ. 280
Iararapeba vipera. 280
Iaracatiá arbor. 160
Iaróba herba. 173
Iatebucu inſectum. 289
Ibabiraba arbor. 150
Ibiboboca ſerpens. 278
Ibiiáram ſerpens. 280, 281
Ibíra arbor. 145
Ibiraeém herba. 245
Ibirarema arbor. 236
Ibiraba arbor. 161
Ibiraé arbor. 146
Ibipitánga arbor. 187
Ibirapitanga ſive lignum rubrum arbor. 164
Ibiracóa & Boipéba ſerpens. 276
Ibiara vipera. 280
Ibixúma arbor ſaponaria. 162
Icicaríba arbor. 122
Içocú bombyx. 317
Ietaiba arbor cum fructu. 123
Ietíca vulgo Batata herba. 254
Ietucucu herba. 253
Iguana lacerta magna. 104
Iiboia ſerpens. 277
Iira mel ſilveſtre. 110
Iito herba variæ ſpecies. 169, 170
Inaia-guacaiba vulgo Cocos arbor. 130
India medicamentorum & aromatum ferax. 23
Inflammatio Ani. 41
Inhami radix. 255
Inimboi herba. 205
Introductio ad animalia aquatilia. 47
—— *ad volatilia.* 78
—— *ad quadrupedia.* 96
—— *ad vegetabilia.* 107
Ipecacuánha radix. 231
Ipecatiapoá avis. 82
Ipeca-guaçu avis. 83
Itaiaráa piſcis. 54
Ivabeba frutex. 182
Ivapecánga vulgo çarçaparilla herba. 258
Iundiá piſcis. 64
Iupicai gramen. 238
Iupicanga vulgo radix Chinæ. 257
Iuqueri frutex. 201
Iurepebæ duæ frutices. 181
Iurucua teſtudo marina. 105
Iurumu herba. 264
Iurura teſtudo. 105
Iutaí ſive Tamarindus arbor. 157

L.

Limonia Malus. 314
Liquiritia herba. 245
Locuſta inſectum. 316
Lues Indica. 43
Lumbrici ventris. 42

M.

Maçarandiba arbor. 187
Macuaguagua avis. 88
Macumba herba. 208
Maiagué avis. 82
Malagueta herba. 225
Mameluco. 22
Mamangá frutex. 183
Manaca frutex. 184
Mandiúba frutex. 114
Mandihoca frutex, præparatio, dignitas noxa. 114, 115, 305
Mandihoca ſilveſtris frutex. 117
Mandobi. 256
Mangaiba arbor. 156
Mangara herba. 136
Mangaratia ſive Zinziber herba. 227
Mange Arbor. 204
Manima hydrus. 282
Manipuera ſuccus venenatus Mandiocæ. 305
Mantis locuſta. 316
Maracoana cancer. 77
Mareca avis. 83
Maribunda inſectum. 287
Mariguá inſectum. 288
Maritacaca ſive Biaratacaca quadrupes. 324
Marrubium herba. 217
Matuitui avis. 95
Maturaque piſcis. 67
Mberóbi ſive Culices. 287, &ſeqq.
Medicamentorum præparatio. 25. *Medicamentorum compoſitiones magnæ repudiandæ.* ibid.
Meeru herba. 212
Meliſſæ ſpecies. 242
Melongela herba. 210
Mel agreſte. 113
Memoá Cicindela. 291, 292
Mentha græca herba. 218
Metamorphoſes inſectorum. 316
Mentaſtrum herba. 218
Millepedæ variæ. 286
Mirabilis peruana herba. 208
Mutu avis. 80
Mutu-Poranga avis. ibid.
Moſquito inſectum. 288
Mouçicu excrementum maris. 296
Mucuná-guaçu faba magna. 307
Mucuna phaſeolus. ibid.
Mulato qui dicantur. 22
Mundubi herba & fructus. 256
Mundui-guaçú arbor & fructus. 179
Murecí arbor. 171
Murucujá herba variæ ſpecies. 247, &ſeqq.
Myrtus frutex. 178

N.

Aga herba. 195
Narcotica. 27
Nari-narí piſcis. 58, 293
Nhambi herba. 228, 310

Nham-

Nambu-guaçu frutex. 180
Nhandiá piſcis. 63
Nhandu-guaçu araneus. 284
Nhandiu araneæ minores. 285
Nhandu frutex. 197
Nhandicóba herba. 259
Nhandu-guaçu avis. 84
Nhacunda piſcis. 66
Nhatiu Culex. 288
Niqui piſcis. 294, 295

P.

PA'ca quadrupes. 101
Pacamó piſcis. 54
Paco-caatínga Canna. 214
Paco arbor. 214
Pacoeira arbor. 154
Paco Çeróca canna. 213
Pacú piſcis. 53
Paiomirióbæ duæ herbæ. 185
Panama Inſectum. 317
Papana piſcis. 50
Papulæ & Impetigo. 45
Pararó herba. 255
Parati piſcis. 71
Paratura gramen. 238
Paru piſcis. 55
Paſtinaca Marina piſcis. 297
Pequéa ſive Pekiá arbor. 141
Petume herba. 206
Petumbuába piſcis. 62
Phaſeolus. 251
Phlebotomiæ prærogativa in Indiis. 24
Piaba piſcis. 66
Piabucu piſcis. 66
Picuípinima avis. 86
Pindaíba arbor. 144
Pindoba arbor. 125
Pino ſive Vrtica herba. 235
Pino-guacu arbor, Mas & fœmina. 159
Piquitínga piſcis. 67
Pirabebe piſcis. 61
Pira-coába piſcis. 60
Pira-curoba avis. 86
Pira-metára piſcis. 60
Pira-pixanga piſcis. 52
Piraqué piſcis. 301
Piránha piſcis. 69
Piratiá puá piſcis. 50, 60
Pira-umbi piſcis. 70
Piſces venenati 293, 294
Polypodium herba. 233
Poti gammarus. 78
Potiquiquíya locuſta. 77
Portulaca herba. 244
Potincóba planta. 221
Prolapſus mucronatæ cartilaginis. 36
Præfatio ad Profeſſorem Lindanum. 267
Punarú piſcis. 65, 66

Q.

QVeraíba arbor. 165
Quetele avis. 92
Quigombo duæ herbæ. 210, 211
Quity arbor. 162
Quyeé herbæ. 225, 226

R.

RAdix Chinæ ſive Iupicánga. 257
Ranæ variæ. 298
Raiæ variæ. 293
Reciffo Braſiliæ. 6
Ricinus Inſectum. 289

S.

SAccharum ejuſque præparatio & uſus. 108, 109, 110, &c.
Saamóuna arbor. 175
Sargaço herba marina. 266
Salſa do praya herba. 258
Saſſafras ſive Auhuiba arbor. 146
Scarificationes. 26
Sceletos ſerpentis. 277
Sceletos Ignavi. 322
Serpentaria herba. 240
Serpentes edules. 273
Serpentum virus aliqua tantum parte hæret. 273
Serpentum frigiditas & rapiditas. 273
Serpentum Anatomia, Coitus, Generatio, Morſus eorum curatio. 274
Solani ſpecies herba. 223
Soldanella herba. 243
Spaſmus. 31
Stupor. 32
Sudorifera. 27
Superſtitioſæ curationes morborum. 273

T.

TAbaco herba. 206
Tocomareé Canna. 108, 109
Taiacu porcus. 98
Taiaóba herba. 236, 237
Taiaçica piſcis. 68
Tamanduá quadrupes. 320, 321
Tamarindus ſive Iutaí arbor. 157
Tamatiá avis. 96
Tamoatá piſcis. 71
Tamoatarána herba. 255
Tangaracæ variæ herbæ. 301. 302, 303
Tepeti quadrupes. 102
Tapiá arbor. 140
Tapuái inſecta. 291
Tapiereté quadrupes. 101
Tapiracoainana arbor & fructus. 158
Tapirapecu herba. 182
Tapuyarum loca. 13. *mores.* 14. *arma.* 14. *Crudelitates.* 14. &c.
Taraguira lacertus. 284
Tareiboia hydrus. 282
Tareiræ variæ piſcis. 68
Tataíba arbor. 163
Tataurama Eruca. 286
Tatu ſive Armadilbo quadrupes. 100
Teju lacertus. 283
Teju-guaçu lacertus magnus. 103
Teneſmus. 38
Teti-mixara piſcis. 53
Teti poteiba herba. 250
Tiiepiránga avis. 94
Timbo herba. 249
Timucú piſcis. 62
Tipí frutex. 236
Tipioca frutex. 116
Tophus bovinus. 327
Transformatio inſectorum. 316
Tranſpirationis neceſſitas. 24
Tremac frutex. 176
—— *arbor.* 176
Trevo. 201
Tucum arbor. 128
Tuí variæ aves. 85
Tunæ variæ arbor. 188
Tunga inſectum. 289

Tupa-

Tupa-ipi & Vrucatu herba. 235
Tupei-çava ſive Scoparia herba. 246

V.

VCa ána cancer. 76
Venena abſcondita Indigenarum. 272
Venenorum compoſitiones. 272
Venenis ineſſe ſuum antidotum. 271
Venenum uni, alteri alimentum. 270
Veſpa. 287
Veſpertilio. 290
Viba Canna ſaccharifera. 109
Vipera venenata. 279
Vitis arbuſtina. 250
Vlcera pedum. 44
Vlcus & inflammatio ani. 41
Vmari arbor. 174
Vmbu arbor. 167
Vomitoria vegetabilia. 26
Vrtica herba. 235
Vrubu Avis. 326
Vrucatu herba. 235
Vrucú frutex cum fructu. 133
Vrucurí palma arbor. 127
Vrurumbeba arbor. 191
Vrutú piſcis. 65, 295
Vubarána piſcis. 63
Vulnera. 44
Vvæ criſpæ. 242

X.

Xalappa radix. 252

Y.

Yuca frutex. 114

Z.

Zinziber herba. 227

FINIS.

GEORGII MARCGRAVII
DE LIEBSTAD,
TRACTATVS
Topographicus & Meteorologicus Braſiliæ, cum Eclipſi Solari;

Quibus additi ſunt Illius & Aliorum

COMMENTARII
De Braſilienſium & Chilenſium Indole & Lingua.

TYPOGRAPHVS

Lectori Salutem.

PAucis Lectorem præmonendum putavi, quare conſilium mutaverim, quod D. Markgravii Progymnaſmata illa aſtronomica Americana, jam dudum à I. de Laet & G. Piſone publice promiſſa non ſimul ediderim.

Cum enim à multo tempore communi fama mihi innotuiſſet, quam inter alia laudatæ curioſitatis & induſtriæ in Illuſtriſſ. Principe I. Mauritio, Terræ & Oceani Braſilienſis quondam Præfecti, documenta, non promiſcuum fuerit, quod per Mathematicos ſuos, quos domi militiæque ſecum habebat exemplo maximorum Imperatorum depingi & deſcribi juſſerit phænomena cæleſtis machinæ: Imo naucleris maria conſcendentibus in mandatis dederit, ut imprimis Eclipſium momenta omnia vultuſque difformes ſuis ſingulos locis poſitos attentius obſervarent, & chartis conſignarent. Non mihi mirum videri debuit, G. Piſonem ab Illuſtriſſimo ſuo Domino, liberalium artium fautore perpetuo, impetraſſe, ut ibidem obſervatorium Aſtronomicum exſtrueretur, atque ita ſimul & ſua, & Markgravii ſui, artium Mathematicarum apprime gnari vota expleret circa ea, quæ in ulteriorem Geographiæ & Hydrographiæ uſum à plurimis, rei nauticæ peritis, admodum deſiderari non neſciebat. Verum cum D. Markgravius hæc aliaque exercitia laudabili quidem amplexus eſſet conatu, in annotandis totas aliquando noctes Mercurii aliorumque Planetarum coruſcationibus, hactenus à nullo Aſtronomorum viſis: tamen pleraque ob immaturam mortem felicius inceperit, quam abſolverit: ego ex multis relictis ſchedis pauca tantum, quæ minus mutila arbitrabar, publicæ lucis facere conſtitueram: ſed hac in re mea diffidens tenuitati, poſtquam ea quæ ſelectiora arbitrabar, eruditis, & in aſtronomicis verſatiſſimis viris ſedulo revidenda tradideram, eorumque ſincerum hac in re judicium poſtulaveram; commune fere omnium votum erat, ut manum de tabula tollerem, ne cruda protrudendo defuncti monumenta, cineribus illius injuriam facerem.

Quamvis autem non putem noſtrum hoc inſtitutum ingenuis Eruditis poſſe diſplicere: tamen conſultum duxi id curſim indicaſſe, ne quis poſthac ingentem Vraniæ theſaurum alicubi latitare, inani expectatione ſe fallere pergat. proinde pauca hæc tantum exercitia Topographica & Meteorologica cum Eclipſi ſolari non contemnenda; eaque, ut à D. Markgravio ſolo & ſeparatim (non vero combinatis cum G. Piſonis laboribus ſicut pleraque alia ad Hiſtoriam Naturalem pertinentia) obſervata ſunt, ingenue nunc trado. quibus ſimul addidi Compendium de Regionibus Braſiliæ & Chili, utpote præcedentibus ſcriptis non male quadrans, iiſque hinc inde inſerta videbis, tam noſtratium quam Hiſpanorum, haud vanæ fidei, nec ſcitu indigna ejuſdem materiæ ſcripta, à Clariſſimo Viro P. M. I. de Laet ſtudioſe reſervata, ut ad poſteritatem aliquando redundarent.

Hanc interim noſtram qualemcumque opellam boni conſule, Manibuſque Auctoris omnia bona precare: &, ſi quid intercurrat vitioſi, id candide reſtitue.

GEORGII MARCGRAVII,

DE REGIONIBVS, & Indigenis, Braſiliæ, & Chili ejuſdem Continentis,

LIBER.

CAPVT PRIMVM.

De Regionis nomine, magnitudine, ſitu, ejuſque diviſione.

HÆc regio primo à Luſitanis appellata fuit SANTA CRVZ, quod nomen poſtea mutarunt in TERRA DO BRASIL, ob ligni copiam, quod hic cæditur & in Europam infertur, vulgo notiſſimum, ita ut hodie communi & vulgari nomine ab omnibus Europæis BRASILIA dicatur.


Sita porro eſt Braſilia in zona torrida & quidem in medietate illius Auſtrali, extenditurque ultra Tropicum Capricorni in zonam temperatam meridionalem.

Non autem omnes conſentiunt in illius magnitudine ſeu latitudine definienda inter Septentrionem & Auſtrum. Nos ejus initium ſtatuimus à latitudine Septentrionali unius gradus & ſemis, ſeu à Flumine *Para*, & finem ad latitudinem auſtralem quatuor & viginti graduum & ſemis, ſeu uſque ad fluvium *Capiibari*, duabus leucis ultra oppidum S. Vincentii; ita ut magnitudo illius ſit inter Boream & Auſtrum trium & viginti graduum. Inter ortum & occaſum in quantum extendatur, adhuc indefinitum eſt, cum pauci adhuc in interiora hujus terræ penetraverint & quædam tantum obiter luſtraverint.

Quantum judico, adſumendo longitudinem *Limæ* Metropolis Peruviæ, quam Hiſpani ponunt eſſe duobus & octuaginta gradibus Occidentaliorem *Toleto* (Toletum autem novem-decim gradibus & quinque ſcrupulis Occidentalius eſt *Vranoburgo*) ita ut longitudo Limæ ſit ducentorum & nonaginta quinque graduum & quadraginta ſcrupulorum. Sumendo itidem longitudinem *Mauriciæ* civitatis, in Orientaliſſima fere ora Braſiliæ, quam ipſe ſæpius obſervavi per Eclipſes & inveni trecentorum & quadraginta graduum & ſemis reſpectu *Vranoburgi*, & hinc deducendo differentiam quatuor & quadraginta graduum & quinquaginta ſcrupulorum. Sub parallelo autem 8, 40 reſpondent ex mea obſervatione uni gradui 28175 decempedæ Rhynlandicæ, quæ per 1500 diviſæ (tot enim perticæ milliarium horarium efficiunt) dabunt horaria ſeu Hollandica milliaria XVIII. $\frac{1157}{1500}$, id eſt, milliaria octodecim & tres quadrantes. Differentia ergo 44. 50. dabitur 1263197 decempedarum & duorum pedum, quæ efficiunt milliaria 842, $\frac{179}{1500}$, detractis porro centum milliaribus, quæ *Cuſco* Orientalior eſt *Lima* & in confiniis Peruviæ & Braſiliæ ſita, magnitudo Braſiliæ inter ortum & occaſum eſſet circiter ſeptingentorum & quadraginta duorum milliarium; quod intervallum omnes Tabulæ Geographicæ circiter centum & octuaginta octo amplius faciunt. Ponunt enim Braſiliam multo Orientaliorem, quam revera eſt, ut ex propriis obſervationibus ſæpiſſime comperi.

In gratiam eorum, quibus Phænomena cæleſtia, & immobiles Planetarum vices noſcere ſtudium eſt, apponam Eclipſis Solaris faciem, pro temporis momentis aliam atque aliam.

Apparere Mauriciam urbem incolentibus cœpit ea in finem anni quadrageſimi ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, Novembris die decima tertia, hora decima ante meridiem, & ad ſummum provecta fuit hora undecima, treſque Solis tertias obſcuravit, cum minutis viginti octo; ſic ut minus quarta ſui parte hîc mundo luxerit. Verum quadraginta ſeptem ab hora duodecima minutis, labore ſuo tenebriſque evolutus Titan pleno refulſit lumine.



AB. Ecliptica.
C. Centrum Solis.
D. Centrum Lunæ.
CD. Diſtantia inter Centrum Solis & Lunæ.
EF. Magnitudo Eclipſis in digit. & min.
EG. Reliqua pars Solis lucida.
FCEG. Diameter Solis.
HFDE. Diameter Lunæ.

Tempus æquabile Vranoburgi d. $\frac{3}{13}$ Novemb. h.	3. 12′. 3″.	
Locus Terræ perpendiculariter Soli ſubjectus	21°. 46′. 2″.	*Scorp.*
Locus ☊	21. 23. 21.	*Scorp.*
Reductio	6.	*Subtr.*
Locus Lunæ in Orbita	21. 45. 56.	*Scorp.*
Arcus inter centra	2. 5.	*Bor.*
Ampliatus phyſice	2. 7.	
Parallaxis Lunæ, ſeu Semidiameter diſci terræ	63. 41.	
Semidiameter Lunæ	16. 22.	
Solis	15. 27.	
Semiſsis parallaxis Solis	30.	
Semidiameter penumbræ	32. 19.	
Semidiameter Lunaris Vmbræ	55.	
Summa Semidiametrorum	1. 36. 0.	
Horarius Solis } *veri*	2. 32.	
Lunæ } *veri*	38. 27.	
Lunæ à Sole verus	35. 55.	
ampliatus phyſice	36. 29.	
Erit igitur defectus alicubi centralis & totalis.		
Scrupula dimidiæ durat. omnimodæ Eclipſ.	1. 35. 59.	
Scrup. dimid. moræ total. umbr. Lunæ in diſco	1. 3. 39.	
Scrupula dimidiæ moræ penumbræ in diſco	31. 18.	

Ergo	H.	
Tempus dimidiæ durationis.	2. 37′. 51″.	
moræ Vmbræ	1. 44. 41.	
moræ penumbræ.	0. 51. 28.	
Tempus adparens mediæ Eclipſ. Mauriciæ erit die $\frac{2}{12}$ Novemb. — H.	23. 47′. 48″.	
Tempus adparens viſæ Veneris & maximæ Eclipſis Mauriciæ in Braſilia, $\frac{2}{12}$ Novemb. — H.	23. 27. 6.	
Ad illud tempus datur Latitudo Lunæ viſa	7′. 25″.	*Merid.*
Aggregatum Semidiameter Solis & Lunæ	31. 49.	
Ergo		
Pars deficiens	24. 24.	
Et quantitas deliquii Solaris	9. Dig. 28′. 32″.	
Scrupula durat. dimidiæ omnimodæ	30′. 56″.	
Hinc	H.	
Tempus duration. dimidiæ omnimodæ	1. 13′. 59″.	
Et Initium Eclipſis Mauriciæ	10. 13. 7.	} *ante mer.*
Medium	11. 27. 6.	} *ante mer.*
Finis	0. 41. 5.	*poſt mer. d. $\frac{3}{13}$ Novemb.*

Ora autem Braſiliæ à *Para* ad *Maranhon* à Coro verſus Vulturnum extenditur. A *Maranhon* verſus *Çiara* maximam partem tendit verſus Eurum. A *çiara* ad *Potiyi* ſeu *Rio Grande* verſus Euroauſtrum: à *Potiyi* ad *Paraiba* verſus Auſtrum: à *Paraiba* ad *Itamaraca* ad eundem modum: ab *Itamaraca* verſus Promontorium *S. Auguſtini* & uſque ad Sinum omnium Sanctorum ora verſus Auſtrum incurvatur: à Sinu omnium Sanctorum ad alterum flumen *Paraiba* iterum fere directe Auſtrum petit, & deinceps uſque ad fines ſuos verſus Corum extenditur. Sed hæc accuratius è Tabulis hydrographicis cognoſci poſſunt, ad quas curioſos remittimus.

Dividitur BRASILIA, intra hos limites, in certas Præfecturas (*Capitanias* appellant vulgo Luſitani) & quidem vulgo in quatuordecim. Quarum prima verſus Boream eſt *Para*, ſequuntur dehinc ordine *Maranhaon*, *çiara*, *Potiyi* vel *Rio Grande*, *Paraiba*, *Itamaraca*, *Pernambuco*, *Quirimure* vel *Bahia de todos los Santos*, cujus metropolis *S. Salvador*; *Nhoecombe* vel *os Ilheos*; *Pacata*, vel *Porto Seguro*; *Eſpiritu Santo*; *Nheteroya*, vel *Rio de Ienero*, quem *Ganabara* vulgo vocant Braſilienſes; & *S. Vincente*.

Sunt & hic duo diſtrictus (nimirum in Præfectura Pernambucenſi) quos Luſitani vocant *Palmairas*, à copia illarum arborum ibidem naſcentium, in quos Nigritæ fugitivi ſe receperunt; eorum unus vocatur minor, alter major. In minori ad ſex millia Nigritarum dicuntur habitare, qui jacet viginti milliaria ſupra *Alagoas*, inter ſilvas, juxta fluvium qui appellatur *Gungohubi* (hic illabitur in fluvium *Paraibam*) ſex milliaria à Paraiba flu. verſus Arctum, & quatuor à *Mondai* fluvio *Alagoæ* Borealis verſus auſtrum; ita ut haud admodum longe abſit à cornu terræ quod vulgo *Iaragoa* appellatur. Pagus illorum conſtat è tribus plateis, quarum ſingulæ dimidiæ horæ itinere in longitudinem producuntur. Ædes omnes contiguæ, & plantaria illorum pone illas. Imitantur quodammodo religionem Luſitanorum, & habent ſuos ſacerdotes & judices. Mittunt crebro è ſuorum numero ad vicina loca, qui mancipia Luſitanorum abripiant; illa autem tamdiu ſerviunt, donec alia rapuerunt. Mancipia autem quæ ſponte ſe illis aggregant, ſtatim eadem qua ipſi libertate fruuntur. Victitant fructibus Palmarum, *batatis*, phaſeolis, *Farinha Mandiocæ*, milio, & Sacchari cannis, item gallinis (quarum illis copia eſt,) & piſcibus quos vicinus amnis ſubminiſtrat; carnes haud alias habent quam ferinas. Milium ſuum colligunt bis quotannis, & opere abſoluto per integram ſeptimanam feſtive commeſſantur. Antequam ſementem faciant, per dies quatuordecim maximos focos accendunt, quibus herbas & alia adurunt, qui longe videri poſſunt. Compendioſiſſimum ad hunc diſtrictum iter eſſe creditur ſecundum fluvium *Alagoæ* Borealis, vulgo *Alagoa del Norte*.

Major Palmaria jacet viginti aut triginta milliaria pone S. Amari pagum, juxta Montem qui dicitur *Behe*. Creduntur circiter quinque millia eſſe Nigritarum, qui in vallibus juxta hunc montem degunt, præter alios multos, qui alibi quinquaginta, alibi centum, ſparſim habitant. Ædes autem horum haud conjunctæ, ita ut ducenti pene quadrantem milliarii horarii occupent; & ſub ſilvis metantur, in quibus & viam cæduam habent ad fugiendum comparatam; nam perpetuo excubitores collocant, qui ipſos moneant de peregrinorum adventu. Siccis itidem menſibus dimittunt ſuos ad Æthiopiſſas ab incolis ſuffurandum. Interdiu parant cibos; & veſpera primum numerant ſuos, ut videant an quis deſit; deinde choreis dant operam (tympana pulſantes, quæ longe audiri poſſunt) ad mediam uſque noctem, dein cubitum diſcedunt, & dormiunt uſque ad horam nonam aut decimam antemeridianam.

Iter ad hos commodiſſimum eſt ab *Alagois per S. Amarum*, atque inde per campeſtria *Nhunahu* & *Cororipe*, donec jugum montis *Wairakaco* appareat, ubi fluvius *Paraiba* offenditur, qui deſcendendus eſt, donec prope prædictum montem *Behe* perveniatur, & ibi deflectendum ad convalles.

Antequam autem cætera adjungam, non inutile erit hic ſubjicere quædam veriſſima, & notatu digna de Natura harum Regionum, à rerum naturalium ſedulo indagatore obſervata.

Omnes Provinciæ Braſiliæ, quas centum milliariorum ſpatio, à *Rio Grande* ad *Alagoas* uſque occupavimus, parum admodum ſunt cultæ. Cultura earum à littore marino verſus mediterranea à Luſitanis ulterius producta non fuit, quam in quibuſdam locis, ad tria, quatuor, in quibuſdam ad quinque, raro ad ſex, aut ad ſummum ſeptem uſque milliaria Hollandica: cætera ſunt ſolitudines ipſiſmet incolis plane incognitæ: neque

littoralia hæc loca omnia culta ſunt, ea tantum coluntur, quibus valles & nemora interjacent. Quando nomen alicujus diſtrictus, quos illi *Fregeſias* appellant, audis, utpote *Poiuham*, *Camaragibi*, *Porto Calvo*, *Serinhaim*, & his ſimilia alia, debes ſub hac voce intelligere valles integras, campos & colles his vallibus adjunctos, pagos in illis ſitos; ædificia omnia, hinc inde ſparſa, & inſuper fluviolos ipſos, qui valles illas irrigant. Ab una *Fregeſia* ad alteram per colles incultos iter eſt, interdum trium, interdum quatuor aut plurium etiam milliariorum Hollandicorum. Excipiuntur tamen ab hac appellationum regula, domus piſcatorum & ſalinæ ad littus marinum ſitæ, quia terram non colunt. Ad hujus culturæ formam importunus æſtatis ardor habitatores compulit. Cum enim Regio hæc omnis jaceat ſub Zona torrida, coli non poſſet ſi dies noctibus longiores eſſent.

Solum omne aſſurgit in colles mediocres atque amœnos: montes inſigni aliqua altitudine nulli ſunt in littoralibus, in ſolitudinibus tamen hinc inde nonnulli è longinquo conſpiciuntur. Inter colles aridos, non ubique tamen, ſed ut ſupra attigi, aliquot milliarium intervallo, valles interjacent, ſingulæ exiguis aliquibus fluviolis irriguæ, atque ob id non pluviis tantum menſibus, ſed & æſtivis ipſis fertiles. Colles ipſis æſtivis menſibus ob ardorem Solis ſunt infrugiferi & penitus areſcunt, ut non gramen tantum, ſed & arbores interdum emoriantur, & gramen incenſum aliquando ingenti ſpatio, vento præſertim urgente, incendium proferat; ita ea quæ pluviis menſibus læte virent, æſtivis intereunt in montibus. His incommodis tamen incolæ ipſi proſpiciunt, aut novum gramen terris inducentes, aut loca illa fœcundantes, quæ ſibi colenda proponunt. Hunc tamen uſum colles præſtant, præſertim ubi ſilveſtria recens exciſa & combuſta ſunt, quod radix *Mandioca* lætius in iis proveniat, nimirum in declivis illorum, quam alibi. Adhæc uſus collium, vallibus vicinorum, hic eſt, quod ædificia incolarum in illis ut plurimum collocantur, & circa hæc ædificia arbores, quæ *Cocos* ferunt, plantantur, quæ quamlibet terram & ſitum lubenter admittunt. Plantantur etiam aliquando juxta domos Auraicarum & Limonum arbores, quamvis lætius in locis depreſſis proveniant. Reliquarum omnium plantarum cultura ad valles & loca depreſſa rejicitur. Cæterum bonitas glebæ, ut & terræ univerſæ, ita & omnium fere collium eſt inſignis, & in ipſis montanis locis quæ hactenus non coluntur, optimæ ubique vites provenirent, ſi à formicis defendi poſſent. Morbos & mortes ſomniant incolæ, ſi in vallibus habitent, propterea colles ſequendo, moleſta & longinqua aquatione plerumque utuntur. Noſtro hoc, quod præteriit, ſexennio nos plana interdum, etiam paluſtria loca, fortificationum cauſa ſecuti, vix aliqua tabe tamen ea propter afflicti fuimus. In *Afogados* quidem Fortalitio præſidiarii aliquando, ſed ſatis benigne tamen & breviter, morbis corripiebantur; verum animadverſum fuit, id propterea accidiſſe, quod plerique deſides humi cubarant, quod ubi iis interdictum & lectorum uſus introductus eſt, malum hoc illico ceſſavit. Hæc de collibus notavi. Quod valles attinet, hæ Cannarum ſacchariferarum cultu, (quoniam ob duritiem formicæ iis nocere non poſſunt) & paſcuis occupantur. Cæterum feraciſſimæ eſſent omnis generis frumentorum etiam noſtratium, puta tritici, ſiliginis, hordei, avenæ, piſorum, quæ ſingulis annis binam meſſem darent, ſi contra formicas remedium inveniri poſſet. Quicquid qualiumcunque fructuum extraordinaria aliqua cura, in loco aliquo anguſto, contra formicas defenditur, miraculoſa ubertate provenit: Braſilia verum horreum foret Europæ totius, ſi peſtis hæc auferri poſſet. Rumor hic ad nos perlatus fuit, Luſitanum quendam Amſtelodami Conſeſſui XIX remedium obtuliſſe contra formicas; equidem non credo remedium univerſale contra has inveniri poſſe, quia animadverto, non à Soli vitio, ſed à Solis vi id procedere.

Quod fluvios attinet vel potius fluviolos per valles prædictas decurrentes: hi paucis exceptis longitudinem trium, aut quatuor milliariorum vix emetiuntur à fontibus ſuis, & nihilominus in oſtiis ſuis magnorum fluminum ſpeciem præ ſe ferunt; quod fit ob acceſſus & receſſus maris, fauces ipſorum eluentes; exemplo ſit *Rio Formoſo*, item *Rio Grande*, & alii omnes, capaces in oſtiis magnarum ſatis navium, qui tamen verſus mediterranea, vix duarum leucarum itinere à littore abſoluto genu tenus pedibus tranſeuntur.

Fluvii, fere nulli ſunt apti ad minimarum etiam navium onera è mediterraneis deferenda: *Monguape* tantum flumen ſex milliarium longitudine navigavi, & multum ultra

ultra navigari poſſe, ex profunditate illius & aliquorum relatu comperi, reliqua non item. Horum tamen exiguorum fluviorum aliqui, alveos ſuos, ſed ſiccos æſtate & ſine aqua, longiſſime in ſolitudines proferunt; quale eſt flumen *Capivaribi*, quod prætereundo *Mattam do Braſil*, *Maſyapi*, *S. Laurenzo*, *Real*, prope *Afogados* cum alio fluviolo ſe conjungit, & juxta *Reciffum* influit in mare; item *Rio Grande*; per quorum fluviorum alveos ſiccos, *Tapuyæ* ſex ſeptimanarum iter ſæpius ſe feciſſe profeſſi ſunt; pluviis tamen menſibus, alvei ipſorum aqua replentur, ſed ob cataractas ſaxorum frequentiſſimas etiam parvas naviculas non ferunt.

Flumen unicum nobile eſt in hiſce regionibus, vulgo *Rio S. Franciſco*, quod limitem claudit inter Præfecturam Pernambucenſem & Sinum omnium Sanctorum, imprimis illuſtre eſt; creditur enim ex intima parte hujus Continentis deſcendere, & quidem è Lacu illo multorum ſermonibus celebrato, qui amnes omnes atque torrentes, ab altiſſimis Peruviæ montibus verſus ortum dimiſſos, recipit, & per maximos fluvios in oceanum emittit, imprimis *Rio de la Plata*, de quo jam non dubitatur; Marahaon, & hunc noſtrum. Nam licet hujus fluminis fons aut origo nondum à quoquam fuerit luſtrata, tamen evidens ratio id neceſſario videtur evincere, nam contra quam cæteri fluvii, qui ad hanc Braſiliæ oram in oceanum effluunt, æſtivis menſibus quibus pluviæ hic raræ admodum & parcæ, tantam undarum copiam evolvit, ut ejus latices ad aliquot milliaria in mari adhuc dulces hauriantur. Noſtrates proxime ſuperioribus annis hoc flumen celoce aſcenderunt ad quadraginta pene milliaria, ubi adhuc ſatis latum & profundum erat. Cætera Indigenarum & Luſitanorum fide ita ſe habere dicuntur, circiter quinquaginta milliaribus à mari, ipſum de altiſſimis rupibus ſeu cataractis, *Cacoeras* vocant, præceps ruere, itaque altius ab iis, qui è mari veniunt, aſcendi non poſſe. Supra cataractas fluminis alveum porro pergere verſus Corum ad aliquot milliaria, dein ingentem lacum ſequi, in quo multæ inſulæ amœniſſimæ ſint ſparſæ, quæ à Barbaris habitantur, uti & ora univerſi Lacus. In ipſo autem lacu auriferas arenas colligi, & accolas auro abundare quidem, ſed vilipendere. Id autem à rupibus auriferis quæ verſus Peruviam jaceant, detritum ab infinitis torrentibus in lacum deduci. Præterea hic reperiri maximam optimi nitri copiam; quod à Præfecto Bahiæ aliquando petitum narrabat Sacerdos quidam Luſitanus minime vanus nec indoctus; qui ſe nitrum illud vidiſſe noſtris affirmavit. Haud dubium eſt, noſtros operam aliquando daturos, ut hæc certa indagine proſequantur.

Piſcatio littoris, fuit antehac ditiſſima, & Luſitanis, dum res ipſorum eſſent in integro, quæſtuoſa; nunc penitus abjecta jacet. Sed hæc poſtea repetita magno noſtratibus uſui exiſtit. Feras multas, etiam formarum inuſitatarum, caſu oblatas vidi & comedi, quamvis venationibus & talium rerum indagini nondum vacare hic liceat. Rem pecuariam inveni initio adventus noſtri florentem, nunc hæc non noſtri tantum, ſed etiam hoſtilis exercitus uſu vehementer eſt attrita. *Hæc ille.*

Operæ pretium autem putavi hic inſerere Itinerarium quod à Wilhelmo Glimmerio noſtrate accepi. Is narrat, eo tempore, quo ipſe in Præfectura S. Vincentii degeret, veniſſe ad illas partes è Præfectura Bahiæ Franciſcum de Souſa; acceperat enim à quodam Braſiliano metallum quoddam, è montibus *Sabaroaſon*, ut ferebat, erutum, coloris cyanei ſive cæleſtis, arenulis quibuſdam aurei coloris interſtinctum, quod cum à minerariis eſſet probatum, in quintali triginta marcas puri argenti continere deprehenſum fuit. Hac illecebra provocatus Gubernator, montes hoſce & metalla diligentius inveſtiganda putans, ſeptuaginta aut octuaginta qua Luſitanos, qua Braſilienſes, eo mittere in animum induxit. Cum his Glimmerius noſter profectus, itineris rationem ita deſcribit.

Ab oppido S. Pauli, in præfectura S. Vincentii, profecti, primum ad municipium S. Michaëlis pervenimus, (quod diſtat à ſuperiori verſus ortum quinque aut ſex leucas) & ad ripam fluvii *Anhembi*, atque ibidem commeatus paratos invenimus, quos Barbari humeris erant portaturi. Deinque fluvium illud trajecimus, & quatuor aut quinque dierum pedeſtri itinere per denſas Silvas promovimus verſus Arctum, ad fluviolum qui oritur è montibus *Guarimumis* aut *Marumiminis*, ubi auri ſunt metalla. Hic *Canois* aliquot è corticibus arborum conjunctis, ſecundo hoc amniculo deſcendimus quinque aut ſex diebus, incidimuſque in majorem fluvium ab Occidentali plaga deſcendentem. Prior ille fluviolus labitur per humiles & irriguos campos & amœnitate ſpecta-

ſpectabiles. Secundum hunc majorem cum biduo deſcendiſſemus, incidimus in fluvium adhuc longe majorem, qui è montis *Paranapiacabæ* Arctoo latere oritur (ſicuti *Anhembi* ex Auſtrali ejuſdem latere) & primum ſecundum montium ductum verſus occaſum dilabens, dein cubito flexus, aliquandiu fertur verſus Arctum, & tandem, ut vulgo creditur, illabitur in Oceanum inter Promontorium *Frio* & Præfecturam Spiritus Sancti, piſcibus tam majoribus quam minoribus egregie ſcatens: vocant fluvium de *Sorobis*. Hunc quoque quindecim aut ſedecim diebus deſcendentes pervenimus ad Cataracten, ubi fluvius ab editis montibus conſtrictus, præceps ruit verſus ortum: quapropter hic *Canoas* noſtras depreſſimus, & rurſus pedeſtre iter aggreſſi, juxta & per alium amnem, qui ab occaſu advenit, & navigiorum non eſt patiens, quinque aut ſex diebus pervenimus ad altiſſimum montem; quo ſuperato deſcendimus in patentiſſimos campos, lucis quoque hac illac opacos, in quibus pulcherrimæ Pini viſuntur, quæ fructus ferunt mole capitis humani, cujus nuces medium digitum craſſæ, cortice teguntur inſtar caſtaneæ, & optimi ſunt ſaporis & nutrimenti: (*vix dubito, illum loqui de Zabucaio arbore*) ejuſmodi arbores per multa milliaria in mediterraneis reperiuntur. Deinceps triduo pervenimus ad fluvium qui ab ortu deſcendit, quem tranſeuntes, quatuordecim diebus promovimus verſus Corum, per patentes campos & colles arboribus nudos, ad alium fluvium navigiorum patientem, & venientem ab Aquilone; hunc ratibus, quas *Iangadas* vocant, trajecimus; & quatuor aut quinque leucarum intervallo alium fluvium offendimus, pene ab Arcto allabentem, & navigiorum patientem. Credo autem, tres hoſce fluvios tandem in unum alveum confluere, & ferri in *Paragayum*, eo argumento, quod verſus Africum aut occaſum ſe proripiant. Porro toto illo itinere quod hactenus deſcripſimus, nihil culti vidimus, nullos mortales, hic illic tantum ruinas pagorum: nihil victui opportunum præter gramen & aliquot fructus ſilveſtres: obſervavimus tamen nonnumquam fumum aſcendentem, vagantur enim per has ſolitudines barbari quidam cum conjugibus & liberis, incertis ſedibus, qui obviis utuntur, nulla ſementis cura. Ad poſtremum hunc fluvium demum pagum indigenarum invenimus, & annonæ copiam, tempeſtive admodum, ſiquidem omnis, quam nobiſcum tuleramus, jam erat conſumta, & jam aliquandiu ſilveſtribus fructibus aut herbis campeſtribus famem expleveramus.

Menſem pene integrum hic morati, & annona parata, denuo iter promovimus verſus Corum, & menſe uno abſoluto, nullis fluviis obviis, pervenimus ad viam latam & tritam, & duos amnes diverſæ molis, qui ab Africo allabentes inter montana *Sabaroaſu* eluctantur verſus Boream; atque hos eſſe fontes ſeu capita fluvii S. Franciſci opinor. A pago ſupra dicto ad hos amnes nullos mortales vidimus, ſed accepimus, ultra montes nationem barbaram admodum populoſam agere; qui de Europæorum horum adventu (neſcio quo pacto) certiores facti, unum ſuorum dimiſerunt, ut nos ſpecularetur. Hic cum in noſtros incidiſſet, metu horum barbarorum atque annonæ inopia, nondum explorato metallo, cujus cauſa miſſi eramus, repedare maturavimus, & pene fame enecti rediimus ad pagum illum barbarorum. Vbi viribus recuperatis & annona parata, eodem itinere quo veneramus, ad fluvium illum, ubi *Canoas* depreſſeramus, ſumus reverſi; atque his refectis flumini nos commiſimus, eoque adverſo prorepetavimus uſque ad illius fontes; atque ita novem menſibus in hanc expeditionem impenſis, primo *Mogomimin*, dein ad oppidum S. Pauli rediimus. Sed jam redeamus ad inſtitutum, ubi hoc obſervaverimus, non plane veriſimile videri, hos fontes eſſe fluvii S. Franciſci, nam ſi rationes itineris accurate ſubducas, non videntur eouſque ad Arctum promoviſſe, ut ad illius altitudinem pervenerint; & opinor longiſſime in Continentem penetraſſe.

CAPVT II.

De Aëris temperie atque Anni tempeſtatibus.

AVtor hic noſter quandiu in Braſilia vixit, nimirum annis fere ſex, ſingulis diebus, imo & diei partibus, obſervaverat & annotaverat, quæ eſſet aëris conſtitutio, quæ aura, atque etiam cætera quæ ad meteorologiam pertinent, ut ex illis hoc caput conſtitueret, quod tamen morte præventus perficere non potuit; ut autem

autem guſtum aliquem percipiant harum rerum curioſi, typos trium annorum dabo, è quibus colligi poterit, quot & quibus diebus pluerit, & qui venti ſingulis tempeſtatibus perflaverint: cæteri enim anni fere ad ſimilem ſe habent modum, neque multum variant. Raro porro per totum diem & noctem pluit, rariſſime per aliquot dies continuos ſine intermiſſione. In Typis autem his litera P. notavimus omnes dies, quibus vel leviſſima & breviſſima pluvia cecidit, ne quis exiſtimet, illis diebus continuo pluiſſe: Ventos autem litteris notavimus, S. O deſignat Eurum, N. O Boream ſive Aquilonem; nam duo hi venti, viciſſitudine quadam ad univerſam hanc oram dominantur, & differentiam inter navigandi regulam conſtituunt.

TYPVS ANNI cIↃ IↃ C XI.

	Ian.	*Feb.*	*Mart.*	*Apr.*	*Mai.*	*Iun.*	*Iul.*	*Aug.*	*Sept.*	*Octob.*	*Nov.*	*Dec.*
1	p.	N.O	S.O	S.O	p.N.O	S.	p.S.O	p.S.O		S.O	p.	O.S. O.
2	S.O	N.O	S.O	p.N.O	p. S.	S.O	p.	p.S.O	S.O	O.S O.		p.N.O
3	S.O	N.O	S.O	N.O	p. S.	p.S.O	p.S.O	S.O	S.O	p.S.O	p.	p.N.O
4	S.O	N.O	p.	p. V.	p. O.	p.S.O	p.S.O	p. S.	p.	p.S.O	p.	p.S.O
5	S.O	p. V.	p.N.O	p. V.	p. S.	S.O	p.S.O	p. S.	p.S.O	S.O		S.O
6	O.	S.O	p.	N.O	p.S.O	S.O	p. S. S O.	p.S.O	S.O	S.O		S.O
7	p. O.	p.S.O	p.S.O	N.O	p.S.O	S. S. O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	O.		O.
8	O.S. O.	S.O	S.O	p. V.	p.S.O	p.	p.S.O	S.O	S.O	O.N O.		p.N.O
9	id.	p. O.	p.S.O	p.	p.S.O	p.	p.S.O	p. S.	p. S.	O.N O.	N.O	
10	id.	p.	S.O.	p.	S.O	p.	p. S. S O.	p.S.O	S. S. O.	id.	p.N.O	p.N.O
11	S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	S.O	S.	p. S.	p.S.O	p. S.	O.S O.	N.O	N.O
12	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.	p.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O
13	p.S.O	p.	S.O	p. O.	S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	p.	p.S.O	N.O	
14	p. S.	p.N.O	S.O	p.S.O	p.	S. S. O.	p.S.O	p.	p.S.O	p. S.	N.O	
15	O.	p.N.O	p.	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	S.O	S.O	S.O	N.O	
16	O.S. O.	p. O.	p.S.O	p. S.	p.S.O	S.	p.S.O	S.O	p.S.O	N.O	O.	p.
17	S.O	O.	p.S.O	p.	p.N.O		S. S. O.	S.O	S.O	N.O	p.S.O	
18	p.S.O	O.		p. V.	p.N.O	S.		p.S.O	S.	p.N.O	p.S.O	
19	p.S.O	p. O.	p.S.O	p. S.	S.	p. S.	S.O	p.S.O	N.O	N.O	N.O	
20	S.O	O.	N.O	p.S.O	S.	p. S.	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O	N.O	O.
21	p.S.O	p. O.	S.S. O.	p.	p.	p. S.	p.S.O	p.	N.O	p.N.O	O.	O.
22	p.S.O	p.S.O	S.O		p. S.	p. V.	p.S.O	p.S.O	N.O		p.	O.
23	p.	O.	p.S.O	p. O.	p. O.	O.S. O.	S.O	p.S.O	O.N	p.N.O	N.O	O.S O.
24	S.O.	O.	p.N.O	p.	p. S.S. O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O		N.O	p.N.O	
25	S.O.	N.O	p.N.O	p.	p.	p.S.O	p.S.O	p.	O.	p.	p.S.O	p.S.O
26	S.O.	N.O	p.N.O	O.	p. S.	p.S.O	S.O	S.O	S.O		p.S.O	S. S. O.
27	p.S.O.	p. O.	p.N.O	S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p. S.	p.N.O	S.O	p. id.
28	S.O.	S.O.	p.N.O	p. S.	p. S.	p.O.S	p.S.O		p.	p.N.O	O.	p.S.O
29	S.O.	S.O.	p.S.O	S.O	O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O		O.	S.O
30	p. O.		p.N.O	p. O.	p. O.	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	O.N O.	O.	p.N.O
31	O.		p.S.O		p.	p.	p. S.	S.O		N.O		N.O

Ex quo obſerva primo, hoc anno ducentis & duobus diebus aut parum, aut multum pluiſſe, reliquis minime. Deinde menſes pluvios fuiſſe illo anno, Februarium, Martium, Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, Auguſtum: maxime autem & pene continuo Maium & Iulium. Tertio ventum Aquilonarem demum XIX Septembris

ſpirare

ſpirare cœpiſſe, neque eo minus ab initio Ianuarii & etiam ante auram aſpiraſſe ab Euro: atque etiam ventos illos binos Eurum & Aquilonem involaſſe in fines aliorum, & Eurum hoc anno palmam tuliſſe. Obſervavi quoque tantum tonuiſſe Ian. 19 Martii 4, 6, 15, 20. April. 9, 10. Maii 14. Et utcunque pluerit interdiu, longe maximam partem noctes claras & ſerenas fuiſſe, quaſdam etiam frigidas. Denique nebulas hic eſſe admodum raras. Fulgura quoque crebra tantum hoc anno annotat Ianuarii decimo octavo: Februarii decimo ſexto, & Martii quarto. Nebulas denique annotat tantum ultimo Octobris; & primo, ſecundo, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo Novembris: ita ut hoc anno raræ fuerint.

TYPUS ANNI cIↃ IↃc XII.

	Ian.	*Feb.*	*Mart.*	*Apr.*	*Mai.*	*Iun.*	*Iul.*	*Aug.*	*Sept.*	*Octob.*	*Nov.*	*Dec.*
1	p. N. O	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	S. O	N. O	O.	O.	O. S O.	p. N. O
2	p. S.	p. S. O	S. O	p. S. O	p.	S. O	p. S. O	p. N. O	O.	p. O.	p. O. N O.	N. O
3	S. O	p. S. O	S. O	p.	p. S. O	p. S. O	p. S. O	N. O	p. O.	p. O.	O.	p. N. O
4	O.	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	S. O	p.	O.	O.	O.	N. O
5	p. O. S O.	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. N. O	O.	O.	O. N O.	p. N. O
6	S. O	p. S. O	N. O	p.	p. S. O	p. S.	p. S. O	p. N. O	O.	O.	O. N O.	N. O
7	S. O	S. O	N. O	p.	p. S. O	p.	p. S. O	O. N O.	p. O.	O.	O. N O.	N. O
8	S. O	S. O	N. O	S. O	p. S. O	p. O.	p. S. O	p.	p. S. O	O.	N. O	N. O
9	S. O	S. O	S. O	S. O	p. S. O	p.	p. S. O	p. O.	p. O.	p.	N. O	N. O
10	S. O	S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	p.	p. S. O	p. S. O	S. O	N. O	N. O	N. O
11	S. O	S. O	S. O	p.	p. S. O	p.	p. S. O	p. S. O	O. N O.	N. O	p. N. O	N. O
12	p. S. O	S. O	p.	p.	S. O	p.	p. S. O	S. O	N. O	O. N O.	O.	N. O
13	N. O	p. S. O	p.	S. O	S. O	p.	p. S. O	S. O	N. O	N. O	p. O.	p. N. O
14	N. O	p. S. O	p. S. O	p.	p. S. O	p. S. O	S. O	p. O. S O.	N. O	N. O	N. O	N. O
15	N. O	S. O	S. O	p.	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	N. O	N. O	p. N. O	N. O
16	O.	p. S. O	S. O	S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	N. O	N. O	p. N. O	p. N. O
17	N. O	p. S. O	S. O	S. O	p. S. O	S. O	S. O	p. S. O O.	N. O	N. O	p. N. O	p.
18	N. O	N. O	S. O	S.	S. O	S. O	p. S. O	O. S O.	N. O	N. O	p. N. O	p. N. O
19	N. O	p.	p. S. O	S.	p. S. O	S. O	p.	O. S O.	p. N. O	p.	N. O	p. N. O
20	S. O	p.	p. S. O	p. S. W	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	p.	p. N. O	N. O	p. N. O
21	p. S. O	N. O	S. O	p. S. O	S. O	p.	p. S. O	O.	p. O. N O.	p. O. N O.	N. O	p.
22	S. O	p.	p.	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p.	S. O	p.	p.	O.	N. O
23	S. O	N. O	S. O	p.	p. S. O	S. O	p.	S. O	O.	O.	O.	N. O
24	O.	N. O	p.	p.	S. O	S. O	S. O	O. S O.	N. O	N. O	N. O.	p.
25	O.	p.	p.	N. W	p. S. O	S. O	N. O	O. S O.	N. O	N. O	N. O	
26	S. O	p.	S. O	p.	p. S. O	p. S. O		O S. O.	N. O	N. O	N. O	O. N O.
27	S. O	S. O	S. O	p. S.	p. S. O	p.	N. O	p. O. S O.	N. O	N. O	N. O	
28	O.	S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	p. O.	O.	N. O	N. O	N. O
29	p.		p.	p.	p. S. O	p. S. O	S. O	O.	O.	N. O	N. O	N. O
30	S. O		p. S. O	p.	S. O	p. S. O	N. O	p. O.	O.	N. O	N. O	p.
31	S. O		p. S.		p. S. O		N. O		N. O			p.

E quo obſerva primo, hoc Anno centum & ſeptem ſupra ſexaginta diebus, aut parum, aut multum pluiſſe, reliquis minime. Deinde illo Anno menſes maxime pluvios fuiſſe Februarium, Martium, Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, Auguſtum; maxime autem & pene continuo Aprilem, Maium, & Iulium. Tertio ventum Aquilonarem demum

demum xi Septembris perflare cœpiſſe, & Eurum maxime hoc anno dominatum; licet hi duo venti non raro in alienos fines irruperint. Obſervandum quoque hoc anno rarius tonuiſſe & tantum Februarii ſexto & vigeſimo ſecundo: Martii vigeſimo tertio, vigeſimo quinto, & vigeſimo nono: Aprilis ſecundo, vigeſimo tertio & quinto; Decembris trigeſimo. Fulguravit tantum Martii vigeſimo tertio, & Decembris trigeſimo. Nebulæ, & quidem craſſæ, hoc anno frequentiſſimæ fuerunt; nimirum Martii tertio: Aprilis 16, 17, 18, Maii 3, 7, 9, 24, 25. Iul. 2, 17, 19, 27, 28, 29, 30, 31. Auguſti 1, 2, 3, 4, 18, 20, 22, 23, 24, 25, 29, 30. Septemb. 1. Octob. 3, 4, 5. Nov. 4, 5, 21, 22, 23. Decemb. 19, 20, 21, 24. Annotat autem ad ſecundum Iulii: mane nebula craſſa, ante meridiem nubilum, montes fumantes, Sol rarus, Eurus fortis, frigidus, interpluit crebro, poſt meridiem itidem, nox nubila; interpluit crebro. Frigidiſſimum erat etiam ipſa meridie in monte altiſſimo *Itapuamuru*, ita ut barba & capilli aſpergine obducti nobis eſſent & manus rigerent præ gelu. Ita & ſæpe notat noctes frigidas.

TYPUS ANNI CIↃ IↃC XLII.

	Ian.	*Feb.*	*Mart.*	*Apr.*	*Mai.*	*Iun.*	*Iul.*	*Aug.*	*Sept.*	*Octob.*	*Nov.*	*Dec.*
1	p.	S. O	N. O	p. S. O	S. O	S. O	p. S.	S. O	p. S. O	p. O.	N. O	O. N O.
2	p.	S. O	N. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S.	S. O	S. O	N. O	N. O	N. O
3	p.	p. S. O	N. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	O.	N. O	O.
4	p. N. O	S. O	N. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	O.	p. S. O	O.
5	p.	S. O	N. O	p. S. O	p. S. O	S. O	S. O	S. O	p. S. O	O.	S. O	O.
6	p.	S. O	O.	p. O.	S. O	S. O	S. O	S. O	p. S. O	N. O	O.	O.
7	N. O	S. O	O. N. O	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	S.	p. S. S	N. O	N. O	O. S O.
8	p. N. O	p. S. O	p. O.	p. S. O	p.	p. S. O	S. O	p.	S. O	N. O	N. O	S. O
9	p. N. O	S. O	p.	S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S.	S. O	N. O	O.	S. O
10	p.	S. O	p.	S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	N. O	N. O	O.	S. O
11	S. O	p. S. O	p. O.	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. N. O	V.	N. O	O.
12		p. S. O	p. O.	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	N. O	p. S. O	p. V.	O.
13	O. N O.	S. O	p. S. O	p. S. O	p.	p.	p. S. O	S. O	N. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O
14	p. N. O	p.	p. S. O	p. S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	S. S. O.	N. O	p. N. O	p. O.	S. O
15	p. N. O	p.	p. S. O	S. O	S. O	S. O	p. S. O	S. O	N. O	N. O	p. O.	S. O
16	p.	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	S. O	S. O	N. O	N. O	O.	p.
17		p.	p. S. O	S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	S. O	N. O	N. O	O.	S. O
18		S. O	p.	p. O. S O.	p. S. O	p.	S. O	p. S. O	p. S. O	N. O	p. O.	S. O
19		p. S. O	N. O	S. O	p. S. O	p. S. S. O	S. O	p.	p. S.	N. O	N. O	S. O
20	O. N. O	S. O	O.	p. S. O	p. S. O	p. S. S. O	p. S. O	p.	p. S.	N. O	N. O	S. O
21	N. O		p. O.	p. S. O	S. O	p. S. S. O	p. S. O	p. S. O	p. N. O	N. O	N. O	N. O
22	S. O	S. O	O.	p. S. O	S. O	p. S. S. O	S. O	p. S. O	p. O. N O.	p. N. O	N. O	p. N. O
23	p.	O. S. O	S. O	p.	S. O	p. S. S. O	S. O	p.	S. S. O.	O.	N. O	O. S O.
24		O.	O.	S. O	p. S. O	p. S. O	S. O	p. S. O	S. S. O.	O. S O.	p. N. O	S. O
25			p. O.	p. S. O	S. O	p. S. O	S. O	S. O	S. S. O.	p. O. S O.	N. O	S. O
26	N. O	N. O	p. O.	p. O. S O.	S. O	p. S. O	S. O	p.	S. S. O.	p.	O.	S. O
27	p.	N. O	p. N. O	S. O	p. S. O	p. S. S. O	p. S. O	p.	p. V.	O. S O.	O. S O.	S. O
28	p. O.	N. O	O.	S. O	S. O	p. S. S. O	S. O	p.	p. V.	N. O	N. O	S. O
29	S. O		O.	p. S. O	S. O	p.	S. O	p.		O.	N. O	p. O.
30			O.	p. S. O	p. S. O	p.	p. S. O	p.	O.	O.	N. O	S. O
31	p. N. O		p. O.		S. O		S. O	S. S. O.	N. O	O. N O.		S. O

Equo

E quo obſerva primo, hoc anno centum & ſexaginta tribus diebus aut parum aut multum pluiſſe, ac ducentis & duabus diebus non pluiſſe. Deinde menſes Martium, Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, & Auguſtum, maxime pluvios fuiſſe. Tertio ab initio Februarii ventum à plaga S. O. cœpiſſe flare, atque ita pertendiſſe ad decimum Septembris. Obſerva quoque tantum tonuiſſe Ianuarii primo, quarto, decimo; Martii decimo; Aprilis vigeſimo ſecundo & tertio; Maii octavo, nono, & vigeſimo.

Fulgura autem tantum obſervat Aprilis vigeſimo primo & ſecundo: nebulas Martii decimo octavo.

Reliquorum annorum fere eadem aut non multum diſſimilis eſt ratio; è quibus prudens Lector facile intelliget, quæ ſint communes in hiſce regionibus tempeſtates, nimirum quatenus intra Tropicum jacent, nam in iis regionibus quæ magis ad Antarcticum tendunt, paulo alia eſt ratio.

CAPUT III.

De Incolis Braſiliæ.

INcolarum naturalium hujus terræ ſunt quatuor nationes, ſuis nominibus diſtinctæ: nimirum *Tupinambu*, *Tobajara*, *Petiguara*, & *Tapuiya*. Et poſtrema hæc natio iterum in alias multas nominibus diſtinctas, & idiomate differentes, diviſa eſt. Tres reliquæ una utuntur lingua, dialecto tantum ex parte differente, ut capite de Braſilianorum lingua obiter à nobis explicabitur.

Tapuiyarum nationes quæ habitant ad flumen S^cti^ Franciſci, ſunt *Arodera*, *Cajau*, *Maquaru*, & *Poyme*.

Luſitani hic plurimi habitant, uti & Belgæ, iiſque permixti Germani, Galli, Angli, &c. Braſiliani vocant Belgas, Germanos, Gallos, Anglos, *Ajuru-juba*, ideo, quia plerumque ruffas ſeu flavas habent barbas & capillos. In genere autem vocant omnes Europæos & advenas *Caraiba*, itemque *Pero*.

Denique ob miſturam variarum nationum, aliæ quinque diſtinctæ hominum ſpecies reperiuntur: nimirum qui ab Europæis parentibus, patre atque matre, hic natus eſt, appellatur *Mozombo*.

Qui natus eſt ex patre Europæo & matre Braſiliana, nominatur *Mameluco*.

Natus ex patre Europæo & matre Æthiopiſſa, dicitur *Mulato*.

Natus ex patre Braſilienſi & matre Æthiopiſſa, vocatur *Curiboca*, & *Cabocles*.

Natus hic ex utriſque parentibus Nigritis, appellatur *Criolo*.

Vidi hic Africanam feminam, non nigram, ſed ruffa plane cute & pilis ac capillis ruffis. Ex qua regione eſſet, non potui reſciſcere, nam linguam ejus non intelligebant reliqui Nigritæ.

Multos hic vidi Æthiopes ſenes barba magna & totaliter cana, ut & capillis capitis canis. Lepidum ſpectaculum! atra barba quæ incanuit, in nigra cute, videtur quaſi farina eſſet aſperſa.

Vidi hic etiam plane albiſſimum juvenem octodecim annorum, pilis criſpis albiſſimis & ſuperciliis albis, cute albiſſima, naſo plane more Æthiopum, qui natus hic è patre & matre Nigritis.

Annotatio. Tapuiyarum fines & ſedes à Iacobo Rabbi, qui plures annos inter illos vixit, ita deſcriptas accepimus. *Rio Grande*, ad cujus oſtium jacet arx Colonia dicta, ad ſex horarum iter penetrat in Continentem verſus occaſum: uti & fluvius *Mupeo* novem horarum itinere à *Rio Grandi* verſus meridiem. *Syrag minor* trium horarum itinere à *R. Grandi* verſus Arctum, ferme quinquaginta horarum itinere deſcendit è Continente.

A *Rio Grandi* porro verſus Arctum exit in mare inſignis fluvius *Mapreucauch*, longe è Continente deſcendens, & Porcorum aquaticorum ferax; ad ripas illius multæ vagantur Capreæ & Struthiones. Tertius fluvius duodecim mill. à *Rio Grandi*, vocatur *Ypotinge*. Quartus autem *Vguaſu* dictus, ſeptemdecim horarum itinere diſtat à *Rio Grandi*. Deinceps diei itinere ab *Vguaſu* occurrit *Yponi*, ubi Salinæ ſunt: à quibus ad alias Salinas milliaria numerantur quindecim: atque ab his ad *Aritavva* novem: ad maximas Salinas, & per excellentiam ita noſtris dictas, tria: ad *Vnabatubam* totidem: ad *Marytupa* duo: ad

Warerugh unum. Hic fluvius alio nomine appellatur *Oſcthunogh*, qui ſupra centum milliaria penetrat in continentem verſus Auſtrum. Quinque autem & viginti mill. à littore maris, jacet grandis lacus *Bajatagh*, piſcium fœcundus: & ad ſiniſtram ab hoc verſus ortum alter, qui *Igtug* appellatur ab Indigenis, quem tamen nemo ingredi audet, ob copiam mordacium piſcium, & hominibus admodum infeſtorum. Adjacet huic vallis *Kuniangeya*, viginti milliaria in longitudinem patens, in latitudinem tantum duo: quam permeat fluvius *Otſchunegh*, piſcibus abundans, ſicut ipſa vallis maxima copia ferarum, & variis fructibus: quarum præcipui ſunt, *Kuraura* Barbaris, magnitudine pomi noſtratis, qui ubi ſponte deciderunt, tum demum edules ſunt: dein *Dierada*, magnitudine globuli ſclopetarii, plane nigricantes antequam defluant. Atque hiſce fructibus Barbari quotannis trimeſtre ſpatium victitant: quibus accedit *Kakara*, fructus inſtar juglandis, qui coquendus eſt, antequam comedatur: crudus enim amaricat inſtar glandis. Magna quoque copia naſcuntur hic Ficus ſilveſtres, pugni magnitudine: quarum quædam intus rubræ, externe virides: aliæ extus rubræ, & interius albæ, & plenæ granulis albis, quæ, ubi præ maturitate dehiſcunt, admodum dulces ſunt inſtar Sacchari; harum plantarum folia inſtar ſubulæ acuta & digitum humanum longa. Præterea ſunt radices è quibus Indigenæ panem faciunt, ipſis *Atug*, *Harag*, *Hobig*, *Engepug*, quæ crudæ comedi poſſunt: *Eniapugh*, quæ torrendæ ſunt: *Packoda*, quæ crudæ; & *Hompugh*, quas potiſſimum ad ſitim exſtinguendam uſurpant. Ita ut hic terrarum tractus longe amœniſſimus ſit & victum hominibus ſufficiat.

Porro ab *Otſchunogh* ad *Opponne* milliaria numerantur decem, qui fluvius ab Auſtro pene centum milliarium ſpatio deſcendit: ab hoc ad *Iauarug* iter eſt bidui: ad *Beryvere* unius milliaris; ad *Vatepug* duorum, atque ita porro per *Wieſerro* & *Bacvvatigg* ad *Ciaram* grandem iter eſt duorum dierum.

Inter hos fines, qui ſatis amplum terrarum ſpatium occupant, incolunt varii Tapuiyæ, etiam idiomate diverſi, & ſub diverſis Regulis: quorum primus *Ianduy* late tendit in *Otſchunogh*, *Otſchuayayuch*, & *Drerinagh*: huic proximus *Prítiyaba* cum priori pacem & amicitiam colens: mox *Arigpoygh*; *Wanaſevvaſug*, *Tſhering*, & *Dremmemge*; quibus male cum præcedentibus convenit, ita ut ſæpe hoſtiliter alii in aliorum fines incurrant. *Ianduy* autem jam ſupra centeſimum ætatis annum agens, eſt Regulus ille qui pacem cum noſtris colit, & ex fœdere aliquoties aut ipſe noſtris ſubſidio venit, aut filium atque affinem cum copiis miſit contra Luſitanos, quibus infenſiſſimus eſt: ſed non eſt hiſce Barbaris, niſi in ſumma neceſſitate utendum, nam tam immanes ſunt, ut tam animalia quam homines neci tradant, & magnam vaſtitatem inducant, neque noſtri facile ejuſmodi furiis uſi fuiſſent, niſi ſimiles Luſitani in noſtros immiſiſſent.

CAPUT IV.

De Statura & habitu corporis Braſilienſium, & de eorum ætate & moribus.

INdigenæ qui inter nos degunt, ſtatura ſunt mediocri, robuſti, largis humeris, bene compoſiti: nec facile eſt inter illos invenire, diſtortum vel luſcum aut claudum. Quod mirum videri poteſt, quum infantes recens natos nunquam faſciis involvant aut ligent, ne cauſam morborum illis præbeant. Ligant tantum ſuis in infantia crura certis faſciis, quas vocant *Tapa cura*, ea de cauſa ut robuſtiora fiant. Oculos habent nigros, naſum compreſſum, os amplum, capillos nigros, rectos. Barbam raram aut nullam. Multi tamen dantur qui barbas habent nigras. Mulieres quoque mediocris ſunt ſtaturæ, bene diſpoſitæ, & formæ haud inelegantis, nigris comis, ſatis robuſtæ, & quæ facillime pariunt.

Annos ſuos numerant ab exortu Heliaco Pleiadum, quos *Ceixu* vocant, atque ideo annum eodem nomine denotant: accidit autem is ortus menſe noſtro Maio.

Numerum annorum ætatis ſuæ ut retinere poſſint, ſingulis annis reponunt unam caſtaneam de *Acajû*, quam ipſi *Acajû acaya* appellant, itemque *Acaiuti* & *Itemboera*. Fructus enim illius arboris ſingulis annis ſemel maturatur, nimirum menſibus Decembri & Ianuario, uſque in Martium durans. Plura de hac arbore dicta in lib. III. de Arboribus.

Diu plerumque vivunt, & videre inter illos licet multos ſenes, centum, atque etiam viginti ſupra centum annorum, neque facile caneſcunt, niſi in decrepita ætate.

Pueri illorum ingenio ſunt ſatis docili: verum quando adoleſcentiam ingrediuntur, fiunt hebetiores, ita ut paucos videre liceat literis inſtructos, aut qui artem ſcribendi norint; aut alias artes Europæas, à quibus quodammodo abhorrent, laborum impatientiores.

Tranquille ſatis agunt inter ſeſe: niſi quando poculis indulgent, tunc dies noctesque ſaltando & cantillando tranſigunt. Sunt enim ebrietati admodum addicti, tam mulieres quam viri: neque facile ab hoc vitio deterreri poſſunt, quod longe maximum illis eſt, è quo & rixæ atque aliæ pravæ conſuetudines naſcuntur.

Pigritiæ quoque valde obnoxii ſunt: præſertim *Tapuiyæ*, qui laborum vel maxime intolerantes ſunt; nam cum paucis ſint contenti, & terra abunde ipſis victum ſuppeditet, & divitias non appetant aut norint, ad labores ſubeundos non excitantur.

Quomodo hoſpites advenientes lacrymando excipiant feminæ illorum, & quibus ſermonibus illos alloquantur; atque quo pacto mortuos ſuos deplorent, jam ab aliis dictum eſt, præſertim à Ioanne Lerio, qui inter *Tupinambos* egit, à quorum moribus cæteri non diſſident; quare hic nihil repetendum duximus.

CAPVT V.

De Veſtitu & ornatu Virorum, & Mulierum Braſilienſium.

VIri ſubligaria jam ex linteamine plerumque induunt, quidam quoque induſia habent, & pileis utuntur, ſed maximam partem nudo incedunt capite, & capillis more Luſitanorum tonſis. Nudis incedunt pedibus, nullis calceis induti. Quidam etiam ſolummodo ſubcinctorio panno lumbos tegunt, cætera ſine veſtitu.

Mulieres vero jam longis induſiis veſtiuntur, factis ex linteo vel goſſypino panno, neque quicquam præterea veſtimentorum habentes. Comas autem capitis vel dependere ſinunt, vel more feminarum noſtratium tæniolis involvunt.

Tam viri quam feminæ & infantes variis coloribus cutem tingunt, nigro, rubro, flavo, ad quem uſum uſurpant ſuccum è fructu *Ianipaba* immaturo, qui nigro; *Vrucou* qui rubro tingit, & ita in cæteris aut fructu aliquo aut ligno utuntur.

Tapuiyæ, tam mulieres quam viri, fere nudi incedunt, & pilos circa pudenda evellunt. Viri membri ſui genitalis fiſtulam in ſe contrahunt & involvunt, ligantes tæniola quadam, vocantque id, quo ligant membrum, *Tacoaynhaa*. Religant autem, quando opus eſt ut meiant. Majore autem pudore afficiuntur monſtrando virgam explicatam quam nos. Eodem modo & alii quidam Braſilienſes membra ſua genitalia ligant.

Capillos capitis ad humeros uſque dependentes alunt, & inferius æqualiter præcidunt more ruſticorum Sueviæ. In fronte quoque æqualiter detonſum gerunt; ſed præciſione æqualiter facta uſque ad aurium regionem ſuperius, & angulis ita factis in utroque latere ad tempora. Eodem plane modo etiam feminæ cum comis ſuis agunt, & virorum more geſtant.

Viri corollas factas ex pennis *Guara* vel *Caninde*, capiti circumligant: dependent à poſteriore parte corollæ aliquot longiores pennæ è cauda *Arara* vel *Caninde*. Angulos itaque factos cum capillis adprime firmant, ne corollæ circumligatæ ſeſe ipſas deligent. Quidam etiam ſolum funiculum è goſſypio capiti circumligant, è quo poſtica parte aliquot pennæ longæ, rubræ vel cæruleæ propendent, vocant *Acanbuaçaba*.

Pallia quoque conficiunt è filis craſſis goſſypinis inſtar retis nexis, & cuilibet nodo innexa eſt penna, ita ut pallium totum pennatum ſit, & eodem pene modo & concinno ordine pennæ ſibi invicem incumbunt, uti ſquamæ piſcium. Pallium autem poſſuperius cucullum habet, ita ut totum caput, humeros, & coxas ad anum uſque hoc ſit tegere. Hoc pallio utuntur ornatus & neceſſitatis cauſa: ornatus quidem, quia elegantiſſimis pennis rubris avis *Guara* contextum eſt, vel etiam admixtis pennis nigris, viridibus, flavis, variis, avium *Aracucaru*, *Carinde*, *Arara*, &c. Neceſſitatis autem, quia pluvia non pertranſit illud pallium, ſed aqua cum his defluit. Appellant hæc pallia *Guara abucu*. Solent quoque cum cera ſeu melle ſilveſtri, certas

tas ex avium elegantium pennis criſtas capiti agglutinare, quas criſtas ipſi nominant *Aguana*.

Auriculas perforant in tantum, ut digitum immittere poſſis foramini. Huic immittunt vel os aliquod Cercopithecorum, & vocant *Nambipaya*; vel lignum aliquod digiti humani longitudine filis goſſypinis circumvolutum.

Viri labium inferius perforatum habent, & foramini immittunt lapidem aliquem ſeu cryſtallum ſeu ſmaragdum vel jaſpidem, magnitudine nucis avellanæ, vocant talem lapidem *Metara*, & ſi viridis vel cæruleus fuerit *Metarobi* nominant. Viridem autem imprimis amant & ut plurimum geſtant.

Ad utrumque etiam oris angulum buccæ perforatæ ſunt conjugatis ſolum viris, & cuilibet foramini indunt lignum, figura & magnitudine pennæ anſerinæ, quod inſtar clavi infixi prominet, vel etiam immittunt lapidem aliquem, quem vocant *Tembe coareta*.

Nares non raro perforant atque indunt ejuſmodi ligna, *Apiyati* appellantes.

Corpus autem varie pingunt: atque inſuper toti corpori agglutinare ſolent plumas variarum avium ſubtiliores cum maſtiche, melle ſilveſtri vel *Mingaupomonga*. Vocant hunc actum *Acamongui*. Atque ita apparent quaſi toti hirſuti eſſent.

Brachia quoque ornant certis corollis factis è plumis avium rubris & flavis, vocantque *Aguamiranga*. Item aptant corallia varia, quæ à noſtratibus acceperunt, atque hunc ornatum appellant *Papixoara*.

Pennas denique Struthionum multas, vel pennas è cauda *Araræ*, in orbem quaſi colligunt & connectunt filo craſſiori, atque adligant lumbis, ita ut anum tegant & fere ad genua propendeant, & appellant hunc ornatum *Aracoaya*.

Ex fructus *Aguay*, qui triangularis eſt, corticibus, quos filo annectunt, etiam monilia faciunt, quæ cruribus infra ſuras circumligant, qui cortices inter ſaltandum ſonum quendam edunt.

Loco calceorum noſtratium, è certo cortice *Curagua* ipſis vocato, factis utuntur, atque illos vocant *Miapapacaba*, Luſitani autem *Alpargatas*.

Mulieres pudenda ſua ſolummodo tegunt faſciculo herbarum aut foliorum alicujus arboris, quæ ſubinſerunt chordæ, qua cinguli loco ſe circumligant. Similem faſciculum etiam uſurpant pro tegmine ani. Haud multum tamen utraque hæc janua ad rem facit, nam facile & anterior & poſterior porta apparet.

Mulieres quoque ad virorum modum, corpus ſuum variis coloribus pingunt.

Atque hæc inter gentiles adhuc obtinent, nam qui Chriſtiani facti ſunt, ad Europæorum amictum & ornatum ſe componere conſueſcunt.

CAPUT VI.

De Supellectile Braſilienſium.

SVpellex Braſilienſium admodum pauca eſt, ita ut cum loca mutant, aut peregre proficiſcuntur, mulier omnem ſecum portet, onerata inſtar muli, maritum ſemper ſequens.

Primaria ſupellex eſt rete, quod ipſi vocant *Ini*, Luſitani *Rede*, Belgæ **Hange-mack** vulgo *Hamacca*: in hoc dormiunt, alligata utraque extremitate ad ædium ſuarum trabes. Sunt autem hæc retia ex filis goſſypinis contexta, ſex aut ſeptem pedes longa, quatuor ampla.

Luſitanæ quoque feminæ elegantia conficiunt, ampla & variis figuris intertexta.

Tapuiyæ Cariri duodecim vel quatuordecim pedes longa faciunt, ſex vel ſeptem ampla, ita ut quatuor homines ſimul in eo cubare poſſint.

Habent unam atque alteram ollam ex argilla factam, qua utuntur ad coquendum.

Adhæc mortarium ligneum cum piſtillo ligneo, quod vocant *Angua* & *Vmbua* vel *Vnqua*. Cultros à noſtratibus redemtos, nominant *Itaquice*: vulgo alias è petra faciunt, etiam vocant *Itaque*: item ex Arundine, quos dicunt *Taquoaquice*.

Specula ex Europa allata, quibus ſupra modum delectantur, vocant *Guarugua* & *Aruga*. Loco patinarum utuntur cucurbitis, quarum multæ & variæ hic reperiuntur ſpecies; has per medium ſecundum longitudinem ſecant & rubro *Vrucu* colore exterius tingunt, interius autem obducunt nigredine. Vocant ſic *Cuyaba*: quæ eſt medietas gran-

dis & amplæ cucurbitæ, quæ integra triginta aut triginta quinque cantharos vini poteſt capere. Medietatem tamen cucurbitæ longæ nominant *Cuipeba*: denique quamcunque medietatem *Cuya*: *Caruaba* autem omne in quo & ſuper quo cibum ſumunt.

Cochlearum loco inſerviunt ipſis digiti manus, vel mytulli, aut aliæ conchæ.

Menſa ipſorum eſt vel terra ipſa, vel ſcamnum quoddam, quod *Patagui* vocant, factum ex arundine vel virgis ligneis, more noſtratum ſcamnorum.

Caniſtra faciunt ex foliis Palmæ, & appellant *Patigua*: in his recondunt quicquid habent. Alios quoque præterea habent corbes ex arundinibus concinnatos. Hanc ſupellectilem generali nomine vocant *Caramemoa*.

Ex virgultis quoque conficiunt corbes oblongos, ſatis amplos, quos capite portant impletos, vocant *Panacu*. Inſerviunt ipſis præcipue ad tranſportandum radices *Mandioca*, quando farinam faciunt: nam iter facientes utuntur aliis illis, quos vocant *Patigua*. Æthiopes autem hic *Panaca* utuntur ad res quaſlibet portandas.

Lagenæ, canthari, cyathi illorum, ſunt cucurbitæ variæ, ut *Cuieté*, *Karoba*, *Cuibuca*.

Quando peregre proficiſcitur maritus, mulier ſemper illum ſequitur quocunque abeat, ſive in expeditionem militarem, ſive alio, ſive procul, ſive prope: Ille nihil præter arma ſua portat: mulier vero inſtar muli onerata eſt, præterquam enim quod à capite in tergum dependet corbis, quem *Patigua* vocant, quam chordæ annectit, (chordam autem non collo, ſed fronti circumponit geſtando illam) etiam capiti ſuperius imponit alium corbem cum mobilibus ſuis, vel ingentem cucurbitam farina refertam: lateribus præterea adhærent cucurbitæ minores, quibus aquam hauriunt ad bibendum. Nec tamen adhuc ſatis onerata eſt mulier, infantem etiam geſtare debet, inſidentem linteamini, quod ab humero dextro dependet. Inſidet autem infans cruribus divaricatis, uno ad ventrem, altero ad tergum matris verſo, ventrem vero ſuum lateri matris dextro applicat. Præterea una adhuc manu vel Pſittacum geſtat, vel *Cagui*, altera autem manu canem funiculo alligatum ducit. Ita abeunt ſine curis, non inſtructi loculis argento repletis, ſed cucurbita pauca ſolum farina, referta, non ſolliciti de hoſpitio nec hoſpite fido vel infido, ſufficiunt enim ſilvæ & campi, qui gratis præbent cibum, potum vero fluvii, lacus, vel fontes, vel planta quæ vocatur *Caraguata*, quæ inter folia ſemper aquam pluvialem continet: ſummum remedium in locis aridis & ſterilibus, ubi ſæpius nec fluvius, nec rivus, nec lacus ſpatio octo, novem, duodecim milliarium reperitur. Adventante veſpera, ubi pernoctare animus, ibi retia ſua ſeu lectos penſiles alligant arboribus, vel palis terræ infixis, ignem prope ſtruunt, præparant ſuum cibum, hauriunt potum, comedunt, bibunt. Si autem metus ſit à pluvia, hic ſunt Palmæ arbores, præciduntur rami, baculi duo terræ infiguntur, alii oblique inſtar tignorum alligantur opera viminis, complicantur folia palmæ cynaris, fit tectum, atque ita domus confecta eſt & ſimul picta; viriditate enim ſplendent naturali folia, qui color gratiſſimus eſt oculis, nec parietes calce incruſtati albedine ſua hebetant viſum. Hæc domus & pluviam arcet & homines à vento nocturno defendit, quod regioni venti opponatur.

Cum domi exiſtentes, viri mane cum arcubus & ſagittis ſuis in ſilvas abeunt vel campos, ad figendum aliquam feram vel avem: vel abeunt ad mare piſcandi cauſa, vel piſcantur in fluviis vicinis: mulieres plantaria adeunt, & labores ſibi impoſitos ſubeunt. Quædam & maritos comitantur, ut prædam domum reportent.

Feras capiunt variis modis, vel enim figunt ſagittis, vel foveas faciunt profundas in terra, & deſuper cooperiunt ramulis arborum certo loco, in quas incidunt inopinato feræ, vocant *Petacu*: vel etiam è ligno certas decipulas faciunt. Alius modus feras grandiores capiendi vocatur *Mande aratacá*, quo in capreis capiendis utuntur. Alius item inſidiarum *Poé*: tertius pro eiſdem capreis *Munde guaçu*; pro *Tatú* & *Agutí*, & ſimilibus animalibus, adhuc alium habent, quem dicunt *Mundeguaya*.

Ad volucres autem capiendas, utuntur certis inſtrumentis, quæ vocant *Iucana*: quæ illis ſunt trium generum: nimirum *Iucanabipiara*, quod aves pedibus capit: *Iucanajuripiara*, quod eas cervice apprehendit: *Iucanapitereba*, quod medio corpore.

In fluviis Piſces vel ſagittis figunt, vel hamulis capiunt, quibus applicant vel lumbricos teretes, qui ab ipſis vocantur *Candaguaçu*, vel gammaros, cancellos, piſciculos. Vel inebriant illos, ut quaſi mortui ſuperfluitent, cum foliis *Iapicai*, vel cum *Timbopotiana*, vel cum *Tinguii*, vel cum *Tinguiri*, vel cum fructu *Cururu ape*; aut radicibus *Magui*,

gui, corticibus arboris *Andà*, & ſimilibus. Piſcantur quoque certis cribris, *Vrupema* vocatis, quæ faciunt ex arundine *Vruguiboandipia* appellata.

In mari piſcantur hamulo eſca inſtructo & filo alligato, inſidentes tribus lignis ſibi invicem annexis, vocant *Igapeba*, & Luſitani *Iangada*. Fiunt autem è ligno arboris *Apeiba*, ut jam ſupra diximus. Fila autem ſua piſcatoria faciunt è filis *Tacu*, vel etiam *Icipoicica*, vocantque *Pinaçama*: hamulos denique faciunt è ferro, & appellant *Pinda*.

CAPVT VII.

De Cibo & Potu Braſilienſium.

VNiverſale Braſilienſium alimentum eſt *Vi*, Luſitanis *Farinha de Mandioca* dicta: cujus varias ſpecies præparant, uti in deſcriptione *Mandiiba* dixi, ubi & varios illam præparandi modos prolixe explicavi.

Carnem variam uſurpant animalium ſilveſtrium, aviumque, uti & piſcium variorum, etiam teſtaceorum & cruſtaceorum; fructus itidem arboreos, terreſtreſque, varia legumina; de quibus omnibus ſpecialiter dixi ſuis locis. Imo & inſecta quædam comedunt, nimirum ea de quibus dixi in lib. de Inſectis.

Carnem autem comedunt vel coctam, vel aſſatam, vel toſtam. Coquunt in ollis terreis, quas *Camu* vocant, rotundis (quas è proba argilla ipſi norunt facere) affundendo aquam, atque ita coctam comedunt cum *Inquitaya*, juſculo *Caarimaciu*, admiſcentes *Mingau*, vel immittendo *Viata*, ut ſit *Minipiro*; comedentes illud cum carne loco panis.

Ignem eliciunt ope duorum lignorum, uno molli, altero duro, durum acuunt, & applicant molli, circumagendo inſtar terebri & admovendo goſſypium, vel arida folia arborum, atque ita flammam eliciunt. Ligna mollia quibus utuntur, aut ſumunt à *Tataiba*, aut *Ambaiba*, aut *Caraguataguaçu*, aut ſimilibus.

Aſſatam carnem ſic perficiunt, & eſt ea ſaporis excellentiſſimi, atque adeo excellit omnem aliam carnem quoquo modo aſſatam. Vocant *Biaribi*. Faciunt foveam in terra, & hujus fundo primo imponunt folia grandia alicujus arboris, illiſque imponunt carnem aſſandam, quam itidem foliis tegunt, terraque obruunt. Super terra illa focum ſtruunt luculentum, eumque continuant, donec caro ſit probe aſſata.

Toſtam carnem in præſentes & futuros uſus, faciunt hoc modo. Infixis quatuor furcis ligneis, è baculis cratem deſuper efformant, quem *Mocae* vocant, huic carnem in fruſta oblonga, haud craſſa, conciſam, & ſale aſperſam, (vel illius defectu Pipere Braſiliano) imponunt, prunas ſubjiciunt, atque ita torrent uſque ad ſufficientiam. Hæc caro ita toſta, ad decem vel quatuordecim & plures dies durare poteſt. Hic enim ſaliri ita caro non poteſt, ut in Europa. Numquam aſſant carnem veru affixam, uti nos ſolemus. Luſitani carnes ad eum modum toſtas appellant *Poſtas*.

Piſces aſſatos vel ebullitos comedunt cum *Iuquitaya*. Cancros vel gammaros quando coquunt, numquam adjiciunt ſalem inter coquendum, uti noſtrates ſolent facere, ſed coctos comedunt vel cum ſimplici ſale, vel *Iuquitaya*, Luſitanis *Sal pimenta*; & ſic gratioris deprehenduntur ſaporis.

Minutiores Piſces, ut *Piaba*, *Piquitinga*, &c. Foliis herbaceis aut arboreis involvunt & operiunt cineribus calidis, ita brevi tempore ad cibum parati ſunt, licet neque cocti neque aſſi dici poſſint.

Farinam duobus vel tribus poſterioribus digitis dextræ manus prehenſam inter edendum ori injiciunt, nullo cochleari utentes. Eodemque modo legumina cocta non immittunt ori, ſed injiciunt, ita dextre, ut vix aliquid prætereat.

Edunt ſæpius interdiu, imo & noctu, neque ſtata edendi tempora obſervant. Capiunt autem cibum cum ſummo ſilentio: raroque inter edendum bibunt, ſed demum poſt paſtum adjiciunt potum.

Dormiunt in retibus ſuis: ſunt admodum pigri, & non raro totum diem ſtertendo perdunt, & ægre ſe levant, ſi victus abundet, & neceſſitas illos foras non propellat. Prope retia ſua penſilia ſtruunt focum tam noctu quam interdiu; ut interdiu ſerviat coquendo cibo, noctu autem aërem arceat frigidum, qui in hiſce regionibus noctu frigidior

gidior eſt, & interdum frigidiſſimus, ob noctium & dierum perpetuo pene æquabilem longitudinem.

Potus ordinarius Braſilienſium eſt aqua frigida, fontana vel fluviatilis, quæ hic & valde bona & clara reperitur, ita ut non facile quis noxam ab hauſtu ejus patiatur, quantumvis largius biberit: quod de fontana imprimis intelligendum eſt.

Vites autem licet hic ter atque etiam quater uno anno fructus ferant, quia tamen earum non eſt tanta copia ut vinum premi aut opportunum aut operæ pretium ſit, earum loco plures modos commenti ſunt Braſilienſes, quibus è variis fructibus atque etiam radicibus potus concinnent, qui vini locum expleant. Et quidem primo vocant *Caoi*, quem nimirum faciunt ex *Acaiibæ* arboris fructu maturo, quem contundunt in mortario ligneo, vel etiam tantum manibus exprimunt; ſuccum paulum ſubſidere ſinunt, & tum percolant. Hoc vinum, ſi ita licet vocare, recens: albicat inſtar lactis, poſt aliquot autem dies fit pallidius. Saporis eſt adſtringentis; forte, ita ut quoque inebriet paulo largius hauſtum. Poteſt aliquandiu adſervari, ſed denique degenerat in acetum optimum & boni ſaporis, ita ut ab ignaris pro aceto vini ſumi poſſet.

Alterum vinum vocant *Aipii*, quod præparant duobus modis, vel maſticando vel contundendo radicem; utrovis tamen modo per ebullitionem. Priori modo radices de *Aipimacaxera* conciſas vetulæ dentibus maſticant, ollæque inſpuunt, vocantque hanc veluti pultem *Caraçu*: dein aquam ſuperfundunt, coquunt lento igne, continuo agitando, per expreſſionem deinceps ſeparant liquorem, quem vocant *Cavicaracu*: hic potus bibitur tepefactus. Poſteriori modo eadem radix recens bene purgata conſcinditur, contunditur, & ebullitur in potum candicantem inſtar lactis ebutyrati, qui & tepefactus bibitur. Saporis eſt grati, ſubacidiuſculi, & vocatur *Cacimacaxera*. Vtrumque tamen potum communi nomine appellant *Aipii*.

Tertii generis appellant *Pacobí*, quem conficiunt è fructibus arboris *Pacobete* & *Pacobuçu*: de quibus in arborum deſcriptione à nobis dictum eſt.

Quarti generis nominant *Abatii*, Luſitani autem *Vinho de Milho*, quia fit è milio illo grandi, quod vulgo Turcicum vocamus, & Maizium.

Quinti generis dicitur ipſis *Nanai*, quia fit è præſtantiſſimo illo fructu *Nana*, de quo plura in illius deſcriptione diximus. Obſervandum autem, hoc eſſe fortius reliquis omnibus & facillime inebriare.

Sexti generis ipſis vocatur *Ietici*, Luſitanis autem *Vinho de Batatas*; ſiquidem fit è notiſſimis illis radicibus, & quidem varie mixtis.

Septimum locum obtinet potus qui conficitur è fructu *Ianipaba* maturo.

Octavum autem, quem Braſilienſes vulgo vocant *Beeutingui*.

Nonum, quem vocant *Tipiaci*, qui utrique potus itidem fiunt è farina Mandiocæ, nimirum è *Beiu* & *Tepioia*, de quibus alibi dictum.

Cæterum hi Barbari ſupra modum amant aduſtum noſtras, vocant *Cacitata*, & enormiter, cum datur, ſe illo inebriant. Potu itidem quem Nigritæ hic faciunt & vocant *Garapa* (fit autem eo modo quem in Cannarum ſacchari deſcriptione dixi) magna copia ſe ingurgitant, ita ut integros dies noctesque canendo & ſaltando traducant, potui continuo indulgentes tam feminæ quam viri. Mirum tamen quod rarius inter pocula rixentur, niſi forte Zelotypiæ cauſa.

Tapuiyæ quando hunc potum præparant, ſive *Acavi*, ſive *Aiipii* (ii ſcilicet qui pagos incolunt, & è *Tapuiyarum* genere *Cariri* dicuntur) faciunt id omnes ſimul. Dies dein conſtituitur & indicatur ſingulis. Conveniunt omnes mane, incipiendoque ab uno pagi angulo, evacuant ordine omne vinum per omnia domicilia, donec nihil ſuperſit. Potui ſic indulgendo cantillant, ſaltant rara intermiſſione. Quando eorum aliquis ſe nimio potu diſtentum ſentit, vomitum ſibi excitat, & denuo haurit; ita ut qui plus vomere poteſt & denuo bibere, pro optimo & ſtrenuiſſimo habeatur inter reliquos potatores.

Tabaco quoque frequentiſſime utuntur omnes Braſiliæ incolæ: vocant hanc herbam *Petima*, & folia illius *Petimaoba*. Hanc in aëre ſiccatam ponunt ad ignem, ut manu conteri in minutas particulas poſſit: hinc indunt inſtrumentis ſuis è cortice fructus *Pindoba*, vel *Vrucuruiba*, vel *Ioçara*, aut *Aque*, &c. confectis; præcidunt quippe una extremitate, nucleum eximunt ac corticem poliunt; hinc foramine in latere facto applicant tubulum è ligno factum. Hoc inſtrumentum vocant *Petimbuaba*, Luſitani autem corru-

corrupte *Catimbaba*, Belgæ adhuc corruptius **Katgenbolo**. Vtuntur quoque tubulis ex argilla à ſe factis & excoctis, ſicuti & illis qui ex Europa ad eos afferuntur, quos nominant *Amrupetimbuaba*.

Tapiuyæ autem utuntur tubis rectis, amplis, ligneis vel etiam argillaceis, ita amplis, ut integrum pugnum Tabaci capiant, quibus repletis & accenſis ſugendo fumum hauriunt.

CAPVT VIII.

De Armis Braſilienſium, & exercitiis illorum.

ARcus habent è duro ligno factos, quos vocant *Guirapara* & *Vrapara*: Lignum autem unde fiunt *Guiraparibà* & *Vrapariba*, Luſitanis *Pao d'Arco*. Chordas arcuum è goſſypio contorquent; vocant *Guirapacuma*. Sagittas ex arundine ſilveſtri faciunt, & vocant utramque rem uno nomine *Vuba*. Extremitates ſagittarum, quas *anha* vocant, ſunt ex ligno aſperatæ, vario modo; quædam enim multa acumina *Vutapoaeta*, quædam unicum acumen habent, quædam dentata, quædam ſerrata: quibuſdam etiam dentes piſcium qui *Iperu* vocantur, aptant.

Iurupara appellant ſagittam, quæ acumen habet ex arundine *Tacoara* vocata.

Tapuiyarum nationes quædam nullis arcubus utuntur, ſed ſagittas ſuas emittunt manus jactura ſolummodo, imponendo ligno cuidam excavato inſtar tubi, per medium ſecundum longitudinem diſſecti. *Cariri* autem arcubus utuntur.

Tapuiyæ clavas habent ex ſolido ligno nigro confectas, vocant *Iapema*, longas & latas anterius, & oſſiculis interdum aſperatas. Manubrio autem circumvolvunt teniolas è goſſypio, vel aliud quid: vocatur *Iatirana* quicquid ita circumligatur. In extremitate clavæ poſtica dependet faſciculus pennarum è cauda *Arara*, uti & in medio parvus faſciculus adligatus eſt. Vocatur id, quod ſic à clava dependet, *Atirabebe* & *Iatirabebe*.

Tubas faciunt ex oſſibus humanis, quas nominant *Canguenca*.

Habent alias tubas, quas vocant *Muremure*.

Alias itidem tubas grandes factas ex conchis, quas *Guata piguaçu* nominant, & ipſas tubas *Nhumbu goaçu*. Item alias quas dicunt *Vruca*.

Tuba item alia, quæ ex canna eſt facta, ipſis dicitur *Membiapara*. Tubas autem noſtrates vocant *Itamembi*: quia è metallo factæ ſunt.

Saltationibus ſupra modum ſunt addicti, quas generali nomine vocant *Gúau*.

Habent autem varios ſaltandi modos: quorum unus vocatur *Vrucapi*. Habent & inter ſaltandum varios cantandi modos.

Pueri quoque certos exercent luſus; quorum unus vocatur *Curupirara*: alter *Guaibipaie*: tertius *Guaibiguaibiabucu*. Atque hæc tantum obiter ab Auctore deſignata inveni, uberius explicaturum fuiſſe liquet, ſi ſupervixiſſet; ſed apud Ioannem Lerium hæc pluribus explicata inveniuntur.

CAPVT IX.

De Braſilienſium religione.

CRedunt ex antiquorum traditione immortalitatem animarum, & feminas & fortes viros, qui multos inimicorum trucidarunt & comederunt, poſt mortem ad campos Elyſeos, quos pene montes quoſdam eſſe autumant, abire, ibique tripudiare. Ceteros ignavos & ſocordes qui nihil in vita digni geſſerunt, credunt à Diabolo ſtatim poſt mortem cruciari. Vocant autem Diabolum *Anhanga*, *Iurupari*, *Curupari*, *Taguaiba*, *Temoti*, *Taubimama*.

Habent ſuos ſortil egos ſive ſacrificulos, quos *Paye* & *Pay* vocant, hos de futuris conſulunt, quando ad bellicam expeditionem proficiſcuntur, ipſiſque prædicunt quicquid accidere debeat.

Multi inſtructi ſunt in Religione Chriſtiana, non tamen ſeduli ſunt in doctrina de Deo; nec magno ardore afficiuntur. Deum vocant *Tupa* & *Tupana*. Magnos licet progreſſus

greſſus nonnulli eorum fuerint, circa inſtituta divinitatis, tamen in moribus corrigendis maxima eſt difficultas, ob magna quædam vitia, quæ ægerrime domantur.

Hæc omnia fuſius proſequitur I. de Laet, hoc modo.

Braſilienſes Barbari nullum pene habent religionis ſenſum, nec de origine, & creatione hujus univerſi quicquam norunt, de diluvio univerſali obſcure & fabuloſum quiddam recordantur: nimirum mortalibus aqua hauſtis, ſuperfuiſſe unum aliquem cum germana ſua, jam uterum ferente, atque ab iis rurſus genus ſuum originem & incrementum accepiſſe. Neque Deum aliquem noverunt, neque proprie adorant quicquam, unde nec illud nomen in ipſorum idiomate reperire eſt, quod Deum exprimat: niſi forte *Tupa*, quo excellentiam aliquam ſupremam denotant; unde Tonitru vocant *Tupacununga*, id eſt, ſtrepitum factum à ſuprema excellentia, à verbo *Acunvng* ſtrepere: Fulgur autem *Tupaberaba*, id eſt, ſplendorem excellentiæ, à verbo *Aberab* reſplendere. Illi ſe ligones & agriculturæ ſcientiam debere profitentur, atque ideo pro numine aliquo agnoſcunt. Cælum aut inferos poſt hanc vitam pariter ignorant, licet animas poſt ſeparationem à corpore ſupereſſe credant, atque nonnumquam in dæmones converti, & ad campos irriguos, variiſque arboribus amœne conſitos, traductas, ibidem jugiter choreas ducere. Spiritus malignos impenſe metuunt, quos *Curipira*, *Taguai*, *Macachera*, *Iurupari*, *Marangigoana* vocant: ſed diverſis ſignificationibus, nam *Curipira* ſignificat numen mentium: *Macachera* numen viarum, viatores præcedens. *Petigares* fingunt boni nuntii paranymphum: contra *Tupiguauos* & *Caryos* medicum humanæ ſalutis hoſtem. *Iuripari* & *Anhanga* ſignificant ſimpliciter Diabolum. *Marangigoana* non ſignificat numen, ſed animam à corpore ſeparatam vel aliud quid, inſtantem mortem prænuntians, ipſis Braſilianis non ſatis notum, & tamen illud vel maxime timent: ita ut interdum imaginario & vano illorum terrore ſubito exanimentur. Nec tamen ullis ceremoniis aut idolis venerantur: quidam tamen nonnumquam ſtipitibus ſolo defixis, & munuſculis juxta poſitis illos ſpiritus placare nituntur: rarius autem hi ſpiritus viſibiliter inter illos comparent, licet multi aliter prodiderint.

Habent & ſagas, quibus vix aliter quam Medicis utuntur, iiſque valetudinis recuperandæ deſiderio valde ſunt obnoxii: interdum & inter ipſos reperiuntur homines nequam, qui magicarum quidem artium rudes, ſed ludendi & ductandi miſerorum animos gnari, inſolitis quibuſdam corporis jactationibus & geſticulationibus ſui admirationem excitant, & falſis quibuſdam miraculis ſibi fidem conciliant: illi popularibus ſuis & interdum integris provinciis perſuadent culturam agrorum penitus omittere, veniſſe enim tempus, quo tellus omnia ſponte ſua ipſis ſit productura, atque ipſæ feræ illis ultro pabulum allaturæ: His aut ſimilibus næniis miſeros hoſce, natura ſua plerumque deſides, ita infatuant, ut neglecto terræ cultu, ſenſim commeatu deſtituantur, præque inedia deficiant, donec impoſtor ille ſolus ſuperſit, niſi ante à ſuis dolum perſentientibus trucidetur. Ceterum magos vocant *Page*: at *Caraiba* eſt illis poteſtas miracula perpetrandi: quare Luſitanos, quia multa faciebant quæ ipſorum captum ſuperabant, *Caraibas* appellabant, atque ita etiam hodie vocant & Europæos omnes.

CAPUT X.

De Lingua Braſilienſium, è Grammatica P. Ioſephi de Anchieta, S. I.

HOc caput ab Autore noſtro plane affectum tantum fuit derelictum: ſed pervenit ad manus meas Grammatica linguæ maxime uſitatæ in Braſilia, compoſita & digeſta à P. Ioſepho de Anchieta, S. I. edita Conimbricæ, Anno cIↄ Iↄ xcv. è qua pauca delibabimus, ut guſtum aliquem linguæ demus.

I. *De Literis*: Hæc lingua non habet *f*, *l*, *ſ*, *z*, *rr* duplex, neque mutam cum liquida, ut, *cra*, *pra*, &c. pro *ſ* autem in principio aut medio dictionis ſervit *c* cum *zeura*.

Non conjungitur conſonans cum altera conſonante in eadem dictione, excepto *mb*, *nd*, *ng*, ut, *Acmomber*, *Aimondo*, *Aimeeng*. *Petiguares*, qui juxta *Paraibam* incolunt, & reliqui

reliqui indigenæ uſque ad *Tamoyes* qui *Rio de Ienero* accolunt, verba, quæ deſinunt in conſonantem, pronuntiant integra: Tupis autem S. Vincentii numquam pronuntiant ultimam conſonantem in verbo affirmativo; ut, pro *apab*, dicunt *Apâ*; & ita in ceteris. In verbis item compoſitis ut plurimum abjiciunt conſonantem ultimam prioris verbi.

II. *De Orthographia*: *P. m. mb.* ſæpe uſurpantur una pro altera, hoc modo: dictiones abſolute ſumtæ pronuntiantur cum *m* aut *mb*; ut, *Mo*, vel *mbo* manus: præcedente autem adjectivo mutatur in *p*, ut, *Xepo*, manus mea: excipe *Mbae* quæ numquam mutat, ut, *Xembae*, mea res. *B* autem in principio dictionis numquam pronuntiatur ſine *m*, licet per incuriam interdum non ſcribatur. In medio quoque dictionis communiter ponitur *b* poſt *n*: & uſitatiſſima pronuntiatio, *b* & *p* in medio & fine dictionis fere ſemper mutantur in *m*, aut *mb*, &c.

III. *De Accentu*: Omnes dictiones quæ deſinunt in quatuor ultimas vocales, habent accentum in ultima, & notantur circumflexo. Quædam autem quæ deſinunt in *e*, videntur habere accentum in penultima, quod fit, quia ſunt compoſitæ. Quæ deſinunt in *a*, partim habent in ultima, & notantur eodem accentu, partim in penultima, & notantur acuto: Monoſyllaba autem accentu gravi. Verba denique maximam partem accentum habent in ultima ſyllaba, in qualemcunque demum conſonantem aut vocalem deſinant.

IV. *De Nominibus*: Nomina non habent caſus aut numeros diſtinctos, præter Vocativum caſum, cum hac differentia; nimirum, quod ea quæ habent accentum in ultima, nihil mutantur in omnibus omnino caſibus.

V. *De compoſitione Nominum*: Nomina ſubſtantiva componuntur cum adjectivis, ita ut ſubſtantiva ſemper præcedant, & ſi habeant accentum in ultima, manent integra: ſin in penultima & vocales concurrant, perdunt ultimam vocalem, ut, *Tuba ete*, *Tubete*, pater verus. Si concurrant cum conſonante, perdunt totam ultimam ſyllabam. Denique ſubſtantiva cum ſubſtantivis junguntur ad eumdem modum.

VI. *De Pronominibus*: Pronomina habent aliquot caſus: ut Ego, Nominativ. *yxê*, *xé*. Dativ. *yxebe*, *yxebo*, *xebe*, *xebo*, mihi: Nominativ. Pluralis, *orê*, *yandê*, nos: Dativ. *orebe*, *orebo*, *yandebe*, *yandebo*, nobis. Tu, Nominativ. *ende*, *nde*, *ne*. Dativ. *endebé*, *endebo*, *ndebe*, *ndebo*, tibi. Nominativ. Plural. *peê*, vel *pe*, vos: Dativ. *Peême*, vel *Peêmo*, vos: Accuſativ. *opô*, vel *pé*. Vocativ. *peê*, vel *pe*. *Orê*, *yandê*, ſunt etiam Adjectiva, noſter, noſtra, noſtram. Eandem declinationem obtinet *Acê*, ut, Nominat. *Acê*, Dativ. *Acêbe*, vel *Acebo*, & ſignificat hominem, & ſervit tertiæ perſonæ, in ambobus numeris & utroque ſexu; *c*, cum *zeura*, & *i* ſunt pronomina relativa in omnibus caſibus, & numeris, & ſignificant, *is*, *ea*, *id*. Reciprocum *o*, id eſt, ſe, ſuus, ſua, ſuum; uſurpatur ſimpliciter, quando ſermo refertur ad perſonam agentem, ut in lingua Latina, exempli cauſa, Petrus *oiucâ oguba*, Petrus occidit ſuum patrem.

VII. *De Verbis*: quamvis omnia verba habeant unum modum Conjugationis, licet tamen dicere habere duos, quia Negativus adjicit aliquas particulas: exempli cauſa; *Aincû*, ego occido; *Namcaî*, non occido. Similiter autem ſe habent Indicativi modi, Præſens, Imperfectum, Perfectum, & Pluſquamperfectum, in Futuro, *Aiucâne*, occidam; *Naamcaixorene*, non occidam. Plurima autem obſervanda ſunt in Conjugationibus, quæ brevitatis cauſa omitto.

VIII. *De Præpoſitionibus*: quæ tamen ipſis potius ſunt poſtpoſitiones, quales *Mô* in, *Pé* in, ad, pro, cum Dativo. *Bé* in, per. *Qupê* pro, cum Dativo. *Cui* de, ex, præter. *Coce* ſupra, ſuper. *Tobaque*, *çobaque*, coram. *Tenondê* ante, de tempore. *Cupî* per, de loco. *Cotî* verſus. *Cecê* vi, cum, propter, pro, in, à. *Porupî* longe: *Pocê* cum, inſtrumentale, in, intra. *Pabê* cum, ſocietatis. *Nâi* idem. In ſingulis autem multa obſervanda, quorum pauca tantum hic ſubjungam. *Pe* ſi jungatur cum nominibus quæ deſinunt in *ba*, cum accentu in penultima, facit perdere ultimam ſyllabam, ut *Taba* aldea, *Tape* in aldea. *Bo* ſemper eſt plurale. *Coce* ſignificat locum & exceſſum, atque ita ſervit pro comparativo, ut, *Itâcocê* ſuper lapidem, vel plus quam lapis.

Porro ut guſtum demus aliquem hujus linguæ, Dictionariolum adjungo, quale ab Emanuele de Moraes, linguæ illius peritiſſimo, accepi, & quidem primo Nominum.

C A-

CAPUT XI.

Dictionariolum nominum & verborum linguæ Braſilienſibus maxime communis.

ABâ, homo.
Aba, vir.
Aba, crines.
Abaiba, ſponſus futurus.
Acangapé, cranium.
Acaya, matrix.
Acayûroig, Annus.
Aceoca, jugulum.
Acu, ſiniſtra manus.
Acuabeimbae, fatuus.
Amaberaba, fulmen.
Amacûnunga, tonitru.
Amandiba, grando.
Anâma, cognatus.
Anga, anima.
Angaibara, macer.
Angaipaba, pravus, aſtutus.
Angaturama, gratus.
Apara, curvus.
Apecum, lingua.
Apicaba, ſedes.
Ara, aër.
Ara, dies.
Ara ibicoquime, meridies.
Ara, tempus.
Araya, avia.
Atapuana, levis.
Atapuâtia, velox.
Atucupe, dorſum.
Atyba, humerus.
Ay, *Cig*, mater.
Ayûra, collum.

Boya, ſervus.

Cama, mamma.
Canga, os oſſis.
Caraibebê, *Apiabebê*, Angelus.
Caruca, veſpera.
Capiî, gramen.
Capii goacu, ſtramen.
Catû, delicatus.
Cay, ſimia.
Ceba, folium,
Cebira, nates.
Cemiraco aô bae, viduus.
Ceo, animal.
Ceteeímibaê, Spiritus.
Cig, *Cygra*, amita; eiſdem nominibus ſignificant & avunculum & materteram.
Coaracî, Sol.
Cobra, anguis.
Coemitanga, aurora.
Coribae, lætus.
Coya, gemini.
Cunha, femina.
Cunhaiba, ſponſa futura.
Cunumigoacu, adoleſcens.
Cunumi, puer.

Ecatuaba, dextra manus.
Eyruba, apes.

Gibâ, brachium.
Guaibino, vetula.
Guirarupia, ovum.

Iaci, Luna.
Iaci, menſis.
Iacitatâ, Stella.
Iba, arbor.
Ibâia, Cælum.
Ibatinga, *Ibitinga*, nubes.
Ibatebae, altus.
Ibi, terra.
Ibitira, mons.
Ibutû, ventus.
Icapî, ros.
Ig, aqua.
Iguaba, calix.
Ipeca, anſer.
Ique, latus.
Ita, ferrum.
Itâ, lapis.
Itacira, ligo.
Itapigua, clavus.
Iuba, flavus.

Mâupiâra, bilis.
Mbaê apapuara, faſcis.
Mbaeaûbora, ægrotus.
Mbiû, cibus.
Mbô, manus.
Membeca, mollis.
Mendara, matrimonium.
Micu, digitus pedis.
Mitâ, calcaneus.
Mocu, anguilla.
Mormotara, iracundia.
Muapendaba, articulus.

Nhia, cor.

Opacatûmbae, mundus.

Pocembuera, membrum.
Potia, pectus.
Poranga, pulcher.
Porerobiara, fidelitas.
Porucuicôbora, pauper.
Potiví, anas.
Poxî, deformis.
Pî, pes.
Piâ, jecur.
Pirâ, piſcis.
Pirâ, cutis.
Piquiîra, minor natu. His nominibus utuntur feminæ inter ſe.
Pitanga, infans.
Puâ, digitus.
Puâguaçu, pollex.
Purva, umbilicus.
Pucu, longus.
Putuna, nox.

Roig, frigus.

Tagica, vena.
Taguî, ſanguis.
Tagira, filia. His duobus nominibus pater tantum utitur, mater dicit *Menbîra*.
Taîra, liberi, & filius.
Tamûa, avus.
Tata, ignis.
Tecoacû, felicitas.
Tecoateima, avaritia.
Temireco, maritus & uxor.
Tendiba, mentum.
Tendî, ſputum.
Tendipia, genu.
Tecobecatu, ſanus.
Temâ, tibia.
Tetê, corpus.
Tiaya, ſudor.
Tibîra, minor natu. His nominibus

minibus utuntur fratres tantum inter ſe: ſicuti *Quibira*, frater, ſorores tantum erga fratres, & *Teindira* ſoror, fratres tantum erga ſorores.
Tigne, venter.
Tigueperg, inteſtinum.
Tinga, albus.
Tipibae, triſtis.
Tiquera, ſoror major natu.
Tiquiera, frater major natu.
Tuba, parentes & pater.
Tûba, *Tutira*, patruus.
Tubei îma, pupillus.
Tuibaem, ſenex.
Tupâna, Deus.
Ty, urina.
Tyurù, veſica.

Vba, coxa.
Vnha puapem, unguis.

Yâ, fons.
Ymeneóbae, vidua.
Yyaobeimmbae, nudus.

Dictionariolum verborum maxime communium.

A*Bî*, errare.
Abiqui, pectere.
Acanhem, morior.
Acoy, operire.
Aeî: errare.
Ami, premere.
Amotareima, odiſſe.
Anduba, ſentire.
Angaipaba, delinquere.
Aóba mondêba, induere.
Apîna, radere.
Apition, ligare.
Aroca, minuere.
Ayaima, ſternutare.

Berâba, ſplendere.

Caanga, metiri.
Caanga, guſtare.
Caanga, dicere.
Cacâba, tranſire.
Caê, ſanare.
Capîra, purgare.
Capucaya, clamare.
Capucâya, ringi.
Carom, ſperare.
Caruca, mingere.
Caucсuba, diligere.
Cecarâya, obliviſci.
Cema, exire.
Cenduba, audire.
Cenoya, appellare.
Cenoya, vocare.
Cepiaca, videre.
Cepiaca, reprehendere.
Cerûra, portare.
Cetûna, odorare.
Ceyara, deſerere.
Cica, arare.
Cipîja, rigare.
Ciquiye, timere.
Cô, ire.
Cobaitim, occurrere.
Coquendaboya, aperire.
Cuâba, cognoſcere.
Cupira, levare.
Cuu, defendere.

Ecatu, poſſe.

Genonheca, precari.
Goameenga, mordere.
Guapua, ſederei.
Guata, ambulare.
Gueena, vomere.

Iabâba, effugere.
Iecoacuba, abſtinere.
Ienumûna, ſpuere.
Ierure, poſcere.
Igtaba, natare.
Igû, bibere.

Maenduara, recordari.
Mano, mori.
Maramonhanga, belligerare.
Mayaoca, dividere.
Mbaeraca, emere.
Mbaeû, edere.
Meenga, tradere.
Menbirara, parere.
Moabaîba, incantare.
Moabaîba, impedire.
Moaguêba, reſtinguere.
Moanga, cogitare.
Moaquima, madefacere.
Mobibua, ſuere.
Moete, laudare.
Moetê, adorare, honorare.
Moendî, *capî*, incendere.
Mogîba, coquere.
Mogycô, polire.
Momiya, movere.
Momitâ, accipere hoſpitio.
Monberaba, vulnerare.
Monbeu, nuntiare.
Monbuca, perforare.
Monbuja, terebrare.
Mondoca, incidere.
Mondoca, ſcindere, auferre.
Mondôca, findere.
Mondoroca, frangere.
Monguy, molere.
Monguya, ſolvere.
Monhanga, facere.
Moperuâ, frigere.
Mopotaya, nectere.
Morîba, conſentire.
Moropiâna, commutare.
Moyarû, jocari.
Moyeceâra, miſcere.

Nheangeru, ſuſpirare.
Nheenga, loqui.
Nhemboe, diſcere.
Nhengara, cantare.

Paepûa, reſpondere.
Paraboca, eligere.
Paronduba, inquirere.
Peâ, vitare.
Peâ, deponere.
Pita, manere.
Pitanga rempî, concipere.
Pitêra, oſculari.
Pitêra, ſorbere.
Pitibô, juvare.
Pituba, ungere.
Poacêma, gemere.
Pobâna, nere.
Pocuâba, conſueſcere.
Pocaucuba, ſomniare.
Porabiqui, operari.
Porâra, mentiri.
Potareima, recuſare.
Potara, cupere.
Puama, ſurgere.
Puaya, jubere.
Puca, ridere.
Puru, uti.

Que-

Quera, dormire.
Quer aro, vigilare.

Raba, ſolvere.
Rerecô, habere.
Rura, venire.

Tara, capere.
Tecobe, vivere.
Tiguioca, ſanguinem reddere.
Tiû, pudere.
Tíma, plantare, terere.

Tíma, ſepelire.

Taceô, plorare.
Teaôboca, exuere.
Teupîra, aſcendere.
Tucâ, occidere.

Notandum autem, illos multa habere vocabula, tam nomina quam verba, quæ plura & diverſa ſignificent: exempli cauſa: *A*, ſignificat fructum: item dilectum commilitonem, ut cum dicunt, *Mamô cuipe ereym Xe a*: unde venis, dilecte commilito? Item *A*, membri virilis caput: ex modo autem & tempore loquendi intelligitur de quo loquantur.

Accang jaculor, lego, metior, pondero, delibo. *Aâr* cado, ut *Aâr quecê Ibípe*, heri cecidi in terram. Item *Aâr*, intelligo, ut *aâr coite aipô recê*, nunc hoc intelligo. Sed de his ſatis.

CAPUT XII.

De Tapuiyarum moribus, & conſuetudinibus, è Relatione Iacobi Rabbi, *qui aliquot annos inter illos vixerat.*

INcertis plerumque ſedibus vagantur inſtar Nomadum, inter certos tamen limites, inter quos caſtra mutant ſecundum Anni tempeſtatum mutationem; itaque Regulus eorum, qui *Otshiuayayna* dicitur, à maximo flumine, quod fines eorum permeat, ut ſupra diximus, cujus gentile nomen eſt *Iandui*, veſperi & mane per caſtra proclamari curat pro arbitrio ſuo, & conſultis ante divinatoribus ſuis & hariolis, quo proximo mane promaturi ſint, & ubi conſeſſuri, atque quid interdiu acturi. Mane antequam iter aggrediantur, fluvium ingrediuntur, & ſe abluunt, & nitidiſſima arena corpora ſua fricant, & rurſus abluunt: atque inde egreſſi artus ſuos ita extendunt & contorquent, ut articuli ipſis crepitent; Hinc ad focum accedunt, & calefacti, denticulis quorumdam piſcium ita ſe ſcabunt, ut ſanguinem multis locis eliciant, quod ad laſſitudinem in itinerando demendam plurimum putant prodeſſe. Scribit Rabbi ſeſe id ſæpe eſſe expertum utile eſſe.

Ad lapidis jactum à Reguli tabernaculo, duo trunci arborum humi jacent unius paſſus intervallo à ſe invicem diſſiti, populus autem univerſus in duas turmas diviſus ex adverſo conſiſtit; hinc unaquæque turma eligit unum è robuſtiſſimis, qui truncos illos ſuccollant & quam poſſunt celerrime portant, ſuccedunt dein alii aliis ex eadem turma; qui autem primi ad locum caſtris deſtinatum pervenerint, tardioribus inſultant, atque illos exſibilant. Operiuntur hic juniores qui arma illorum & ſecures afferunt, hinc arbores certatim cædunt & pergulas conſtruunt, ſub quibus æſtum ſolis vitare poſſint, inter ipſos rivulos. Inter ea adveniunt & feminæ cum reliquis impedimentis: & viri egrediuntur, pro locorum conditione aut ad piſces, aut ad feras capiendum; atque itidem mel ſilveſtre colligendum: vetulæ vero ad radices eruendas, è quibus farina confici poſſit, & panes coqui: domi autem aliæ aliis auxiliantur & parant manibus cibum & potum: qui deinceps tempus terunt haſtilibus certando, luctando, currendo; quibus certaminibus duæ feminæ ad id ſelectæ præſident, & judicant de ſingulorum virtute & victoribus.

Vbi veſpera advenit, coëunt adoleſcentes in varias cohortes, & caſtra perambulantes cantillant ante tuguria, adoleſcentulæ autem quæ juvenibus delectantur, prodeunt, & cantillantes atque tripudiantes ſequuntur adoleſcentes, & à tergo conſiſtunt eorum, quos amant, id enim ipſis amoris teſtimonium eſt. Cum porro juvenes jam ad nuptias aſpirant, venantur feras, & colligunt mel ſilveſtre, aliaque, atque ad Patres dilectarum conferunt: qui ſi plures filias nubiles habeant, advocant prophetas & ſortilegos ſuos, medicoſque; illi autem adeunt Regulum ad deliberandum. Regulus

lus porro convocat per præconem Adoleſcentes procos in proximum extra caſtra, ubi plurimi, tam adoleſcentes quam puellæ, conveniunt, & conjunctim per ſylvas vagantur, donec ad locum venationi deſtinatum pervenerint; atque hic conſilio capto pauci illorum progrediuntur, ut ferarum latibula indagent, qui, ubi illa offenderint, ocyſſime ad reliquos regrediuntur, & indicant quo loco ferarum ſit copia: deinceps omnes cum armis & canibus feras indagine cingunt, atque ita propere in illas ruunt, ut nonnumquam ducentas feras ſimul capiant, & mactent, atque poſtquam lateribus apertis inteſtina canibus objecerint, illas inferunt caſtris. Accurrunt dein feminæ, & foco facto, viſcera primum torrent viris in cibum: dein pilis ablatis, ferarum córpora concidunt in plures partes: poſtilla fovea intra terram facta, prunas illis indunt, atque eiſdem carnes ita conciſas ſuperimponunt, aggeſtaque arena, rurſus focum ſuperſtruunt, ita ut carnes percoquantur, haud ſecus quam in furno. Quidam & mella colligunt & potum conficiunt; atque ita comeſſando diem exigunt. Dein iterum accedunt ad Reguli tabernaculum ad deliberandum ubi proximo die venatio ſit inſtituenda; quo conſtituto, diſcedunt in cohortes ad cantillandum, è cantionum enim modo augurantur an venatio bene proceſſura ſit necne. Venatione abſoluta, rurſus comeſſantur ad eumdem modum, & ii qui domi manſerunt, conferunt farinam è radicibus factam.

Diximus jam ante, Barbaros hoſce labia, auriculas & genas perforare: hic actus ab ipſis inſtituitur ad hunc modum. Adoleſcentes ad hoc parati educuntur ad locum in quem populus convenit ad cantillandum & ſaltandum. Sortilegi autem eorum atque dæmonum incantatores duplici ordine ex adverſo conſiſtunt, atque eorum unus arripit puerum aliquem, & manus illius atque pedes arcte conſtringit, & ita tenet, ut ſe movere non poſſit, accurrit alter qui puero inferius labium acuto ligno perforat, uti & auriculas, matre pueri interea ejulante. Adoleſcentibus porro foramina terebrant in genis, atque hæc ſunt veluti ſponſalia; neque enim ante adoleſcentes hæc ſubeunt, quam ad nuptias aſpirent: dein per triduum aut quatriduum comeſſantur: in iſto autem nuptiali convivio Regulus ipſe ſuas cuique partes diſtribuit, de cibis qui parati fuerunt.

Matres imprimis hoc curant, ne filiæ ipſarum ante ad conjuges accedant, quam menſes earum fluxerint, quod ſortilegis ſuis & medicis indicant, atque illi Regulo, & ita demum ſponſa ad ſponſi ſui cubiculum adducitur: celebratur porro cantilenis mater, quod filiæ pudicitiam tam bene cuſtodiverit.

Quod ſi matris ſit filia aliqua matura viro, quæ tamen non petatur; tunc mater eam ſub oculis rubro colore pingit, ubi menſes ſuos ſemel paſſa fuerit, & adducit illam ad Regulum, & exponit quid deſideret, tum Regulus, juvenculam ad ſe vocat, & in ſtorea juxta ſe conſidere mandat, & fingens ſe medici partibus fungi, manus ad focum calefacit atque iis ſe demulcet; dein & ſe, & juvenculam Tabaci fumo afflat; denique pene juvenculæ pudenda ferit, ſi autem ſanguinem eliciat, hunc delingit, atque hoc imprimis honorificum putant.

Feminæ prægnantes factæ deinceps à virorum conſortio abſtinent. Vbi autem pepererunt, ſecedunt in ſilvam, & infanti umbilicum concha præcidunt, & una cum ſecundinis coctum devorant: puerpera autem atque infans mane & veſperi frigida abluitur: neque femina quamdiu infantem ſuum lactat, cum viro ſuo conſueſcit, niſi forte ille unicam tantum conjugem habeat.

Si femina cum altero conſueſcat, & viro id innotuerit, abigit illam à ſe: ſin autem in ipſo actu forte deprehenderit, utrumque occidere licet, ſi poſſit. Narrat Rabbi Regulum *Ianduy* aliquot ſuarum conjugum ita trucidaſſe, mœchis dilapſis.

Regulus *Ianduy* habet in medio tabernaculi ſui ingentem cucurbitam, ſuper ſtoream ita diſpoſitam, ut ab altera ſtoreæ parte cooperiatur, ad quam ſine mandato Reguli nemini accedere fas eſt, aut cucurbitam introſpicere, ſed cum Tabacum ſumunt, licet fumum in illam exſpirare: feras autem & mella quæ inferuntur, juxta illam deponunt, donec Regulus imperet illa auferre: ſingulari autem ſuperſtitione & timore percellit ſuos hac cucurbita. In illa ſunt lapides quidam, quos illi appellant *Kehnturah*, & fructus quidam, ipſis *Titzsheynos*, quos majoris faciunt quam aurum.

Non poſſum præterire quin hic addam, quibus præſtigiis illi qui medicinam inter illos profitentur, hominibus ægris illudant. Narrat *Iacobus Rabbi*, cum Regulus

Drarugh ægrotaret magnumque dolorem pateretur in lateribus & cruribus; neque à ſuis medicis quicquam ſolatii acciperet, ad vicinum Regulum profectum, ut ipſius medicis uteretur (adhibiti tres, quorum primus, Tabaco ſumto totum Regis corpus eo perroravit, dein, arreptis illius genibus, illa ita ſuxit quaſi devoraturus eſſet, & boatu quodam inſtar tauri edito, primum plurimum ſputi è gutture in manum effudit, atque una ſemivivum animal inſtar parvæ anguillæ, quod Regulum ita dolore cruciaſſe aſſerebat. Alter medicus poſtquam ventrem Reguli eodem modo ſuxiſſet, & inſtar feræ rugiiſſet, album lapidem è gutture evomuit, figura pene roſæ. Et repetita ſuctione in lateribus, evomuit aliquid ſimile radici. Ad eundem modum perpetuo agunt & à credulo vulgo creduntur magni eſſe medici.

Martio & Aprili menſibus maxima aquarum vis de montibus deſcendit, ita ut fluvius *Otſchunogh* ſe inflet & ripas ſuas egrediatur atque in vicinum lacum *Bayatag* exundet, quo tempore tantam piſcium multitudinem capiunt, quantam feminæ in caſtra vix referre poſſunt: eodem & præcipui illorum fructus maturantur. Vbi autem fluvius intra alveum ſuum coërcetur, ad conſuetas ſedes redeunt, & ſementi dant operam: ſerunt autem imprimis grandius Milium ſeu Maizium, Phaſeolos varios & Cucurbitas lagenæformes, aliaſque.

Antequam ſemina terræ committant, ſolum à ſortilegis & prophetis illorum ab ortu ad occaſum luſtratur, & ſemina vaporantur fumo Tabaci, hoc ad fœcunditatem proficere autumant. Nec minus anxie & ſuperſtitioſe divinatores ſuos conſulunt de anni fertilitate, qui vario plumarum ornatu atque aliis monilibus inſignes credulum vulgus miris præſtigiis effatuant: quod interea cantillando tempus terit.

Ubi ſementis eorum ad maturitatem pervenerit, & fruges collectæ fuerint, tantum ſeponunt, quantum ad proximam ſementem ſufficere putant, reliquum abliguriunt.

Imprimis venerantur Pleiadum exortum, & ſtellas illas numinis loco colunt, canendo & choreas ducendo; præſertim in loco ad id deſtinato, quinque ſupra quadraginta horarum itinere ab *Otſchunogh*, quo tendunt, cum fructus ſilvarum & camporum maximam partem jam maturi ſunt. Hîc autem Adoleſcentes omnes qui haſtis luſuri ſunt, poſt triduum cantando & ſaltando exactum, ſe parant ad certamen; & quidem primo ſuras vinciunt lento quodam vimine, è quo & calceos confectos induunt: deinde melle capita inungunt, & capillos poſtica parte ſubligant, & longiori avis penna erecta inſigniunt: mox rubro pulvere capillitium ad occiput aſpergunt, fronti autem albas applicant plumas; denique faciem variis pingunt coloribus, uti & reliquum corpus; dorſo autem alligant faſciam è frondibus confectam inſtar caudæ, brachiiſque alas volucris, quam vocant *Koſetug*, & cervici itidem circumdant pennas rubras. Ita ornati certant per triduum, & victores ovantes ſaltant.

DE

DE CHILI REGIONE.

CAPVT PRIMVM.

De Chilenſium ſtatura, & habitu corporis, atque veſtitu.

LIcet Chilenſes longe diſſiti ſint à Braſilienſibus, quia tamen in eodem Continenti fere à tergo habitent, atque à noſtris nuper fuerunt luſtrati, non prorſus alienum putavi quædam de illis hîc ſubjungere, è variis Commentariis noſtrorum, quos Illuſtr. Princeps Ioan. Mauritius ſubminiſtravit.

Indigenæ Chilenſes in communi, ſatis robuſto & compacto ſunt corpore: coloris inter album & fuſcum: nigris & craſſis capillis: qui autem illorum Hiſpanis ſerviunt, geſtant illos prolixos & intonſos, verum qui adhuc ſui ſunt juris & cum Hiſpanis belligerant, vulgo *Vcais* appellati, attondunt illos, ne, ut ferunt, ab hoſtibus ſuis, iis apprehendantur, ita ut hoc ſigno à ſubjectis Chilenſibus dignoſcantur.

Capite ut plurimum ſunt grandiuſculo & facie lata, imberbes, quia illam evellunt duabus mytulorum conchis, arcte connexis, & una parte firmiter ligatis, quas ſecum & quidem ad collum appenſas geſtant: etenim non tantum è mento & genis, ſed & pudendis partibus omnes pilos evellunt, tam mares quam feminæ, & primum cineribus calidis illos fricant, ut ita facilius radicitus evellant.

Nudo incedunt capite, & ſolummodo redimiculo capillos capitis ſubligant, quod vinculum ſuo idiomate vocant *Tariwelonco*: primoreſque illud paulo operoſius & pretioſius geſtant, utpote lamellis quibuſdam argenteis & Turcoidis gemmæ fragmentis, & aliis quibuſdam quiſquiliis, quas illi tamen magnifaciunt, intertextum. Quidam etiam ornamenti loco geſtant exuvias volucrum & pelliculas muſtelarum & ſimilium, animalium, diviſas, ita ut caput frontem, cauda cervicem, tegat: atque nominant *Maniewelonco*; pauciſſimi denique pileos geſtant, quos ipſi faciunt groſſo modo.

Feminæ itidem capite nudo & comis ſolutis incedunt: certis tantum temporibus ſubligant, videlicet quando menſibus laborant, atque hoc indicium facit. Feminæ tamen Chilenſes, quæ prope *Caſtro* degunt, comas colligant & cincinnos geſtant pene ad noſtrarum hodiernum modum: In *Coquimbo* denique & *Loquimbo* Peruanarum mulierum cultum imitantur, utpote iis viciniores; aliis provinciis Chili hoc inſolitum.

Amiciunt ſe panno, quem texunt ipſæ è lana ſuarum ovium: paucæ enim reperiuntur feminæ quæ texere neſciant, atque adeo machinas ipſas diſponere; maximi autem eorum quos texunt pannos, vix ſuperant quatuor aut quinque ulnas noſtrates: Mares autem ſumunt hujuſce panni quadratam portionem, circiter duas & ſemis (paulo plus aut minus) ulnas longam, & circiter ulnam aut ſeſquiulnam latam; in cujus medio rimam faciunt, oblongam, qua caput exſerunt: ſub hac veſte veluti tunica, pro frigoris modo, bis terve revoluta, nudum corpus tegunt, ſine thorace aut induſio, bracca ab umbilico ad genua uſque propendente contenti, more pene Europæo. Pannus hic ut plurimum diverſorum eſt colorum, albi, rubri, cærulei, & lutei, & ad oras ſtriati, inſtar lodicis Hiſpanicæ. Ceterum nudipedes incedunt, præterquam quod quidam feſtivis diebus caligas induant ſatis affabre factas, & quadratis albis nigriſque teſſulatas: calceorum autem uſum penitus ignorant.

Feminæ, quoque quæ circa Chiluen degunt & fere Peruanarum mores æmulantur, ſimilem pene amictum ferunt, à poſtica parte ad talos demiſſum, in lateribus conſutum, ad pectus apertum, ſuper humeros magnis aciculis; quæ capitella habent lata, ambitu fere dupli ſtuferi, utramque fimbriam connectunt: ſunt aut aciculæ iſtæ ſive fibulæ ex ære aut ſtanno pro illarum opulentia. Hanc togam redimiculo ſubligant, ceterum & ipſæ nudis pedibus ambulant. Ceteræ Chilenſes feminæ amictum haud

 ita

ita compoſitum ferunt, ſolummodo geſtant quadratum pannum ſub uberibus circumjectum & dependentem ad ſuras uſque. Superior veſtis eſt alius pannus paulo laxior ſub humeris, ſuper eoſdem angulis ſuis in nodos coactus: hic earum communis amictus, ſin vero maritis ſuis placeant, & paulo exquiſitius ornentur, orbiculos circum collum geſtant vitreos, & æneos annulos in auriculis, neque aliud quid.

Omnes autem Chilenſes munditiarum amantiſſimi ſunt; quare ſingulis diebus mane ſeſe abluunt, etiam gelu ſæviente, tam mares quam feminæ.

CAPVT II.

De Chilenſium ædibus, ſupellectile, agricultura, victu, & connubiis.

IPſorum domicilia ſunt tuguria ſeu caſæ humiles; quarum tam latera ſive parietes, quam tecta, è ſtramine, juncis aut arundinibus ſunt contexta: atque hæ hîc illic ſunt diſperſæ, neque enim aut oppida aut pagos inhabitant, ſed per vicinitates, atque adeo familias & conſanguinitates in unum locum aggregantur: & Hiſpanico nomine appellantur *Partialidados*, quatenus ad unum primorem, ſeu, ut ipſi vocant, *Caraçam*, referuntur, à quo & iſta communitas regitur.

Supellex quoque illorum tenuis & pauca: nimirum duæ aut tres amphoræ, quibus potum ſuum indunt, quem vocant *Chicam*: item cyathus corneus quo illum hauriunt: duo aut tres lignei lintres: Lapis ſuper quem far ſuum frangunt; unum atque alterum ligneum ſedile. Opulentiores tamen habent vellera aliquot ovium, quæ humi ſpargant, quando à potentioribus inviſuntur.

Vivunt ſine ulla ſolicitudine, neque ſerunt neque plantant, quam quantum in annum proximum opus habent: ſiquidem opes illorum conſiſtunt in pecudibus: quarum tamen haud magnam habent copiam.

Sementem faciunt hoc modo: Octobri ingrediente, familiæ unius vicinitatis, decem, viginti aut plures paucioreſque conveniunt, & conjunctis laboribus, mares uno atque altero die fodiunt terram, aut etiam arant, ſeminaque injiciunt: atque hac opera defuncti, feminis relinquunt reliquam culturam, neque ipſi amplius manus admovent. Communiter à mane ad veſperam comedunt & potant, cum ſunt domi; ſi vero foras proficiſcantur, nimirum ad conventum aliquem aut expeditionem bellicam, bis tantum ſingulis diebus cibum capiunt, quod & à paucis qui frugaliores ſunt, etiam domi ſervatur. Raro aquam ſolam bibunt, ſed miſcent illam communiter cum farina hordeacea, tritici, aut certæ ſpeciei farris, quam vocant *Tecam* (deſcriptam à I. de Laet lib. XII. Deſcr. Ind. Occident. cap. 2.) atque ita ſimul ſorbent: verum feſtivis diebus, & voluptatis cauſa, bibunt certum potum quem nominant *Chicam*, qui colorem & ſaporem habet lactis acidiuſculi: fit autem è maizio molito & in maſſam coacto inſtar panis; hæc maſſa à vetulis maſticatur (uti apud Braſilienſes) ita ut mollis & diluta evadat inſtar pultis aut ſeri lactis, admiſcent deinde aliquantum aquæ & fermentari ſinunt, donec per ſe conſidat: hoc potu inebriant ſeſe: faciunt quoque ſiceram è variis pomis, cui tantum aquæ admiſcent, ut fere tenuem cereviſiam referat. Verum optimum potum conficiunt è certo fructu, quem Hiſpani appellant *Frutillo*; credo eſſe fructum arboris *Molle*, aut *Myrtillam*, quam vocant *Vnni* (vide lib. ſupra citatum:) qui inſtar vini eſt rubicundus & fortis, accedens nonnihil ad vinum Inſulæ Maderæ: è quo & optimum fit acetum.

Tot uxores accipiunt, quot poſſunt alere; opulentiores enim plures habent: ſiquidem illas emunt à parentibus, unde proverbio inter illos fertur, eos ditiores evadere qui plurimas habent filias: in uxoribus autem eligendis non tam rationem habent formæ aut generis, quam roboris & induſtriæ in familia alenda; licet neque formam aut nobilitatem puellarum aſpernantur.

Ducturus autem uxorem, puellam haud alloquitur, ſed tantum ſuos conſanguineos, opem illorum implorans; nam filiusfamilias non habet proprias opes, quibus illam redimat, ſed ab amicis adjuvatur, quorum alius ovem, alius porcum, tertius vaccam, & ita porro largiuntur: ubi jam parata habet, quæ ſufficere autumat, adit patrem puellæ & ape-

& aperit ſuum deſiderium: ſi autem ſit *Vlmen* aut alicujus dignitatis, neceſſe etiam eſt ut paratum habeat monile aliquod è Turcoidibus aut argenteis lamellis (majoris enim faciunt argentum quam aurum) quod patris puellæ capiti aut collo circumdet, & tum de reliquo pretio conveniat, quod pro diverſa contrahentium conditione variat, & interdum decem, interdum viginti, vigintiquinque, quinquaginta, imo & centum penſionibus æſtimatur, penſiones autem ſingulæ ſunt ovis aut equus aut vacca aut porcus, aut etiam quatuor amphoræ *Cicha*, toga denique & gallina, atque ita porro. Vbi ita de pretio inter patrem puellæ & procum convenit, emtor præſtat pretium & pater venditam puellam adducit domum ſponſi: ſympoſium nuptiale inſtruitur, quoad cibum à ſponſo, quoad potum à ſocero, qui pretii dimidiam partem inter ſuos conſanguineos diſtribuit, ut illi ſuccurrant in *Chica* conquirenda. Aliquot diebus poſt hanc conjunctionem conſanguinei venundatam inviſunt, & convivio excipiuntur à marito, & canunt in honorem *Maruapeante*: præſertim ſi animadvertant illam à conjuge diligi.

Fit & interdum, ut, ſi animadvertant, illam durius haberi quam par eſt, conjugem per vim à marito abducunt, nulla pretii ſoluti compenſatione facta, atque alteri elocent. Licet mariti more ipſis communi jus vitæ & necis in uxores uſurpent, uti in mancipia, è quo facile animadvertere, quam firma ſint vincula conjugii è parte mariti, neque enim ipſi illam dimittere licet, quandiu ipſi vivit; non alteri vendere; tantum ejicere, ſi perperam ſe gerat: quanquam nonnumquam fiat, ut ſine juſta cauſa egerat, ſed tunc ipſi metuenda eſt conſanguineorum ſimultas & vindicta, ſi conjux paulo potentiores habeat. Nihilo ſecius hic multæ conjuges per vim à maritis ſuis abducuntur, & quidem impune.

Viri paulo opulentiores ſingulis uxoribus conſtruunt caſam peculiarem: ubi autem cum aliqua illarum conſueſcere eſt animus, mittit ad illam, ut ipſum expectet: quod & interdum clanculum fit, ob cæterarum invidiam: nihilominus utitur jure ſuo, & cum dilectiſſima convenit, cæteras pene mancipiorum loco habet, quæ & metere & cætera domeſtica munia obire coguntur, ſiquidem mares, ut ante dictum, ſolummodo ſementem faciant.

Vbi autem conjugum aliqua peperit, feſtum agitur, & ovis illius terræ, quæ *Chiluvaque* ipſis dicitur, mactatur, & puerperæ datur comedenda caro, ut robur denuo acquirat; licet feminæ hic ſtatim poſt partum aqua frigida ſe abluant, & redeant ad domeſtica munia. Quinimo affirmant Hiſpani, ſuas quoque conjuges ab aëre ad eundem modum indurari, & robuſtiores fieri ad facillime enitendum.

Chilenſes omnes ſunt valde Zelotypi, itaque ſi quis peregrinus ipſos inviſat, & femina illos modo intueatur, vapulandum ipſi eſt: ſin autem deprehendant, illas cum aliis mœchari, ſine ullo judicio publico trucidant: neque tamen propterea caſtius vivunt, & non raro viri multa coguntur diſſimulare.

Viduis autem feminis ſecundo matrimonio ſe tradere haud quidem illicitum eſt, honeſtius tamen exiſtimatur, ſi liberos habentes, innuptæ maneant, & aut ad parentes aut conſanguineos ſuos redeant. Sin autem nullos habeant liberos, veluti in peculio mariti cenſentur, & cum cæteris bonis ad hæredes tranſeunt.

CAPVT III.

De Chilenſium ſenſu de Religione, & cultu numinis.

CHilenſes neque Deum norunt, neque illius cultum, nullum obſervant dierum diſcrimen, ne mortuorum quidem reſurrectionem credunt, ſed poſt obitum nihil hominis putant ſupereſſe: nihilominus noverunt Diabolum, & quidem ut adverſarium boni; & quemadmodum vitam hanc ſummum bonum judicant eorum omnium quibus fruuntur, ita vulgo aiunt, ubi quis inter eos defunctus fuerit, illum à Diabolo abreptum eſſe: quod ipſi ſuo idiomate dicunt *Alverey*.

Cæterum aliquo defuncto, is plangitur à conſanguineis & amicis; ſervant autem cadavera dudum inſepulta, interdum duos, tres, aut plures menſes, reponunt ea ſuper herbas bene olentes, atque iiſdem cooperiunt, ne fœtor offendat; ubi autem ſepulturæ tradere volunt, triduo ante amicos convocant, & convivantur, ove illius

terræ mactata, cujus & partem aliquam cum amphora Chicæ capiti illius apponunt; atque ita tandem cadaver intra terram deponunt prope caſam illius quam inhabitavit.

Veruntamen his non obſtantibus videntur aliquantulam habere notitiam ſupremæ eſſentiæ & alicujus divinitatis, à qua omnia terrena & humanæ quoque actiones gubernentur & dirigantur, cujus tamen eſſentiam non intelligunt: quidam enim illorum credunt aërium ſpiritum, quem appellant *Pillan*, & in ſympoſiis ſuis potiſſimum venerantur & celebrant, cuique cantiones attribuunt, peregrino geſtu & ejulatibus: maxime autem illum colunt cum tonat, ſumuntque ſagittam aut etiam ſecurim lapideam inſtar cunei, & infigunt terræ, & circumſtantes vociferantur & canunt, petentes, ut *Pillan* hoſtes ipſorum perdat: nam dictio *Pillan* etiam tonitru ipſis ſignificat, & tonitru pro numine agnoſcunt: nam cum hilariores ſunt & comeſſantur, & tonitru interea accidat, omnia omittunt, & concurrunt ad arma, credunt enim tonitru monere ipſos, hoſtes ſuos Hiſpanos adeſſe, & affirmant ſe idipſum perpetuo eſſe expertos.

Porro omnes fortes & præſtantes viros, itemque primores, conſilio & manu promtos, inſigniunt nomine *Pillan*, ipſis divinas virtutes attribuentes.

Cum Tabaci fumum hauriunt, quod & ipſis familiare, miris quibuſdam cæremoniis illum in aërem exhalant, dicentes, accipe hæc *Pillan*, cum aliis quibuſdam ſermonibus, quos neutiquam noſtri intelligere potuerunt, ſed videntur hoc pacto numini litare.

Quando aliquam victoriam ab hoſtibus reportarunt, tunc feſtum celebrant, non ſine compotationibus, & (quemadmodum jam diximus de tonitru) ſecurim illam lapideam infigunt terræ, & circumſtant cum armis ſuis, & cantillant epinicia, quæ nominant *Pavvary*, in honorem *Pillan*. Eodem modo agunt cum aliquem ex hoſtibus captum, occidere deſtinarunt; feriunt autem illum inter ſympoſia (nam & illum convivari & canere permittunt) ſecuri aut clava in capite, ita ut concidat, & cor eximunt è pectore, & dentes cruento infigunt, cum cantu & vociferatione ad *Pillan*, ut ante.

Puniunt quoque homicidas & famoſos latrones atque fures, proditores, & ſimiles, morte; eiſdem cæremoniis, quibus hoſtes captivos. Verum hæc fiunt inter ipſos cum acceptione perſonarum, nam qui potentes habent amicos, aut plurimum *Chicæ* largiri poſſunt, facile haſce pœnas evadunt: præterquam ſi quis veneficii aut incantationis reus ſit convictus; tales enim ſine ulla venia aut diſſimulatione vivos comburunt, & in cineres redigunt, ſimul cum omnibus quæ poſſident, neque enim cuiquam fas quicquam illius retinere, metuunt enim ne quid faſcini in illis lateat.

Nullos habent ſacrificulos aut alios miniſtros qui *Pillan* ſacrificent: neque ſortilegos: tantummodo eos qui comœdiam cum *Pillan* probe norunt agere, & cæremoniis illis defungi, & *Pavvary* bene præcinere, maximi faciunt.

Colunt præterea alium ſpiritum ſeu falſum numen, quod appellant *Maruapoantè*, quod ipſis indicat, quando potiſſimum uxor ducenda ſit, aut cognoſcenda: credunt enim, illas certo imprægnari, cum *Maruapoante* ipſis præceperit cum ipſis conſueſcere: ſi autem illos interroges, quomodo cum hoc dæmone colloquantur, aut quo pacto ab illo moneantur, reſpondent, id fieri per inſpirationem aut in ſomniis, ubi ante ipſi cecinerunt & genio indulſerunt. Atque in hiſce duobus nominibus tota ipſorum ſuperſtitio conſiſtit.

CAPUT IV.

De Chilenſium regimine Politico, & armis.

Regimen illorum eſt penes optimates, quos vocant *Vlmen*, aut quando tantum unus eſt *Pulmen*. Et qui alibi vulgo *Caſiqui* audiunt, ab ipſis indigitantur *Curacæ*; nam *Caſique* nomen ab Hiſpanis ex Inſulis Americæ tranſlatum.

Ejuſmodi *Vlmeni*, ſive *Curacæ*, ſunt inter illos plurimi, qui viginti quinque, interdum quinquaginta, imo & centum aut plurimis familiis præſunt: quorum tamen regimen præcipue conſiſtit in bello adminiſtrando, aut in generalibus Conventibus, cum de rebus

bus magni momenti deliberandum eſt, ipſi enim convocant ejuſmodi Conventus: non poſſunt autem ab illis tributum aliquod exigere, aut alia onera imponere, præterquam cum ſumma neceſſitas exigit, ſed tantum imperare ut adverſus hoſtes egrediantur: quo caſu ipſi præire coguntur, reliqui autem ſe adjungere generali, quem vocant *Apocuraca*, aut gubernatori illius communitatis, quem dicunt *Nentoque*, illique in omnibus obedire.

His autem generalibus ſeu rectoribus non licet de rebus publicis privatim cum quoquam deliberare, ſed neceſſe eſt, ut conſilium habeatur palam & ſub dio, omni populo præſente, ut omnem ſuſpicionem amoveant.

Hæc dignitas *Curaca*, aut munus inferioris rectoris, ſuccedit à parentibus ad liberos: ſin autem defungentes nullos relinquant, ad proximos conſanguineos aut affines.

Niſi forte hæredes parum idonei ſint, tunc enim dignitas illa aut munus interdum arripitur ab aſtutioribus. Reliqui eminentiores perſonæ eliguntur à *Curacis* aut *Pulmenis*; nimirum generales aut gubernatores: nunc autem nullum habent generalem, ſed ſingularum communitatum rectores pro talibus ſe gerunt.

Electio autem *Nentoque*, ſeu rectoris alicujus communitatis, fit ad hunc modum: Loco vacante, is qui illam dignitatem ambire ſatagit, primo examinat facultates ſeu opes ſuas: neceſſe enim eſt primores demereri & ſolenni ſympoſio excipere: rebus autem rite paratis, convocat *Curacas* omnes & *Pulmenos* communitatis ad locum publicum illi actui deſtinatum, qui ubi frequentes cum armis ſuis convenerint, orationem ad illos habet, prædicans & genus ſuum, opes, amicos, atque fortia facinora, aliaque, quæ ad rem judicat facere, & petit, ſe in defuncti locum ſurrogari: dein unus aliquis *Curacarum*, aut *Pulmenorum*, orditur orationem, (candidatus autem ſtatim illius collo circumdat collare compoſitum è Turcoidibus, aut certis conchis albis politis, quas inſtar auri æſtimant) & commendat candidatum, atque permovet reliquos ad ipſum eligendum, & ſine ulla conditione aut ſtipulatione prævia obediendum: Electus autem viciſſim promittit, ſe omnia fideliter pro communi ſalute acturum, & munus ſuum diligenter obiturum. Dehinc orator ille collare, à candidato acceptum, inter reliquos diſpartit primores; denique totus hic actus abſolvitur prolixa & ſplendida comeſſatione.

Eodem quoque modo eligunt *Apo Curacam*, id eſt, ſupremum Rectorem: quem tamen *Vcaes* jam à longo tempore non habuerunt.

Arma ipſis ſunt haſtæ ſive lanceæ, fragmento veteris cujuſdam gladii ad ſpithamæ longitudinem aſperatæ, plus minuſve: hæ autem haſtæ ut plurimum longitudinem habent duarum noſtratium communium. Vtuntur & Clavis, ferro aſperatis: viſuntur quoque inter eos frequentes gladii Hiſpanici, quos nudos geſtant, quia vaginæ jam olim putruerunt. More tamen & conſuetudine majorum ſuorum uſurpant quoque arcus & ſagittas, lapillis quibuſdam aſperatas, & veneno imbutas admodum lethali: verum hoc non eſt commune omnibus, ſed iis potiſſimum qui *Pulches* appellantur, qui origine Chilenſes creduntur, licet ad Orientem habitent trans altiſſimorum illorum montium juga, quæ ab Hiſpanis *la Cordilbra* appellantur; de quibus in Deſcriptione Indiæ Occidentalis, in tractatu Peruviæ, I. de Laet egit.

Fabricant & galeas & thoraces è crudis tergoribus vaccarum, valde craſſos & robuſtos, ita ut gladiis penetrari neutiquam poſſint.

Equites ſunt optimi, & illis haſtis ſatis dextre etiam in equis uti poſſunt: non ita boni ſunt pedites, ſiquidem fere uſum muſquettorum ignorant, & illa valde metuunt. In bello plerumque ex inſidiis graſſantur: in quibus admodum ſunt induſtrii. Crudeliſſimi ſunt in victos, omneſque trucidant, & corda eximunt, & palpitantia adhuc dentibus laniant, ut ante diximus de captivis quos mactant.

Fœdera ineunt & ſtabiliunt in hunc modum: qui alium primatem aut rectorem communitatis ad fœdus & armorum ſocietatem invitat, mittit per aliquem ſuorum (aut etiam portat ipſe) ſagittam, quam invitatus, ſi conſentiat, manu dextra tangens vice jurisjurandi ſe obligat, atque hoc præcipuum inter ipſos eſt fidei vinculum.

Ad eundem modum, cum neque legere neque ſcribere ſciant, ſiquid alteri nuntiare velint, quod bellum, aut aliud Reipublicæ negotium tangat, per fidum aliquem ſuum miniſtrum, mittunt ſagittam, cui faſcia alligata eſt, ſocietatis armorum index: quam ille, ad quem mittitur, dextra manu accipit; &, ſi viciſſim aliquid nuntiare velit, addit

dit & alteram faſciam, atque ita ſagittam eandem remittit. Si autem opus ſit alios quoque moneri, retinet prior ſagittam cum faſcia, & ad alios confœderatos per ſuos circumferri curat ad eundem modum.

CAPUT V.

De Chilenſium Lingua, & Vocabularium dictionum Chilenſium.

ADem, ſudor.
Aero, pectus.
Ahquem, arbor.
Alchahawal, Gallinaceus.
Alchawal, Gallina.
Alel, flamma.
Alengei, nimium.
Alvee, Diabolus.
Anca, lumbi.
Angen, facies.
Anguen, ſiccus.
Ante, Sol.
Apo curaca, Princeps.
Apô, Generalis.
Aullyn, Apis.
Aulonconey, ſapiens.
Auri, dorſum.
Avaun, ebullita.

Bachiante, hodie.
Bewe, Mus.
Bidabida, palatum.
Biliante, ſemper.
Boru, dentes.
Botum, filius.
Bulmerre, guttur.
Buri, retro.
Buta changel, pollex.
Buta, magnus.
Buytha, ſenex.
Bylcum, Lacertus.

Cachu, herba.
Cadi, coſtæ.
Cairon, fœnum.
Calbu, cæruleus.
Calel, corpus.
Cancan, aſſa.
Carel, viridis.
Caulia, Noverca.
Cervinam, Cervus.
Chadi, ſal.
Challo acaman, Piſcator.
Challua, Piſcis.
Chagelcue, digiti.
Changel namon, digiti pedum.
Chan, femora.
Chaquana, ſcala.
Cheche, Avus.
Chiquelen, furfures.
Choroi, Pſittacus.
Choot, luteus.
Chou, Pater.
Chouwo, piger.
Chuquiboê, fur.
Collu, teſtes.
Compay, intus.
Cona, Miles.
Coun, ſputum.
Cuchi ilon, porcina.
Cuchy, Sus.
Cude, anus.
Cue, manus.
Cujan, carbo.
Culenei, dives.
Cuneira, orphanus.
Cunewal, inops.
Cura, lapis.
Curaca, Dynaſta.
Curam, ovum.
Curi, niger.
Curique, hepar.

Dani inem, nidus.
Depen, ſupercilia.
Domo, Femina.
Domo cheche, Avia.
Domo penien, puella.

Eimi, tu.
Emmo, ita.
Eppeum, mane.
Eppoê, perendie.

Gualio, Fulmen.

Hemum, ſuræ.
Hueno, Cælum.

Ilga, molaris.
Illuiboe, mendicus.
Ilon, caro.
Ilungei, veſtitus.
In, naſus.
Inchen, nos.
Innengen, ante.
Iwyn, butyrum.

Lamoen, ſoror.
Langyancheboe, homicida.
Leve, fluvius.
Lien, argentum.
Lipan, humerus.
Lolo, cerebrum.
Lonco, caput.
Lonquen, mare.
Lucu, genua.
Lulcura, penuarium.
Lye, albus.
Lyppe, penna.

Machi, Medicus.
Manco, Aquila.
Mancue, dextre.
Maoni, Pluvia.
Mappo, Regio.
Maviel, lignum.
Mee, ſtercus.
Mellbue, labia.
Mepoi, *inem*, ala.
Methen, farina.
Metu, pudendum muliebre.
Michon, Felis.
Millia, aurum.
Mintay, nunc.
Moiu, mamma.
Molgei, nudus.
Mollbuen, *Molvin*, ſanguis.
Montimey, pinguis.
Muh, non.
Munala, parum.

Naguel, Tigris.
Nama, Matertera.
Namon, pes.
Ne, oculi.
Neaque.
Nebo, nuces.
Nenque, Mater.
Nentoque, Gubernator.

Newonei,

Newonei, fortis.
Nichetaniweni, famulus.
Nilla caboe, Mercator.

Ouicha ilon, ovilla caro.
Oun, os oris.

Paiun, barba.
Pangi, Leo.
Pangiante, meridies.
Paun, Nox.
Pavillere, ferrum.
Pelchuthau, Vitricus.
Pel, cervix.
Pelli, anima.
Penem, renes.
Penien, puer.
Penienboc, obſtetrix.
Penu, frater.
Peſe, argilla.
Pettun, color.
Pichi, parvus.
Pillan, Tonitru.
Pilingei, Glacies.
Pilo, ſurdus.
Pilum, aures.
Pino, ſtramen.
Piren, Nix.
Piro, Lumbricus.
Poloiw, nares.
Ponono, Bufo.
Prequiboe, liberalis.
Prequin, avarus.
Puca, domus.
Puedo, Caprea.
Pue, venter.
Puique, cor.
Puilpa, brachium.
Puleycue, palma.
Pulon, infra.
Pulli, Muſca.
Pulmen, Nobiles.
Pulpeo, Vulpes.
Pylca, murus.
Pylco, collum.
Pylken, Anas.

Que, ventriculus.
Quelehe, inteſtina.
Queli, ruber color.
Quempo, affinis.
Quennei, arrogans.
Quereb, Aër & Ventus.
Quetal, Ignis.
Queten, humidus.
Quette, mentum.
Quewen, lingua.
Quicbiquichio, Accipiter.
Quicdmiger, adoleſcens.
Quichio, nates.
Quiltui, nucleus.
Quin pilon, Oſtrea.
Quital cura, ſilex, pyrites.
Quito, *woe*, Textor.

Retare camen, Faber ferrarius.
Ró, Aqua.

Tabuya, veſpera.
Tacume, palpebræ.
Tapel, folium.
Taptou, ſero.
Taun, genæ.
Tau, *Tou*, macer.
Teinengou ennen, vos.
Tewa, Canis.
Tien, Menſis, & Luna.
Tien, Luna.
Tipanto, annus.
Titi, plumbum.
Tol, frons.
Tolqui, cutis, membrana.
Tomo, Nubes.
Tominco, ſeptimana.
Topil, claudus.
Topilgen, luſus.
Toucou, fatuus.
Touma, cæcus.
Towonghen, caput.
Toy, crura.
Tubei, ille.
Tubquen, cineres.
Tue, Terra.
Tuco, Vlula.
Tuwedewe, Talpa.

Vecaque, lien.
Ven, caro, nervus.
Ven molvin, vena.
Vercum, pulmo.
Verqumao, Ros.
Villin, veſica.
Vilo, Serpens.
Vilochalua, Anguilla.
Vllin, janua.
Vlmen, Primates.
Voerquin, nuntius.
Vtle, cras.
Vyà, heri.

Wamapenco, cognatus.
Wana ruca, tectum.
Wangelen, Stellæ.
Wantarules, maturè.
Wara ilon, vaccina.
Waſen, Glis.
Weddo, umbilicus.
Weitwa, tunc.
Wellcue, ſiniſtra.
Wenco, Patruus.
Wento, Vir.
Wietum, fumus.
Wili, ungues.
Woecon, foras.
Wono, ſupra.
Woranei, deformis.
Wul, radix.

Yecha, juvencula.
Yly, lac.

Zenem, avis.

VERBA ALIQVOT.

A*Mon*, ire.
Aninge, ſedere.

Bemeine, reficere.
Butum, bibere.

Chuquin, furari.
Cuchulein, jacere.
Cudepain, ludere.

Dungune, loqui.

Guallulveno, reſtituere.

Ien, edere.
Illuwyn, dare.

Langawyn, occidere.
Lay, mori.

Mecowyn, ferre.
Mepai, cacare.

Necul, currere.
Nilla cayn, permutare.
Nilla vyn, emere.
Nilla Teuvyn, vendere.

Padenatum, cadere.

Playn,

Playn, reperire.
Puronge, canere.
Pylconge, clamare.

Quedaucapay, laborare.
Queguatum, pugnare.
Quipay, venire.

Rengalgey, ſepelire.

Tangnone, frangere.
Tecanen, ſaltare.
Temelenge, tacere.
Tuegnei, lætari.

Vanguenbyn, perdere.
Vmatum, dormire.
Vtalenge, ſtare.
Vtaleuen, ſurgere.

Wi, *Wyn*, eſſe.
Willan, mingere.

NVMERORVM NOMINA.

Q*Vyn*, unus.
Eppo, duo.
Quila, tres.
Meli, quatuor.
Quechu, quinque.
Cayn, ſex.
Relgi, ſeptem.
Pura, octo.
Ailla, novem.
Mari palaco, centum.
Warama, mille.

Ut autem ſpecimen aliquod habeant Lectores hujus linguæ, ſubjungendum putavi colloquium familiare, quod à noſtratibus accepi.

Iuci pingeimi? quomodo vocaris? *Iuan pingen?* Ioannes vocor. *Cheo ruaimi?* quo vadis? *Moppo murran*, in regionem. *Cheo tui mi?* unde venis? *Nirocomotoun*, ex ædibus meis.

Chumel quipa tuai mi? quando venies? *Chumelputuai mi?* quando ibis? *Ale pungei tamruca?* eſt ne domus tua procul hinc? *Pichirungei*; prope eſt. *Ale pungei*, procul abeſt.

Inchi quiparui mi camappumu: volo proficiſci in aliam regionem.

Chemnibla quiparui mi camappumci? quare vis proficiſci in aliam regionem? *Merelaya tiva mappumu*, inedia ciborum eſt in hac terra. *Aleibelaj twachi tipanto benibla ale genepayn:* Annus hic fuit ſterilis, propterea inediam patimur. *Cheo mappungen tamichou?* in qua terra eſt tuus pater? *Alueiei*, diabolus illum abſtulit.

Aieimi ruani inchio? vis mecum ire? *Ailan*, nolo; *Aien*, volo. *Chuben quecken neieimi tamia?* habes ne aliquid quod comedamus? *cancan achawalneen*, habeo aſſas gallinas: *mu wy?* quot? *munal ei enchin tavia*; quæ nobis ſufficiant. *Chuben putuayn?* quid bibemus? *Aile mangunmeimi*, ago tibi gratias. *Chuben domo trwa?* quæ eſt iſta femina? *inchi tam curi*, eſt mea uxor: *ni nave*, mea filia: *ni domo*, mea concubina. *Ale temiragei vei domo*, eſt pulcra femina. *Quipangnei*, veni huc? *amotunge*, diſcede. *Vmatuayn?* ibimus cubitum? *utaiuca*, ſurgamus. *Wira cuchaj Compay tam mapumu*, Hiſpani irruptionem fecerunt in hanc terram. *Quipa waicha laimi?* vis ne una pugnare? *Waiquinagelan*, non habeo arma: *Ina enpea in waiqui*, ſequere me, inveniemus arma: *aliteun inchi*, conſentio.

CAPVT VI.

Obſervationes ex Hiſtorica Relatione P. Alonſo d'Ouàglie, S. I. *de anni tempeſtatibus.*

QVatuor anni tempeſtates huic Regno accidunt, quemadmodum Europæ, verum diverſo tempore: Ver enim exordium ſumit à menſe Auguſto, & deſinit in medium Novembrem; & à medietate Novembris Æſtas incipit uſque ad medium Februarii; à quo Autumnus ducitur uſque ad medium Maium, quem excipit Hyems, quæ admodum nimboſa eſt, & ſpoliat arbores foliis, & cum vehementi gelu ſpargit altam nivem, tamen à Sole diſſolvitur; niſi, quod raro Sole non comparente, ad aliquot dies durant. Raro autem nives accidunt vallibus, nam licet copioſiſſimæ ſint, & in tantum aggerentur, ut ad cacumina montium aſcendant & cum iis exæquentur, & in aperturis montium veluti in puteis coacerventur, & pene toto anno durent, ibidem diſſolutæ inflant fluvios & torrentes, qui per valles cum magno impetu decurrunt uſque ad mare, & terras mirum in modum fœcundant. Verum licet hic non ningat, niſi raro in planicie, frigus facit tam exceſſivum, ut in multis partibus Europæ vix tantum ſentiatur, quod accidit partim ab altitudine Poli, ſub quo hæc regio ſita eſt, partim à vicinitate montium, è quibus deſcendunt venti ſubtiles & penetrantes,

trantes, qui nonnumquam ſunt inſupportabiles. Vnde fit ut loca maritima ſint magis temperata. Nihilominus in his venti magis ſunt moleſti, quam in planicie, utpote remiſſiores ibidem, neque tam rigide ferientes. Contra hoc frigus creavit Deus latiſſimos & ſpiſſiſſimos montes, plenos Quercubus, quæ eſt communiſſima materies diſtrictus S. Iacobi & aliarum vallium, è qua & carbones fiunt ad fornaces & alias officinas: in aliis partibus ſerviunt eidem uſui Robora, uti in diſtrictu Conceptionis, ubi tam innumera ſunt & ita vaſta, ut licet jam tam multis annis cæſa fuerint, ſilvæ & ſaltus hodieque ita abundent illis, ut vix penetrari poſſint, neque aditum dent niſi ad duo milliaria ab oppido, ulterius autem ſint inacceſſi, licet hæc regio pluſquam centum millia hominum ſuſtentaverit, ut ſcribunt Autores. Iſta autem uti & arbores fructiferæ hyeme amittunt folia; ſed ſilveſtres arbores maximam partem illa conſervant, quia ſunt craſſiora, & licet gelu cooperiantur, non onerantur ut aliarum arborum, ſed liquefacto gelu à radiis Solis, magis læte vireſcunt. Vere enim ingrediente medio Auguſto, tanta copia florum naſcitur, & numeravi aliquando duas ſupra quadraginta diverſas illorum ſpecies brevi tempore, & quidem omnes campeſtres, & maximam partem odoriferos, è quibus conficiunt aquam, quam vocant Angelorum, ob ſingularem ejus fragrantiam. Herbæ quoque campeſtres tam feliciter germinant, tantumque ſumunt incrementum, ut vix à Satis diſtingui poſſint, & menſe Novembri & Decembri ita adoleverunt, ut equis vix penetrari poſſint.

Sinapi, Fœniculum, Trifolium, Rapus, & Mentha, quæ plantæ in Europa ſeruntur & coluntur, hîc abundantiſſime ſponte proveniunt, & quidem tanta copia, ut campos ad multa milliaria occupent, & pecudes & capræ illis paſcantur. Sinapi autem in tantam molem excreſcit, ut caules viderim craſſitie brachii humani, & tam proceros, ut arbores æmularentur, & ſuperarent altitudinem equitis.

Plurimæ hic naſcuntur herbæ Medicinales, & magnæ virtutis, Chilenſibus ſolum notæ & illorum Medicis, quos vocant *Maci*, qui facultates illarum aut celant aut parce admodum docent Hiſpanos; magni hi fiunt non tantum ab Indigenis, ſed & ab Hiſpanis cum gravi aliquo morbo affliguntur; & imprimis ubi aliqua ſuſpicio eſt hauſti veneni. Neque viri tantum, ſed & feminæ quædam hanc artem profitentur, in eaque excellunt.

Lib. 1. cap. 2. Enumerat tres herbas quæ ſingularem uſum habent in medicina.

Prima, inquit, eſt famoſa illa herba quam vocant *Quincia mali*, quæ non aſſurgit ab humo ſupra dimidium palmum: cujus ramuli ſe dilatant ad modum faſciculi florum, & deſinunt ſinguli in unicum florem, figuræ & coloris Croci in Indiis dicti *Romi*. Hæc herba evellitur cum radice, & ebullitur tota in aqua, quæ calida ægris exhibetur; & inter alia illius effecta, unum eſt, educere è corpore quemcunque ſanguinem extra vaſa conſtitutum & corruptum, cum maxima efficacia; quapropter Indi vulnerati quuntocius ſumunt hanc herbam, ſiquidem ſanguinem qui per vulnus effluere non poteſt, educit antequam corrumpatur.

Altera eſt, quam Hiſpani vocant *Albaçiga* (& Indiani *Culen*) quia habet folia ſimilia Ocymo ſive Baſilico, verum in tantam altitudinem aſſurgit, ut arbor videatur, & folia ſunt fragrantiſſima; Hæc contuſa applicatur vulneribus extrinſecus, & guttæ aliquot ſucci eiſdem inſtillantur, & mirabiles edunt effectus.

Tertia eſt inſtar graminis, admodum ſubtilis & delicata, neque reperitur in omnibus partibus hujus regionis: uſus illius eſt admodum mirabilis contra febres malignas & dolores laterum: coquitur tantum in aqua, & ita hauſta inſigniter mundificat ſanguinem, introrſumque educit, ita ut ægri brevi tempore perſanentur, uti ſæpiſſime vidi.

Multæ præterea ſunt herbæ valde efficaces adverſus dolores nephriticos, quæque calculum in veſica rumpunt, & ruptum expellunt. Quemadmodum & aliæ adverſus dolores Sciaticos, aliaſque ejuſcemodi infirmitates quamplurimas.

Siquidem jam de herbis cœpimus, addimus ea quæ alibi de illis tradit hic Auctor.

Lib. 1. cap. XIII. In valle *Lampa*, quæ diſtat ab oppido S. Iacobi milliaria quindecim, naſcitur quædam herba, ad modum Ocymi, licet ejus folia potius ſint cinereſcentis coloris neque tam læte vireant, & planta haud ſupra palmi altitudinem à ſolo aſſurgat: Hæc granulis quibuſdam ſalis æſtivis menſibus cooperitur, inſtar minutarum perlarum, quæ ſuper folia illius coagulantur, aut è rore qui noctu incidit, aut aliquo humore aut vapore, quem Sol in illa regione ſullevat cum aſcendit, aut quod herba ipſa

ſit

ſit ejus naturæ, ut exſudet aut protrudat hunc humorem, qui à Sole ſiccatus convertatur in granula ſalis: ſive autem ab hac, ſive ab illa cauſa, aut etiam alia hoc procedat, hi effectus ſolum obſervantur in hac valle, & ſupra hanc herbam, quam Indigenæ maximi faciunt, quia ſal iſte eſt boni ſaporis & delicatus. Neſcio an ad hoc alludat Ioannes de Laet in deſcriptione Novi Orbis, in qua agens de Regno Chili & inſignibus illius qualitatibus, poſtquam illud cæteris Americæ regionibus prætuliſſet, adjungit, in aliquibus vallibus hujus Regni certis anni tempeſtatibus cadere rorem ita ſpiſſum, ut congelatus ad modum ſacchari, & ſervatus, pene eumdem uſum præſtet quem Manna. Idem refert Antonius de Herrera Chronographus, &c. Et ſane hæc illius fide retuli in deſcriptione mea; ſed quod hic ab Autore affertur, plane aliud eſt.

Eodem lib. cap. XVI. In tota ora maritima hujus regni creſcit quædam herba inſtar Cichorii, quam appellant *Luce*, quæ naſcitur è rupibus, uti aliæ plantæ è terra, & verno tempore colligitur, cum maxime adolevit, & cum Soli fuerit expoſita ut ſiccetur, fiunt ex illa panes grandes qui pro deliciis habentur in illis regionibus, & præcipue in Peruvia, Cuio & Tucumana, quia ſervit ad condimenta ciborum. Naſcitur hæc herba in ſummitate rupium, quæ aliquando extant è mari, aliquando fluctibus operiuntur, quibus radices innituntur, è quibus proſilit caulis, brachii humani craſſitudine, quem vocant *Vltea*; hic præciditur & pauliſper igni admotus decorticatur inſtar thyrſi lactucæ aut cinaræ, licet habeat longe alium ſaporem. Ex hoc trunco naſcuntur aliquot herbæ aut folliculi, pluſquam tres pedes longi, aut quatuor, ſex etiam aut octo digitos, appellant *Cochayngo*, & ſunt duarum ſpecierum, & licet ſint ejuſdem figuræ & coloris, tamen Indigenæ magnam agnoſcunt inter illas differentiam, nam bonas colligunt in uſum Quadrageſimæ: & inutiles relinquunt in mari, quod illas abſolvit à rupibus, & expellit in littus.

Eodem libro cap. XXII. Faciunt & potum è fructu, quem Indigenæ vocant *Huigane* & Hiſpani *Molle*, qui habet figuram & colorem Piperis; & arbor quæ illos fert, eſt ſatis grandis, ſed magis onuſta frondibus, & potus ille valde eſt gratus. Reperiuntur hîc quoque (Herrera decad. IX. lib. 9.) fructus arboris ſilveſtris, quæ naſcitur à gradu trigeſimo ſeptimo & deinceps, quos Indigenæ vocant *Vnghi*, & Caſtellani *Myrtilla*, qui fructus ſunt rubri & inſtar exiguæ uvæ, ſaporis admodum grati, & grana illius ſunt inſtar Ficus, nec ſentiuntur inter manducandum: qualitate ſunt calida & ſicca: ex his fit vinum longe optimum, clarum, ſubtile, calidum, & palato gratum, ventriculo amicum, quodque vapores capitis abſumit, & roborat ventriculum, promovetque appetitum: denique tantum aquæ tolerat, quantum vinum: coloris eſt aurei, & durare poteſt octo menſibus, forte & pluribus: Acetum illius ſuperat acetum vini noſtratis, ſapore & colore.

In toto diſtrictu hujus regionis non reperiuntur Viperæ, Serpentes aut alia animantia venenoſa, ita ut cuivis liceat recumbere ſub arboribus, & inter herbas ſe volutare, ſine ullo diſcrimine aut metu. Haud magis hic inveniuntur Cimices, quinimo, ſi forte è regionibus tranſmontanis, ubi frequentes ſunt, adducantur, ſtatim emoriuntur, ubi ſenſerint aërem hunc Chilenſem.

Eodem lib. cap. XXI. Inter quadrupedes animantes, domeſtici & quaſi proprii ſunt hujus regionis, certi Cuniculi, quos ipſi vocant *Regus*, & menſis pro delitiis inferunt. Venantur illos infundendo aquam in ipſorum cavernas, qua cogunt illos progredi, ita ut à canibus capiantur.

Reperitur & alia ſpecies Cuniculorum, qui familiares ſunt, & variorum colorum, valdeque communes: ſecus quam illi, quos vocant *Arde*, dubito enim an alibi reperiantur quam in *Guaſco*, vallium Chilenſium prima: hi ſunt cinerei coloris, & pelles illorum maximi faciunt Indigenæ, ob ſubtilitatem & lævorem pilorum ad tactum, & poſtquam egiſſet de Ovibus illis, ut vulgo vocant, Peruvianis, ſubdit; ſunt illis ſatis ſimiles Capreæ, tam figura corporis quam velocitate, verum differunt colore, qui in his eſt roſſus inſtar Rubini; & numquam cicurantur. Non eſt equus ita velox qui adultos aſſequi poſſit: juniorum caro admodum eſt delicata, & manducatur recens; adultiorum autem ſalita & ſiccata, facile reliquas ſuperat carnes. Hæc animalia generant lapides Bezoares in ſinu quodam ventriculi, qui maximi æſtimantur contra venena & febres malignas, ad roborandum & refocillandum cor, alioſque effectus: materia è qua generantur, ſunt herbæ inſignis virtutis, quibus veſcuntur naturæ inſtinctu ad ſanitatem tuendam, aut

morbos

morbos & venena ſuperandum. Hi lapides inveniuntur in adultioribus hiſce animalibus, atque interdum tam grandes, ut unum in Italiam attulerim, qui pendet uncias duas ſupra triginta. Experientia autem docet, in regionibus in quibus ſunt plures Viperæ, aliique Serpentes, & animalia venenoſa, plures generari lapides; & cauſa eſt manifeſta, nam cum hæ Capreæ ſint tam veloces, & diſcurrant in varias partes, venenatis illis animalibus magis ſunt expoſitæ, & ab illis læſæ, feſtinant naturaliter ad herbas medicinales. Vnde in Provinciis *Cujo* majores ejuſmodi lapides reperiuntur, quam in *Chile*, quia ibidem offenduntur multæ Viperæ & alia animalia venenoſa, à quibus libera eſt *Chile*, ut diximus; ad hæc cum *Chile* magis ſit habitata, non ſunt Capreæ ibidem tam frequentes, quam in *Cujo*. In qua Provincia & multi reperiuntur Lepores, quorum quidam, qui appellantur *Quiriquincios*, carnem habent, qualem Porcelli lactentes.

Quum autem Regio hæc, cum Peruvia ſibi contermina, id præſertim commune habeat, quod ſimile Pecus lanigerum nutriat, licet pro Cæli & ſoli ratione nonnihil variet, ut tamen eorum convenientia & diſcrepantia melius eluceſcat, unam atque al-



teram iconem, ad vivum expreſſam, ſubdere conſultum fuit: imprimis cum multi uſus in iis terris exiſtant Ovi-Cameli: nam licet rarius mactentur ad comedendam carnem: tamen bajulando, & imprimis lana ſua præſtantiſſima (quæ ut colore, tenuitate & imprimis longitudine; ita & dignitate inter ſe diſcrepat), majorem facile utilitatem

litatem Incolis præſtant. Hæc autem major Ovi-Cameli ſpecies *Paco* illis dicta, quam primo depictam damus, à cæteris differt potiſſimum, quod poſticos tantum pedes in ungulas biſulcas, priores autem in quatuor diviſos ungues habeat, & quod prolixis admodum villis lanæ veſtiatur, quam imprimis commendant. Cæterum natura bene convenit cum ſequentibus, ita ut haud dubium ſit unius generis animal eſſe, niſi forte inter utrumque ſit diſtinctio illa, quam obſervavit I. de Laet in tractatu Ind. Occidental. ut omnino exiſtimo. Sputum ejaculatur in vexantes; & ſcribit P. Alonſo d'Ovaglie in Hiſtorica Relatione Regni Chile, vulgo credi in parte corporis humani quam ſputum illud contigerit, ſcabiem generari. Forma ad Camelos accedunt hæ Oves, niſi quod gibbo careant, cæterum longe majores quam Europææ & plerumque ulnam Hiſpanicam proceræ, collo oblongo & tereti, rictu fiſſo, per quem ſpumam, quum iraſcuntur, ejaculantur in illos, à quibus ſe lædi opinantur; caro illarum paulo ſiccior quam Europæarum; cicures colore utplurimum ſunt candido aut nigro, interdum & cinericio; ſilveſtres vero & montenſes colore ſunt igneo aut fulvo; longa, levi atque adeo nitenti lana veſtiuntur, quæ pretio Hiſpanienſem longe ſuperat: nam quum vellus ovillum in Hiſpaniis uno regali venundetur (Hiſpani autoris ſunt verba) harum ſingula vellera aureo æſtimantur. Ex hac lana certi panni texuntur, quorum ſplendor ad Camelottorum nitorem quamproxime accedere dicitur. Porro Ovibus hiſce aures perforant, & foraminibus innectunt funes, quorum attractu eaſdem regunt & educunt quo libet.

Altera ſpecies quæ pene villis nuda eſt, atque tantum modo levibus & curtis tegitur, ex India quondam Occidentali in Bataviam tranſlata fuit; cujus ego deſcriptionem ex Epiſt. Andr. Mathioli huc traducam, ut differentia facilius pateat.



Refert hoc animal partim Camelum, partim Cervum, adeo ut recte quidem Græco idiomate ἐλαφοκάμηλον appellari poſſe crediderim. Longitudo totius corporis à cervice ad caudam ſex pedum eſt: altitudo vero à dorſo ad pedis plantam quatuor tantum, & colli longitudo à ſcapulis ad cervicem, duûm. Capite, collo, ore, ſuperioris præſertim labii ſciſſura ac genitali Camelum fere refert. At caput oblongius eſt: aures habet cervinas, oculos bubulos. Anterioribus dentibus in ſuperiori mandibula caret, ſed molares utrimque habet, ut biſulca fere omnia, & ut illa etiam ruminat. Dorſo eſt ſenſim prominente, quod per incuriam à pictore neglectum eſt. Scapulis prope collum depreſſis, lateribus tumidis, ventre lato, clunibus altioribus, & cauda brevi, ſpithamæ fere longitudine: quibus omnibus Cervum fere refert, quemadmodum etiam cruribus, præſertim poſterioribus, pedes illi biſulci ſunt, diducta anteriori parte diviſura. Vngues habet acuminatos, qui circa pedis ambitum in cutem craſſam abeunt. Nam pedis planta non ungue ſed cute, ut in multifidis, & in ipſo Camelo, contegitur. Retromingit hoc animal, ut Camelus, & teſtes ſubſtrictos habet. Pectore eſt amplo, ſub quo, ubi thorax ventri connectitur, extuberat globus, ut in Camelo, vomicæ ſimilis, è quo neſcio quid excrementi ſenſim manare videtur. Color

colli,

colli, cervicis, pectoris & anteriorum crurum, eſt illi albus, reliqui vero corporis ſubruber, vel ex nigro ruſeſcens. Roſtro tamen eſt nigro & anterioribus cruribus à genu albicantibus. Cicur ac manſuetum eſt animal, ſed frigoris impatiens, ut alia quæ ad nos è calidis regionibus afferuntur. Neminem offendit: ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat injuria. Nam ubi aliquis illud vexet, vel circa clunes opprimat, non calcibus aut morſibus ſe defendit, ſed vomitu vel cibi vel humoris in vexantem retrorſum cum impetu ejaculato, ob protenſam colli longitudinem. Salaciſſimum hoc eſſe animal, id mihi conjecturam facit, quod, cum ſui generis femellis ſit deſtitutum, magna cum prurigine Capris ſe commiſceat, non tamen erectis, ut alias Capræ Hirco aſcendente ſolent, ſed humi ventre accubantibus, ita cogente animali anterioribus cruribus. Itaque ſuperaſcendens coit, non autem, ut falſò de retromingentibus animalibus affirmat Ariſtoteles, averſis clunibus. Adeo Venere vernali autumnalique tempore ſtimulatur hoc animal, ut illud viderim humile quoddam præſepium avena refertum conſcendiſſe, genitaleque illi magno cum murmure tamdiu confricaſſe, quouſque ſemen redderet, plurimis una hora replicatis vicibus. Non tamen concepere Capræ hujuſce animalis ſemine refertæ, quod, ut puto, vi coactæ illi proſtiterint continuo balantes, tum quod cum hoc animali earum non conveniat ſpecies. Indicam Ovem appellabat hoc animal, qui illud ad nos advexit, atqui à noſtris Ovibus quantum diſtet, tu ipſe judicare poteris.

F I N I S.

IACOBI BONTII,

Medici Civitatis Bataviæ Novæ in Iava Ordinarii,

HISTORIÆ

Naturalis & Medicæ

INDIÆ ORIENTALIS

LIBRI SEX.

I. DE CONSERVANDA VALETVDINE.
II. METHODVS MEDENDI.
III. OBSERVATIONES E CADAVERIBVS.
IV. NOTÆ IN GARCIAM AB ORTA.
V. HISTORIA ANIMALIVM.
VI. HISTORIA PLANTARVM.

In quorum Librorum penultimo, Naturæ Animalium, Avium, & Piſcium: In ultimo autem, Arborum & Plantarum Species miræ, Europæis incognitæ, ac ad Vivum delineatæ, explicantur.

COMMENTARII,

Quos Auctor, morte in INDIIS præventus, indigeſtos reliquit,

A

GVLIELMO PISONE,

In Ordinem redacti & illuſtrati, atque Annotationibus & Additionibus Rerum & Iconum neceſſariis adaucti.

IACOBI BONTII
DE
CONSERVANDA VALETUDINE,
AC
Diæta, Sanis, in INDIIS obſervanda.

DIALOGUS PRIMUS.

De Aëris qualitatibus, anni temporibus, dierum intervallis, ac ventis in Indiis hiſce familiariter ſpirantibus.

IACOBUS BONTIUS.
ANDREAS DURÆUS.

MI Bonti, quoniam matutinis ægrorum viſitationibus jam tempeſtive admodum defuncti ſumus, ſi libet, eamus extra pomœria civitatis aliquanto longius deambulatum, ut dum nondum Sol calore ſuo aërem prorſus excalfecerit, inter nos conferamus, quali Diæta in hiſce locis præcipue ſit utendum. BONT. Bene mones, mi Duræe, præſertim cum quotidie videamus, in Noſocomio noſtro hoc Batavico, non ſolum pleroſque ægros, jam à morbis convaleſcentes, recidivas pati, propter malam diætam ac inopportunam, ſe ipſos in mortem certiſſimam præcipitare: verum etiam bene ſanos, ob eandem cauſam periculoſos morbos incurrere; Hinc enim obſtructiones frequentes viſcerum, Hydrops, ac denique Maraſini inſanabiles; ſed cum Diæta conſiſtat apud Veteres in ſex rebus non naturalibus dictis, eorum veſtigiis nos quoque inſiſtentes, ne hæretici in Medicina videamur, Colloquium noſtrum finiemus. DURÆUS. Quas tu vocas res non naturales? BONTIUS. Quæ corporis humani fabricam non conſtituunt, neque intus in nobis ſunt: ſed quæ externe accerſenda ſunt, ut uſui humano inſerviant. Tales ſunt aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excernenda & retinenda, Affectus denique animi. De iis igitur ſingulatim nobis hic agendum eſt. Ac primum, ut ordine cuncta percurramus, de aëris conſtitutione dicendum, quum eo vel invitis mortalibus ſit utendum, dum reſpiratione & inſenſili tranſpiratione, carere non poſſimus. DURÆUS. Optime, ſed quoniam aëris calor vehemens toto anni tractu, clima hoc quoque ſiccum valde exiſtimarim. BONTIUS. Minime vero, immo aër ac in circumjacentibus inſulis, & in Continentis regionibus, humidus valde eſt. Cujus rei, quum plurima Argumenta poſſum adferre ſatis valida, vulgaribus omiſſis, hoc unum dicam, quod vel ſicciſſima in his locis anni tempeſtate, ferrum, chalybs, æs, argentum denique, citius rubiginem & æruginem contrahunt, quam in Europa pluvioſo, ac Autumnali anni tempore. DURÆUS. Verum dicis, cum & veſtimenta, arcis bene incluſa, ſitum breviſſimo momento contrahant, & niſi ventis interdiu ſpirantibus ac Soli exponantur, facillime putredine corripiuntur. Sed, ſi placet, explica, qualem circa Bataviam experiamur. BONTIUS. Aër in circumvicina regione non admodum ſalubris exiſtit, tum quod calor & humiditas putredinis effectrices ac genitrices, Phyſicis dicantur, tum propter ſtagna & loca paludoſa hic frequentia, dum enim venti è montibus ſpirant, fœtidos & craſſos, ne dicam, propter multitudinem inſectorum, venenatos, vapores ſupra urbem noſtram adigunt, ac ita aërem inficiunt. Itaque ventus è Continenti oriundus, ſerio nobis cavendus eſt, atque is præcipue, qui poſt gallicinium è montibus ſpirat, ob primarum vigiliarum tepidum calorem, ac aperta inde in homine ſudaria, ſeu corporis poros, vehementius, propter ſubtilem & penetrantem qua-

qualitatem corpus afficiunt, quam vel frigidiſſimus Boreas media hyeme in patria: Hinc gravedines longiores, ac Catarrhi difficiliores oriuntur, quam in patria. Penetrabilis præterea hujus aëris natura, miſerabilem illam paralyſeos ſpeciem producit, quæ *Beriberii* in method. mea Med. Indica nominatur, quo lectorem remitto. DUR. Montanorum quidem ventorum nobis naturam explicaſti, velim, ut ſententiam feras, de auris è mari ſpirantibus. BONT. Eas ego autumo longe ſalubriores terreſtribus eſſe: Cauſa in promptu eſt, quod illæ fœtidos illos ac paludoſos vapores longe à nobis rejiciant aëremque verrunt & expurgant; inde ſpiritus alacriores, ac vegetiores ad functiones peragendas reddunt, humoreſque qui in nobis ſunt, à putredine conſervant. DUR. Hæc quæ dicis, in memoriam mihi revocant, quæ de ventis in Gallia Narbonenſi, ac vicinis Hiſpaniæ locis, ac in Italia in Romæ ac Neapolis territorio, è montibus, ſpirantibus, incolis *Serena* vocantur, qui blandiente frigore homines incautos, advenas præſertim, pervadunt potius, quam invadunt, inde crebræ in iis locis Hæmoptyſes, Phthiſes, ac Aſthmata, cæteraque Pulmonum vitia, ſæpe incurabilia. BONT. Ita eſt, ut dicis, hinc non inconcinne *Horatium* ceciniſſe memini.

Matutina parum cautos jam frigora mordent. DUR. Quum porro in omnibus terræ locis, quotannis inſignes in aëre mutationes in Elementorum primis qualitatibus ſentiantur, ac pro iis anni tempora Phyſicis diſtinguantur, velim ut mihi etiam viciſſitudines illas tempeſtatum in Iava noſtra demonſtres. BONT. Lubens fecero, itaque cum per totum anni decurſum, in ſola ſiccitate, ac humiditate, mutationes inſigniores oriantur in hiſce locis, tantum duo anni Tempora novimus. Nam quoad mutationem caloris ac frigoris; calor plerumque ſemper eſt æqualis, cum Sol hic à linea Æquinoctiali non longe recedat: itaque anni tempora, in ſiccum, ac pluvioſum dividemus, quæ nobis Æſtatis, ac Hyemis vicem ſupplent. DURÆUS. Quando igitur Æſtatem incipere exiſtimas? BONT. ubi perpetuæ pluviæ cadere incipiunt: nam tum Sol propior Æquatori è directo nos feriens, ac è mari, paludibus, & ſtagnis nubes in altum cogit, incipitque hæc tempeſtas, à Novembr. initio, ac uſque initium Maii excurrit, cœlo tum temporis tam irriguo, ac tam pluvioſo, tum cadentibus tam continuis pluviis, ut inſolitis merito ſecundum Deucalionis diluvium metuatur. E contra à Maii initio, uſque ad Octobris exitum, ſiccus plane & ſerenus eſt aër, vix pluvia toto ſex menſium intervallo decidente, contrario plane modo, quam in Patria noſtra, ubi recedente Sole pluvioſus fit aër, appropinquante vero Sole ſiccior evadit. Sed terra tamen his non obſtantibus longe feraciſſima eſt, tum ob roris noctu cadentis copiam, tum propter temperatam matutini ac veſpertini temporis naturam, quæ Veris qualitates æmulatur: ſed de eo infra. DUR. utrum tempus anni exiſtimas ſalubrius eſſe? BONT. ex dictis prudenti conſtare debet. Tempus pluvioſum ſeu æſtivum maxime inſalubre cenſeri, quod nimirum aëris calor & humiditas naturalibus Philoſophis putredinis effectrices merito putantur eſſe; Nam niſi tum temporis venti ſucceſſivi matutini, ac veſpertini, tum aëris craſſities ac nebuloſa conſtitutio æſtum arcerent, terra propter calorem non ferendum inhabitabilis eſſet: ſed de his docte ac ampliter philoſophatur *Ioſephus à Coſta* ex propoſito Lib. Naturalis Indiarum Hiſtor. quem lector curioſus adeat. Tempeſtate porro anni ſicca & ſereno aëre, ut convenit, corpora ſunt bene ſana, ac tum venti etiam aliquanto frigidius ſpirantes aërem melius ventilant & expurgant. DUR. Vt ex dictis intelligo, dum æſtatem & hyemem vicinitate, ac abſentia Solis metiris, in Indiarum hoc tractu patimur hyemem, cum in Hollandia ver ac æſtas florent, & è contra hic Æſtas eſt, cum in patria hyems ac Boreas ſæviunt. BONTIVS. Ita ſane eſt. DUR. ſed quid de dierum intervallis, ac eorum temperamentis ſentis? BONT. Diei tempora hic commode diviſerim in Matutinum, Antemeridianum, Poſtmeridianum, ac Veſpertinum, ſub quo quoque noctem comprehendemus. Quoad qualitates ſingulorum; Matutinum ac Veſpertinum diei tempus ſalubrius reliquis, negotiis ac actionibus accommodatius peragendis eſt. Quod tum temporis, venti, è mari & montibus ſpirantes, aërem ventilant ac refrigerant: Vt autem à matutino tempore incipiamus; Ego illud definio, quod ab hora quinta uſque ad nonam ſe extendit, tum auræ molles blande aërem temperant, ac ſi in Hollandia Maiales ventos ſentires. Antemeridianum à nona porro ad duodecimam ſe extendit, quo tempore, Sole altum ſcandente, maximus æſtus ſævit, qui temperari paulatim poſt duodecimam uſque ad quartam pomeridianam incipit,

pit ob auras è mari ſurgentes. Veſperam autem terminabimus à quarta pomeridiana ad ſextam, aut paulo ultra veſpertinam, qua Sol ſe condit. Itaque, ſi quid negotii gerendum ſit interdiu, id fiat veſperi ac mane; antemeridianis jam commemoratis horis progreſſus in publicum plane vitandus, ob fervoris violentiam, quod tam manifeſte quiſque ſentiat, ſe tum temporis magis quadrantis horæ ſpatio defatigari, quam ſpatio duarum horarum alio tempore. A duodecima porro ad quartam pomeridianam, etiam ſuadeam à negotiis publicis abſtineri, ſed tamen hæ horæ tam inſalubres non ſunt, quam antemeridianæ nominatæ.

DIALOGVS II.

De cibo ac potu: ubi de Carnibus, Piſcibus, Fructibus, Herbis, Oleribus, Potu, Pane, ac Oryzæ qualitatibus.

EXpoſitis aëris Indici in his oris qualitatibus, tum anni temporibus, horis diei ac ventorum temperamentis, vellem ut mihi tuam ſententiam diceres de cibum ſumendi tempore.

BONTIVS. Lubens faxo, itaque hoc in genere accipe; jentandum hic largiter, prandendum mediocriter, cœnandum parum. non quod meæ opinioni alios ita ſtricte alligare velim, ſed ego mei judicii rationem reddere conabor. DURÆUS. Rationem itaque velim mihi dari. BONT. Ea in promptu eſt, quod tempore matutino, ob poſt nocturnum frigus, ventriculi melius ad digeſtionem ſunt diſpoſiti. Prandendum porro mediocriter ſuadeo, ne dum meridiamur, plerumque ob ſummum calorem aliquantulum ſtomachus à nimietate cibi gravatus, cruditates, ac inde morbos, hic ſolitos oriri, gignat: nam plurimi morbi in Indiis à frigida cauſa gignuntur. DUR. Hoc adeo durum mihi videtur, in calidis regionibus frigidos morbos prædominari. BONT. Aſt ubi cauſam inſpexeris, fortaſſis minus mirabere, quod nempe propter aſſiduas ſpirituum per ſudores ac cutis ſpiracula evaporationes, membra naturalia, concoctioni ciborum inſervientia, calore deſtituantur; inde frigidiores ventriculi ac inteſtina, ob concoctricis facultatis labefactationem, cibos omnino mutare non valentes, crudos ac incoctos humores, ad meſenterium, dein ad Hepar, tandem per venas ac arterias in univerſum corporis habitum tranſmittunt. Hinc quoque non mirum eſt, populos ad ſeptentrionem ſitos, vivaciores longe eſſe hiſce meridianis gentibus, nam ambiens frigus, per antiperiſtaſin calorem ad interna cogit, hinc eſt quod *Hippocrates* etiam dicat, *ventres hyeme eſſe calidiores*, ac alibi *propterea hyeme largius eſſe cibandum* affirmat. DUR. Satisfeciſti huic ſcrupulo, veniamus, ſi placet, ad genera ciborum hic utilia vel reſpuenda. BONT. Age ut hoc fiat, imaginarium tibi apponam prandium, quia nemo, quod ſciam, nos hodie vocavit. DUR. Dummodo ne Chamæleontes è nobis facias, qui vento vivere dicuntur, ſed falſo. BONT. Bona verba, quæſo, aſt ejus loco aures tuas lepidis ſermonibus opplebo. Itaque cibos primum per claſſes diſtribuamus; ac primo loco Carnes in conſiderationem veniant; earum itaque ſaluberrimæ ſunt gallinarum, quibus hæc Inſula abundat. Aves montanæ ac ſylveſtres, quales ſunt turtures, columbæ, coturnices, & minutiores, ut ſunt paſſeres, fringuillæ, tum ficedulæ ſeu ſclopaces, turdi, quæ omnes volatilium ſpecies nobis abunde campi ac ſylvæ ſuppeditant. Dein anates & anſeres, & cæteræ aves aquatiles hic carnium bonitate præſtant. DUR. Miror, te hæc aquatilia inter ſalubres reponere cibos, cum in Patria inter inſalubria alimenta numerentur, quod nimirum in ſtagnis ac paludibus verſantia, limo ac alga ſe ingurgitent. BONT. Fateor & recte: ſed hic longe eſt alia ratio, tales enim aves non hic in ſtagnis, nec paludibus verſantur; ſed in profluentibus fluviis, unde carnes ipſis longe meliores, prætereà licet domi ipſas alere Oryza ac panis fruſtulis, ac tum carnis tam delicatæ evadunt, ut cum gallinarum ac caponum carnibus contendere poſſint. Sunt præterea hic grues, ac ardeæ, quas quoque contemnere non licet. DUR. quas carnes porro in ſecundo bonitatis gradu locas? BONT. Caprillas: nam ab ovibus, propter penuriam hic abſtinendum eſt. Dein vitulinas ac bovinas, & illas quidem præſtantiores habemus hic feras, ac ſylveſtres. Bubalinæ carnes non ſunt omnino contemnendæ: ſed has juvenculas

culas intellige; nam vetuſtæ propter inſignem nervoſitatem fortiſſimi animalis vix ferratos *Plautini* paraſiti dentes admitterent: Dur. Sed quid de ferinis carnibus ſentis? Bontius. Haud male mones, inter has itaque præſtantiſſimas eſſe puto aprinas, cum & porci domeſtici hic optimi ſunt, ac facilis concoctionis, ſecus quam in patria: nam & ægris hic ſuilla caro bene præſcribitur. Cervos denique (ut ſcis) hic quam plurimos habemus, & has omnes ferinas carnes milites & cives ſclopetis à ſe occiſas huc in urbem quotidie venales adferunt. Dur. Ita eſt: ſed omiſſis carnibus tranſeamus ad piſces. Bont. ut hoc commodius fiat, diſtribuemus piſces, in marinos, ac fluviatiles. Inter marinos (meo quidem judicio præſtat iſte piſcis, quem Incolæ *Cacap* vocant, qui è cyprinorum ſaxatilium eſt genere (quem noſtri Hollandi **Steen-braeſſems** vocant) quique tam grandis aliquando capitur, ut & Aſellum callarium æquet. Dur. Habemuſne hic Aſellos majores iſtos, quos **Cabeljau** Belgæ indigetant? Bont. Capitur hic quidem ſpecies aliqua eorum, quam nautici ſocii noſtri **Jacob Evertſen** vocant, ob nigros in flava cute ſparſos nævos ac maculas, quales habuiſſe quendam ejus nominis nautam dicunt. Eſt præterea hic magna quantitas petroſorum cyprinorum, figura varia, lata, rotunda, oblonga; inter quos excellunt ii, qui rubri ſunt coloris. Scaros quoque delicatiſſimos habemus, quos *Belonius* in obſervationibus ſuis l. 2. deſcribit, qui nobis hic percarum loco ſunt. Capitur præterea Salmonis quoddam genus, *Ican-Banda* Malaii vocant, quod Bandenſem piſcem ſignificat, quia in litoribus ejus inſulæ frequentius capiatur. Certe præter colorem à Salmone non differt, qui in hoc piſce albus eſt, in Salmone caro rubra eſt: ſed noſtri ſiccioris ſunt carnis, ac proinde ſalubriores, ſi *Plinio* credamus, qui omnem piſcium pinguedinem profitetur malam eſſe, præter Anguillarum, quæ ſit peſſima. Dur. Quid de Auratis, Corcovadis, Bonitis, & id genus piſcibus ſentis? Bont. Omnes hos eſſe è thynnorum ac delphinorum ſpecie, tum propter natationis ſummam velocitatem, qua expanſis velis navigantem navem tranatant, ac etiam è mari exiliunt ad tres quatuorve cubitos in altum, ut venentur hirudines aqua ticos, ſeu piſces volaticos dictos, qui etiam ſunt boni ſaporis, ac demtis alis Alecem non male referunt nec forma, nec ſapore. Cæterum inter delphinos iſtos palmam fert Aurata, ab aureo colore *Dorado* Luſitanis dicta, cæteri ſunt carnis durioris ac proin concoctu difficilioris. Sanis tamen ventriculis bene conveniunt, quum ſanis, ut inquit Latinus Hippocrates *Cornelius Celſus*, non opus ſit exquiſita diæta. Dur. quid de planis piſcibus marinis? an illos omnino oblivioni trademus. Bont. immo vero ego in hoc eram, ut ipſos hoc ultimo loco reſervarem: nam extra controverſiam è ſaluberrimorum piſcium ſunt genere. Tales inter præcipuos ſunt, Rhomboides, Lingulacæ, ac Rhombi, quorum Rhomboides optimi inter piſces ſunt nutrimenti; dein Lingulaca, ac ultimo Rhombi, qui adeo conſuevere in deliciis apud Romanos eſſe, ut inde materiam ceperit ingenioſus *Iuvenalis* Satyr. ſalſiſſimam in crudelia & nugacia Domitiani tempora ejaculandi. Raias habemus præterea clavatas ac læves, quæ quo juniores, eo meliores concoctu; à vetuſtioribus enim jubeo abſtinendum, ut de Lamiis, ac laris piſcibus **Hayen**/ qui acutiſſimis ſuis dentibus roſtratim ſtipatis tam multis ſociis navalibus temere natantibus exitium intulere. Paſtinaca marina, ipſis Chinenſibus piſcatoribus confitentibus, venenoſum è tranſverſa cauda enaſcens telum gerit, quo abſciſſo edulis eſt, ſed carnis inſalubris, ac faſtidioſæ, ideo ego Chinenſibus ac Mauris, qui iis avide veſcuntur, ſuas delicias reliquerim, contentus ſupra commemoratis Neptuni pecoribus, ut eos *Plautus* vocat. Duræus. Marinis piſcibus videor jam affatim ſatiatus, velim mihi fluviatiles etiam apponas. Bont. In me non eſt mora. Igitur primo loco mihi occurrit Carpio, ſeu Cyprinus rotundus, quem ego carne, ac guſtu meliorem eſſe judico patriis, ut pote qui hic in fluviis, non in ſtagnis ac paludibus, ut apud nos plerumque capitur, &, ut, quod diximus, Anates hic præſtantiores ſunt, ſic & hi piſces ob prædictam cauſam laudabiliores hic capiuntur, nec enim tam limoſim ſapiunt. Tam inſigni porro mole aliquando capiuntur, cute candida, ac carne delicata, ut iis nil ulterius addi poſſe confidam. Sunt præter hos lupi piſces in alveis fluviorum, quos propterea num inter marinos, aut fluviatiles numerare debeam, dubius hæreo: ſed certe magis in mari capiuntur magna mole, pelle alba, guſtu ſive aſſi ſive elixi ſuaviſſimo. Mugiles ſive **Harders**/ ac ea piſcium ſpecies, quam ob eminentiam naſi naſutos appellant accolæ Moſæ in Hollandia, ac vernaculo vocabulo **Houtinck** indigitant, hic affatim capiuntur, ita ut pauperioribus etiam in cibum cedant. Hæ

duæ

duæ piſcium ſpecies ſtatutis temporibus, ab Octobre nimirum menſe ad Aprilem uſque, propter pluvias quæ ſalſam aquam edulcorant (nam hi piſces etiam in alveis fluminum capiuntur), pingues ac ſuaviſſimi ſunt. Sicciori vero tempeſtate carne ſunt durioris ac ſpinoſæ. Alburni **Voorn** præterea noſtratibus ſimiles hic in fluviis capiuntur, boni ſane ſaporis, ac nutrimenti. Congri *Congerael* quoque inſignes aliquando in fluviorum ore, ſæpius in mari videntur, unde eos potius inter piſces marinos locaverim. Inſalubriores jam porro piſces enumerare libet, quales ſunt Anguillæ, quæ cute ſunt ſuperne nigerrima, ſubtus fœde flava, tum etiam cum hydris coire certiſſimum eſt, & quamvis plurimi eis ſuaviter utantur, ego tamen ob prædictas cauſas ac propter nauſeabundam illarum pinguedinem facile eas contempſerim. Eſt præterea piſcis quidam duriſſimis ſquamis obſitus, quem *Iean Caboſch* Malaii vocant, ego à figura, & capitis, ac reliqui corporis, Mugilem fluviatilem dixerim, qui in limoſo hæret fundo, ac originem ſuam non obſcure ſapit: Habemus hic porro Tencarum **Seelt** quoddam genus ſine ſquamis, pelle lævi, teretes, cum duabus pinnis, ut Anguillæ, ac capiuntur hic in magna copia iſti piſces (quos noſtrates à capite bufonis **Puyt-ael** vocant) ſed ego, ut Muræas fluviatiles omne id genus cupientibus non invideam. Poſſem jam alias piſcium ſpecies enumerare quæ plurimæ reſtant, ſed quia non hiſtoriam: ſed tractatum de diæta indica ſcribere geſtio: ideo his contentus, cancros tantum ac aſtacos, oſtrea quoque, ſquillas ingentes tibi jam apponam, quæ omnia præter reliqua oſtracoderma, hic delicatiſſima ſunt. Tum teſtudines amphibias addo, cum ovis ſuis, ac carne ſuaviſſima, ut aiunt ii qui de iis millies ſe guſtaſſe gloriantur: ſed credo, ipſos famem ſecum, optimum condimentum, attuliſſe, ego teſtudinum carnes inter medicamenta iſta collocaverim, ſeu mavis alimenta medicamentoſa, quæ Phthiſicis, Empyématiciſque conveniunt; quia glutinoſæ cum ſint, pulmonibus conſolidandis conveniunt.

DIALOGVS III.

De Oryza, ac Pane in Indiis. De potu, Vino, Arac. De potu ex aqua, Saccharo, Tamarindis concinnato. De naturalibus liquoribus potulentis ex arboribus depromtis.

DVRÆUS. Quoniam in his locis Oryza cocta plerumque pro pane utimur, velim ut mihi narres, quid de hoc nutrimento ſentias, præſertim cum cibus ſit ſolidior, & quæ tanquam baſis ſuſtinere debet reliqua alimenta, ne in fundo ventriculi fluctuent. BONTIUS. Certe ſi id, quod res eſt, fatear. Si tritici (ut ſolet) copia nobis è Iaponia & Zuratte advehatur, Oryza libenter carere velim, cum è farina tritici panes hic confecti patriis bonitate non cedant, & melioris (meo quidem judicio) quam Oryza ſint nutrimenti: ſed ſi tritici adſit inopia, tum iſta eligenda eſt, quæ colore ſit candidiſſima, & quæ manu contenta bene ponderet, & colore quaſi perſpicua cernatur: ſed cum excocta eſt, antequam ea utare, expectes oportet, donec refrixerit: nam experientia conſtat, calidam Oryzam non ſolum noxiam eſſe ventriculo, verum cerebro, ac univerſo nervorum generi: hinc quoque fit à vaporibus craſſis & ſiccis ex hoc cibo in cerebrum elevatis, nervos opticos ſæpe in tantum obſtrui, ut cæcitas inde oriatur: de qua, & de ejus cura latius in *Methodo* mea *medendi* Indica ex profeſſo agam: hinc etiam non facile videas Iavanos, ac Malaios edere calidam Oryzam, quia Indi (ſi quæ gens alia) ſanitatis conſervandæ ſuæ ſunt apprime curioſi, inde ſobrii exiſtentes, ſumme exactam diætam obſervant. DURÆUS, ſed heus tu! nobis nimium ſiccum in pictura convivium apponis, & interea, *Nos miſeri aremus, nec quod potemus, habemus.* Velim potum nobis præbeas. BONT. Haud male mones, nam & mihi loquendo fauces ſolito ſicciores ſunt, verum de fluente licet nobis accipere, quoniam alterius liquoris hic nobis non eſt copia, ac primum de aqua puriſſima, ac ſimpliciſſima ſecundum elementum ſuum nativum agamus, namque hæc potio etiam nobis cum reliquis animalibus eſt communis. DURÆUS. Quid igitur de fluvio hoc Bataviam noſtram interfluente cenſes? BONT. Aquam eam qualitate quidem non eſſe malam, ſi altius è flumine petatur: nam in ore fluvii propter affluxum maris, ſalſedine

imbuitur: & hæc eſt illa cauſa, quod cum anno 1628, à Iavanis Matarannenſibus arctè obſeſſi eſſemus, & propterea ex fluvio altius aquam petere non auderemus, multi è potu ſalſo in dyſenteriam inciderent, addito etiam inſuper hoc, quod cadavera Iavanorum, à nobis quotidie excurſionibus occiſorum, in ſummo natarent, ac aquam non ſolum tabo deſcendente flumine: ſed & aërem, putrido halitu inficerent. Dur. Sed licet nobis hic potum factitium bibere, quid tu de eo ſentis? Bont. Quoniam Cerevisia nobis deeſt, non quod coqui hic non poſſit: ſed quod propter calorem aëris, citiſſime aceſceret, alioqui non minus bona, quam in patria parari poſſet: nam (ut dixi) triticum, è Siratte nobis abunde ſubvehitur, tum quoque ex Oryza, non decorticata iſtud frumenti genus commode confici poteſt, quod **Mout** in patria vocamus. Cujus rei exemplum vidimus apud Mareſchallum, mercatorem bene cognitum, qui in hac urbe ex prædicta materia cerevisiam coquebat, nulla ratione Hollandicæ cedentem, quæ non ſecus ac patria quoque cerebrum tentabat, ac guſtu non deterior erat: ſed durabilis non erat propter ſummum in his locis calorem, ac cito aceſcebat: verum ſalubris iſte eſt potus, qui modo ſequenti paratur. Sume vaſculum ferreis vinculis bene cinctum, triginta, aut amplius (pro familiæ magnitudine,) amphorarum, quod imple aqua fluviatili pura, cui ſacchari Iavanici nigri infunde ℔ ij. Thamarindorum unc. iv. Citreorum malorum diſſectorum N°. iij. bene obturata hæc reponantur loco frigidiore, à Solis radiis libero, fermententur ſimul per 24 horas, &, quod mirandum, ſine ſubjecto igne ebulliunt, ut eminus aſtantibus exaudiri poſſit ſonus, non ſecus quam valido igne coquitur cerevisia noſtra patria, tum fæces in altum ejicit, quas aperto operculo abjicimus. Hic potus noſter eſt quotidianus, guſtu jucundiſſimus, ac viſceribus minime, ut præcedens, gravis. Et certe illi qui noviter huc è patria pervenere, à me ridendi gratia decepti diſceſſere, putantes, me iis Anglicam vel Martiam cereviſiam propinaſſe, cujus ſaporem magis æmulabitur, ſi manipulum Caryophyllorum in vas conjicias. Dur. Sed quid de potu iſto exiſtimas, qui hic ex aquæ partibus ſex, & vini duabus eodem modo fermentando in cantaris Hollandicis lapideis anguſtioribus conficitur? Bont. Limpidus, fateor, ac frigidus eſt potus: ideoque etiam tempore cibi ſumendi utiliorem eſſe puto: ſed altero utendum cenſerem interdiu, quod pectori paulo ſit infeſtior, neſcio quid acidi penetrantis ſapiens. Dur. ſed utrum vinum ſalubrius eſſe exiſtimas, Gallicumne, an Hiſpanicum? Bont. ſunt qui Gallicum præſtare putent: ſed meo quidem judicio hallucinantur, ſanius enim credo in his locis vinum Hiſpanicum eſſe vel Creticum. Dur. attamen hoc rationi plane contrarium videtur, quod ſub climate calidiſſimo, calida vina, ac oligophora exhiberi velis. Bont. ubi rationem audieris, mirari deſines: nam cum calor hic interdiu, præſertim à decima matutina uſque ad pomeridianam tertiam horam, admodum ſit vehemens, neceſſe eſt, homines multo ſudore diffluere, unde quoque calor nobis ingenitus debilitatur, proin partes naturales coctioni ciborum inſervientes, ac chyli, debito frigidiores remanent, ſecus quam in partibus ſeptentrionalibus accidit, ubi ex Hippocrat. decreto ventres hyeme ſunt calidiores, ratio eſt quod per antiperiſtaſin externus aër internum calorem augeat. huic quoque argumento fidem addit experientia mercatorum, per deſerta Arabiæ in Perſiam, aut Turciam iter facientium, qui in ſummis caloribus ſitim optime ſedant hauſtu ſpiritus vini, vel fortiſſimi vini Perſici, vel Hiſpanici: nam, ſi ob inexplebilem ſitim aſſiduo aquam ingererent, in cachexiam proculdubio, ac in ventris inſignem tumorem, ac ipſum denique hydropem, inciderent. Adde quod vinum Gallicum, quod huc è patria adfertur, œnopolæ apud Hollandos liberalius iſto ſuffumigio imbuunt, quod **Lucht** vocant, quod cum arſenico, ſulphure, & colophonia conſtet, vino pernicioſam ac cauſticam qualitatem inurit, quamvis efficiat, ut ſapor diutius illi incorruptus conſervetur. Vnde ego aliquos vidi ex ſolo Gallici vini potu largiore in lethalem dyſenteriam incidiſſe. Dur. Ex prædictis apparet te etiam à vino aduſto, nec Arac Chinenſe, abhorrere. Bont. uſum commendo, abuſum abominor. Si quis igitur mane, aut veſperi, ventriculi roborandi gratia, unc. ij. aut unc. iij. iſtius liquoris ſumat, haud male, me judice, fecerit. Sed, ſi id vinum diſtillatum haberi poteſt, quod è Gallia venit, non eſt quod Arac confectum deſideremus: ſed ſi ejus copia non detur, quod conficitur è liquore nuce Indica contento, ac ex ipſa arbore diſtillato cum Oryza, eligendum eſt. at cane pejus & angue vitandum eſt, quod Chinenſes avariſſimi

riſſimi ſimul, ac aſtutiſſimi bipedum mixtis Holothuriis in mari fluctuantibus parant, quæ excrementa maris Belgæ **Quallen** vocant, eaque tam exurentis ſunt caloris, ut ſolo attactu veſicas in cute excitent, atque hinc exulcerationes pulmonum, ſanguinis ſputa, tabes, ac mors ipſa adveniant, atque hoc eſt, ut *Plautus* ait, quod homines hic tam brevem vitam colunt, cum, inſtar ſtrigilum, inteſtina abradant, ac exedant.

DIALOGVS IV.

De Potionibus naturalibus ex arboribus depromptis in India Tovvat, ac Saguer dictis, tum de liquore nuce Indica contento.

DVR. In omnibus his mihi abunde ſatisfeciſti, jam ſententiam tuam explices velim de liquoribus iſtis potulentis, qui vel ex fructibus arborum, vel ex ipſis arboribus depromuntur. BONT. Sciendum itaque eſt, tres hujus potus eſſe ſpecies; primam, quæ continetur in Nucis Indicæ cavitate; ſecundam, quæ è floribus ejuſdem arboris elicitur; tertia frequens eſt in Banda ac reliquis inſulis Moluccis, quæ deſtillat ex arbore non abſimili Palmæ Indicæ, iſque potus indigenis *Saguër* vocatur, hæ tres potus naturalis ſpecies per totam Indiam admodum familiares ſunt. Ac hoc in genere de iis dictum ſit, ipſos frigida qualitate excellere, ac proinde nervis eſſe infeſtos, ſi quis nimia quantitate iis abutatur, præſertim corpore per exercitium aut Solis ardorem excalefacto: non ſecus ac vidimus ſæpe in patria noſtra, ſi quis æſtate, vel oriente Canicula, curſu defatigatus, & ſudore perfluens, intempeſtive nimis avide frigidum, vel lactis preſſivum hauriat, ipſum in momentaneam mortem incidiſſe, vel ſummum vitæ periculum. Itaque potu ex his arboribus parcius eſt utendum: nam conſtat, frequenti illorum uſu, præſertim liquoris *Saguër* dicti, non ſolum diarrhœas diuturnas ortas: ſed & paralyſin, *Beriberii* dictam, hinc natam eſſe. Hinc eſt, quod in Banda, cæteriſque Moluccis inſulis, præſertim quæ noſtro ſub ſunt imperio, plerique homines cachectici ſint, ac fœdo colore ad luteum vergente, & vix unus, aut alter è noſtris Batavis paralyſin prædictam effugit. quod & norunt Luſitani, qui non ſolum in hoc potu: ſed in reliqua omni diæta temperatiores ſunt, quam noſtrates.

DIALOGVS V.

De Aromatis, ac de uſu illorum. Vbi quædam à Garcia ab Orta, ac cæteris aromatariis ſcriptoribus non ſatis liquido tractata explicantur.

DVRÆVS. Cibum jam ac potum nobis affatim in pictura appoſuiſti: ſed ſimplicem, ac nullis condimentis imbutum, cum tamen nullibi copioſius aromata proveniant quam in Iava. BONTIUS. Quam tu delicatus es! an neſcis naturam ſimplici victu eſſe contentam? veruntamen, ne videamur earum rerum per negligentiam curam non gerere, in hoc te non deſeram. Ac de Aromatis dicam, non quod auditu percepi, ſed quod ſenſu proprio ac viſu verum eſſe didici. Piper primum attingamus, cujus qualitates cum per totum orbem notiſſimæ ſint, non eſt quod pluribus de eo hic agamus. Certe Convolvuli eſt ſpecies, ſi modum creſcendi reſpiciamus, nam arbores ac bacillos eodem modo, quo Convolvulus, ſcandit. Condiuntur hujus viridis racemi, (nam ut uvæ Corinthiacæ creſcit) muria & aceto ad orexin excitandam, ac cum carnibus aſſis aut elixis apponuntur, eodem modo incolæ condiunt radices recentes Zinziberis, Galangæ, cum fructibus *Manga*, *Carambola*, *Billingbing*, Curcuma, tum Cucumeribus primum adoleſcentibus, Melonibus inſuper, ac Peponibus, quæ nobis Capparum vicem ſupplent ac Olearum, quanquam & hæ deliciæ non deficiant, cum quotannis eas deſiderantibus ſatis copioſe huc è Perſia, & *Sirrate* advehantur; ridiculum porro eſt quod *Garcias ab Orta* peculiari cap. refert, de opinione Iavanorum ac Indorum de Piperis qualitate, ipſum nimirum eſſe frigidum. Credo ea ratione, qua quidam ſophiſtæ olim ignem frigidum, ac glaciem,

& nivem calidam eſſe affirmare auſi ſunt: quibus ego cum Ariſtotele reſponſum velim, ſola experientia contra hos ineptos aſſertores eſſe diſputandum: niſi forte velint calorem nativum, nimio ejus uſu foras pelli, & intus debilitari; ac hoc modo corporis temperiem verſus frigidam mutari. Sed Indi, credo, tam alte non Philoſophantur. Idem quoque inde de Caryophyllis, eodem modo conditis, ſentiunt. DURÆUS. Quid de Maci & Nuce Myriſtica condita ſentis? BONTIUS. Iis, ego dico, parcius in his regionibus eſſe utendum: nam ventriculum ſua oleoſitate ac pinguedine gravant, tum vaporibus ad cerebrum elatis ſomnolentiam & ſtupiditatem inducunt, immo vidi ex nucis Myriſticæ nimio uſu, aliquot non parum periclitatos eſſe, qui per diem unum atque alterum, non ſecus ac caro correpti, immobiles, & muti jacuere, certiſſimo indicio, cerebrum & nervos non parum male affectos eſſe. Porro è corticibus viridibus Nucis Myriſticæ in Banda inſula coquunt pultem, ſaccharo condiunt, ac tum ſaporem referunt acidorum pomorum ſic coctorum in patria. Sed & nos in Iava ex corticibus ſalitis ejuſdem Nucis, primum aqua maceratis, non inſuaviter ſimile condimentum conficimus: experientia quoque conſtat, ſomnum accerſere, ideoque cautius eo utendum cenſeo. DURÆUS. Itaque, ut audio, nimium in cibis Aromatum uſum non laudas? BONT. Ita eſt. Cardamomo excepto, quod blando ſuo calore, & naturæ noſtræ familiari, maſticatum, nullum empyreuma viſceribus inurit. Creſcit copioſe hæc planta in Iava, & mulieribus Malaicis frequenti in uſu eſt, condiendis piſcibus, ac carnibus elixis. DURÆUS. Calamum Aromaticum, qui tam familiariter creſcit, nonne in uſu in culina eſſe autumas? BONTIUS. & quidem commodiſſime, quamvis *Garcias ab Orta* illius, ut & Iunci odorati, nullum in India uſum agnoſcit, quam ſubſternendis equorum cubilibus; verum, ſi tam diligens fuiſſet in rimandis Aromatum qualitatibus, quam perſpicax in legendis Medicis Arabicis, non debuiſſet commoditates earum plantarum ignoraſſe, nam per totam Indiam vix piſces coquuntur, aut carnes, quin faſciculus calami Aromatici, aut Iunci odorati, iis injiciatur, ad gratum ſaporem, ac ventriculi non levem corroborationem. Idem de Nardo, quæ in montibus creſcit, eſto judicium. Hæc quoque aceto infuſa per aliquot dies, ut flores Calendulæ exſiccatæ apud nos, putredini & corruptioni humorum egregie reſiſtit. Ego viridem Nardum hactenus non vidi, quia montes hic inacceſſi nobis ſunt propter Tigridum inibi frequentiam & prædones Iavanos. DURÆUS. Dixeras antea, etiam Curcumæ radicem incoqui cibis. BONTIUS. Recte quidem & hanc radicem *Garcias ab Orta* vocat Crocum Indicum, non quod Croci Britannici filamentis ſimilis ſit: ſed quod flavo colore tingat. Eaſdem radices quoque creſcentes, quia Garcias non vidit, putare ſe ait ſine noxa intra corpus ſumi poſſe, ejus rei audacter ſponſorem me do, nam qui plantam millies vidi, & alibi largius deſcripſi, non ſolum cibis utiliter incoqui affirmo, ſed egregios etiam ejus uſus in medicina alio volumine oſtendi, atque hæc de Aromatis dicta hic ſufficiant. DURÆUS. Perſæpe miratus ſum Malaios, ac Iavanos, tum Chinenſes quoque, Mandragoræ iſtius fructu, quam Luſitani *Pomo d'oro* vocant, tam avide veſci, cum in ſummo gradu ſunt frigida. BONT. Bona verba, quæſo, an neſcis, eos addere fructum Ricini Americani, quod *lada Chili* Malaii vocant, quaſi dicas, Piper è Chile, Braſiliæ conterminæ regione, ita alterius ſummam frigiditatem, alterius exceſſivo calore temperant, aceto, ac oleo ſuperinfuſo, non male cum carnibus, aut piſcibus aſſis comedunt. Sunt qui maſticationi iſtius Ricini ita aſſueverunt, non ſecus & fumigatores iſti Nicotianæ. Quantum ad me, eo tamen libenter caream, nam dum animi gratia idem tentare aggreſſus eſſem, totum mihi palatum ac linguam excoriavi, à cauſtica iſtius Ricini vi, hinc videre eſt, quantum faciat conſuetudo.

DIALOGVS VI.

De Fructibus, omnigenis Oleribus, ac Acetariis herbis in Iava.

DVRÆUS. Quoniam convivium noſtrum jam ad finem tendere videtur; ſine bellariis credo hoc non dimittes. BONT. Nullo modo, itaque à fructibus incipiamus, quorum non parvus eſt habendus delectus, optimi enim inter eos ſunt, qui guſtu ſunt aſtringenti, pejores, qui ſaporem dulcedine fallunt: ſed, ut de ſingulis

gulis aliquem ſermonem guſtemus. Primi nobis occurrunt *Manga* dicti fructus, qui in altiſſimis ac expanſis arboribus creſcunt, forma Quercum noſtratem non male, æmulantibus; qui, dum immaturi, acidiſſimi ſunt ſaporis, unde nobis demtis corticibus & nucleis in medio, puls coquitur ſapore acido, poma acida, & uvas criſpas coctas referens, ut quis vel exquiſitiſſimi guſtus, ſaporis differentiam vix agnoſcere ſe fateretur: atqui fructus *Manga*, hoc modo præparati, ventriculo & inteſtinis corroborandis conveniunt, maturi minus ſunt ſalubres, ſed tamen ſi quis iis parcius utatur, nullam noxam inferent. DUR. De Durionibus, *Iaacis*, ac cæteris echinatis fructibus, quid ſentis? BONTIUS. Duriones ob fœtorem Allium referentes, primum guſtantibus, fateor, faſtidioſi ſunt & nauſeabundi, tamen inter fructus ſaluberrimos Indicos eos merito repono: nam diuretici ſunt, & ſudores eliciunt, tum flatus diſcutiunt, tamen ſi nimia quantitate eos quis ſumſerit propter calidam & ſiccam, qua præditi ſunt, qualitatem, inflammant ſanguinem & hepar, puſtulaſque in facie excitant: itaque eos reponamus inter medicamenta alimentoſa, de quibus in Meth. Indica mea Medendi. DUR. haud difficulter mihi perſuades: ſed quo gradu locas Ananas fructus ſapidiſſimos ac odoratiſſimos? BONT. Si qualitates cæteræ ſupradictis à te reſponderent, nobiliorem fructum in toto orbe terrarum non naſci contenderem: ſed tam erodentis porro ſunt qualitatis, ut ſuccus eorum, chalybem, & ferrum erodat, unde niſi vino, aut aqua per aliquot tempus macerentur, palatum, & linguam excoriant, ac horribilem Choleram, lethalemque ſæpe Dyſenteriam creant. DURÆUS. *Iaacas*, puto, ſapor dulcis commendabit! BONT. Immo ego illas maxime inſalubres eſſe puto, cum carnis ſint tenacis ac duræ, & quæ incoctæ & crudæ, ut ore aſſumuntur, fere per alvum dejiciantur. unde etiam cruditates in ventriculo, & inteſtinis gignunt, quæ moleſtas, diuturnaſque Diarrhœas creant, dein Teneſmum, cui ſæpe ſuccedit mortifera Dyſenteria. DUR. Qui fructus ſunt ergo, quos mox ob aſtrictiorem ſaporem commendabas? BONT. Ii ſunt primum *Iambos* fructus vocati, pulcherrimo ex albo ad purpureum vergentes colore. ſapore ferme, ut Capreæ vitis, ut bene monet *Chriſtoph. à Coſta*, aſtringunt vehementer, ac proinde Dyſenteriis & Choleris accommodatum eſt remedium, de quo alias. Adfertur ad nos præterea fructus quidam, *Lances* vocatus, qui racematim ut, uvæ, creſcit, rotunda plane figura, magnitudine Pruni, intus nucleum habet, qui veſtitur carne alba, & ſaporis vinoſi, qualis fere eſt in uvis urſinis in patria. Huic conſimilis guſtu eſt fructus, Iavanis *Boa Rampout* vocatus, quod crinem ſignificat, quod cortex externe fructum ambiens multis capillamentis ſit præditus, nucleus plane ſimilis eſt prædicto *Lancium*, ac qualitate frigida conveniunt; cortex *Lancium* tamen ſuccum lacteum emittit, qui amarus valde & corroſivus eſt. datur præterea fructus *Billinbing* indigenis dictus, forma adoleſcentis primum parvi Cucumeris, adeo acido ſapore, ut acorem ipſum dicas, in quo illud miri obſervatur, quod ſi ab aliis acidis fructibus cuipiam obſtupeſcant dentes, iſtius fructu comeſus ſtatim acor abſceſſerit, credo ea ratione, qua in affectibus præter naturam major dolor minorem obſcurat. DUR. Quid tibi de Ficubus noſtris Indicis videtur? BONTIUS. Hos fructus *Pr. Alpinus* Muſam vocavit, Malaii *Banana* indigitant, Iavani *Pyſang*. ſapore quidem grato ſunt & pyro noſtro æmulantes, quæ ob dulcorem Batavi Suyckerpeeren vocant: hi fructus ſi crudi comedantur, flatuoſi admodum ſunt, & nauſeabundi, unde inſolitis ſtomachum ſubvertunt: ſed melius comeduntur cum pane & Oryza cocta, juncto caſeo, alias quis facile in Dyſenteriam, & ipſi congenerem Choleram, inciderit. Non ſecus ac ſi in Gallia, aut Hiſpania quis, qui recens iſtuc advenerit, uvis ſine pane ſe affatim ingurgitet, næ ille certo certius in fluxum Dyſentericum incidet. Hi fructus cum ovis fricti in ſartagine multo ſalubriores ſunt, & tum Phthiſicis, Aſthmaticis, & cæteris malis pectoris admodum utiles ſunt, tum extus impoſita inflammatorios tumores quoſcunque ad maturitatem perducunt. DUR. Aſt ubi relinquis *Mangoſtan*, *Iambo*, & Cydonia Bengalenſia? BONTIUS. Ego ea pro bellariis reſervabam, ut ſimul cum Chinenſium potu *The* vocato, & *Tchia* Iaponibus dicta convivium finiremus, &, quod hic moris eſt, ut *Syrii pynang* vobis apponeremus. *Iambo* igitur primum arbor eſt magnitudine Pruni, & niſi quod paulo acutioribus ſit foliis, ipſi plane reſponderet, flore rubro, fructu pulcherrimo, ex candido purpuraſcentis coloris: guſtu ſunt aſtringenti, & ſapore ferme Vitium capreolas referunt, ſapore itaque minus præſtant, quam colore promittunt: frigidæ ſunt naturæ, ideo æſtuantibus utiles ſive ab exercitio, ſive

à calore

à calore febrili, Cydonia Bengalenſia deſcribit *Garc. ab Orta*, l. II. cap. XIV. Itaque de iis hoc tantum addemus, quod his Pyris ſeu Malis Cotoneis eximant nucleos, ac totos Saccharo, vel muria, & aceto condiant, quæ ad nos ex interceptis Luſitanorum navibus quæ Malaccam verſus navigant, à Sirate, & ora Chormandel. Nam nulla gens in mundo ita aſſuevit condituris ejuſmodi, quam Luſitani, ita ut per totam Indiam in proverbio ſit; *Indos odoribus*, *Luſitanos condituris*, *rem diſperdere*. Sapore æmulantur Pyra iſta, Autumnalia grandia noſtratia, quæ vulgus **Winter-peeren** vocat. Fructus porro *Mangoſtan* dicti, tam excellentis ſunt ſaporis, ut mea quidem ſententia omnes cæteros in his regionibus fructus anteeat, cortex plane Mali Granati cortici ſimilis eſt, niſi quod in ſuperiori parte coronam habeat ut papaver, cujus quot ſunt radii, tot nucleos intus habebis, veſtitos carne nive candidiori, ſapore ex dulci vinoſo, ſuperante fraga, ac *Ananas* in India. DUR. Memineras de Chinenſium *Thee* vocato Potu, quid tu de eo ſentis? BONT. Herbula unde hoc The conficitur, Bellidis ſeu Conſolidæ minoris folia refert, cum parvis in ambitu inciſuris. hujus foliorum exſiccatorum manipulum in ferventem lebetem ad hoc paratum conjiciunt, & ad ſufficiens tempus ebullire ſinunt, hunc liquorem qui ſapore ſubamarus eſt, calidum ſorbent. Hunc porro potum tanquam ſacrum Chinæ obſervant, & hoc venientes, hoc abeuntes, hoſpites excipiunt, & non creduntur jus hoſpitalitatis impleviſſe, niſi tibi eum propinaverint, non ſecus ac Mahometani ſuum *Caveah* æſtimant. Exſiccantis eſt qualitatis, ac ſomnum prohibet, dum vapores è ventriculo in cerebrum aſcendentes abſumit, præterea Aſthmaticis, ac Suſpirioſis prodeſt. Quid jam poſtremo tibi memorem Mala Aurea, Citrea, Granata, & cæteros ſimiles fructus, quorum ſumma eſt copia, cum iſta in noſtra Europa notiſſima ſunt, & nos hinc Syrupos conficimus, quique ſitientibus aqua mixti, Iulapii locum in ſanis, ac ægris, obtinent? Vites taceo, quæ, ſi diligentem putatorem, & cultorem nanciſcantur, quater in anno maturos ſuos fructus proferunt. itaque ſi diurnus calor non adſit, propter perpetuum virorem ſemper hic Ver, ac veri Heſperidum Horti.

DIALOGVS VII.

De Oleribus, & Leguminibus in Indiis, & Radicibus quibuſdam edulibus.

DURÆUS. Finito jam imaginario tuo convivio, domum remeantes, ſaltem aliquid olerum in veſpertinam cœnam colligamus. BONT. Dic modo quid primum expediri velis? DUR. Radices eas narres mihi, quas *Batatas* vocamus. BONT. Pleni quidem eas nutrimenti eſſe, attamen ſuccum melancholicum producere, non ſecus ac caſtaneæ in Europa, quarum ſaporem hæ radices, ſub cineribus toſtæ, vel etiam elixæ cum carnibus, plane referunt, niſi quod ſint humidiores, & molliores paululum: ſed ſi ſale, oleo, pipere, & aceto perfundantur, betæ rubræ coctæ nobis loco ſunt in acetariis. DUR. De Raphanis ſativis hic luxuriantibus quid tu ſentis? BONT. Horum, ut ſcis, habemus duo genera, primum breve, & rotundum, vel cylindri ſaltem formam referens: hi cocti loco raparum nobis in familiari ſunt cibo; ſecundum eſt oblongum, & teres, ut Hollandicus raphanus, quod cum pane, butyro, & ſale, crudum more patrio comeditur. Cæterum longe præſtant Raphani patriis, quod non ſint tam lignoſi, nec à teredine ita perforentur, ſed eſculentiores, & ſapidiores ſunt. DUR. Quid Indi de oleribus ſentiunt? BONT. Illi iſta, & omnes herbas edules in magno pretio habent: nam qui à Sirate, & oris Chormandel huc adveniunt, plerique ferme ſolis vegetativis veſcuntur, ſequuti *Pythagoram*,

—— *Cunctis animalibus abſtinuit qui,*
Tanquam homini, ac ventri indulſit non omne legumen.

[*Iuvenalis* Satyr. 16.]

Ita hi homines etiamnum abſtinent Fabis rubris, & quicquid inter herbas rubrum colorem obtinet. Hinc etiam fit, quod homines, in cæteris rebus idiotæ, tam exactam herbarum, & ſtirpium nanciſcantur ſcientiam, ut ſi vel doctiſſimus *Pavvius*, noſtri ævi botanicorum princeps, è mortuis reſurgens huc veniret, miraretur, ſe ab his hominibus barbaris doceri poſſe. Cæterum olera omnia, & manſiles herbas, Malaii generali vocabulo

cabulo *Seir* vocant, ut contra, herbas medicamentoſas, & venena quoque *Oubat* indigitant. Vt rem in pauca contraham, &, ne tractatus modum excedam, enumerabo reliqua olera in nutrimentum hominum naſcentia, utramque Betam rubram & albam. Petroſelinum quoque luxuriat. Lactucarum omnes ſpecies. Anethum, & Fœniculum, Aſparagos etiam non infeliciter ſerere incepimus. Tum fructus terreſtres quoque proveniunt, ut ſunt Melones aquatici, Pepones, Cucumeres, Citrulli; ſed cum hæc omnia in patria abundent, de iis ad faſtidium nolo dicere. Semina horum fructuum eundem uſum in medicina præſtant, quem apud Batavos antiquos. Legumina, non ſolum in ſarmentis, ſed in præaltis arboribus, ut alibi diximus, naſcuntur; ſapore bono & nutrimenti ejuſdem, ut apud nos, flatulenti, &c. Habemus præterea fructum quendam, quem *Focqui Focqui* Malaii indigitant, cubitali ſæpe magnitudine, brachium humanum craſſitie æquans, & teres, eodem modo quo Cynara coctus cum vino & pipere & butyro, ei ſapore non cedit. Figuram in *Exoticis* meis Indicis videre eſt & deſcriptionem, quæ proximo anno faxo habeatis. Sed hæc de Oleribus ſufficiant, tranſeamus ad Exercitia, & animi pathemata, ut tandem optatum portum attingamus.

DIALOGVS VIII.

De Exercitiis, ſomno, & vigilia, ſanguinis miſſione, purgatione, & de animi affectibus.

DVRÆUS. Quid de reliqua diætæ parte cenſes, quæ in exercitiis ſeu motu & quiete conſiſtit? BONT. Vt hæc obiter percurramus, Exercitia, procul dubio moderata eſſe debent: nam propter humidam & calidam aëris temperiem corpora hic fluxa eſſe, extra controverſiam eſt. Et hæc quidem matutino vel veſpertino tempore inſtitui debent, cum Sol non ita fervidus eſt, itaque commoda deambulatio, iis temporibus ſanitati conducit, tum equitatio modeſta, ut ditioribus mos eſt, & vectatio per fluvium cum navicula, ut amœniſſimas ſylvas, & fluminum oras tranſvehamur, quæ floribus & herbis conſitæ perpetuo virent. DUR. Quid de ſomno, ac eum capiendi tempore, autumas? BONT. De ſomno nil habeo, quod addam, niſi iſtud antiquum, ut moderatus ſit. Sed vereor, ne hic Apocryphus ſim, ſi ſomnum meridianum ſanitati conducere dicam: ſed ut res caſura eſt, ego ab iſta opinione non recedam, niſi melius edoctus. Et certe, ſi in memoriam revocare velis, quæ ante dicta ſunt, quod mane propter poſtnocturnum frigus concoctioni ventriculi magis apti ſint, qua propter etiam largius jentandum præcepi. Meridianus ſomnus hic non ſolum utilis, ſed & neceſſarius ferme, cenſebitur. Præſertim cum hoc tempore tantus calor aërem occupet, ut vel leviſſimus motus te defatiget, & ſudore diffluere faciat, quid obſtat, quominus lectione jucunda, ſeu levi ſomno, curas diluas? Nam & illi qui Hiſpanias, Italiam, ac Gallias, frequentavere, hoc in iis locis ſolitum eſſe affirmabunt, cum tamen nullo modo calor ibi tantus ſit, ut in his locis. Secus habet in locis Septentrionem verſus ſitis, ubi ſemper largius prandemus, & digeſtioni ciborum motus levior vel deambulatio conducat, ſed hic parce prandendum cum ſit, ſomnus concoctioni ciborum nullo modo officit: ſed eam magis promovet. DUR. Quid cenſes de retentione ac vacuatione humorum? BONT. Non eſt, quod hoc à me expectes, purgationem, aut venæſectionem eam, quæ in morbis adhiberi ſolet: ſed eam, quæ ſervandæ valetudinis gratia contra affectus non naturales inſtituitur. Ergo ſi alvus ſolito aſtrictior fuerit, eam commode ſolvemus præſtantiſſimis naſcentibus laxativis, Thamarindis nimirum, & medulla Caſſiæ fiſtulæ. Vel ſi paulo validius medicamentum deſideres, addatur his Rhabarbari Extractum vel Syrupus ejus. Si porro ſanguis mittendus, ratio etiam talis eſt habenda, qualis in patria, plenitudinis nimirum vocatæ ad vaſa, ac ad vires: prior ſi adſit plethora, ſecundum *Hippocratem*, l. 1. aphor. 3. large aliquando ſanguis mittendus; altera ad vires, ſi adſit, ventilandis viſceribus, præſertim hepati & cordi, ſecundum judicium ſanguis mittendus vel ſemel, vel iterato. Si porro alvus ſit ſolutior, & inde Dyſenteria, & Diarrhœa metuatur; ſyrupus ſumatur è ſucco granatorum, vel decoct. è corticibus

ticibus eorum. Sed quia hæc magis ad morborum curam attinent, illa in aliud commodius tempus rejiciamus. Dur. Reſtat parvus ſcrupulus de animi affectibus & perturbationibus intempeſtivis. Bont. De iis Medici multa & varia ſcripſere, quomodo domari vel temperari debeant. Verum cum motus animi vix ſint in poteſtate noſtra: Ego illis illud *Horatii* objicio: quod animus,

—— qui niſi ſervit,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catenis.

Quod uni facile, alteri difficile, factu eſſe pro diverſo temperamento, quis non fatebitur? ideoque de affectibus & pathematis animi certam regulam velle ferre, nugatoris magis puto eſſe, quam Philoſophi naturalis: Tum etiam hoc cogitandum, ut jejunium noſtrum ſolvamus, ne nobis Plautinum iſtud eveniat, dum de frenandis animi paſſionibus diſputamus, fames & mora bilem in naſum conciat; itaque ſuadeam, dum Sol nondum radios in verticem noſtrum dimittat, jentatum eamus. Duræus. Opportune mones, nam & gula me monet, ventrem famelicum carere auribus. Ergo, ſi placet, in urbem nos recipiamus. Bontius. Me lubente fiet.

Dedit Deus his quoque finem, 1631, Ianuarii 18, Batav. Iacatr.

FINIS LIBRI PRIMI.

IACO-

IACOBI BONTII MEDICI
METHODVS MEDENDI
QVA
IN INDIIS ORIENTALIBVS
oportet uti, in cura morborum illic vulgo & populariter graſſantium.

LIBER SECVNDVS.

Ampliſſimis, Magnificis, ac Prudentiſſimis Viris,

PRÆFECTIS MAIORIBVS
Negotiorum in INDIIS ORIENTALIBVS;

Dominis meis, mihi ſumma obſervantia colendis.

S. P. D.

ANni jam fere tres elapſi ſunt (Viri Ampliſſimi) quod operam in re medica meam, V. A. addixi: quam, cum primum in Indias veſtras veni, non ſterilem jacere paſſus ſum: ſed ſtrenue in actum traducere cœpi. Vt eo oſtenderem, me non velle, ut ſumptus à vobis in me collati, fruſtranei eſſent: Itaque, quod interdiu in praxi medica notatu dignum menti reponebam, nocte, à curis aliquantum vacuus, chartæ concredidi, quod jam in lucem protrudere libet. Vt ſaltem ex parte debitæ meæ, erga V. A. obſervantiæ ſatisfacerem: nam in ſolidum ſolvendo imparem me eſſe reperio. Ex iis igitur quæ præcipue obſervari debere putavi, Methodum Medendi hanc concinnavi. Eoſque morbos deſcripſi, quos Endemios eſſe, & populariter hic graſſari animadverti. Neque in cura quicquam addidi, quod non ſolida prius experientia comprobatum eſſe vobis affirmare auſim. Scribant alii, quibus iſta mens eſt, miracula ex auditu: Ego, quod hiſce oculis, & qualicunque meo judicio percepi, vobis ſpectandum propono. Quod cum nemo ex noſtris Batavis, (ut credo,) aſſequutus ſit: immo, ne tentaverit quidem ante me; ideoque cum ego, qui primus in hanc arenam deſcendo, non ſine cauſa, malevolorum tela metuam, patrocinium mihi V. A. quærendum erat, quo adverſus eorum ictus, velut clypeo, hæc contegerentur. Quos autem æquiores patronos me invenire poſſe confiderem, quam vos (Viri Ampliſſimi) qui me hactenus favore veſtro proſequuti eſtis, quem ſi ſenſero erga me continuari, animum mihi, ac vigorem addetis, hiſce majora, & auri-

bus veſtris digniora tentandi. Et, ſi vitæ ſpatium mihi ſuperſit, oſtendam, me non indignum, cui hæc ſacra Medica concredita ſint. Interea (Viri Ampliſſimi) chartaceum hoc munuſculum, quo ſolus valeo, eo animo accipere dignemini, quo ego V. A. inſcripſi, & quo adhuc me ipſum, & quicquid in me eſt, ſincere vobis offero. Quod A. V. notius reddam, ubi quæ de ſtirpibus, arboribus, ac herbis, in Iava creſcentibus, commentari cœpi, abſolvero; & demonſtravero, alios, quorum nomen tamen celebre inter doctos eſt, hoc negotium nimis levi pede tranſcurriſſe. Valete, Viri Ampliſſimi, ego interim D. O. M. ſupplex veneror, ut, ad creſcentis veſtræ Bataviæ, & rerum porro Indicarum augmentum, vos nobis diu incolumes conſervet. Datum Coloniæ Bataviæ Novæ, in Regno Iacatrenſi, Anno 1629, Novembris 19.

V. A. addictiſſimus Cliens

IACOBVS BONTIVS M. D.

AVRELIVS CORNELIVS CELSVS

De Re medica: l. 5. Cap. 26. Conſilium Practicum hoc nobile Medicis reliquit.

Est prudentis hominis; Primum, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere; nec ſubire ſuſpicionem ejus, ut occiſi, quem ſors ſua peremit. Dein ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur: Sed, ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur; obligarique æquius eſt, confeſſione promptæ rei, quo curioſius etiam circumſpiciat, ne, quod per ſe exiguum eſt, malum majus curantis negligentia fiat.

Invide, quid tentas abrodere mordicus ungues?
Vel mea ne carpas ſcripta, vel ede Tua.

CAPVT I.

De Paralyſeos quadam ſpecie, quam Indigenæ Beriberii vocant.

AFfectus quidam admodum moleſtus, homines infeſtat, qui ab incolis Beriberii (quod Ovem ſonat) vocatur. Credo, quia, quos malum iſtud invaſit, nictando genibus, & elevando crura, tanquam oves ingrediantur. Eſtque ſpecies Paralyſeos, ſeu potius Tremoris: Nam motum, ſenſumque manuum, ac pedum, immo vero aliquando totius corporis, depravat, & tremere facit. Cauſa hujus morbi præcipua eſt, craſſus, & lentus humor pituitoſus, qui nocturnis temporibus, præſertim pluvio cœlo, (pluviæ autem aſſiduæ cadunt ab initio Novemb. uſque ad Maii initium,) nervos corripit, dum nimirum homines diurnis caloribus defatigati, noctu omne tegmen & lodices à ſe rejiciunt; unde facillime, jam in cerebro præcipue genitus, nervos iſte humor phlegmaticus invadit. Nam noctes, in his locis, comparatione caloris diurni, frigidæ appellari poſſunt. In hoc caſu artus prolongantur, non contrahuntur,

huntur, inſinuante ſe inter juncturas phlegmate, ita ut nervi & ligamenta inde laxentur. Quamvis autem hoc malum plerumque per gradus, & pedetentim homines invadat, tamen aliquando valde ſubitum eſt, dum nimirum homines æſtu defatigati, potum ex Palma Indica copioſe & confeſtim ingerunt; non ſecus ac in patria, diebus Canicularibus aliquando vidimus fieri, cum quis curſu, aut aliquo alio vehementi motu, calefactus, potum cereviſiæ, aut lactis preſſi, nimis avide haurit, ita ut inde ſæpe ſummum vitæ diſcrimen, immo ipſam mortem incurrat. Porro ſigna hujus mali aſpectu obvia ſunt. Adeſt enim ſpontanea univerſi corporis laſſitudo; motus & ſenſus, præcipue manuum & pedum, depravatur, hebeſcitque; atque in iis ſentitur plerumque titillatio talis quædam, qualis in patria frigida, & hyemali tempeſtate, manuum, ac pedum, digitos corripit, niſi, quod hic tantus dolor non adſit. Tum etiam vox aliquando ita impeditur, ut æger vix articulate loqui poſſit: quod mihi ipſi accidit, dum hoc morbo laboranti vocis ſonus, per integrum menſem tam exilis eſſet, ut me vel proxime aſſidentes vix intelligerent. Adſunt, præter hæc, aliquando multo plura ſigna, & Symptomata, quæ tamen omnia tenacem, & frigidum, humorem ſapiunt: ſed præcipua enarraſſe ſufficiat. Accingamus ad curationem itaque, quæ plerumque in longum trahitur; dum nempe humor iſte lentus, & frigidus, ægre diſcutitur: per ſe tamen (ut plurimum,) lethalis non eſt: niſi muſculos pectoris, & thoracis invaſerit, &, hoc modo, ſpiritus, ac vocis, viam intercludat. Verum hoc imprimis curandum eſt, ne (ſi ullo modo fieri poſſit) te lecto affigas decumbendo: Sed vel ambulando, vel equitando, vel ſimili aliquo motu validiore, omni conatu te exerceas: currere quidem impoſſibile eſt. Frictiones quoque fortes, & dolorificæ, ſumme neceſſariæ ſunt, quas commode hic ſervi Bengalenſes, ac mulieres Malaycæ adhibent. Nam noſtra gens tali exercitio non aſſuevit, ut nec balneis, quæ hic frequentia ſunt. Fomenta, ac Inſeſſiones conficiunt ex herba nobili *Lagondi* dicta, quæ folio quidem Perſicariam refert, eſtque odoris ſuavis, & aromatici. Certe nobis non tantum uſum Chamomeli, & Meliloti, præbet, ſed diſcutiendi & reſolvendi viribus, iis, meo quidem judicio, præſtat; Pedes & manus præter ea inungendi ſunt oleis Caryophyllorum, & Macis: ſed mixtis ol. roſaceo: nam ſola adhibita, nimis cauſtica ſunt, & cutem facillime eroderent. Habemus præter hæc nobilem Naphthæ ſpeciem, allatam ex Sumatra, Iavæ regno, è regione in conſpectu ſita. Quam *Minjac Tann nah* Indi vocant, oleum terræ ſignificans, quod, non ſecus, ac nobis cognita Naphtha, quod oleum petræ vocamus, è terra erumpat; vel ex rupibus, in ſubjecta flumina præcipitetur. Hoc oleum à Barbaris in tanto pretio habetur, ut rex Achinenſis, qui potentiſſimus iſtius inſulæ eſt Tyrannus, ſub capitali pœna iſtud evehi inde prohibeat: ita ut incolæ, nocte intempeſta, ſi quæ noſtra, aut Anglorum navis, eorum littoribus adpellat, ad nos iſtud furtim deferant. Hoc oleum, partibus affectis illitum, miraculi inſtar ægros conſolatur. Odore eſt porro gravi: tamen non faſtidioſo.

Sed cum hic morbus ſit chronicus, & longi temporis, nihil æque prodeſt, quam decocta ex radicibus Chinæ, Sarçæparillæ, ac Ligno Guajaco; quæ blando, & amico noſtro corpori, calore, frigidos iſtos, & craſſos humores, per ſudores, & urinas, egregie diſcutiunt, & evacuant. Interpoſitis tamen ſubinde commodis per alvum evacuationibus, inter quas principem locum obtinet Extractum, quod hic conficimus. Ex aloë, & Gutta Cambodja dicta vulgo (corrupte apud nos gutta gamba:) cujus deſcriptionem inferius videbitis.

Sanguinem mittere nefas: non enim plethora, ſed cacochymia, in vitio eſt: & quis ſanguinem fontem caloris, & theſaurum vitæ, non eſſe intelligit.

Hujus affectus reliquiæ porro commode diſcutiuntur Theriaca, Mithridatio, &c. ſudorem, & urinam moventibus, ac nervos roborantibus medicamentis. Reliquas hujus mali moleſtias opportuna exercitatio, & valida Naturæ vis ſanabunt.

CAPVT II.

De Spaſmo.

QVi apud nos in Hollandia rarus eſt Spaſmus, in Indiis tam familiaris eſt affectus, ut merito inter Endemios, ac populares morbos, numeretur.

Tam repentinus, & ſubitus eſt aliquando ejus impetus, ut, dicto citius, homines, rigidi non ſecus ac ſtatuæ, permaneant; dum vel in anteriorem, vel poſteriorem corporis partem, muſculi, involuntario motu, verſus principium ſuum trahuntur: Crudele (me Hercules) malum! quod ſanis partibus vitalibus, & naturalibus, cum ſummo cruciatu miſeros mortales, intra breviſſimum temporis ſpatium, è vivis ad mortem rapit: dum nihil, nec eſculenti, nec poculenti per œſophagum in ventriculum deducere queunt. Sunt & alii particulares, crurum, ac ſurarum ſpaſmi: Sed de his, quia leviores ſunt, & per ſe tranſeunt, hinc non agimus.

Porro hoc malo affecti, truculente admodum aſtantes intuentur, præſertim, (quod ſæpe fit) interveniente Spaſmo Cynico, ſeu Convulſione canina, cum utravis maxilla aures verſus trahitur. Ruber & viridis color ex oculis, & facie, oritur; dentibus ſtrident, & murmur inconditum, vice vocis humanæ, edunt, tanquam ii, qui è cella ſubterranea loquuntur: ita ut imperitis vere dæmoniaci appareant.

Cura in hoc affectu à copioſa ſanguinis miſſione inchoanda eſt. Tum frictiones, & ligaturæ validæ adhibendæ. Inunctiones quoque fiant oleis Macis, Caryophyllorum, permixtis oleo Anethi, aut Roſarum. Tum ol. Therebinthinæ, ac Spicæ Indicæ, quam Iava copioſe fert. Cucurbitæ quoque vitreæ, & amplæ, cum multa flamma, ſine ſcarificatione affigendæ cervici, lumbis, humeris, ac mammillis, ita enim, ſeroſus iſte, & bilioſus humor, commode à nervis, & muſculis revelletur.

Si remediis iſtis paroxyſmus paulo mitior evaſerit, & æger aliquo modo jam deglutire incipiat, Antidota adverſus hanc peſtem, in forma liquida, exhibenda ſunt, quæ venenoſam hanc, ut plurimum, materiam, impugnando, per ſudores, & urinas celeriter ejiciant. Talia ſunt Lapis Bezoar, raſura cornu Rhinocerotis, cum Theriaca, & Mithridat. mixta, &c. quæ in progreſſu videbitis. Tum vomitoria ex Infuſione guttæ Cambodja, & Hepate Antimonii ſeu Croco Metallorum, deglutienda ſunt: In hoc porro affectu nil procraſtinandum; cum ſit morbus acutiſſimus, qui, ſi quis alius, vehementer, cito, & cum periculo, movetur. Si autem malum invaluerit: & æger deglutire non valeat, per acerrimos clyſteres alvus eluenda eſt. Quorum hoc ſit exemplar.

℞. Herbæ Lagondi dictæ, Abutali Avicennæ, Biſmalvæ, quæ omnia hic creſcunt, ana M. j. ſem. Aniſi, Fœnicul. Cumini, Anethi. ana ʒ ij. Coq. in ſ. q. aq. Fluvii. Colatur, ℔. j. add. pulver. Colocynthid. hic creſcentis, ʒ ß. Salis Ammoniaci, vel Salis nitri ʒ j, Electuarii fratris mei R. BONTII, cujus deſcriptionem mox dabo, ℥ j ß. ol. Anethi ℥ iij. Miſce, F. Enema.

Dein æger à capite ad calcem inungatur oleis ſupradictis, & Naphta Sumatrenſi ſeu *Miniac Tannah*. Balnea quoque ac fotus fiant ex Herba Lagondi, & foliis fruticis cujuſdam *Dawllontas* incolis dicti, qui frutex in humanam altitudinem aſſurgit, folio ad marginem diſſecto Balſaminæ, cujus odorem etiam proxime refert. Specifica quadam vi hæc folia crudeliſſimum hoc malum impugnant, & ſunt anodyna, doloremque ſedant, qui in hoc malo, ex contractione nervorum, violentiſſimus eſt: Lapis, & ſal prunellæ per os ſumptum, peculiare eſt remedium, ac materiam bilioſam per urinas copioſe excernit, &, ſi febris adſit, cor & arterias refrigerat benigne. Imprimis vero habenda eſt ratio, ſæviſſimi ſymptomatis doloris nimirum, cui omiſſa tantiſper cauſa principali, ſæpe cogimur occurrere. Quod commode fiet Laudano Quercetani, Philonio ſine Euphorbio, ſed præcipue extracto Croci, quod infra deſcribemus. Fortaſſis ſciolus quiſpiam, negabit his remediis, propter vim ſtupefactivam, & narcoticam, nerviſque inimicam, eſſe utendum. Speccioſa hæc quidem prima fronte videntur; ſed tamen vana ſunt: nam præterquam, quod calidiſſima hujus climatis temperies hoc requi-

requirat, certiſſimum eſt, *in tali neceſſitate*, ſine his ægrum evadere non poſſe. Adde quod nos tam rite Opium hic præparamus, ut vel infanti innoxie detur; & ſane (ut verbo abſolvam) ſi opiata nobis deeſſent, in morbis calidis, hic graſſantibus, fruſtra remedia adhiberemus, quod, etſi imperitis durum, ex progerſſu tamen, me nihil temere dixiſſe patebit. Circa victus rationem non admodum curioſi ſumus; quia vehementia, celeritáſque, mali, ac atrocitas, nobis longiorem deliberationem eripiunt; inclinante tamen morbo, gallinis, & hœdina, & vitulina, carne, utendum, cujus juſculis incoctum ſit Cardamomum, & Thamarindi, quæ duo ſimplicia Iava copioſe fert, ut medicamenti ſimul ac alimenti vicem ſuppleant.

CAPVT III.

De Alvi Profluviis, & primum, de Dyſenteria vera.

QVoniam Profluviorum Alvi, hic (ut & apud nos) variæ ſunt ſpecies, de ſingulis agemus, parteſque affectas demonſtrabimus, tum cauſas inveſtigabimus, & ſymptomata denique obſervando, curam his annectemus. Et primum de Dyſenteria vera loquemur, horribili iſto, & conſuetiſſimo his regionibus malo, quod plures homines necat, quam affectus quiſpiam alius præter naturam. Dyſenteria igitur vera, eſt Exulceratio Inteſtinorum cum aſſidua dejectione, mucoſa primum, cruenta dein, & ultimo purulenta, cum ramentis, ac ipſorum inteſtinorum ſubſtantia, cum dolore intolerabili, torminibuſque ventris; Hoc vitium partim contrahitur ex aëre calido, & humido; Falluntur enim, (ut hoc obiter quoque dicam) qui, propter Lineæ Æquinoctialis proximitatem, aëris temperiem, ſiccam, & calidam, eſſe putant. Cujus rei invictiſſimum, inter alia, argumentum eſt, quod chalybs, ferrum, æs quoque, ac ex his confecta inſtrumenta, rubiginem citius, & æruginem, contrahant, etiam ſicciſſima anni tempeſtate, cum nullæ pluviæ cadunt, quam in patria, Autumnali tempore pluvioſiſſimo. Præterea fructus maximum huic malo fomentum præbent, quibus ſi quis cum ſumma cautione non veſcatur, & cum Oryza, vel pane & pauco ſalis, vix unquam hoc malum effugiet, non ſecus quam in Gallia, & Hiſpania, qui uvas avidius ſine pane vorant, ſtatim Diarrhœam, vel Dyſenteriam incurrunt. Tales ſunt fructus: Ficus nempe Indicæ, quas *Bananas*, & *Piſang* incolæ vocant; *Garcias ab Orta*, & *Proſper Alpinus*, Muſam appellant. Duriones deinde, *Iacas*, *Ananas*; Adde his Cucumeres & Melones aquaticos, &c. Quorum deſcriptionem apud eundem *Garciam*, & *Ioannem à Linſchoten*, videte. Hi fructus, præterquam quod horarii ſint, etiam humiditate ſua, & calore, temperamento noſtro infeſti ſunt, Melones, & Cucumeres, excipio, qui præter frigus, de humiditate non parum participant. Præcipua vero hujus mali cauſa eſt, potus vini aduſti, quod *Arac* vocatur, & quod Chinenſes ex Oryza, admixtis Holothuriis, in mari fluctuantibus, conficiunt, quæ nos Belgice **Quabben** & **Quallen** ſolemus vocare. Hæc Holothuria tam acris ſunt caloris, ut attactu cutem exulcerent, & veſicas inducant. Vtinam noſtri navales ſocii hoc potus genus non tam avide, biberent! non tot funeribus extuberaret hic humus: Quantum ad curam, commune remedium eſt infuſio Rhabarbari in decocto Thamarindorum, ad minuendum (ut aiunt) & temperandum, acrem hunc ſuccum: notandum eſt, hoc remedium ſæpe non prodeſſe: ſed aliquando ægros in certam perniciem conjicere: dum nimirum bilis acerrima turget, & orgaſmo fertur; ac metus eſt, ne ex leviſſimo laxativo, irritetur, & majore cum impetu, ad partem affectam feratur, cum incredibili ægri cruciatu, & certa ſæpe pernicie. Adde ſummam plerumque, in hoc caſu, virium imbecillitatem, quæ reſtaurativi potius aliquid, quam purgativi requirit. Itaque caute Medico circumſpiciendum eſt, quid agat. Ego, quod experientia longa verum eſſe didici, ad ægrorum ſalutem libere in medium profero. Potus quotidianus itaque ſit decoctum Oryzæ, quod *Caudgie* Indi vocant; cum Endivia, & Cichoreo, quod, ex ſemine allato ex patria, in hortis luxuriat. His addatur Lingua Cervina, ſeu Phyllitis, quæ circa fluenta copioſe creſcit, & aſtrictoria ſua vi, Hepar, & Inteſtina, roborat, tum acrimoniam iſtius furentis humoris infringit.

Si vero propter ſævitiam ſymptomatum, doloris præſertim acerbiſſimi, temporis anguſtia, tam longam in cura moram non patiatur, ſtatim ad Extractum Croci deveniendum

niendum eſt, quo remedio (auſim dicere) nullum humana cura exquiſitius excogitare potuit: putoque veriſſimum hujus morbi, ſæpe etiam venenati, Antidoton eſſe. Speciatim porro omnia remedia ad hunc affectum referre mei inſtituti non eſt. Et ego tantum ea requiro, quæ non primis modo qualitatibus, ſed proprietate etiam ſubſtantiæ, huic morbo ſæviſſimo adverſentur, &, in hoc ſolo, maxime naſcuntur. Fructus etiam illi, quos *Mangas* vocamus, qui conditi, propter aſtringentiam, & aciditatem, ſumme utiles ſunt. Immaturi quoque coquuntur cum ovis, ut apud nos uvæ criſpæ; neque facile quis, etiamſi exquiſitiſſimi guſtus, ſaporis differentiam cognoſcit. Conficitur etiam ex iiſdem fructibus conditum ſeu miva, non ſecus ac caro cotoniata in patria ex Cydoniis malis, cujus vicem ſupplet; neſcio an & ſuperet. Ad ulteriorem porro viſcerum corroborationem egregie confert Syrupus è Granatorum ſucco, recens ex arbore decerptorum; tum flores ipſorum conditi, excellenti in hoc malo remedio ſunt.

CAPVT IV.

De Fluxu Alvi Hepatico.

FLuxus Alvi Hepaticus, etiamſi non minus, quam Dyſenteria, periculoſus, non tamen tam ſævis ſymptomatis concomitatus eſt. Adeſt enim multo minor, ac ſæpe nulla inteſtinorum excoriatio: nam in hoc caſu plerumque purus ſanguis dejicitur, vel propter debilitatam jecoris vim retentricem, vel propter acrimoniam ſanguinis, oſcula venarum reſerantis per anaſtomoſin, vel denique cruor propter copiam regurgitat in venas meſaraïcas, & inde in inteſtina, & ſic per alvum rejicitur, & hic quidem omnium fluxuum Hepaticorum minus periculoſus eſt, & ſæpe plus terroris, quam damni, infert. Si itaque acrimonia ſanguinis in cauſa eſt, frigidioribus decoctis utendum eſt, è ſeminibus Cucumerum, Cucurbitarum, Citrulli, Peponum, ac Melonum aquaticorum, quorum omnium ſumma eſt quantitas. Ex iiſdem conficiuntur quoque Emulſiones, Eclegmata, & Pulveres, ad idem malum perutiles. Tum ad peccantis humoris revulſionem, cucurbitæ cum ſcarificatione lumbis, & natibus, admovendæ, tum diureticis ſupra nominatis cum ſaccharo cibi condiendi. Sin autem quantitate nimia ſanguis luxuriet, ſine mora vena media pertundenda eſt, habita ſemper recta ratione virium, quia in his regionibus propter aëris ambientis calorem, & evaporationem ſpirituum aſſiduam, homines, præſertim ægri, fiunt debiliſſimi. Hinc (ut obiter hoc dicam) non facile, niſi in ſumma neceſſitate, ad venæ ſectionem deſcendo, quod corpora noſtra mollia, & à calore ſupradicto effœminata, iſtam evacuationem non facile tolerant: Secus eſt in compactis corporibus Iavanorum ac Luſitanorum, quæ calori aſſueta, venæ ſectionem largam admittunt. Expertus, credite, loquor. Sed ſemper, in anguſtiis, ceu ad ſacram anchoram, confugiendum ad nobile iſtud Extractum Croci, jam aliquoties commemoratum. Cujus deſcriptionem hic ſubjicio.

℞. Opii electiſſimi (quod *Miſri* vocant, & antiquorum eſt Thebaicum, nam *Miſri* eſt Ægyptus,) Sanguinis draconis, gummi Benjuini, Croci Orientalis, ex Perſia, ana partes æquas, Ambræ Iaponicæ, ſeu nigræ, partem tertiam; conjice in vas vitreum oblongi, & anguſti, colli; adde aceti fortiſſimi ex vino, ut materiam ſeu maſſam in fundo ſuperemineat, tres, aut quatuor, digitos. Vitrum bene clauſum exponatur radiis Solaribus; qui nobis propter fervorem, ſunt inſtar ignis chymici; colata hæc omnia & expreſſa fortiter, eodem Sole inſpiſſentur in conſiſtentiam Extracti.

Hujus doſis eſt à granis ſex, ad novem; in formam catapotii coactum; vel, in cochleari, vino, vel convenienti aliquo alio liquore diſſolutum, detur præcipuo circa noctem, quo tempore obſervavi, omnia inteſtinorum mala exaſperari.

De Lienteria, ſeu lævitate inteſtinorum, quæ plerumque Dyſenteriam diuturniorem ſequitur, & etiam de Diarrhœa, volens taceo, quia notiſſima hæc ſunt in patria, & quorum cura ſæpe ſuperioribus annexa eſt, & tantum ſæpe, in corroboratione ventriculi, & inteſtinorum, conſiſtit. Sed de reliquis Alvi Fluoribus dicamus.

CAPVT V.

De Teneſmo.

TEneſmus, propter ſummam moleſtiam, quam ſecum conjunctam habet, magis metuitur, quam Dyſenteria ipſa; & certe, ſi eam præcedit, ut plurimum lethalis eſſe ſolet, quia omnes morbi, qui ſucceſſione augeſcunt, primogeniis ſunt magis calamitoſi: Sin autem Dyſenteriam ſequatur, facilior ejus eſt curatio, quia tantum reliquiæ ipſius ſunt, ab acri humore partem affectam exulcerante. Eſt autem Teneſmus exulceratio inteſtini recti, cum crudeli & aſſiduo dejiciendi conatu, ubi pauca, & mucoſa, permixta ſanguinis aliquot guttis, extremum pus excernitur: unde noſtrates perappoſito vocabulo hunc affectum **den Druyp-loop** vocant, quod ſtillatim, & guttatim humor peccans dejiciatur.; Mulieres gravidæ hoc affectu correptæ, (ut fere ſemper) abortiunt, vel ante tempus fœtum excludunt. Vterus enim inter anum, & veſicam, ſitus, ex aſſiduo, & forti iſto conatu, embryonem ante tempus ejicere cogitur. Ex eadem etiam cauſa, procidentiam ani infert, ac Hæmorrhoidas, &c, ſi diutius perſeveret, (quod ſæpe vidi) Hydropem; & hinc Extabeſcentiam, & poſt ſæva tormenta Mortem. Quoniam autem hic affectus tantum occupat inteſtinum rectum, & anum, cura ejus præcipue conſiſtit in clyſteribus, fomentis, & inſeſſionibus, quæ parantur ex herbis partim emollientibus, partim detergentibus. Talia ſunt fol. ſuprad. *Dawl Lontas* ac *Lagondi*, Biſmalvæ, & *Abutali*. Add. ſem. Cumini, Aniſi, Fœniculi, &c.

Cum his, & ſimilibus ulcus jam ex parte mundatum fuerit, & dolor ſedatior, aſtringentibus decoctis pro fotu utemur, & hoc eo magis, ſi ani procidentia ſimul adſit. Ejuſmodi ſunt, Lingua Cervina, ſeu Phyllitis, folia Thamarindorum, tum fructus quoque, & folia *Billinbing* ſuprad. Qui magnitudinem & formam referunt primo adoleſcentium Cucumerum, quos Agureas Luſitani, ac Itali vocant, quibus fructibus puto Naturam nihil acidius è terra produxiſſe: Nam, ſi cui dentes aliis cibis aceſcunt, his comeſis omnis aciditas evaneſcit. Ferme ea ratione, qua major dolor minorem obſcurat. Has herbas præcipue in ſcenam produxi, ut ſciant curioſi Medicinæ indagatores, ubi ſupra commemorati morbi, & mala ita frequentia ſint, ibi D. O. M. per Naturam contraria his remedia larga manu, ex terra, produxiſſe. Cæterum remedia, in patria cognita, leviuſcule volens tranſeo, quia potiſſimum iis Medicinæ amatoribus prodeſſe ſtudeo, qui mecum, aut poſt me in longinquis hiſce regionibus praxin medicam exercituri ſunt. Et utinam hactenus per morbum, quo circiter quatuor menſes decubui, tum per undique nos cingentes Iavanos, nobis, ut in principio mei in has terras adventus, licuiſſet in amœniſſimas Iavæ ſylvas exſpatiari: & herbas, nobiliſſimas, & plurimas, exactius noſſe: Dabo tamen alio volumine, nomina multa, arborum, fruticum, & herbarum, hic paſſim naſcentium. Tum avium, & piſcium, quorum ſemper curioſus fui, quique in his regionibus capiuntur, naturam, & indolem vobis explicabo, & quid exotici, & alieni in iis, & in quibus cum noſtratibus conveniant, docebo. Interim hoc Caput finiendum eſt aurea C. Celſi ſententia, quæ talis eſt l. IV. c. XVI. *Cum in omni fluore ventris, tum in hoc præcipue* (de Teneſmo loquitur) ***neceſſarium eſt, non quoties libet, deſidere, ſed quoties neceſſe eſt, ut hac ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.***

CAPVT VI.

De Cholera.

PRæter jam dicta Alvi Profluvia, etiam Cholera familiariter ægros infeſtat; cujus cauſam, ſigna, & ſymptomata, curam denique, hoc capite abſolvere eſt animus. Fit itaque Cholera, cum materia bilioſa, & retorrida ventriculum, & inteſtina, infeſtans, per gulam ſimul, & per anum, continuo ferme, cumque magna copia, rejicitur: Morbus eſt acutiſſimus, ideoque præſenti eget remedio. Cauſa præcipua hujus mali, præter aëris calidam ac humidam temperaturam, eſt nimia fructus edendi licentia;

centia; qui quod plerumque ſint horarii & putredini obnoxii, tum humiditate ſua ſuperflua ventriculo infeſti & inſueti etiam, bilem æruginoſam hanc gignunt. Hæc excretio, & non ſine cauſa, alicui videretur ſalubris, quod talia purgentur, qualia oportet: tamen quia cum tanta quantitate ſimul effunduntur ſpiritus vitales, & naturales, debilitato quoque per fœdos halitus corde, caloris omnis, ac vitæ fonte, ut plurimum commoriuntur ægri, idque celerrime, utpote qui intra viginti quatuor horas, vel etiam pauciores, expirent, ut accidit inter plurimos *Cornelio van Royen*, ægrorum in Noſocomio Oeconomo, qui, hora ſexta veſpertina, adhuc valens, ſubito Cholera corripitur, & ante duodecimam noctis horam vomendo ſimul, per alvum dejiciendo, cum diris cruciatibus, convulſionibus, miſerrime expiravit; vincente morbi violentia, ac celeritate omne remediorum genus: Si tamen, ultra prædictum ſpatium, pernicies iſta protrahatur, magna de cura ſpes eſt, pulſus admodum debilis eſt, reſpiratio moleſta, membra externe frigent. Calor vehemens, & ſitis, interne urgent; vigiliæ adſunt perpetuæ. Iactatio corporis inquietiſſima, quæ ſi comitetur frigidus & fœtidus ſudor, mortem in propinquo eſſe, certiſſimum eſt. Danda in hoc affectu primum opera, ut acerrimus iſte humor, qui tanto furore, ac orgaſmo, fertur, mitigetur. Quod fieri poterit maxime per aſtringentia medicamenta, ventriculum, & inteſtina, corroborantia, & ſimul modico frigore furorem materiæ morbificæ refrenantia. In his præſtantiſſimus eſt Syrupus ex *Billinbing*, ſuprad. Tum fructus ejus ſaccharo conditi, adjecto croco. Syrupus præterea è ſucco Limonum recentium. In Iava naſcitur inſuper ad hunc affectum Pſeudomyrobalanus, qui forma Bellericos refert, magnaque copia à Nigris in urbem venalis adfertur, & ſola aſtrictoria vi præſtat, cum cæteræ Myrobalanorum ſpecies etiam laxativi aliquid habeant; hinc conditus hic fructus, utiliſſimus, ad Choleram non ſolum, ſed ad cæteros omnes alvi fluores nimios. Cum cornu cervi uſto, lapide Bezoar, raſura cornu Rhinocerotis, vel Margaritis præparatis.

Sed his non adferentibus juvamen, confeſtim ad Extractum Croci deveniendum eſt, tum, ut vigiliæ arceantur, & ſomnus concilietur, qui propter ſummam virium dejectionem neceſſarius eſt, tum ut, tantiſper mitigato atroci iſto humore, Natura fortior denuo ad vincendum hoſtem inſurgat: Cholerici (ut fere ſemper) convulſi moriuntur.

CAPVT VII.

De Affectibus Hepatis Viſceris nobilis: & primum de ejus Obſtructione, & Inflammatione.

NVllum viſcus, præter inteſtina, frequentius in his regionibus infeſtatur, quam jecur; quod, prætermiſſa, jam toties dicta, victus ratione mala, à potu iſtius maledicti *Arac*, non tantum in temperamento immutatur, ſed etiam in ſubſtantia ſua corrumpitur: Dum enim ejus hauſtu ebrioſi iſti excalefacti, ingentem aquæ copiam in ventriculum ingerunt, ut conceptum æſtum reſtinguant, dein humi, tanquam pecudes, procumbunt, & in navibus, ſerori, qui poſt ſecundam aut tertiam noctis horam, copioſe cadit, exponunt: inde venenatos vapores è terra erumpentes, intra corpus recipiunt, & ſic obſtructionem hepatis facillime incurrunt, cui adeſt tenſiva, in hypochondrio dextro, gravitas, dolorque obtuſus, & quaſi pondere premens. Difficilis quoque adeſt ſpiratio, propter gravitatem viſceris, diaphragma deorſum trahentis, cui, mediante ligamento ſuſpenſorio, annectitur: & hæc infarctio ſi perſeveret, humor, hepar obſtruens, dum non ventilatur facillime, putreſcit. Vnde febris etiam oritur, & ipſius hepatis inflammatio, cum dolore acuto, & pungente, febriſque augeſcens, in ardentem tranſit, cum ſiti intolerabili, faciei rubedine, & difficili, ob prædictas in obſtructione cauſas, reſpiratione: Hi duo affectus cum, quaſi invicem, concatenati ſint, & unus ex altero ferme naſcatur, curam amborum hoc capite conjungam, incipiendo, (ut par eſt) ab obſtructione. Itaque in hac primum obſervandum eſt, ne nimium calidis medicamentis in principio utamur, ne minutæ iſtæ hepatis venæ, & capillares, ab exſiccante calore magis obſtruantur, & ne hoc modo, (quod in proverbio eſt,) oleum camino addamus. Ergo temperate calidis, & per conſequens leniter deobſtruentibus, & materiam peccantem

cantem incidentibus opus eſt, quæ familiaritatem quandam cum noſtra natura habeant. Talia ſunt, quæ à practicis Anodyna vocantur. Nimirum ſemina Aniſi, Fœniculi, Cumini, quæ nobis hic ſuppetunt. Tum radices graminis cujuſdam aromatici, & Caryophyllatæ odorem æmulantis. Adde his, (quod in principio dici oportuit,) Calamum aromaticum verum, quem Paſtum Camelorum vocat ab Orta, abunde hic creſcentem, quo etiam incolæ cibos, præſertim piſces, non inſuaviter condiunt. Cæterum reliqua addantur, quæ blando calore diuretica ſunt, ut viſcus hoc nobile ab infarctu liberent. Præparata jam morbi materia, eam medicamento, non ſemel nec ſimul, ſed iterato, ſtudebimus educere. Ejuſmodi ſunt, Thamarindi, Caſſiæ fiſtulæ pulpa, adjecto pulvere Therebintinæ coct. ſec. artem; mirum enim quam blande hæc ſimul per alvum, & veſicam morbificum ſuccum ejiciant: ſi paulo fortius deſideres, adde ʒj Rhabarbari, miſceatur cum ſupradictis in formam boli. Inflammationem porro in procinctu eſſe cum compereris, ex febris augmento, & dolore vehementiori, & magis pungente, ſtatim venam ſecato copioſe, pro viribus ægri. Cibis, Syrupis, & Conſervis refrigerantibus, jam aliquoties commemoratis utere, quæ, ne actum videar agere, ego lubens omitto. Conficitur conditum ex fructibus, quos poma Amoris vocamus; Italis *Bella Dona*, & Luſitanis *Poma d'Oro*, appellantur. Certe ſpecies Mandragoræ eſt. Chinenſes inter acetaria in hortis colunt, & toſtam ſub cineribus cum aceto & pipere edunt. Hæc Planta, etiamſi frigida eſt tertio gradu, tamen, in climate hoc calido, & bile acerrima dominante, maximum Hepati, & reliquis viſceribus vicinis, per conſenſum laborantibus, præſtat refrigerium. Condiuntur quoque muria, & aceto, addito pipere, & aromatibus. Quod genus conditurae communi nomine *Achar Indi* vocant. Denique Hypochondria; præſertim dextrum inungendum eſt, unguento nobili, quod Indæ mulieres conficiunt, cujus ingredientia præcipua ſunt, Radix Curcumæ, (quam *Borborii* incolæ vocant,) & unde univerſa compoſitio hæc etiam nomen ſortita eſt. Santali omnibus ſpeciebus, addita Caphura: & oleo recenti ex Cocco expreſſ. vel ſi mavis, roſaceo; quod nobis ex Perſia ſuppetit: Hæc omnia in marmore ſubiguntur in unguenti conſiſtentiam. Hoc oleo, fœminæ ſimul, & viri, totum corpus inungunt adverſus æſtus: Et quia colore propter Curcumam eſt flavo, homines quaſi croco tincti ſpectantur, odore tamen eſt admodum grato, & cerebro utili: (Curcumæ meminit ab *Orta*, l. 2. cap. 39. Et quamvis eam ibi deſcribat: tamen fatetur, id ſe ex auditu facere, ego millies vidi, & à terra evulſi. Deſcripſit autem ſub nomine croci Indici 3. Folio eſt Pſeudoridos, ſeu Gladioli.) Præterea, ad idem, Oleum conficimus, ex floribus cujuſdam arboris, non nimis altæ, ferentis folia, Perſicæ arboris ſimilia. Flores ſunt viroris dilutioris, quem Belgæ **Zee-groen** vocant, & primo intuitu, potius faſciculum foliorum putes eſſe: ſed pediculi intus in calice, quales in roſis ſunt, flores eſſe arguunt. Arboris ſimul, & florum nomen *Sampaga* incolis eſt, & apud eos in ſummo ſunt honore: Nam Indi, ſi quæ gens alia inter Mahumetanos, odoris grati ſunt avidiſſimi, hinc nullas ferme in plateis mulieres conſpicias, quæ non capillos intertextos habeant, his & ſimilibus floribus, ut gratiores ſe maritis, aut amantibus ſuis, ſe reddant: ſed in viam redeamus. Si (quod ſæpe fieri ſolet) dolor in Hepate, & ligamentis ſit intolerabilis, cauſa tantiſper omiſſa, huic ſymptomati occurremus. Quod fiet per Extractum Aureum Croci, quo vel ſolo (auſim affirmare) ægros plurimos curavi, natura, per quietem, ad ſe redeunte, & virus per alvum, urinas, & ſudores, ejiciente.

CAPVT VIII.

De Apoſtemate Hepatis, & ejus cura unica.

QVod ſi hepatis inflammatio non bene ſanetur, vel pertinacius curæ reſiſtat, conſequitur admodum miſerabilis affectus, Hepatis nim Apoſtema; quo, ſi parenchyma, ſeu ſubſtantia ipſa jecoris occupetur, jam incurabile eſt malum; Ideoque de eo ſuperſedeo dicere. Sed ſi pus hæreat, inter membranam cingentem hoc viſcus, & ipſius carnem, (quod perſæpe fit,) unica ſalutis ſpes eſt in Apoſtematis apertione; quæ hoc modo fieri debet. Primum, in regione hepatis applicetur cauterium potentiale, ita, ut eſchara tantum penetret abdominis muſculos, nec inficiatur perito-

peritonæum; Deinde, parvo foramine per ſcalpellum in ipſo ſecto, per id immittatur inſtrumentum argenteum concavum, quali utuntur in ſectionibus calculi lithotomi; dein ſatis late vulnus dilatandum: Et tum ſtatim in conſpectum ſe dabit membrana Iecur ambiens; vehementer tumeſcens ab amurca intus latente. Ea pertuſa, ſanioſus humor, carnium loturæ ſimilis, effluet, qui quo minus fœtet, eo major de cura ſpes eſt. Poſt hæc vulnus detergendum, modice ſiccantibus & mundantibus. Fol. n. roſarum. Cortic. granatorum, add. mell. roſac. &c. Dein ſarcoticis, & epuloticis, à perito Chirurgo vulnus ad cicatricem perducendum. Interea ægro omnino à pharmacis & catharticis abſtinendum, & tantum roborantibus utendum, ut Conſerva roſar. cum Pulvere Santali rubri. cui miſceatur cornu cervi uſti raſura, cornu Rhinocerotis, qui hic plurimus in ſylvis eſt, Margaritæ, & corallum rubrum præparatum. Adhæc Syrup. condita, & mivæ è *Billinbing*, *Mangas*, Granatis, è ſucco Limonum, quæ omnia refrigerantia ſimul & hepar roborantia, ægro ſolamen adferunt. Porro debili (ut fere ſemper) exiſtente ægro, lapidi Bezoar non eſt parcendum.

CAPUT IX.

De Hydrope, familiariſſimo in Indiis Morbo.

HÆc pauciſſima de Hepatis apoſtemate: quia cura non verbis, ſed agili Chirurgi experti manu, & prudentis Medici ingenio peragenda eſt. Iam ad Hydropem, frequentiſſimum in his locis malum, deveniendum eſt.

Hydrops, ut omnes docti conſentiunt, oritur ex frigida hepatis intemperie, quæ ſæpe à diuturna obſtructione originem ducit. Hæc vero obſtructio naſcitur ex cibis mali ſucci & fructibus ſupra deſcriptis: hinc fit, ut ſanguificatio vitietur. Iecur enim, dum chylum, ex venis meſaraicis attractum, in ſanguinem convertere nequit, ejus loco ſeroſum illum & aquoſum humorem gignit; intumeſcitque (ut & in Patria) vel univerſum corpus, vel abdomen, idque vel à flatibus vel humore ſeroſo. Unde illæ tres tantopere decantatæ Hydropis ſpecies, Anaſarca, Aſcites, & Tympanites, (proh dolor) nimis frequentes ſunt in Indiis. Pars tamen principaliter affecta, eſt nobile viſcus hepar. Tuſſis propterea ſicca comitatur & reſpirandi difficultas, quia jecur inſita ſua, & jam per morbum adaucta gravitate, deorſum ſeptum tranſverſum trahens, thoraci & pulmonibus hanc moleſtiam infert. Adeſt febris plerumque lenta, urinæ ob cruditatem, & functionum naturalium debilitatem, tenues & albæ. Sitis propter ſeroſi humoris ſalſedinem adeſt indefeſſa. Præterea univerſi corporis ſpontanea laſſitudo. Hæc ſunt aquæ intercutis præcipua ſigna, ſi quæ ſint leviora, ea prudens prætereo, quia mihi non eſt animus formare Medicum: ſed jam formatum docere, quid hic in praxi opus ſit. Antequam hujus morbi curam aggrediamur, ſciendum eſt in genere, Hydropem in his locis facilius ſanari, quam ſub noſtro climate. Itaque cautus medicus non temere judicium ſuum præcipitet, nec primo aſpectu lethale dicat, quod paulo poſt cum ingenti ſua irriſione, à mulierculis, vel potius ipſa natura, obſervata tantummodo convenienti victus ratione, ſanatur. Præcipua vero cura conſiſtit in præparatione primum, dein eductione humoris peccantis; tum reliquiarum diſcuſſione, denique in correctione intemperiei in hepate conceptæ. Diæta quoque ſit boni ſucci, ut ſunt Gallinæ (quod avium genus hic frequentiſſimum) eæque ſint elixæ potius, quam aſſæ: ſed inter cæteras iſtud genus eligendum eſt, quod carne ſit nigra; nam has habere vim medicamenti diuretici longo uſu ab incolis compertum eſt; Harum juſculis incoquantur ſemen Anethi, Fœniculi, radices Cichorei, Majorana, Baſilicum, quibus omnibus abundamus. Eodem modo præparatæ etiam carnes caprinæ medicamenti ſimul ac alimenti vim præſtabunt; ſed nihil æque confert, quam quotidianus uſus decoct. radicum Chinæ, Sarcæparillæ; adjectis Curcumæ radicibus, Succiſa & Scabioſa, quarum herbarum vires mulieres Malaicæ obſtetrices, uſque ad irriſionem extollunt. Sic quoque prodeſt decoct. Guaiac. cum corticibus ejus.

Humorem hoc modo præparatum educere per alvum ſtudebimus vehementioribus catharticis, ne ſi imbecillibus utamur, ſuccum peccantem moveamus potius, quam promoveamus. Inter quæ præſtat Extract. gutt. Cambodja, quod paratur hoc modo à me.

℞. Aloës Socoterinæ,
Guttæ Cambodja,
Gummi ammoniaci, ana partes æquales.
Aceto vini acerrimo diſſolvantur ; pone in vaſe vitreo ad Solem, fortiterque colatum exponatur rurſus, donec contraxerit conſiſtentiam, maſſæ pilularum.
Doſis ejus à ʒ ß. ad ʒj.

Creſcit quoque in ſumma copia, Cucumer aſininus, unde Elaterii ſuccum non ſemel confecimus, cujus ℈j. ad ʒ ß cum magno ſucceſſu ægris ſæpe exhibuimus. Dantur enim commode Extract. Eſulæ, grana x. vel xv. in convenienti aliquo liquore. Et quia ſæpius incidimus in mentionem Guttæ Cambodja, & Eſulæ iſtius Iavanæ, utriuſque deſcriptionem à me accipite. Naſcitur in ſylvis Tithymali quædam ſpecies, in tantam altitudinem, ut acumina magnarum arborum, quas inſtar hederæ amplectitur, æquet, imo ſuperet: craſſities ejus eſt brachii facile humani. Hujus caule vulnerato, lacteus humor effluit ubertim, qui collectus, & in extracti conſiſtentiam redactus, ad uſum ſervatur. Planta iſta, quæ Guttam Cambodja fert, ſeu lacrymam iſtam flavam, quam in patria habetis, ſupradictæ adſimilis eſt: niſi quod non tam alte excreſcat: ita ut ferme ſolo colore ſucci hi inter ſe differant. Creſcit hæc planta, ut & Aloë, in maxima copia in Cambodja regione Chinæ vicina, unde etiam nomen ſortita eſt. De Paracenteſi, aut de umbilici perforatione, nihil addo, non quod non frequenter exerceatur, ſed quod hæc Chirurgo & Medico experto cognita eſſe debet. Adde quod mihi propoſitum eſt, tantum de ea cura agere, quæ his regionibus maxime familiaris; magis enim mihi curæ eſt bonum practicum agere, quam in ſcholis de omnibus morbis, eorumque curis otioſe diſputantem, & medicum in charta ſuperbæ agentem. Hoc auſim affirmare, (abſit verbo invidia,) ſi hanc methodum Medici & Chirurgi ſequantur, non longe à ſcopo aberrabunt. Evacuato maxima ex parte hoc ſeroſo humore, ne recidivam patiantur ægri (quod alias ſæpe fit, & à recidivis in Indiis ferme ad ſanitatem nunquam eſt reditus,) reliquiæ hujus mali diſcutiendæ ſunt, & hepar, quantum fieri poteſt, ad priſtinam temperiem reducendum eſt. Ad quod, præter ſolita antidota ſudorifica Theriacam, Mithridat. &c.) Decoctum levius Sarſæ, radicis Chinæ: & Guajaci per aliquot dies continuandum eſt, quod tum in hoc, tum in aliis chronicis morbis longe præſtantiſſimum, indubitatum eſt remedium.

CAPVT X.

De Ictero in Indiis.

MOrbus regius, ſeu Icterus, inter quotidianos in India morbos merito numeratur. Hic quoque vel morbos alios comitatur, vel eoſdem ſequitur. Exempli gratia Inflammationem, Scirrhum, Apoſtema denique hepatis, & quia tum, ut plurimum ſymptomaticus, & ex violentia morbi ortus eſt, ut fere quoque ſemper lethalis eſt. Præterea, quia ejus cura cum primariis affectibus conjuncta eſt, de eo ſuperſedebimus dicere; verum!, eſt & altera Icteri ſpecies, ubi folliculus fellis obſtructus, excrementum ſuum ad alvum non tranſmittit, unde etiam in ſtercore color albus apparet, urina vero croceo plane colore, lintea tingit; Nam bilis, verſus jecur regurgitans, cum ſanguine dein per venas, & arterias in univerſum corpus diſtribuitur, cutemque tingit colore luteo, ut & in oculis manifeſto appareat. De hoc affectu nobis eſt ſermo. Sæpe ita momentaneus eſt, ut intra pauciſſimos dies oriatur, & occidat, quod cis paucos menſes accidit doctiſſimis, & reverendis viris *D. Iuſto Heurnio*, ac *D. Abrahamo de Roy*, quibus amiciſſime ſimul & familiariter utor, qui aliquoties exhibito pharmaco ſudatorio, & cordialibus, intra breve temporis ſpatium curati ſunt. Qui autem diuturnior eſt Icterus, majorem in cura diligentiam requirit, quod in eo longe validior ſit obſtructio: adde quod ſæpe delirium, & phrenitidem infert, bile flava per metaſtaſim ad mentis arcem elevata. Hic neglectus certiſſimum hydropem infert. In eo igitur iiſdem medicamentis utendum, quæ ſuperius in obſtructione Iecoris adduximus, Aviculæ quoque Chlorides dictæ, propria & occulta qualitate adverſus hoc ſymptoma valere incolæ produnt. Excellit decoctum Chinæ & Salſæ, quo

copioſe ſudores eliciuntur. Tum porro ad evacuationem eundum. ℞. Folior. Senæ ℥ j. infuſ. in decoct. Thamarindorum cum Rhabarbar. ʒ j ß. Sed ſi propter fortem obſtructionem paulo valentiori pharmaco ſit opus, Electuario ſubſequenti utatur æger, quod è fratre meo *P. M. Reynero Bontio*, dum viveret, *Principis Auraici Mauritii Archiatro, & Medicinæ Profeſſore in Academia Leydenſi*, accepi.

℞. Ligni Guajacini ℔ ij.
Sarçæparillæ ℥ viij.
Cortic. ligni Guajac. ℥ iij. poſt macerationem in ſ. q. aq. fluvii per 24 horas, coquant. q. ſ. Hujus colaturæ ferventiſſimæ adde,
Folior. Senæ mundator. ℔ j.
Polypodii ℔ ß.
Sem. Aniſi. Fœniculi, ana ℥ iij.
Hellebori nigri ℥ vj.
Myrobalanorum omnium,
Thamarindorum, ana ℔ ij.
Bulliant q. ſ. in ſupradicto decocto. Colaturæ rurſus adde,
Pulpæ Caſſiæ Fiſtulæ ℥ xij.
Pulveris Senæ,
Pulveris Rhabarbari, ana ℥ x.
Pulveris Cortic. ligni Guajacini ℥ iv.
Scammonea elect. pro quaque electuarii ℔ j. ad ℥ j.
Sacchari albiſſimi, q. ſ.
F. Electuarium molle. Cujus doſis eſt à ʒ iiij, ad ℥ j.

Pleraque ingredientia hoc Electuarium hic inveniri ſcitote: Nam Polypodium, craſſius longe, & ſucculentius, in Mangiferis arboribus, non ſecus ac in Quercubus in patria, creſcit. Si porro Helleborus niger deſit, ejus loco utimur Hellebori albi ſpecie, quam *Potſiock* Chinenſes, & Iavani vocant, eſtque in ſummo pretio. Thamarindi quoque & Caſſia hic in ſylvis paſſim creſcunt. Loco Scammoneæ, quæ tamen, ut & reliquæ Convolvulorum ſpecies, hic abunde naſcitur, uti commode poſſumus Gutta Cambodja, prius per aliquot dies in aceto macerata, vel ſpiritu vini. Nam hoc modo vomitoriam, & infeſtam ſuam ventriculo qualitatem, plane deponit, & blandius, quam Scammonea, alvum ducit. Pro potu utatur æger ſecundo Decocto Chinæ, cum radicibus Curcumæ, quas Luſitani *Saffram de tierra* nominant, ac ſi Crocum ſubterreſtrem dicas. Pulvis ejus melle exceptus, & in Electuarii formam redactus à ʒ ß. ad ʒ j. tanquam ſpecificum huic morbo remedium exhibetur, & tum per ſudores, tum per urinas, egregie humorem, qui in vitio eſt, educit. Flatus, qui in hoc morbo aſſidui ſunt, ſeminibus Carminativis, & ol. Aniſi, diſcutiuntur. Creſcunt enim omnia hæc, & à Iavanis, & Chinenſibus, in ſimiles uſus reſervantur.

CAPUT XI.

De Atrophia, ſeu Extabeſcentia quadam, Indicis regionibus familiari, ob obſtructione viſcerum, præſertim Meſenterii, orta.

SÆpe ſine manifeſta cauſa ægri extabeſcunt, ac emaciantur, febri nulla vel ſaltem lentiſſima ſe huic malo jungente, ſine magno ſenſu doloris; gravitas tantum quædam ſentitur circa umbilicum, & Hypochondria. Hoc malum, præter obſtructionem viſcerum, ſæpe cauſam latentem habet in venis meſaraicis, vel in ipſa Meſenterii ſubſtantia, quæ ſæpe inſignem abſceſſum patitur: quod in diſſectis cadaveribus non ſemel obſervavi; Immo repperi aliquando totum Meſenteriam abſumptum; & tamen inteſtina cohærebant, ac potius inter ſe confundebantur nullo ordine, tenuibus pelliculis, ſeu membranulis adnatis. Ita miſeri mortales ad extremam maciem perducti, ut jam magis Sceleta, quam corpora carne veſtita, dici poſſint, abſumpto calore nativo, vita excedunt. Notabile in hoc malo eſt, plerumque adeſſe Βȣλιμον, & appetentiam caninam: cui ſe Lienteria, ſeu lævitas inteſtinorum conjungit; unde cibi nihil, aut

aut parum immutati, & incocti, per alvum ejiciuntur. Taliter affecti, quamvis plerumque commoriantur, tamen, ne omnino deſperare videamur, aliquid tentandum eſt potius, quam nihil. Si forte natura benignior, adjuta autem blandis medicamentis exterius, vires reſumens, ex deſperato ſanabile faciat malum; temperate itaque calidis, & anodynis, moderateque, citra inſignem calorem, deobſtruentibus, utemur. Talia ſunt decoct. & condita, ex ſeminibus Aniſi, Fœniculi, Carui, & reliquis carminativis ſupra relatis. Præterea creſcit quoddam gramen, cujus nomen, & deſcriptionem videre eſt apud *Proſperum Alpinum, libro de plantis Ægypti, capite* XL. quod merito gramen Crucis vocatur, quia quatuor ſpicas è ſummitate caulis emittit, quæ perfecte Crucem formant. Radix hujus graminis, quæ tantum in uſu eſt, odorem habet aromaticum, & proxime ad Caryophyllatæ radicis accedentem, guſtu quoque eſt γλυκύπικρος, id eſt, è dulci amara. Hujus radicis decoctæ mirabiles effectus expertus ſum, in calculo Renum, & aliis longioribus obſtructionibus, qualis hæc eſt, de qua loquimur. Confert quoque Anagallis aquatica, ſeu Becabunga, quæ cum elegantiſſimis floſculis ſuis albis in ripis fluviorum creſcit. Veſcatur æger carnibus Turturum, & Fringuillarum, quas milites & Mauri, ſclopetis occiſas, quotidie venales in civitatem ferunt. Lac quoque caprillum mirifice prodeſt, dum nitroſitate ſua, quæ ſero ineſt, venas meſaraicas detergit, & obſtructione liberat. Abſtinendum denique à purgantibus medicamentis, ne, dum humorem violenter conamur revellere, obſtructiones per acrem calorem, qui ſolet pharmaca iſta comitari, adaugeamus. Adde quod in hoc caſu, propter alimoniæ defectum, vires ſemper ſumme imbecilles ſunt.

CAPVT XII.

De quibuſdam Pulmonum vitiis, quæ hic graſſantur, & primum, de Hæmoptyſi, ſeu ſanguinis Sputo, & Phthiſi, ſeu Vlcere Pulmonum.

DEbuiſſem quidem hos Thoracis affectus præmiſiſſe ſecundum ordinem, qui in Scholis obſervatur; tamen ego, qui non umbras rerum, ſed res ipſas, tanquam practicus, ſector, nihil ad curam referre arbitratus ſum, utrum id prius, an poſterius, agam.

Quoniam itaque, ut & ſupra retuli, aëris conſtitutio eſt calida & humida, ſæpe fit, ut acribus catarrhis caput oneretur; unde etiam gravedines tam frequentes, & ſæpe diuturniores quam in patria, oriuntur. Tum milites & ſocii navales, bene poti, humi ſine ſtragulis dormiturientes, vaporibus è terra aſcendentibus, & rore è cœlo cadente, obruuntur: unde hoc notandum eſt obiter, habitationes in ſuperiori ædium parte longe eſſe ſalubriores, quam in inferiori, quæ propter humiditatem ſoli Formicis, Scorpionibus, & Scarabæis, (quos Caccarlaccas vocant,) ſcatent: ſed hæc parergice; ad rem veniamus. Hi catarrhi ſæpe ad ſubjectos pulmones è cerebro præcipitantur, ipſoſque ſalſedine, & acrimonia ſua erodunt, unde Hæmoptyſis, hinc Tabes, & dein Empyema, ſeu ſuppuratio. Aſſiduam tuſſim, difficilem anhelitum, febrem tandem hecticam, hic lubens prætereo, tanquam nota practicis, & jam ad curam me accingo. Et quia, in his regionibus, affectus hi à catarrhis, & deſtillationibus, ut plurimum oriuntur, iſti per commodas purgationes divertendi ſunt. Ejus ergo fiat Catapotiorum maſſa hoc modo.

℞. Aloës Socoterinæ,
Guttæ Cambodja,
Colocynthidos pulveriſatæ,
Scammoneæ elect. ana partes æquales: infunde in aceto, vel ſpiritu vini, modo jam ſæpius dicto, & ſole evaporentur in maſſam pilularum. Doſis eſt à ℈ j. ad ʒ ß. vel, in valentioribus, ad ʒ j.

Nam hoc in genere ſciendum eſt, quod ut fluores alvi, (ut Celſus vocat) hic ſunt violentiores, ita quoque è contra obſtructiones, validæ, & pertinaces ſunt: quæ non niſi valentioribus catharticis cedunt. Electuarium ſupra dictum Fratris mei, hic etiam

 maxi-

maximum emolumentum adfert. Averſa jam per alvum materia, reliquiæ particularibus remediis tollendæ. Caput-purgiis nimirum, Errhinis, & Maſticatoriis, è Pyrethro, Staphide agria, ſemine Raphani, Naſturtii, Pipere, & cæteris notis. Præter hoc peculiare habemus nobile medicamentum, quod conficitur ex Arecca & Betele, & calce viva ex oſtreorum conchyliis uſta, quod maſticando pituitam è capite elicit, eamque, quæ in ventriculo eſt, conſumit, & prohibet, ne vaporibus caput impleat, unde hi catarrhi naſcuntur. Medicamentum hoc, Malaice vocatur *Sirii Pinang*. Ejus deſcriptionem, & reliquas inſignes virtutes, quibus ſine dubio præditum eſt, vide apud *Garciam, hiſtoria Aromatum* capite *de Betele, ac Arecca*. Eſt quoddam genus iſtius Pinano quod *Mabock* Indi vocant, tanquam ebrium dicas, qui pauco tempore, Cerebrum eo modo, quo potio vini nimia, afficit. Sed manſo paulo ſalis, ſtatim vertigo iſta evaneſcit: Cum jam iſti catarrhi, aut neglecti, aut non bene averſi, per ſalſuginem ſuam, qua præditi ſunt, aut pulmonum venas eroſerint, aut acrimonia ſua per anaſtomωſin orava ſculorum reſeraverint, & æger in hæmoptyſin: ſeu copioſam ſanguinis excreationem inciderit, cum tuſſi valida præſertim, ſtatim ſanguis ad revulſionem copioſe detrahendus eſt. Poſt pectoralibus incraſſantibus, & ſanguinem ſiſtentibus, utendum, quorum deſcriptionem inferius dabimus, ne neceſſe ſit iſta repetere. Si patientes contingat evadere tantiſper ſanguinis ſputum, neque tamen tuſſis minuatur, & per eam pus exſpuatur, ſignum eſt, affectum hunc jam in tabem, ſeu ulcus Pulmonum tranſiſſe, cui, ſi ſupervenit febris hectica, ſequitur Maraſmus, quem dein comitatur certiſſima mors. In his duobus morbis, quia agnati ſunt, & alter ex altero ſæpiſſime oritur, eandem, vel perquam ſimilem medendi rationem ſequimur. Vtendum eſt igitur in principio Diatragacantho frigido, cui optime conficiendo hic naſcuntur ſemina Cucumerum, Cucurbitarum, Melonum, & cætera: tum è Suratte Amygdala ſuppetunt, & Papaveris ſemen: cum aliis ſpeciebus, quas abunde habemus, in formam liquidam Electuarii, aut etiam in tabulas concinnata ad uſum ſervantur. Sed nihil æque prodeſt, quam toties commemoratum Extractum Croci, quod non tantum ſanguinis ſpiritum ſiſtit, ſed & Tuſſim ſedat, pus incraſſando habilius ad expectorationem reddit, quin etiam pulmones, jam exulceratos, conſolidat, ad cicatricem perducit. Eoque ſolo remedio plurimos jam deſperatos ſanavi. Sumant præterea ægri, ad minimum ter quotidie, hauſtum decocti jam deſcribendi,

℞. Scabioſ. Morſus diaboli,
Linguæ Cervinæ, ana M. j.
Capitum papaver. demptis ſummitatibus, numero I V.
Glycyrrhiſæ raſ. ℥ j. coq. in ſ. q. aq. comm. Colatur. ℔. ij. ß. adde ol. Sulphur. q. ſ. ad gratum acorem.
M. F. Apozema.

Si in Tabe, ſeu Phthiſi, pulmones paulo magis mundare velis, add. huic decoct. ℥ij. mellis roſacei, tum ad eundem effectum, & faciliorem expectorationem hac Conſerva utamur.

℞. Conſervæ roſarum è Perſia antiquæ ℥ i j.
Sem. papaver. albi contuſi ℥ ß.
Flor. Sulphur. ʒ j ß.
Pulver. Solidaginis Saracenicæ, & pulveris Scabioſæ, ana ʒ j.
Ol. Sulphur. q. ſ. ad gratum acorem.
M. F. Conditum.

Pro potu communi utatur decocto ſecundo Chinæ, aut Sarſæ, ſuperius relato.

CAPVT XIII.

De Empyemate, & fluctuatione puris ſuper Septum tranſverſum.

EMpyematis quidem per eadem jam dicta medicamenta: ſed longe tamen difficilior eſt curatio; quod pus, & ſanies libere, ab alterutro, vel etiam utroque, latere, ſuper diaphragma fluctuet & pulmones; & quamvis ejus portionem ſæpe aliquam, tamen totam exſugere non valeat. Tamen per alteram viam, quam per Tra-

Trachæam arteriam, purulentæ iſti materiæ non eſt exitus, quicquid illi dicant, qui ejici aliquando affirmant hoc pus, per ſiniſtrum Cordis ventriculum, ad majores venas inde deferri, & unde hinc ad Iecur, & venas Meſaraicas, per alvum exonerari, vel ad Renes deferri quoque, & critice per urinas evacuari. Eorum quidem fidem, qui hæc ſcripſerunt, ego non elevo: ſed nunquam tam fortunatus fui, quamvis in frequentiſſima praxi, ut talem excretionem mihi videre contigerit. Hoc quod jam præponam, etiamſi anceps & dubium ſit remedium, tamen ſine dubio nugacibus verbis, & loquacitate tam fœminarum futilium, quam virorum, relicta, longe præſtantiſſimum eſt: ſupra diaphragma, inter quartam & quintam coſtam, muſculi thoracis intercoſtales, cauterio admoto potentiali adurendi ſunt, donec ſatis lata eſchara oriatur; quod circiter ſpatio trium horarum plerumque fiet, dein iſtud ſatis lato vulnere pertundendum eſt, & (ut hoc obiter dicam) eo opus eſt, ne ſi ſine tali cauterio, inciſio fiat, vulnus nimis cito coaleſcat & citius, quam neceſſe eſt; ſed oportet ut labiis longiſſime à ſe invicem diſtantibus, (quod in rotundo vulnere fieri certiſſimum eſt,) facilior exitus puri, & amurcæ iſti, fiat: ante omnia, curandum eſt, ne confertim pus, & ſanies, ſed repetitis vicibus, emittatur, pro ægri viribus; quarum in regionibus maxima habenda eſt ratio. Hoc remedio miraculi inſtar aliquot curatos vidi: & inter plurimos victor quidam, & miles, hic in arce Batavica ſunt, qui cum me vident, non officioſe tantum ſalutant, ſed pene importune adorant; Verum de his in obſervationibus particularibus acturus ſum. Si hæc vobis placuiſſe intellexero, efficiam, ut non otioſe tempus in Indiis me exegiſſe boni ſciant. Nam de malevolis mihi nulla eſt cura, quoniam ego me ſupra eorum invidiam eſſe arbitror; & abunde mihi ſufficit, ſi Eruditis & Ingenuis, non diſpliceam.

CAPVT XIV.

De Febribus in Indiis.

Febres, quæ in Indiis naſcuntur, pleræque aut ſunt ſymptomaticæ, aut continuæ per ſe, & (ut fere ſemper) Synochi putridæ. Quæ vero certam periodon ſervarent, cum intermiſſione ſeu ἀπυρεξία, vix memini me vidiſſe; niſi unam & alteram Quartanam, eamque cum ægro è patria delatam, quæ miſerrime in hydropem, & inde in certiſſimam mortem deſiere. Itaque erraticæ plerumque febres ſine certo ordine, quibus ſingulis, ſi nomina dare velis, Oedipo conjectore tibi opus erit. Non tamen Tertianas intermittentes, aliquando oriri negaverim: ſed hæ tam raræ ſunt, ut liceat dicere, quod in proverbio eſt, hirundinem unicam non efficere ver. Præterea propoſitum mihi eſt ſcribere, de iis affectibus, qui ut plurimum, & quotidie, hic eveniunt. Hoc ſaltem in genere verum eſt, morbos quibus febris ſupervenit, magis periculoſos eſſe, quam quos à principio comitatur febris. De cura igitur febrium, & ſymptomatibus earum, quia cum affectus primarii ſanatione conjuncta eſt, ſuperſedebimus actum agere. De continuis ergo aliquid agendum, quæ plerumque cum tanto furore invadunt, ut tanquam attonitos de ratione mentis ſtatim dejiciant, & ſæpe intra pauciſſimos dies, imo, aliquando horas, cum phrenitide, & continuo delirio, ægros è vita rapiant. Adſunt perpetuæ vigiliæ, vomitus varii coloris, præcipue viridis, & æruginoſæ, bilis. Externa rigent. Calor interne cum ingenti ſiti vitales & naturales facultates depaſcitur. Cum febris hæc itaque ſit Synochi putridæ ſpecies, ubi ſanguis tam qualitate, quam quantitate, peccat, duo magna antiquitus decantata remedia neceſſaria eſſe quis dubitet? Sed utrum illorum præmitti debeat, in quæſtionem poſſet venire. Nos, ſubtilibus ſcholaſticorum diſputationibus, & altercationibus, omiſſis, purgationem debere præcedere autumamus; ne in venis major perturbatio fiat, quam emolumentum ex præmiſſa phlebotomia ſperari poteſt. Et ne humores iſti mixti aliquam ex principibus partibus, per motum, occupent, & terribiliſſima ſymptomata excitent. Itaque in principio leniter, ut Thamarindorum, & Caſſiæ pulpa, ægri purgandi ſunt. Injecto quoque Clyſtere communi, & adjecta Electuarii, ſupra deſcripti ℥j. His peractis, jam tuto vena copioſe ſecabitur, vel etiam iteratis vicibus, quod judicio medici relinquimus, tum unguento *Borborii* univerſum corpus

inungendum. Quod ſi vigiliæ, & Phrenitis infeſtat, vena frontis recte ſecabitur; tum ſomnus omnimodo conciliandus. Philon. ſine Euphorbio, Requie Nicolai; Mithridatio confecto recenti, &c: Sed in periculis, tanquam ad ſacram anchoram, ad Laudanum noſtrum ex croco confugiendum eſt, quod in his regionibus, nunquam ſatis laudabitur. Cæteræ, quas dixi, erraticæ Febres curandæ ſunt eo modo quo illæ, quæ certos paroxyſmos habent, & ad quorum naturam videbuntur proxime accedere. Quæ quoniam notiſſima ſunt ex aliorum ſcriptis, Enchiridii hujus ratio non patitur me longius de iis agere.

CAPVT XV.

De Febribus quibuſdam, quas Incolæ vocant Tymorenſes, in Indiis, peculiaribus.

QVi navigant in Inſulas Solor, & Tymor, cædendarum Santali arborum gratia, corripiuntur febri quadam putrida, quæ ſi continua ſit, delirium & Phrenitidem ſecum comitem etiam habet, ſi vero per intervalla exaſperetur, (nam remittit ſe aliquando hæc Febris: ſed intermittitur nunquam) ea exacerbatio plerumque eſt circiter quatuorh orarum, qua durante ridiculas admodum actiones ægri edunt; imitantes ea opificia, quæ ſani exercuerunt, & omnia effutientes temere, quæ in vita, tacenda loquendaque, peregerunt, cum maximo aſtantium riſu. Adeſt præterea βούλιμος, ſeu Appetentia canina, ita ut, dum in delirio ſunt, omnia etiam fœdiſſima devorent, quæ ipſis præbentur. Oritur hæc Febris ex diverſis cauſis, quarum præcipuæ hæ ſunt: Odor recenter cæſarum arborum Santali; quæ (fatentibus ipſis incolis) neſcio quid viroſum, & cordi maxime, & cerebro, inimicum exſpirant. Santali Hiſtor. vid. apud *Garc. ab Orta*, l. 1. cap. 17. Adhæc aëris conſtitutio nebuloſa, & admodum gravis; nam habitacula Incolarum ſunt in ſummis montibus; ubi, propter aëris mediam regionem, nebulæ & pluvioſi vapores ſunt; tum frigus aliquando tam violentum, quam in Hollandia ſolet eſſe, quæ omnia non niſi craſſos humores, & turbidos ſpiritus gignunt. Addita fructus naſcentes edendi libertate, qui, cum plerique ſunt horarii, & propter humiditatem putredini maxime obnoxii, in corporibus jam ante faſtidio maris, laboribus, & craſſis cibis, tum aëris intemperie immutatis, peſſimos ſuccos gignunt. Adde (quod pene omiſeram) mutationem ſubitam aëris, quam ſubeunt noſtri; dum deſcendunt ex montibus frigidis ad littus, & naves, ubi calor ſummus corpora urit: Nam inſula hæc ſita eſt verſus meridiem, circiter decem gradus, à linea Æquinoctiali. Et (ut Ovidius ait)

Cum modo frigoribus, calido modo ſtringimur æſtu,
Tempore non certo corpora languor habet:

Præcipue quoque cavendi ſunt venti ex montibus, poſt medium noctis, ſpirantes, ut & in Iava, & cæteris circumjacentibus inſulis; non ſecus, & in quibuſdam Galliæ Narbonenſis locis, & Italiæ, præcipue in regno Neapolitano, ac Romæ territorio, ventus frigidus è montibus ſpirans, (quem Serenas vocant,) Pleuritidem, Peripneumoniam, & reliquos acutos morbos, infert. unde Horatius;

Matutina parum cautos jam frigora mordent.

Cura conſiſtit in purgatione leni, & clyſtere præmiſſo, in celeri ſanguinis miſſione, eaque in plethoricis, & conſtantibus viribus, uſque ad animi defectum. Cucurbitæ quoque affigantur cervici, ſcapulis, &, vertice raſo, capiti; incolæ arterias crotaphas, ſeu Temporales, lamina candenti, vel fune ſclopetario accenſo, urunt, cum ſtupendo fructu, quod etiam faciunt in omnibus capitis longis doloribus. Purgatur quoque commode humor vitioſus Elect. Fratris mei ſupra relato. Tum vomitoria è Croco metallorum, & ſale vitrioli præcipitato, utiliſſima in hoc caſu eſſe experientia didici. Vigiliæ (quæ ſunt fomentum phrenitidos) ſi perpetuæ adſint, utimur, præter cætera narcotica, Extracto noſtro Croci in pilulam formato, vel vino diſſoluto. His omnibus generalibus remediis præmiſſis; intemperies Cordi, Hepati, ac Cerebro inuſta, ſudorificis, & diureticis; Antidotis quoque, ut Bezoar, & raſura cornu Rhinocerotis,

com-

commode diſcutitur. Et Conſervis refrigerantibus, & Syrupis, ſupra ſatis ad faſtidium nominatis, emendatur.

CAPVT XVI.

De Cæcitate, & debilitate viſus, quæ navigantibus Amboynam, & Moluccas verſus, & in circumjacentibus Fretis, accidit.

QVi Amboynam, Bandam, & Moluccas verſus navigant, infeſtantur ſæpe debilitate viſus, immo totali cæcitate, è craſſis lentiſque vaporibus, caput, & cerebrum, opplentibus, nervoſque opticos obſtruentibus: quæ tamen cæcitas non ſemper permanet; ſed alterius aëris mutatione, vel melioris Diætæ, ſæpe recedit. Incolæ harum inſularum originem trahere dicunt, (quod & experientia, cui contradici vix poteſt, comprobatum eſt) ex eſu Oryzæ calidæ. Hinc Iavani, & Malaii Oryzam, jam primum coctam, ſemper prius frigidiori aëri exponent, vel vanno calorem eventilabunt. Tum nautæ noſtri ſociis ſuis navalibus imperant, ſub pœna aliqua, ne Oryzam calefactam comedant. Quod ſi cauſam altius inquirere velimus, ratione eam prædicta niti inveniemus: nam Oryza hæc ſemper plantatur in locis uvidis, & paludoſis, unde neſcio quid fæculenti, ac uliginoſi, contrahit: quod calidum altius penetrat, quam frigidum: nam etiam ſiccæ Oryzæ, crudæque, odor caput gravat, & ſomnolentiam quandam introducit. Communis in hoc affectu cura, (qua & ego utor, & plures ad priſtinam ſanitatem reduxi,) hæc eſt; Primum purgandum caput, & ventriculus, à craſſis humoribus, qui hos vapores ad cerebrum mittunt: Quod optime fiet per Pilulas panchymagogas *Reineri Bontii* ſupra deſcriptas. Dein ſternutatoriis è pulvere Tabaci, &c. Tum Errhinis, & Maſticatoriis utendum eſt. Vena ſecta quoque prodeſt. Sed in hoc malo (quod poſtremo loco reſervavi) ſpecificum, & crebro uſu comprobatum medicamentum eſt, Iecur Lamiæ piſcis, crudum cum ſale comeſtum, quem piſcem **een Haye** Belgice vocamus, quin & oleoſitas, ex eo in Sole inde deſtillans, **Traen** Belgice, & oculis inuncta, pro præſentaneo eſt remedio; quod procul dubio proprietate ſubſtantiæ fit: Nam tantum abeſt, ut aliorum piſcium jecinora hoc præſtent, ut potius præſentem noxam inferant. Notandum poſtremo eſt, quod, quamvis hæc cæcitas ſæpe tranſitoria ſit, tamen neglecta, & incommoda diæta, maxime importuno uſu Aracci, ſæpe in veram viſus orbitatem degenerat; quorum exempla paſſim obvia ſunt.

De Externis quibuſdam Corporis Affectibus, in Indiis.

CAPUT XVII.

De Herpetis, ſeu Impetiginis Indicæ ſpecie, quam Incolæ Courap *indigitant.*

EXpoſitis morbis Internis præcipuis, qui in hiſce remotiſſimis à noſtro cœlo locis graſſantur, omiſſis etiam levioribus affectibus, qui (ut in patria quoque) quotidiani ſunt, ad Externa quædam corporis vitia, nimis familiaria, devenire conſtitui.

Inter hæc principem locum obtinet Herpes, ſeu Impetigo quædam moleſtiſſima, ut plurimum alas, pectus, inguina, faciem, immo aliquando totum corpus, occupans, cum pruritu intolerabili, adeo ut ægri à ſcalpendo, dies, & noctes, manus abſtinere nequeant: Sed ſtatim iſtam voluptatem, quam ex unguium attritu homines ſentiunt, acerba pœnitentia ſequitur: ingens nempe dolor, in crudis, & cuticula nudatis, partibus, quas ungues aperuerunt, dum mordicans, & nitroſus iſte humor peccans, partes affectas vellicat, & inde interulæ, & induſia, ſine cruſtarum laceratione, avelli nequeunt: Indigenæ hunc affectum *Courap*, κατ' ἐξοχὴν appellant, quod alias omnem Scabiem ſignificat: Cauſa hujus affectus cutanei eſt ſalſa & nitroſa pituita, mixta bili, & melancholiæ: eſtque affectus contagioſus, quia attactu facillime in aliud ſubjectum tranſit: ita ut pauci hanc moleſtiam effugiant. Quamvis autem ſcabram, & deformem cutem reddat, cum furfuribus: tamen hoc commodum ſecum fert, quod quamdiu quis taliter affectus eſt, vix alio graviori morbo corripiatur; tum *Courap* ſubito evaneſcens, majoris morbi ſuperventuri indicium ſolet eſſe; humore nimirum peccante, per metaſtaſin, ad partem nobiliorem aliquam delato. Ideo ſunt qui per aliquot annos hoc malo affecti, non adeo ſolliciti ſunt de ejus curâ. Sed nos qui novimus, ſublata cauſa, etiam tolli effectum, quod vulgus ſanum per ſe putat, per accidens ſcimus evenire; quod nempe ſit effectus bonus à mala cauſa. Non ſecus, ac in Gonorrhœa virulenta, & venerea, contingit, Hepate ſc. expellente à ſe iſtud virus ad glandes paraſtatas, & inde ad penem, quo miſeri ſe conſolantur: cum in confeſſo ſit aliquo modo in re medica expertis, ſi iſti malo convenientibus remediis non occurratur, ipſum morbum venereum inde oriri. Sic hoc malum neglectum, præſertim in ſubjectis melancholicis, & atrabiliariis, in Lepram Arabum, vel (quod multo pejus eſt) in ipſiſſimam Elephantiaſin, tranſit. Cura hujus mali in principio præcipue conſtat in ablatione cauſæ morbificæ, quod per toties jam dictas purgationes optime fiet: fruſtra enim, neglectis generalibus, ad particularia, & topica medicamenta devenitur. Pulvis quoque præſtantiſſimus ad hunc affectum, ut & ad reliquos melancholicos, à me conficitur hoc modo;

℞. Folior. Senæ mundatorum ℥ x i v.
Rhabarbar. optimi,
Turbith albi, ana ℥ v i i j.
Tartar. albi,
Scammoneæ elect. ana ℥ i v.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.
Doſis eſt in convenienti liquore ʒ j.

Iam ad Topica deveniamus, inter quæ excellens eſt, quod mihi reverendus ac doctiſſimus vir Dominus *Iuſtus Heurnius* communicavit, vir in omni Scientiarum genere exercitatiſſimus.

℞. Ferruginis ℥ j.
Sulphur. ʒ ß.

Subtiliter in marmore fricentur, adde ſucci è foliis Baſilici creſcentis, & hinc fiant paſtilli, qui aceto diſſoluti & veſperi *Courapo* illiti, mane ob deformitatem ablui poſſunt.

Hoc

Hoc ſi minus efficax ſit,

℞. Opii ℈ j ß.

Calcis vivæ ex conchyliis uſtæ ℈ ij.

Fricentur in marmore, cum ſucco Pomorum Amoris, uſurus abradat cruſtam Herpetis, dein abſterſo ichore, illinat.

Ad eadem confert Oleum è gummi Benjuin adjecto nitro, vel ſale Prunellæ, vel momento Mercurii ſublimati. Commode his quoque miſcetur ſuccus Limonum. Cum Tutia præparata, aut Ceruſſa, quo ſolo remedio topico, præmiſſa unica purgatione, me ipſum curavi, cum ſub alis ac in pectore hac colluvie infeſtarer. Diæta, ut in omnibus cacochymicis affectibus moderata, & boni ſucci eſſe debet. Quod curantis prudentiæ relinquo, ne fruſtra actum agam.

CAPVT XVIII.

De Papulis rubentibus, ſeu ſudaminibus, quæ vulgo noſtrates **het Rootvont** *vocant, & obiter de moleſtiſſimis Culicum morſibus.*

QVas Latinus Hippocrates *Cornelius Celſus* papulas, *Plinius* ſudamina vocat, (noſtrates Belgæ **Rootvont**) ita crebra ſunt, ut ego adhuc hiſce in locis neminem noverim, qui moleſtias has effugerit, non magis, quam morſus culicum, quos Luſitani *Moſquitas* vocant. Sunt autem hæ papulæ rubentes, & aſperæ aliquantum, per ſudorem in cutem ejectæ; plerumque à capite ad calcem uſque, cum ſummo pruritu, & aſſiduo ſcalpendi deſiderio erumpentes. Hæc exanthemata magis afficiunt recens advenientes, ut & Moſquitarum puncturæ, quam eos, qui aliquamdiu morati ſunt: ita ut, deridiculi ergo, hic inter noſtrates dicterium enatum ſit, Eum qui hoc modo affectus ſit, eſſe *Orang Barou*, quod novitium hominem ſignificat, & propterea culices, & papulas, ſibi tributum, è lacte, & butyro, quod eum devoraverint, petere: nam qui hic diutius hæſerunt, ſe *Orang Lamme*, id eſt veteranos, glorioſe nominant. Hæc porro moleſtia, cum à natura expellente fiat, inter affectus cutaneos tantum recenſenda venit: ſed tamen temere habita, ut & morſus culicum, unguibus ſcilicet cute aperta, ulcera, ſæpe cacoëthea, & maligna, oriuntur, difficilia ſane ſanatu.

Sic neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Vt itaque pruritui iſti moleſtiſſimo occurramus, acetum cum aqua miſceri jubeo, addito Nitro, ſeu ſale Prunellæ, eoque corpus linteolo immerſo tingi: vel, ſi acrius deſideres, addendus Limonum ſuccus recenter expreſſus. Quæ quamvis primo acrem dolorem inferant, tamen is cito evaneſcit, & multo magis tolerabilis eſt, quam pruritus iſte inſignis. Hoc denique medicos, & chirurgos obiter monitos volo, ne in his papulis purgationes, quantumvis leves, inſtituant; ne materia acris, & bilioſa, ad inteſtina delata Dyſenteriam creet: ſed vel potius naturæ hæc ſananda relinquant: vel ſudorificis excretionem hanc adjuvent: Nam ego, per incuriam, & imprudentiam quorundam, hæc infortunia evenire non ſemel vidi.

CAPVT XIX.

De Tophis gummatis, & ulcerationibus Endemis in inſula Amboyna, & Moluccis præcipue; quas noſtrates, **d'Amboynſe Pocken** *vocant.*

ENdemius, ſeu popularis quidam morbus in Amboyna, & Moluccis inſulis præcipue, oritur, qui ſymptomatis ſuis admodum ſimilis eſt morbo venereo. Sed in his inter ſe differunt, quod ſine congreſſu venereo quoque naſci ſolet. Erumpunt in facie, brachiis, & cruribus Tophi, ſeu Tumores, duri primum, & ſcirrhoſi, & tam crebri per univerſum corpus, quam clavi, & verrucæ oriuntur in manibus, & pedibus in patria; ſi vero eos ulcerari contingat, materiam lentam, & gummoſam à ſe reddunt,

dunt, attamen tam acrem, & mordacem, ut profunda, & cava ulcera inde oriantur, cum labiis calloſis, & inverſis; fœdum, & deforme malum, & cum lue venerea conveniens, niſi quod tanti dolores non adſint, nec caries in oſſibus tam facile oriatur, niſi per curantis incuriam. Hic affectus originem trahit, primum ex peculiari cœli & ſoli iſtius genio; tum ex aëre, vaporibus ſalſis, è mari undique aſcendentibus infecto; cibis præterea craſſis, & melancholicis & pituitoſis, ut ſunt piſces marini, quorum magna captura eſt: quibus incolæ aſſiduo veſcuntur, quod reliquæ annonæ ſit ſatis indiga regio. Magnum etiam momentum huic malo adfert uſus placentarum, quas vice panis, per totum iſtum tractum edunt; & ab incolis *Sago* vocatur, & eſt è corticibus arborum excuſſa farina. Adhæc confert potus importunus liquoris cujuſdam *Saguer* vocati, qui ferme eodem modo ex arbore elicitur, quo è palma Indica ſeu *Coquos* arbore liquor iſte, quem incolæ *Towac*; Luſitani *Vinho de Palma* vocant. Immoderate ſumptus non ſecus, ac vinum, & cerviſia, inebriat; caput, & nervos, infeſtat, hinc etiam in his inſulis crebrior eſt iſta Paralyſeos ſpecies, quam *Beriberii*, ſupra diximus, appellari. Quantum ad curam attinet, ea, ſi recens ſit hoc malum, non admodum difficilis eſt. Sin inveteratum jam, moleſtior eſt curatio. Porro iiſdem ferme remediis cedit, quibus lues venerea, obſtructiones lienis, Leucophlegmatia, & ipſe Hydrops, & cæteri chronici & rebelles morbi. Decocta itaque parentur è Chinæ radice, Sarçaparilla, Guajaco & corticibus ejuſdem; quibus incoquantur Anagallides aquaticæ, ſeu Becabungæ, M. ij. Poſt peccans materia vehementioribus catharticis educenda eſt: nam levia non proſunt. Talia ſunt Extract. guttæ Cambodja, Elaterium, &, ſi his non cedit, ad chymica, & mineralia, deveniendum eſt: ut ſunt Mercurius vitæ, ſeu Butyrum Antimonii, Turbith minerale; tum Mercurius præcipitatus albus. Vnguenta quoque Mercurialia, ſecundum artem parata, externe adhibenda ſunt. Quæ omnia è *Crollio*, & aliis doctioribus, & verſatioribus Chymicis, petite.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IACO-

IACOBI BONTII

OBSERVATIONES

Aliquot ſelectæ, ex

DISSECTIONE CADAVERVM

AC ΑΥ'ΤΟΨΙ'Α DESVMPTÆ:

Quæ præcedentibus jam dictis non parum lucis adferunt.

OBSERVATIO I.

De quodam, è Spaſmo, mortuo.

MIles quidam, cum per integram noctem, ebrius in ſolo decubuiſſet, evigilans tam repente Spaſmo correptus eſt, flexo in poſteriorem partem corpore, ut omnino rigidus, & incurvus permaneret. Ipſe in Noſocomium delatus noſtræ curæ mandatus eſt. Nihil deglutire poterat, & turbide loquebatur, tanquam ex loco ſubterraneo vocem emittens, truculenter nos intuebatur; cui cum omnia fruſtra adhibuiſſemus remedia, (quæ ſupra in Methodo Medendi videre eſt,) ille poſt ſæviſſimos cruciatus, intra quatuor dies interiit. Libuit mihi cauſam tam atrocis mali indagare, itaque adhibito Magiſtro *Andrea Durao, Noſocomii Batavici Chirurgo* expertiſſimo, cadaver aperuimus: Vitalia, ut cor, & pulmones, & Naturalia membra, ut hepar, ventriculum, & lienem, omnia integra invenimus. Itaque (quod res erat) ſuſpicati, malum altius hærere, Cerebrum ad ventriculos uſque diſſecuimus, quos repletos invenimus materia quadam viſcida, & glutinoſa, colore luteo, vitello ovorum perquam ſimili: ſed fœtida admodum: hæc incumbens principio nervorum, tam ſæva ſymptomata in ſubjectis partibus excitarat. Venæ intercurrentes utramque cerebri meningem, admodum turgidæ erant bilioſo ſanguine: Obiit anno 1629, menſe Februario. Eodem modo, pauco poſt tempore, affectus fuit ſignifer, qui in arce, valli Rubini dicta, præſidium agebat; ſed hic præter prædicta ſymptomata, ſpaſmo Cynico in dextra maxilla, torquebatur, ita ut loqui plane durante iſto paroxyſmo non poſſet; & intra 24 horas ex vivis exceſſit; juvenis, ſi quis alius, fortis, & robuſtus.

OBSERVATIO II.

De Phthiſico quodam, & Empyematico.

HEnricus N N. mercator Danus, decumbens in ædibus *Ambroſii vander Keer*, hujus urbis Scabini, poſt mortem, à *Magiſtro Andrea* diſſectus fuit: uterque lobus pulmonum, non tantum arcte coſtis adnatus erat, ſed etiam inferius diaphragmati, ut ſine laceratione, inde avelli non poſſet. In dextro latere, ubi majorem dolorem ſenſerat, inventa ſunt fragmenta bronchiorum, & ſubſtantiæ pulmonum avulſæ; cum ſanie copioſa; qualia, dum viveret, in magna quantitate excreare conſueverat; vox illi erat clangoſa, qualis gallorum Africanorum, aut Calecutienſium. Laboraverat longo tempore antea ſputo ſanguinis; unde hujus miſerandi mali principium; quo etiam, extreme extenuatus, obiit 1629, die Augusti 19.

OBSERVATIO III.

De Dyſenterico.

EX mandato Domini Generalis, ego, & *Magiſter Adamus*, *Arcis Batavicæ Chirurgus*, aperuimus aliquot cadavera ex Dyſenteria mortuorum: inter quæ corpus militis cujuſdam, è diuturna Dyſenteria vita functi, quæ tum temporis, cum obſeſſi eſſemus à Iavanis, tanquam morbus epidemicus graſſabatur. Et invenimus inteſtina vehementer inflata, & eorum interiorem tunicam plane abraſam; Tum folliculus fellis, quod maxime in eo mirum erat, repletus, & diſtentus erat, humore lento, & viſcido, alboque inſtar pultis ex Amylo, quam noſtræ mulierculæ Styſſel vocant: Bilis autem ne quidem veſtigium relictum erat, 1629. Nov. 14.

OBSERVATIO IV.

De quodam Pulmones plenos Pure habente.

ANno 1629, menſe Maio, aperuimus cadaver nautici ſocii, ex Phthiſi mortui, cujus pulmones ſubſtantia & colore externe ſani apparebant, quibus tamen diſſectis, exiit pus copioſum, viride, & fœtidiſſimum: dexter autem pulmonum lobus coſtis adnatus erat. Quod obiter notandum in plurimis, quos aperuimus, nunquam ſiniſtrum lobum ſolum adnatum vidimus; ſed vel utrumque, vel dextrum tantum. Ratio (ut ingenue fatear) me latet, niſi forte, quia in dextro latere tantum vena azygos ſine pari eſt, quæ in Pleuritide, tuſſi valida rupta, hanc amurcam à ſe rejicit; unde etiam in dextro latere Pleuritides exquiſitæ magis oriuntur.

OBSERVATIO V.

De Empyematico ſanato.

MIles quidam, cum potu *Arac* apprime ſe ingurgitaſſet, & ferme ſine ſenſu, & motu in arcem ferretur, credebamus ipſum iſta nocte ſupervivere non poſſe: ille tamen, partim evomita, partim edormita crapula, poſtridie in dextro latere Pleuritide exquiſita correptus eſt; cui, licet poſt ſanguinis miſſionem, dolor aliquantum ſedatus eſſet: tamen inflammatio in ulcus, & inde, eo rupto, in Empyema deſiit, materia, in dextro latere, ſuper diaphragma effuſa. Erat adhuc viribus ſatis conſtantibus, neque febris jam tam vehemens vigebat. Itaque inter quartam, & quintam coſtam cauterium potentiale, quod vocant, applicavimus, dein ſcalpello eſcaram porro aperuimus. Indeque effluxit ſanies copioſa, cum ramentis, & particulis aliquot membranæ ſuccingentis coſtas, jam putrefactæ. Et ille, adhibitis opportunis Syringationibus, convaluit præter ſpem, &, cum hæc ſcribimus, Malaccam verſus navigavit.

OBSERVATIO VI.

De inſigni Cranii fractura.

NAuticus quidam ſocius, dum navem, in ſtatione hic ſtantem, à ſordibus, quas in mari contraxerat, cum cæteris purgaret, & conto ſcapham prohiberet, ne temere navi allideretur, dum ſe inclinat, ut funem, qui ſcaphæ inferius impactus impedimento erat, auferret, triſti fato, ſcapha navi undarum pulſu impegit, & caput ipſius, quod intra ſcapham & navem medium erat, ita colliſum eſt, ut totum cranium comminutum crederetur, ipſe mutus repente, & ſanguinem, per os, aures, & nares rejiciens, inde delatus eſt in Noſocomium. Huic jam, ut putabamus, deſperato, cum *Mag. Andreas*, & ego ſeriam manum præſtaremus; Primo à poſteriore capitis parte con-

tuſionem

tuſionem ingentem invenimus ; quam, poſtquam aperuimus, plurimum concreti ſanguinis inde extraximus. Poſtero die, cum jam mundatiora eſſent omnia, cranium in multa fragmenta comminutum apparuit: hinc cum aliquot particulas exemiſſemus, reliquam curam (ut in tali caſu decet,) aggreſſi ſumus. Ille porro hæſit inter noſtras manus circiter ſex menſes, quo tempore totum illud os, quod circumſcribitur Sutura Lambdoide, per fragmenta exemptum eſt, paulo ſupra illud foramen, cui inſeritur prima cervicis vertebra, dentiformis dicta. Ille quidem, optime ſanus, Novemb. menſe patriam repetiit, appoſita poſteriori capitis parti ſemigalea argentea, ei, in eum finem, donata à Domino *Generali Coen*, ut cerebrum ab ictibus externis tueretur.

OBSERVATIO VII.

De Chronicis, & implicitis morbis in uno ſubjecto.

ANno 1629, Septembr. 5, diſſecuimus cadaver militis cujuſdam Germani, qui ferme per integrum annum languerat, fluxu ventris æruginoſo, tuſſi ſicca, & inſigni reſpirandi difficultate, &c. Mortuo eo, Omentum, & Meſenterium repertum fuit ferme abſumptum ; ita ut inteſtina ſibi invicem adnata, vel potius nullo ordine inter ſe confuſa eſſent, parvulis villis hinc inde enatis. Lien erat contractus in minimam pilæ magnitudinem, & rotunditatem, ita ut Renes ſubjecti longe majores eſſent. Iecur tam varii erat coloris, luridi, pallidi, flavi, & viridis, ut miraculo ſpectantibus nobis eſſet. Cyſtis fellis longe major ſolito, repleta & diſtenta erat bile æruginoſa: Ventriculus, & Inteſtina eroſa, inſignem quoque hujus humoris copiam retinuerant. Præterea è vitalibus dexter lobus Pulmonis coſtis & Diaphragmati erat adnatus, ut invicem continui viderentur. Videant benevoli lectores, num mirum ſit, difficiles eſſe curationes, cum tot ſimul mala concurrant, quod non in hoc uno, ſed plurimis ſubjectis, reperi. Et hoc nobis præſtat nimius potus maledicti Arac, ex Oryza & Holothuriis confecti. Et quoniam dicunt ſcriptores Phyſici, Leporem marinum, (qui, ut & Sepiæ, de Holothuriorum ſunt genere) venenoſa & peculiari qualitate, Pulmonem erodere, lubens in eam ſententiam deſcendo, omnes iſtas immundities eandem tabificam vim habere, &c.

OBSERVATIO VIII.

De quodam, cui vena cava, loco ſanguinis, repleta erat adipoſa & medulloſa ſubſtantia quadam.

SEptembris 7, Anni 1629, me præſente, apertum fuit corpus cujuſdam civis Bataavienſis, qui per tres annos languerat miro & incognito affectu: Nam ſi ſuper umbilicum, aut circiter, quis manum inpoſuiſſet, pulſus, qualis cordis, & arteriarum, tam vehemens ſentiebatur, inſtar ſalientis infantis in matris utero, quæ jam partui vicina eſt, ut manum elevando repelleret. Æqualem fuiſſe hunc pulſum cum arteriarum & cordis, hoc modo deprehendi; Siniſtram umbilico ægri impoſui, dextra arteriam, circa carpum, tetigi; inveniquein ſyſtoles, & diaſtoles intervallo plane convenire. Vnde ego ſtatim conjeci, arteriam magnam laborare; quod & poſt mortem invenimus. Nam vena cava repleta erat, loco ſanguinis, adipoſa ſubſtantia, & medullæ ſpinali admodum ſimili, quæ, pondere ſuo, arteriæ vicinæ incumbens, dum illa è contra iſtud onus à ſe rejicere conaretur, hunc pulſum excitabat. Arteria magna duplo ſolito laxior erat, & repleta ſanguine nigro, & ſeroſo. Cor etiam *Magiſter Andreas* diſſecuit; quod, ſolito majus, & flaccidius inventum eſt, & ſpongiarum modo comprimebatur ; tum uterque ejus ventriculus amplior, & etiam ſanguine iſto nigro repletus. Quis, rogo, mortalium non obſtupeſcat, taliter affectum, tam diu vitam protrahere potuiſſe! Iecur erat vividi coloris, & conſiſtentiæ, niſi quod communem menſuram ferme duplo excederet. Cyſtis, qua bilis continetur, etiam bovinam magnitudine æquabat, eratque intus referta

cholera ex nigra viridi, lenta, & tenaci, craſſitudine ſyrupi ſpiſſioris, aut potius extracti. Objit 7 Sept. 1629.

OBSERVATIO IX.

De Apoſtemate Hepatis.

MIles Anglus, cum inflammationem primum Hepatis paſſus eſſet, & fruſtra tentaſſemus ea, quibus opus erat, dolor ſe remiſit quidem: ſed deſiit malum in fluxum Hepaticum; tumore, qui ante erat in hypochondrio, plane evaneſcente. Cum hoc modo per ſex ferme menſes languiſſet, tandem ad extremam maciem ita perductus eſt, ut ipſiſſimam, qualis pingitur, mortem dixiſſes, & ſic miſerrimam vitam cum morte permutavit. Aperto corpore invenimus loco Hepatis, ſolam membranam ipſum veſtientem, ſatis craſſam, inſtar ſacci, cui adhuc portio ſanici, loturæ carnium ſimilis, inerat, qualem tam longo tempore excreverat. Objit, 1629, April. menſ.

OBSERVATIO X.

De Vulnere capitis, ubi perperam fiſſum Cranium credebatur.

MEnſe Maio, 1629, vocatus fui à Chirurgo quodam, ut viſerem militem in ſuprema frontis parte vulneratum; vulnuſque, ferme ante tres ſeptimanas, laxius inciderat, ferramento ſuo credens, quod Provettam vocamus, dum aſperitatem in cranio, & oſſe frontis, ſentiret, fiſſuram ſubeſſe judicavit, & etiamnum erat in ea opinione; Sed, dum ego oculos propius admovi, inveni, quam ille fiſſuram putabat, eſſe excurrentiam ſuturæ ſagittalis (ut in iis ſolet natura ludere) uſque ad nares. Itaque corripiens Chirurgum, oſtendi ei errorem ſuum. Interea ab aëre os jam alteratum erat; itaque curavi ægrum in Noſocomium deferri ad *Magiſtrum Andræam*, & jam ſextus menſis eſt, quo ſub cura noſtra egit. Eximimus ipſi à ſutura coronali partem oſſis uſque ad os temporale, ſeu petroſum, & ab altera parte non contemnendum fragmentum; tum oſſis frontis duas partes, quæ ſutura excurrente diſtinctæ. Apud *Magiſtrum And. Duræum* etiamnum reſervantur: & jam, dum hæc ſcribo, die 10 Novemb. 1629, totum vulnus conſolidatum, & cicatriſatum eſt, & ille, hac veſpera, iturus ad navem bene ſanus; & in Patriam, intra tres, aut quatuor dies, remeaturus eſt.

OBSERVATIO XI.

De Catarrho ſuffocanti in Nobiliſſimo D. Ioanne Petri Coen, *Generali in Indiis Præfecto.*

CVm generoſus Dominus noſter *Ioannes Petri Coen*, aliquandiu Diarrhœa laboraſſet, & tamen, ut illi erat ſummus animi vigor, nihil de ſolita diligentia remitteret, dum opera, & munitiones bellicas ipſe coram inſpicere vult, & tamen à me aliquoties monitus, ut paulum quieti ſe daret, & valetudini ſuæ conſuleret, negavit, ſibi tantum otii eſſe, ut decumberet, quaſi diceret præſagiens, Imperatorem ſtantem mori oportere. Tandem, decimo nono Septembris, 1629, circa octavam veſpertinam repente in arcem ad Dominum ſum vocatus, quem inveni ægre ſpirantem, cum tuſſi ſicca; externe membra frigebant, ſudor aderat frigidus, & glutinoſus. Dejectio per inferiora erat admodum multa, flatulenta, aquoſa, & bullis plena; vomitus præceſſerat bilioſus. Pulſus arteriæ tam languidus erat, ut vix ſentiretur, & ille quidem vermiculans. His ego omnibus conſideratis, adſtantibus Ampliſſimis Dominis meis Conſiliariis Indiæ, *D. Antonio van Dyemen*, & *D. Quirino à Raemburch*, ſtatim pronuntiavi, *D. Generalem* ſupremis appropinquare: ipſis re ſubita attonitis, & tantum deliquium animi, ex vomitu, dicentibus, dum paulatim vires, & ſpiritus rediturοs putarent, cum pauco ante tempore cum ipſis diſcumbens familiariter confabulatus eſſet: Ideoque dicebant,

ſe

ſe mirari, quod tam audacter de tanto viro pronunciarem: Reſpondi modeſte, mihi in more non eſſe poſitum, artem meam ludibrio exponere, dum aut ignoraſſe, aut feſelliſſe viderer, ſi ſententiam meam non explicuiſſem: me tamen in eo optare, uti vaticinium meum fallat. Interea *Dominus Generalis* inter duodecimam, & primam noctis horam, ſuperveniente ſpaſmo, quem momento temporis ante prædixeram, animam Creatori ſuo reddidit. Qui Ampliſſimi hujus Viri ſtaturam & formam contemplati ſunt, nihil miri accidiſſe ſciant. Erat enim longa & erecta cervice, alis ſeu ſcapulis prominentibus. Complexione ex melancholica, pituitoſa, opportuniſſima ad phthiſin & catarrhum ſuffocantem, quo etiam mortuus eſt. Obiit anno Domini noſtri, 1629, Septemb. 19.

OBSERVATIO XII.

De quodam ex vulnere in pectore mortuo.

CIvis Batavus, *Ioannes Dragon* nomine, 16 Septembr. 1629, in pectore punctim vulneratus eſt, ictu tranſeunte os ſterni, ſeu ſcutiforme, per pulmones in Oeſophagum: ſuperveniente febre, & ſingultu, octiduo poſt vulnus illatum, mortuus eſt. Aperuimus præſente magiſtratu cadaver, invenimus ſecundum conjecturam noſtram partes antedictas læſas. Thorax plenus erat ſanguine ſeroſo, cum potu, qui ex gula effluxerat, mixto.

Obſervationes aliquot ex plurimis ſelectæ, de Epidemiis, & Contagioſis, in INDIIS, Morbis.

OBSERVATIO I.

De Dyſenteria Epidemica.

DVm anno 1628, à Iavanis Mataranenſibus obſidione cingeremur, Ampliſſimus Vir *Ieremias de Meeſter*, Senatus Indici Conſiliarius, primum in febrem continuam incidit, dein in Dyſenteriam, quæ tum populariter graſſabatur; exonerans per alvum cum fæcibus ſanguinem nigerrimum, ſummo cruciatu, & fœtore: tandem, cum omnia remedia, quæ excogitari ad hujus mali levamen potuiſſent, adhibuiſſemus, ex vivis exceſſit; ſupervenientibus, paulo ante mortem, exanthematis nigris, & lividis, ſimilibus iis, quæ noſtri 't Peperkoorn vocant, cum ſudore frigido, & male olente.

Similiter, *Iacobus à Dooreſlaar*, Secretarius prædicti *Domini Generalis, de Meeſter*, paucis diebus poſt, Dyſenteria viridi, & genere venenoſa, mortuus eſt, apparentibus copioſis maculis lividis, in pedibus, & brachiis, ante dictis reſpondentibus.

OBSERVATIO II.

De eadem Dyſenteria Epidemica.

EOdem tempore *Gulielmus Wyntgis*, fiſci advocatus, mihi fraterna amicitia devinctus, incidit in Dyſenteriam veram cum ſummis torminibus, quæ perdurans cum febre ardentiſſima per quinque aut ſex dies, adhibitis omnibus, quæ morbi violentia, & neceſſitas ſubita requirebant, cum ſummo meo, & bonorum omnium mœrore, juvenis optimus mortuus eſt, apparentibus, tam crebris & denſis per univerſum corpus maculis lividis, ut (quod in proverbio eſt) locus non eſſet, cui caput aciculæ imponeres.

OBSERVATIO III.

De Febre ardenti, Dyſenteria, Vlceribus malignis, &c.

REverendus, & Doctiſſimus vir, *Ioannes Cavallerius*, verbi divini præco, circa idem tempus correptus eſt Febre ardenti, ſuperveniente Dyſenteria atrabiliaria; quæ cum per aliquot dies continuaſſet, eruperunt ſub axillis, in tergo circa lumbos, & in inguinibus, etiam in collo, puſtulæ ac veſicæ quædam, plenæ, & diſtentæ, pure viridi, & ſubjectam cutem ad carnem uſque erodente, quæ nobis, prima facie, ſpem criſeos faciebant: ſed Dyſenteria non ceſſante, & Febre, cum Phrenitide, ingraveſcente, probiſſimus ſimul ac doctiſſimus juvenis, ex hac vita ad cœlos raptus eſt. Eodem tempore, liberi pulcherrimi *D. Adriani Blocq*, eadem Dyſenteria maligna obierunt.

Diſſertatiuncula, utrum Morbi Epidemici, & Peſtilentiales, etiam hic in Indiis Orientalibus graſſentur?

HÆc paucula, ex ſexcentis aliis, exempla eo in medium produxi, ut probarem, fruſtra eos dixiſſe, qui, Peſtilentiales, & Epidemicos, morbos in his locis graſſari negaverunt: Quo nomine, alii eos appellent, mea nihil intereſt. Certe mihi conſtat, contagioſum hunc, de quo loquor, fuiſſe, & qui plurimos ſimul, ac celeriter occuparet. Cauſas, quæſo, audite, dein recte judicate. Obſeſſi arcte eramus, à triginta quatuor millibus Iavanorum Mataranenſium, Duce *Tommagom Bauraxa*, experriſſimo, inter ipſos, & audaciſſimo milite. Quotidie à noſtris excurſiones & velitationes fiebant, ſæpe plurimis ex hoſte, tum hic, tum in oppugnationibus, quæ ferme ſingulis noctibus fiebant, deſideratis: quorum cadavera in flumen præcipitabantur, & ſummum fœtorem, & corruptionem, aquæ conciliabant. Tum corpora hominum, & jumentorum, ex fame, & vulneribus, mortuorum, paſſim in campis, & ſilvis, inſepulta jacebant, quæ non levem contagionem aëri addiderunt. Præterea flumen inficiebatur radice Serpentariæ, quam Indi, in profluente, aliquot mille corbibus impoſitam, macerabant, ut venenoſam qualitatem, & glutinoſam ſuam ſubſtantiam, exueret, quam vidimus, ſi vitrum aqua plenum reponeremus, per aliquot horas, in fundo, tanquam albumen ovi, deſidere; Qua dein toſta, vice Oryzæ, cujus in caſtris ſumma penuria erat, uterentur; dum unico inſultu nos poſſe capi ſperaſſent, & hinc minus ſibi providiſſent. Hæc non tam mira videbuntur iis, qui ſciunt in Indiis Occidentalibus radicem Caſavi, loco panis eſſe, cujus tamen ſuccus expreſſus præſentaneum eſt venenum. Ad rem venio: Adde his potum aquæ ſubſalſæ: Nam, dum ventis è mari ſpirantibus, ſtato tempore aqua marina in fluvium impellitur, ejus alveum ſalſedine inficiebat: & nos propter obſidentes hoſtes, altius ex flumine petere aquam non audebamus; Ad hæc, cadaveribus infectum flumen, vermibus ſcatebat, omnibus iſtis adde tempus anni, quod tum calidiſſimum ſimul & humidiſſimum erat, propter aſſiduas pluvias tum temporis, utpote à Septembri uſque ad Februarii initium, tum Sole ſupra verticem noſtrum exiſtente in linea Æquinoctiali: Quæ omnia me quoque, per quatuor continuo menſes lecto affixerunt, cum ſummo vitæ meæ diſcrimine. Primo invadente me Febre ardenti; ſubſequente dein Dyſenteria, & augeſcente, qua jam ante menſem affligi cœperam, Paralyſeos iſta ſpecie, quam *Beriberii* vocari diximus. Quæ omnia Deo propitio ſuperavi, uxore interea, & utroque filio meo, iiſdem moleſtiis, vexatis, & decumbentibus.

FINIS LIBRI TERTII.

IACO-

IACOBI BONTII

ANIMADVERSIONES

IN

GARCIAM AB ORTA.

LIBER QVARTVS.

NOTÆ

IN CAPVT III,

Quod inſcribitur, De Altiht, *ſeu* Aſſa fœtida, *Iavanis, & Malaiis,* Hin' *dicta.*

QVoniam præcedentia duo Capita abunde & ſufficienter de Ambaro & Aloë egerunt, ego, quod in ea commentarer, non habui: ſed quia Auctor hoc cap. negat, non ſolum ſe vidiſſe hanc herbam, ſed nil certi de ejus forma adfert; ego quæ de Aſſa fœtida planius comperta habeo, hic vobis ſuppedito.

Itaque planta e cujus radice Aſſa exprimitur, magna quantitate creſcit in imperio Perſico, inter Laram, & Gamaron civitates, quarum prima non longe diſtat à mari, & noſtris mercatoribus, & Anglis etiam, frequentatur. Eſtque hæc planta duorum generum. Prima, ſarmentoſa, ferme ut Salix aquatica, ex cujus foliis, & ſtolonibus inciſis Aſſa fœtida per torcular exprimitur, quæ, ut reliqui ſucci, Sole indurata in conſiſtentiam evadit, qualis eſt Aloës.

Secunda porro Aſſæ ſpecies longe fœcundior exiſtit, eſtque ſuccus expreſſus ex radicibus hujus plantæ, quæ craſſiſſimos raphanos, folia autem Tithymali folia referunt. Hujus generis aliquot radices domi habui, à mercatore Armeno mihi amico donatas, qui illas huc è Perſia detulerat, & etiamſi jam eſſent exſuccæ, tamen tam fortis erant odoris, ut totas ædes fœtore replerent; qui inſuetis vix tolerandus eſſet. Quod Iavani, & Malaii, & cæteri Indiarum incolæ negabunt, ſe quicquam odoratius naribus unquam percepiſſe. Apud hos *Hin'*, hic ſuccus nominatur, eſtque in tam frequenti uſu in cibis condiendis, quam autor hoc cap. refert, ut propter hanc cauſam una ſit cum Opio ex præcipuis mercibus quæ per Indiam diſtrahuntur: & ſemper Societas Indica magnam quantitatem hujus ſucci in armariis habet, quam incolis Iavæ, permutatione aliarum mercium aut pecunia impertiantur.

IN CAPVT IV.

De Opio. Fol. 21.

S*Ecundo paragrapho* hujus Capitis auctor mentionem facit Opii *Meſeri* dicti, quod putat Opium Thebaicum fuiſſe: nam in Ægypto Thebæ iſtæ Centiportæ extitere: & *Meſeri*, & contracte *Miſri*, Ægyptus hiſce incolis, & reliquis Indis, eſt.

Paragrapho 3 inquit, eos, qui Opio utuntur, dormitabundos videri: tamen nil minus quam ſtultæ ſunt hæ nationes in mercaturis exercendis; armis, & arte belli, ab Europæis forte ſuperantur. Certe laudes hujus ſucci è Papavere expreſſi, ſi referrem, viderer Chymicis velle ſuum honorem præripere. Hoc ſaltem dico, ſi nobis de Opio, & Opia-

& Opiatis non eſſet proſpectum, fruſtra in calidiſſimis his regionibus medicinam faceremus, Dyſenteriæ, Choleræ, febribus ardentibus, & reliquis biliosis affectibus orgaſmo turgentibus: & ne vobis fucum videar obtrudere, quid in noſtris regionibus confectiones ex Opio tantopere celebratæ, Theriacam, dico, & Mithridatium; quid denique Philonium? quæ niſi Opio tanquam baſi ſuffultæ eſſent, fruſtra ab iis effectus tam manifeſte juvantes quis expectet. Et profecto inſignis eſt oſcitantia iſta, quæ in abuſum medicamenti, & minus bene præparati, dicuntur, in uſum nobiliſſimi inter omnia pharmaci velle referre, ſine fundamento ſæpe, ac in Scholis ſine Experientia.

Pauperes porro Indi, ex foliis, & ſtolonibus Papaveris, Opii ſpeciem viliorem excoquunt, quam Soli porro indurandam exponunt: hoc medicamentum *Pouſt* vocant, quique eo utuntur, contumeliæ ergo, *Pouſti* à ditioribus vocantur, tamquam ſummœnianos, & proletarios dicas. Pauperiores porro in divites convitium regerunt; eos *Affionii* vocantes, tanquam ſi luxuriam, & delicias vellent exprobrare. *Affion* enim, ac quibuſdam *Amphion*, Arabibus, & Indis, Opium Græcorum eſt: indeque magis adducor, ut credam, Græculos, à vetuſtiſſimo populo vocabulum Opii derivaſſe, cum ab omni memoria illi eo uſi ſint. Græci vero tantum noxas hujus medicamenti videntur noviſſe, uſum verum, & virtutes ejus plane divinas, non ſatis exploratas habuiſſe. Paro ego Extractum utiliſſimum ex Opio, & Croco Indico, id eſt, Curcuma; ad quod in extremis tanquam ad ſacram anchoram confugere ſoleo: in jam ferme deſperatis Cholera, Dyſenteria, Phrenitide, & Spaſmo, admodum frequentibus: ſed hoc melius è *Method. med.* Indica noſtra videbitur.

IN CAPVT V.

De Gummi Benjoin. Fol. 26.

P*Aragrapho* 18, autor ait, Benjoiferam arborem valde eſſe proceram, & vaſtam, &c.

Ego vero Benjoiferam arborem in Iava, ubi optimum *Benjoin* colligitur, longe alia facie vidi, quam qua deſcribitur, immo vero videtur planta, (ſeu ſi arborem appellare malis,) ex pluribus ſarmentis coalita, qualis eſt Smilax aſpera, ſeu Salçaparilla, niſi quod ſarmenta brachii craſſitudinem æquent, vel etiam ſuperent, ita ut hæc in medio ſæpe truncus arboris continuus, ſatis craſſus, appareat. Subtus vero, & ſupra Cœlum per ſarmenta à ſe invicem diſſita liceat contemplari. Sæpe quoque alia virgulta, à Benjoifera arbore ſpecie plane diverſa, hac coalitione includuntur, itaque ſi quis ignarus diverſitatem foliorum in hujus arboris farragine videat, miretur ſane: ſed hoc etiam fieri in trunco Aloës ſeu *Calambac*, poſtea docebimus. Et porro ex hujus ſeu ſtirpis, ſeu arboris, cortice inciſo, ſæpiſſime odoratiſſimi Benjoini gummi fruſta aliquoties collegi.

IN CAPVT VIII.

De Lacca. Fol. 29.

AVtor hic Formicarum iſtarum, quæ Laccam elaborant, mentionem facit, unicum hoc addo, quod Formicæ iſtæ alatæ ſunt, & coloris punicei, & ſuper flores, frutices, arbores, & herbas, circumvolitant, ex quibus, non ſecus ac apes, Laccæ conficiendæ materiam colligunt, & in communes operas conferunt; non alatæ autem Formicæ eam non elaborant.

IN CAPVT XIII.

De Tutia. Fol. 48.

FAllitur vehementer noſter Garcias ab Orta, quod Tutiam è cineribus cujuſdam arboris uri dicat: ſed confitetur, hoc ſe auditu percepiſſe, itaque deceptus fallit alios.

Nam fit ex terra quadam, Argillæ inſtar glutinoſa, quam colligentes Indi, ollis in eam rem ex argilla, longe fortiori, quam in noſtra patria, confectis indunt, & aquam addentes, eam curioſe baculis circumagitant, dein fornacibus in hunc uſum effictis imponunt, & per ignem exſiccata omni aqua, dein terra hac calcinata lateribus prædictarum ollarum, demptis ſordibus quæ in fundo hærent, Tutiam lateribus affixam abradunt, quam arcis incluſam venalem ferunt per totam Indiam, ejus enim uſus eſt in depilatoriis apud haſce gentes, præſertim fœminis, dum ſe in balneis, vel fluviis lavant.

In Perſiæ autem Provincia, *Kirmon* dicta, hujus terræ argillaceæ, ex qua Tutia coquitur, à Perſis, & Armeniis mercatoribus, qui negotiandi cauſa huc advehuntur, magnam copiam reperiri non ſemel audivi, qui etiam ut lucrum ex Tutia, quam Perſica lingua *Tutyah* vocant, uberius faciant, eam diſtribuunt in lapidem *Tutyah*, & in pulverem ejus magis vilem, quam ſeorſim volentibus tum divendunt.

IN CAPVT XVI.

De Agallocho ſeu ligno Aloës, Calumbac *Indis dicto.* Fol. 64.

LIgnum Aloës præterquam quod in Inſula Sumatra, directo in conſpectu Iavæ ſita, naſcatur: etiam frequens oritur, & optimum in *Champac*, vicina Chinæ regione, & in *Chochin china*. Ac quod cortice nudatum hinc in patriam feratur, non ideo evenit, quod ſine cortice creſcat: ſed quod ſæpe quaſi uno trunco etiam diverſæ ſpecies virgultorum, & ſtirpium, temporis diuturnitate coaleſcant, haud ſecus quam in Benjuifera arbore fieri diximus: nam hoc mirum nobis videri non debet, cum ſciamus, per artificium etiam diverſæ ſpeciei arbores alienæ ſpeciei inſeri. Cæterum hoc modo Incolæ lignum Aloës, ab aliis virgultis & ligno ſeparant. Truncos Aloës cæſos deponunt in ripis fluviorum in cœno & luto, ut diverſi generis lignum carie conſumptum ſe à ligno *Calambac*, ſeu Aloes ſeparet, unde cortice *Calambac* conſumpto, qui tam oleoſus non eſt, quam ipſum lignum, quod præterea minus teredinibus ac putredini obnoxium eſt, tale, quale in officinis in patria, ad nos quoque defertur. Lignum hoc porro Aloes guſtu plane aromaticum eſt & ſubamarum, unde forſan Aloes nomen mutuatum eſt. Pulvis ejus ad ſcrup. unius pondus ſumptus Choleræ prodeſt, quam *Mordexi* incolæ vocant, & omnibus inteſtinorum affectibus frigidis, & ventriculi medetur egregie. Tum tineas, & aſcarides puerorum efficaciter necat. Chinenſibus porro & omnibus Mauris ethnicis in ſacrificiis pro ſuffumigio eſt.

IN CAPVT XVII.

De Santalo. Fol. 68.

P*Aragrapho tertio* auctor noſter refert, pallidum & flavum Santalum, plurimum in *Tymor* inſula naſci, de quo hoc porro memorabile certo accepi, è mercatoribus noſtris, advehendi Santalini ligni gratia, eo commeantibus, In hac inſula naſci febris continuæ & ardentis quandam ſpeciem, quæ ſit è Synochi putridæ genere, cum delirio & mentis alienatione mira; durante namque exacerbatione, quæ plerumque quatuor eſt horarum (nam hoc obiter ſciendum eſt, quamvis ad apurexiam hæc febris non perveniat: tamen exaſperationes ſuas habere, non ſecus ac tertianas continuas), ridiculas admodum actiones ægri edunt, id opificii, vel muneris imitantes, quo ſani functi ſunt (ut latius in *Method. medendi* mea Indica) & aſtantibus riſum excutiunt. Tenentur quoque bulymo, & fame canina inſatiabili, ut quicquid iis obtuleris, etiam

fœdum, (ut mos eſt nauticis noſtris ſociis eo genere ſcurrilitatis delectari) avidiſſime devorent: extra exaſperationem eam, cætera ſani, & mentis integræ. Hunc porro affectum ortum ſuum trahere ex recens cæſarum arborum Santali, cortice viridi, incolæ certo certius affirmant: nam cortex tum viroſi neſcio quid expirat, & cerebro inimici, tum cito in corporibus cacochymis, & pejoris diætæ, ut ſunt nauticorum noſtrorum, tales effectus edit. Sed latius in præd. *mea Meth.*

Antequam cedantur arbores Santali, cortice inciſo exploratur ab expertis odor, num maturæ ſint & tempeſtivæ ad ſecandum. Auctor porro, Santalini fructus ait eſſe Ceraſi magnitudine, baccas lauri non male referunt, nam exſiccatas habui, & maſticati purpureo & morino colore inficiunt. Fructus hi avide comeduntur à Turdorum quadam ſpecie, ut baccæ Orni in patria, quos denuo per alvum excernentes, arva & montes novis arboribus conſerunt, ita ut quamvis tanto tempore tot millia arborum cæſa ſint à Luſitanis & noſtris, tamen Sylvæ nunquam deficiant.

Porro cum Auctor mentionem hic faciat unguenti ex Santali pulvere; Ego hujus compoſitionis uſum, in gratiam tironum Medicinæ ſubjiciam, & primum hoc modo paratur. ℞. Santal. tenuiſſ. moliti, florum *Champoc*, florum Mogori, ana m. I. his parum contuſ. adde rad. Curcum. unc. ij. camphor. q. ſ. ad gratum odorem: hæc omnia in plano marmoreo lapide piſtillo ſubigunt, addendo ſub finem olei nucis Indicæ recentis, q. ſ. Vng. formant in pultis conſiſt. Hoc inungunt tam viri, quam mulieres Malaicæ totum corpus, & quamvis propter flavum colorem, quem è Curcuma contraxit, primo aſpectu fœdum ſit; tamen ſuaviſſimo & ſaluberrimo odore nares ferit. Prodeſt vexatis à Solis, vel etiam à febrili æſtu, rigorem quoque in febribus tollit, & nimias vigilias arcet, impoſitum quoque regioni ventriculi choleram ſiſtit, corroborat. Quæ latius in præd. *Meth.*

IN CAPVT XX.

De Maci. Fol. 79.

FEruntur è Banda, Moluccarum inſula, grandia vaſa fictilia huc, perque reliquos aliquando (cum permiſſione Superiorum) inſularum circumjacentium tractus, plena Nucibus myriſticis, aceto ac muria condita: nam ſine permiſſu nullo modo efferre licet, quod inſulæ Bandenſes noſtris armis ſubactæ provincia Batavorum factæ ſint. Nuces has maceratas per diem unum, aut alterum, dein leviter excoctas, ſaccharo condimus.

Cæterum de Cortice nucis hujus condito hoc dictum ſit, ac de nuce quoque ipſa, iis parcius in his locis eſſe utendum, quoniam oleoſi, & pingues vapores ex eſu ejus in cerebrum elati, obſtructionem ventriculis cerebri afferunt, ac inde ſomnolentiam, immo ſtuporem quendam univerſis ſubjectis membris inferunt. Et quod majus eſt, ex nimio hujus Nucis uſu aliquot periclitari vidi, qui amplius quam per diem naturalem ſine ſenſu, & motu jacuere, tanquam Caro correpti, certiſſimo indicio cerebrum, & univerſum nervorum genus non leviter correptum fuiſſe. Præterea incolæ in Banda, & jam etiam noſtrates, ex viridi cortice Nucis Myriſticæ pultem excoquunt non inſuavem, quæ ferme ſapore refert iſtud ferculum, quod in patria conficitur ex pomis acidis coctis: ſed qui ea pulte uſi ſunt, ex fide mihi retulere, ſtuporis & ſomnificos jam dictos effectus edere.

IN CAPVT XXII.

De Pipere. Fol. 86.

NOn tantum Piper provenit in *Malabar*, ut Auctor, 10 *paragrapho*, ait: ſed maxima etiam quantitate naſcitur in Regno Iava, præſertim in Bantamenſi provincia: Præterea creſcit abunde in Iambienſi Sumatræ tractu, qui peculiarem Regem obtinet non ſubjectum imperio Regis Achinenſis, qui potentiſſimus hujus inſulæ Tyrannus. Ex hac provincia ab amico Rege, noſtræ naves quotannis bis terve petunt.

Quod porro Autor, *paragrap.* 11. fol. 89, inquit, aceto & muria condiri piperis racemos virides, verum eſt. Ac quia aliquoties repetendum erit, id conditura genus Indi generali

nerali vocabulo *Achar* vocant. Ac tali modo condiuntur etiam Zinziber viride, radices Galangæ, Caryophyllorum racemi. Hoc modo etiam ſaliunt Cucumeres juvenculos, quos Agurcas Luſitani vocant; præterea Mangas, addito Cæpe, Allio, & Porro. Et certe in his locis, ad orexin excitandam, & ciborum concoctionem, nihil ſanius reperiri poteſt. Cum propter aëris in hoc climate calorem ſimul ac humiditatem, ſubjectæ Capiti partes, ut ſunt Pulmones præcipue, & Ventriculus, aſſiduis Catarrhis infeſtentur: ad hunc uſum Geniſta quoque hic creſcens & Cappares è Perſia, & Surate, adferuntur huc.

Autor porro, hujus Capitis *parag.* 12, refert ridiculam Indorum de Piperis qualitate opinionem, quam etiam Iavani confirmant, nimirum quod frigidum ſit Piper, credo, forte ea ratione, qua quondam quidam perverſi Sophiſtæ argumentabantur, ignem frigidum, & nivem ſeu glaciem, calidam eſſe, vel ut Hyperbolice *Poëta* ait, *Penetrabile frigus adurit*: Contra quos tamen, bene monet *Ariſtoteles*, non eſſe diſputandum, niſi ſola experientia; niſi forte vellent, nimio ejus uſu, calorem nativum diſſipari, & debilem inde reddi: aſt illi (credo) tam alte non philoſophantur.

IN CAPVT XXVI.

De Nuce Indica, Coquo *Luſitanis dicta*. Fol. 120.

C*Arolus Cluſius* in annotationibus ad hoc Cap. fol. 119, refert, Solere Indos foliis hujus palmæ inſcribere literas ſuas; immo, quod vero propius, literas hiſce foliis oblongis inſculpunt ſtylo ferreo, atque id adeo artificioſe faciunt, ut vel elegantiſſimum ſcriptorem è noſtris longo intervallo poſt ſe relinquant, & tam emendate characteres ſuos Indi (Arabicis autem utuntur) hiſce foliis imprimunt, ut ſubiraſci mihi aliquoties contingat noſtris Europæis, & præſertim noſtræ Nationi; quæ ferme nil niſi ſua admirantur, & has Nationes, Barbaras vocitant, cum multo ſignificantius paucis characteribus, more Laconum, animi ſui ſenſum exprimere queant, quam noſtri longis periodis, & verborum farragine inutili. Præterea quamvis Regum in Iava videatur Tyrannicum imperium: tamen id ita pro conditione gentis ſuæ politice gerunt, ut aliquis, cui non cornea fibra eſt, neque de genere eſt Arcadici pecoris, hic ſatis cito addiſcere queat, compendioſam politices viam eſſe, Regibus, bene imperare; & ſubditis, melius obedire.

IN CAPVT XXXII.

De Calamo Aromatico. Fol. 125.

PRæter uſus excellentes, quos præſtat in Medicina Calamus aromaticus, hoc Cap. deſcriptus, etiam Malaicis mulieribus in culina inſervit, in condiendis piſcibus, & carnibus elixis, cum radicibus Zinziberis recentis, radice Curcumæ, & Galangæ, & reliquis Aromatis; & ſic cibis odorem, & ſaporem ſuavem conciliat, & concoctioni ventriculum, & inteſtina apta efficit. Cæterum, ut hoc parerg*ως* dicam, hæ nationes, quantumvis noſtris Barbaræ vocatæ, Polonos, & Germanos in condiendis piſcibus ſuperant, qui tamen hic palmam ſibi vendicare non erubeſcunt.

Cæterum Auctor ait, Calamum aromaticum, nec Galangam, nec Acorum eſſe; bene quidem cum Acorus, & Galanga, quantum ad folia, potius ad Gladioli ſpecies debeant referri, & Calamus aromaticus ſit Gladioli ſpecies.

IN CAPVT XXXIII.

De Nardo. Fol. 128.

NArdus Indica in Iava, magna quantittae, creſcit, ejuſdem in culina apud Iavanos uſus eſt, qui Calami aromatici, & Iunci odorati: nimirum in condiendis juſculis piſcium, & carnium elixarum. Plantam Nardi viridem hactenus non vidi,

vidi, quod in montibus circiter 14 Leucas ab urbe Batavia creſcat, & eo propter prædones Iavanos, & Tigrides, excurrere non audemus. nos, non ſecus ac Calendulæ flores exſiccatos in patria, Nardum infundimus in aceto., & dein Syrupum quoque inde conficimus adverſus frigidos viſcerum affectus, Hepatis nimirum, Lienis, & Meſenterii obſtructiones, quæ poſtremæ adeo frequentes ſunt, ut hinc miſere multi extabeſcant & maraſmo moriantur, ſine dolore tamen, & pauco ſenſu, de quo latius in *Method. Med.* mea. Acetum porro, & Syrupum hunc Nardinum, (certo mihi conſtat) ad morſus venenatorum, ut Serpentium, Scolopendrarum, Scorpionum, & ſimilium, valere impoſita, vel intus ſumpta: quod experimento comperi, præcipue in uno, qui morſus erat à ſerpente quodam, quem Luſitani *Cobra de Capello* vocant, atque hujus morſus adeo venenatus, ut certe Luſitani hunc Regulum ſeu Baſiliſcum eſſe putent, ſed de eo aliquid inferius dicemus.

Sequenti cap. de Iunco odorato nihil addo, quam quod Autor fallatur, qui dicat, Iunci odorati nullum alium eſſe uſum apud Indos, quam ſubſternendis equorum cubilibus, cum etiam eo in culina ad condiendos cibos, ut Calamo aromatico, Indi utantur, quapropter etiam, quamvis in ſylvis copioſe creſcat, ſtudioſe à mulieribus Malaicis in hortis colitur, tum quoque ad lavacra, fomenta, inſeſſiones, utiliſſimus eſt; ut & ad omnes muliebres affectus. & cum ſit graminis ſpecies, ſimpliciſque, & vulgaris Graminis uſus, in multis tantopere commendetur, quis neget, Gramen hoc plane aromaticum vires longe excellentiores poſſidere.

IN CAPVT XXXV.

De Coſto. Fol. 137.

AVtor hoc Capite tantum unicum genus Coſti eſſe aſſerit, quod & ego affirmo: nam vetuſtiores Medici, ſua tria Coſti genera diſtinxere magis à carie, & vetuſtate corrupta, quam à Coſto. Coſti porro radices huc è Cambodja plenis ſaccis adferuntur, cum plurimus ejus uſus ſit in medicamentis apud omnes Indos, & Chinenſes præcipue. Cæterum Coſtus vulgato vocabulo inter mercatores Indos *Pucho*, Chinenſibus *Potſiock*, vocatur. Notas omnes hæc Coſtus habet, cum ea, quæ hoc Cap. deſcribitur. Cum ego primum radicem Coſti viderem, putavi eſſe Hellebori albi radicem, & niſi me odor monuiſſet, in ea opinione adhuc hæſiſſem, quia Coſti radice per medium ſecta, tot initia fibrarum, quot in Hellebori radice, reperies: Adulterari porro radicem hanc, ut Autor ait, non credo: nam vidi ego integrum *Picol*, quod pondus centum, & viginti ℔, in auctione decem realibus diſtribui.

Autor ſequenti cap. xxviii, de Radice Chinæ, multas & veras laudes refert. Quibus ego hoc tantum addo: quod hæc radix non tantum ad affectus Venereos utilis ſit: ſed & ad omnes Chronicos morbos, qui hic communiter graſſantur, ut ſunt Cachexia, Leucophlegmatia, Hydrops, denique Paralyſeos ea ſpecies, quam *Beriberii* in Meth. mea Indica Medendi vocari dixi, ad quam curioſum remitto, quod in me ipſo, dum moleſtiſſimo hoc malo per quatuor menſes decumberem, expertus ſum, cum ante ejus uſum neque pedes, neque brachia, commode movere poſſem, quod & in plurimis aliis experientia didici.

IN CAPVT XLIV.

De Ligno Colubrino. Fol. 145.

AIt hoc Capite Autor, Lignum Colubrinum valere adverſus circuitus febrium intermittentium; hoc verum eſſe non ſemel experientia didici, præcipue in Tymorenſibus febribus cum delirio, & ſæpe phrenitide, conjunctis, de quibus, & de earum cura, alibi. Lignum Colubrinum hoc vehementer denſum eſt, &, ſi quando Indi velint eo uti, fricant fortiter cum aqua in marmoreo lapide, & friabile cum ſit, teritur facile, ac ſic cum aqua aut alio liquore ægro exhibent, guſtu eſt longe amariore, quam lignum Aloës; valet quoque ad tineas, lumbricos, & aſcarides, & potenter ictibus venenatorum animalium reſiſtit.

Para-

Paragrapho porro *tertio*, mentio fit Serpentis cujuſdam, quem Luſitani *Cobra de capello* vocant; hi Serpentes, cum irritati ſunt, duas bullas in cervice erigunt flavo colore, quales Ranæ iſtæ paluſtres coaxantes, in temporibus attollunt, & hæ bullæ forſan coronæ ſpeciem Autori fecere. Cæterum ſerpens non multo craſſior eſt digito minimo auriculari humano, in tergo colore eſt nigro: in ventre fœde flavo.

Quod *ſeq. paragr.* dicitur de pugna Viverræ cum hoc Serpente, non adeo diſſonum eſt, cum ego ſæpius à Felibus occiſos viderim; ſed nunquam de carnibus eorum guſtant, cum reliquos Serpentes, præſertim aquaticos, avide devorent. Signo inter cætera evidenti, quam viroſum ſit hoc inſectum. Vidi enim Maurum quoddam Arundineti genus cædentem, quod *Rottang* Indi vocant, & eo omnia ligant, ut apud nos hoc funibus fit, quorum vicem ſupplet, & dum imprudens unum ex Serpentibus his lædit, ab eo morſu in muſculo pollicis eſt petitus, veſtigio vix exſtante, & cum, ne venenum altius ſerperet, brachium ipſi arctiſſime ligaretur, & ille præ dolore vinculum laxari obnixe oraret, hoc facto ſtatim miſer expiravit, corpore fœdum in modum intumeſcente, tanta erat vis veneni ad cor momento penetrantis.

IN CAPVT XLV.

De Lapide Bezahar; Perſis, Pa-zahar. Fol. 165.

P*Aragr. Secundo* hujus Cap. Autor ait, Lapides Bezahar paleam, vel quid tale, intus habere, quod nunquam fallit, niſi in adulterinis, &, ſi ſuperficiali tunica abraſa, non ſuccedat alter orbis, cæparum modo, donec ad paleam iſtam deventum ſit, fictitius eſt lapis procul dubio: ſed ſequenti modo ejus adulterium melius percipitur. Si lapidem frices pauca calce, &, ſi in loco fricato puniceus color appareat, conſtat verum eſſe, & genuinum: ſecundo, ſi ponderatum accurate lapidem conjicias in pelvim aqua repletam, & poſt duas aut tres horas eundem eximas & rurſus ponderes, ac nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit, verus eſt lapis Bezahar: verum ſi calce fricatus rimam ducat, aut ſi aquæ exemptus, de pondere amiſerit, vel eo auctus fuerit, falſum & adulterinum eſſe, audacter dicito.

Paragr. 6. Garcias inquit, lapidem hunc non ſolum generari in Perſia, ſed etiam in aliis commemoratis locis: ſed quoniam nullus, quod ſciam, ante me verum etymon hujus lapidis edidit, nec quomodo, aut ex quo, generetur; paucis auſcultate rem. Perſæ igitur hunc lapidem vocant *Pa-zahar*, compoſito vocabulo ex *Pa* & *Zahar*, quorum prius ſignificat *contra*, & ſecundum *venenum* nominatur, ac ſi Græco vocabulo *antidoton* dixeris; perſpicitur quam fallax ſit iſta Etymologia, quia *Pazar*, vel *Bazar*, lapidem hunc dictum volunt, cum nullus unquam eum venalem in foro viderit. Naſcitur hoc porro modo lapis *Bazar* in Perſia, ut ab Armenis, & Perſis mercatoribus fide dignis certo accepi. Eſt locus in Perſia *Stabanon* dictus, trium dierum itinere ſupra Laram civitatem celebre in Perſia Emporium, in cujus campis naſcitur herba quædam Croco, & Hermodactylis admodum ſimilis, ubi caprarum copia paſcitur, in quarum ventriculis ex eſu hujus herbulæ hi lapides concreſcunt, qui apud Reges Perſiæ in tanto pretio ſunt ſupra reliquos, qui in aliis locis gignuntur, ut magnus Xaabes, Imperatorum Perſarum ultimus, mortuus anno 1628, inibi vigiles locaverit, ut omnes iſtos lapides *Bazahar* qui certum pondus excederent, ſibi vendicarent: Itaque, quod cauſa materialis hujus lapidis, ſit cauſa ſupra dicta, non ſolum Armeni, & Perſæ mercatores mihi retulere: ſed idem ferme affirmat *P. Texeira*, Luſitanus, in tractatu ſuo eleganti, quem Hiſpanica lingua conſcripſit, de rebus geſtis Regum Perſiæ, qui inquit, Inſulam quandam eſſe inter *Ceylon* inſulam, & terram continentem *Chormandel*, quæ à Luſitanis *Iſla de Vacas* vocata (quod inſulam vaccarum ſonat) noſtris naucleris etiam optime nota, in qua etiam naſcitur copia prædictorum lapidum, quam ob cauſam etiam ibi multæ capræ paſcuntur. Atque idem autor ait, quod anno 1585, hanc inſulam maxima & horribilis inundatio invaſiſſet, & etiam totam continentem terram *Chormandel*, ita ut hæc inſula tota ſubmerſa fuerit, quæque ſervari inde capræ poterant, alio tranſlatæ, deſierunt gignere iſtos lapides, quod prædicta herba ibi non creſceret: ſed elapſis paucis annis, cum inſula ſalſugine maris liberata, rurſus hanc herbam produceret, capræ ejuſmodi, iterum eo tranſlatæ, lapides hos, ut ante, produxere. Hæc mihi vobis commu-

communicare viſum eſt, quoniam & mercatores noſtri, & Angli, idem certo confirmant. Cæterum quantum ad hyperbolicas hujus lapidis virtutes, & facultates portentoſas, non tantas in eo mille experientiis edoctus inveni, alioqui etiam natura non pronus ſuperſtitioſas medicamentorum facultates facile admittere, niſi experientia id verum invenerim. Quoque id magis credatis, lapides hi miſeris Hircis, & Capris, tam moleſti ſunt, quam hominibus lapides veſicæ, & renum. Capræ iſtæ non abſimiles valde ſunt Capris Europæis, niſi quod habeant erecta, & longiora cornua, & quædam ex iis verſicolore ſunt pelle, ut Tigrides pulchro aſpectu, quales duas in arce Batavia noſtra quotidie videmus; itaque hæ Capræ prout magnum lapidem, aut parvum gerunt, unumque, aut plures, eo moleſtius, vel citius incedunt, quod aſtutiſſimis Armenis, & Perſis perbene notum eſt. Porro vidi & lapides *Pazahar* natos in ventriculis Simiorum, qui teretes ſunt, & longitudinem digiti aliquando excedunt, qui præſtantiſſimi omnium cenſentur.

IN CAPVT XLVI.

De Lapide Porcino. Fol. 168.

Lapis iſte Malacenſis, cujus autor hic tranſitorie meminit, in memoriam mihi revocat alterum lapidem quendam genitum in Felle Porcorum, aut etiam Ventriculis Hyſtricum, oblongis pinnis præditorum, quem Luſitani propterea *Piedra, de Puerco* vocant, mollis, & pinguis eſt attactu, ac ſi ſaponem Hiſpanicum tractes. ego duos domi habeo, unum parvulum ex Hyſtrice, alterum ex Apro, exciſum. Infunditur hic lapis in vino adverſus choleram, quam *Mordexi* Inſulani vocant, & hic tantopere timetur, quam peſtis in Hollandia, utpote quæ hominem aliquando ſoleat occidere pauciſſimis horis: Prægnantibus tamen hic lapis non bene datur: nam abortum provocare adeo certum eſt, ut fœminæ Malaicæ mihi retulerint, ut ſi quando menſtrua eorum purgatio non bene procedat, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent juvamentum ſe inde ſentire. Sed profecto mihi conſideranti judicium humanum de omnibus hiſce concretis lapidibus in ventribns, & cavitatibus animalium rationis expertium, ridiculum mihi videtur, lapidem concretum in veſica humana, & ſæpe è renibus elapſum, & per penem redditum, in nullo pretio haberi, cum homo non tantum ſit animal longe nobiliſſimum, & qui delicatiſſimis cibis veſcatur, & certe quod dixi, de circulis iſtis inſtar cæparum in lapide *Pazahar* repertis, ſimiles circuitus & orbes in lapide humano videre eſt. Et ut propius ad externam ſuperficiem pervenias, ut lapides *Bazahar*, friabilior, & mollior eſt, donec ad parvum nucleum circulis his incluſum pervenias, qui rubro ſuo colore non obſcure lapidis originem è renibus eſſe oſtendit. Nil porro de his lapidibus addo, ne videar eos elevare, & lithotomos monere, ut vel cum periculo plures mortales ſecent. Hoc certe compertum habeo, lapidem in veſica hominis repertum, urinam & ſudores probe ciere, quod tempore ingentis illius peſtis, quæ anno 1624, & 25, Leydam patriam meam; & reliquas Hollandiæ civitates, miſerandum in modum vaſtabat, in penuria lapidis Baſaartici nos exhibuiſſe memini, & ſudorificum (auſim dicere) melius, & excellentius inveniſſe, cum admixta Theriaca, aut Mithridatio, cum olei Succini, aut Iuniperi guttis aliquot.

In Lib. II, Garciæ ab Orta, De Planta quadam Indica, Iac. Bont. Animadverſio.

IN CAPVT I.

De Arbore triſti dicta Pariz.

QVod hæc arbuſcula noctu flores expandat, inde eam Luſitani *Arvore da Notte* vocant, copioſe in Iava floſculos ſuos albos profert, quos ſervi venales in urbem ferunt, faciendis corollis, & intertexendis capillis mulierum Malaicarum.

Par. 6, Auctor mentionem facit florum *Fula Mogori* dictorum: hi flores in arbuſtis creſcunt non ineptis texendis ſepibus, humanam altitudinem vix hoc arbuſtum excedit, flores quoque albos fert odore gratiſſimo, & aſpectu longe pulcherrimo. Stillaticius porro liquor ex floribus arboris triſtis, & hac arbuſcula, igne elicitur, qui cordialis admodum eſt, quocirca ad Lipothymias, quæ in febribus continuis, Cholera, & Dyſenteria, crebro accidere ſolent, ſummum adjumentum præſtant.

Paragr. 7, Autor mentionem facit florum ſibi *Champe* dictorum, Iavani autem cum arbore eos *Champacca* vocant. Arbor eſt mali Perſici folio, ſed craſſiori paulo. Flores porro colore inter ſeſe variant: nam alii ſunt è colore viridi dilutioris, ut potius primo aſpectu ab arbore avulſi, faſciculum foliorum mentiantur: ſed pediculi intus in calyce, quales ferme in roſis, flores eſſe declarant. Sunt & hujus arboris flores, alii colore aureo ſubflavo (quem colorem noſtri *Oragne* vocant) uterque flos æque eſt odoratus admodum, verum caput gravat, non ſecus ac Camphoræ odor inſuetis gravis eſt. Indos quoque autor ait bonis odoribus eſſe deditos. Vt & reliqui, qui Mahumetis ſectam ſequuntur omnes, ita ut nunquam ferme mulierem Indicam in publicum prodire videas, quam cum hiſce floribus, capiti vel capillo (ut dixi) impoſitis, ut gratiores maritis, vel ſæpe, amatoribus, ſuis occurrant.

FINIS LIBRI QVARTI.

IACOBI BONTII

HISTORIÆ NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER QVINTVS,

De Quadrupedibus, Avibus, & Piſcibus.

Quæ nova fertilibus progignat Semina Terris,
Et quidquid pandat divite Iava ſinu:
Et queis vicinum natitetur Piſcibus Æquor:
Quæ vacuum pennis Aëra pulſet Avis:
Et quis ſquamiferis proſerpat in orbibus Anguis:
Denſa Feras umbra quas quoque Silva tegat.
Heſperidum & pulcros vis contemplarier Hortos?
Me lege, & electo Codice doctus abi.

CAPVT I.

De Abada, *ſive Rhinocerote.*


GArcias ab Orta, Medicus Proregis Goënſis, Lib. 1. Aromatum, cap. 68, confitetur, ſe nunquam conſpexiſſe Rhinocerotem. Ego eum vel millies vidi, tam cavea incluſum, quam aliquando in ſilvis ad paſturam euntem: Quantum igitur in me eſt, hoc animal ad vivum hic deſcribam, ut pictorum error eluceat, qui illud ſcutatum, & ſquamis obſitum, ob oculos ponunt. Cute eſt è nigro cinericea, qualis color etiam conſpicitur in Elephantis, & Bubalis Indicis: glabro eſt corpore, vel pauciſſimis pilis obſito: cutis porro rugoſa plane eſt, & plicis ſuperinducta, quæ ſcuta & clypeos iſtos mentiuntur, quos ipſi pictores affingunt, ſed revera pellis eorum, ut aliorum animalium, non eſt diſcreta, ſed continua; Corium autem tam craſſum eſt, ut machæra Iaponica illud vix diſſecare quis valeat. Roſtro eſt Suillo, non tamen tam obtuſo, ſed acutiore, & ſuper foraminibus narium, id tam famoſum Cornu conſpicitur, unde lingua Græca etiam hæc Bellua nomen ſortitur. Colore id Cornu plerumque eſt nigro, ſæpe cinericeo, aliquando, licet rarius, albo, quod etiam multo carius, quam reliqua, venditur.

Magnitudine Rhinoceros & corporis mole facile Elephantem æquat, ſed pedibus brevioribus non tam conſpicuum animal oſtendunt. Quoad naturam Rhinocerotis, innoxium eſt, niſi laceſſitum; ſed tum crudeliſſimum eſt, non ſolum in ipſos qui eum offendunt, ſed in quæque obvia, arbores totas proſternendo cum ingenti fragore: quod ſcite Martialis expreſſit lib. 1. Epigramm. 22, hiſce verſibus:

Sollicitant pavidi dum Rhinocerota magiſtri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ,
Deſperabantur promiſſi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor;
Namque gravem gemino Cornu ſic extulit Vrſum,
Iactat ut impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Idem

RHINOCEROS.



CRANIVM RHINOCEROTIS.



Idem Martialis id eod. lib. Epigr. 9, adhuc clarius enarrat, hiſce verſibus, quibus (prout tum crudelia tempora erant) Domitiano adulatur:

Præſtitit exhibitus tota tibi, Cæſar, arena,
Quæ non promiſit prælia Rhinoceros,
O! quam terribiles exarſit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Vbi porro hominem proſtravit, aſperrima ſua lingua illum lingendo enecat, tum cutem & ſubjectam carnem abradit uſque ad oſſa; hinc etiam ſpinis ac vepribus libentiſſime veſcitur;

Lingua vivum occidit lambendo Rhinocerotis,
Aulica falſidici ſic quoque lingua necat.

Animal hoc, crudivorum non eſt, ut Tigris, de cujus amicitia cum Rhinocerote proxime agemus: Cæterum de irritatæ beſtiæ furore aliquid addam, quod nuperrime accidit Secretario noſtræ Civitatis Theodoro Iemmingio, qui cum nuper duobus aliis comitatus eques in ſilvam exiiſſet exſpatiatum, in paludoſo loco in Rhinocerotem cum catulo ſuo incidit (nam hoc animal non ſecus cœno, quam Porci & Apri, libenter volutatur) qui illis viſis ſurrexit, ac tarde recedens præ ſe agebat catulum ſuum ſilvam verſus, qui cum laſciviens aliquando reſtaret, mater ipſum roſtro protrudebat. Interea quidam ex eorum conſortio præ temeritate, equo inſidens, belluam inſequitur,

ſequitur,& exerta machæra, quam gerebat, Iaponica, poſteriores partes Rhinocerotis ferit, ſed ictibus non penetrantibus, propter cutis craſſitiem, aliquot ſtriæ albæ in tergo & natibus beſtiæ apparebant. Quod patientiſſime Bellua ferebat, quouſque Catulum ſuum inter vepres & ſalicta, occuluiſſet, tum enim repente converſa in equitem noſtrum, cum immani grunnitu, & ſtridore, ejus caligis mordicus apprehenſis, eas mordicus diſcerpſit, materia levi, utpote Bombycina, ſequenti, alioqui plane actum de eo fuiſſet: ſed equus forte prudentior aliquanto ſuo rectore, retro ſaliit, & in fugam convertitur, inſequente ipſos omni vi Rhinocerote, proſternendo cum horribili fragore arbores, & quicquid obvium ipſi impedimento eſſet. Dum noſter eques devenit in eum locum, ubi ſocios reliquerat, quibus viſis, Rhinoceros, eo derelicto, alios impetit, qui furorem belluæ declinantes, poſt duas ingentes arbores ſe abſcondiderant, vix duos pedes intermedia rima à ſe invicem diſtantes, & ſive hoc felici eorum fato, ſeu ſtupore huic animali ingenito, evenerit, beſtia ſolummodo per iſtam rimam ſummo conatu ſibi viam quærebat, & arbores, non ſecus ac arundines, tremere faciebat; ſed tamen craſſities earum, frontis ipſius impetum infringebat. Interim dabatur eis locus Sclopeta ſua explodendi (quæ propter latrones Iavanos, ibi tum temporis vagantes, unicuique gerere mos erat) & belluam adactis aliquot ictibus per cerebrum feriendi, & ſic beſtiam immanem proſtravere, ſuppetias ferentibus Mauris ſervis, qui iſtuc à dominis ſuis lignatum miſſi erant, qui animal hoc porro dolonibus, & ſecuribus contrucidavere: Sed hoc erat vere excitare Crabrones. Porro, ut cum Plinio finiam, is refert lib. natural. hiſtor. 8, cap. 20, hæc verba: Pompeius primum Rhinocerotem Romæ in ſpectaculis ſuis & ludis exhibuit, dicitque porro longitudine fere Elephanto eſſe parem: Sed crura ipſi longe eſſe breviora, inde quoque non tam conſpicuum eſt animal, quam Elephas, qui altis pedibus, & cruribus inſiſtit.

Quidquid de Elephantum docilitate dicitur, verum eſt: ac deſino, ſi prius Plinii & Æliani errores detexero, qui inflexibiles pedes, & crura ſine flexuris Elephantes habere ſcribunt, quod adeo falſum eſt: nam præterquam quod homines tantum circa crura ac femora, articulationes habeant, Elephantibus præterea flexuræ in medio tibiarum ſunt. Proboſcide porro (ut bene Plautus) tanquam manu utuntur in cibo capiendo, & ea in os ingerunt. In Iava, quod ſciam, non producuntur, ſed quidem multi & magni in Sumatra, quæ nobis è regione in conſpectu jacet.

Annotatio. Quia autem graphice depinxit Autor celebrem hunc Rhinocetem, & non niſi cranii à trunco avulſi iconem exhibuit. Operæ pretium duxi totius animalis picturam acquirere, ut poſthac ſimul errandi occaſio auferatur. Quapropter elegantem & genuinam hanc belluæ effigiem ad vivum in Indiis depictam favore præſtantiſſimi Viri, Ioannis Wtenbogaert, in Amſtelodamo Hollandiæ Quæſtoris, hic offero. Cæterum non indignum quoque notatu, quod in diſſectione capitis in cerebro repertus ſit lapis, ann 1650, huc ex Iava allatus: Viſu non imbellis, tactu admodum glaber, durus, ponderoſus, uncias circa duas pendens; pollicem fere longus, gibboſus, reniſque Porcelli figuræ æmulus, utraque extremitate obtuſus, exterius coloris coracini, interius ex ſpadiceo undulatus: de cujus uſu altum mihi ſilentium, donec qualitates penitius per experientiam revelatæ fuerint.


CAPVT II.

De Tigride.

QVoniam Tigris in patria noſtra, magis fama, ac ſcriptis veterum innotuit, quam viſu, & quia multa de hac ferociſſima Beſtia, veritati minus conſona feruntur, ego propter viciniam, quæ nobis, quamvis invitis, cum hac fera intercedit, eam paulo exactius deſcribam. Primum itaque quod Plinius diſertis verbis ait lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 18, quod Tigris ſit animal tremendæ velocitatis, manifeſtus in eo eſt error: nam è contra beſtia tardigrada eſt, & propter eam cauſam magis homines appetit, quam carnem Bubalorum, Cervorum, & Aprorum, & reliquorum animalium, quæ hic paſſim in Sylvis, ut feræ, vagantur. Tum Tauros, & Vitulos feros reticeo; quorum in Inſula Iava ingens eſt copia; nam hæc animalia, niſi ex inſidiis impetantur, facile ferociam hujus feræ effugiunt pernicitate ſua, quapropter quicquid

horum

TIGRIS.



horum venatur Tigris, ex inſidiis hoc facit, dum latens inter vepreta, & ſalicta, in prætereuntes beſtias ſaltu tranſverſo irruit. Quod ſi aberraverit, ſemel rugiens recedit, & circumit Sylvæ aliquot ſpatium, ubi rurſus eas beſtias præterituras obſervat: Vnguibus præterea prædam ſemper ferme in cervice ferit, ac unico ictu, quodvis valentiſſimum, & robuſtiſſimum animal, humi proſternit, & exſucto cruore, cujus appetentiſſima eſt, cadaver reliquum in Sylvas trahit, ut carne ſe exſatiet. Itaque Tigris libenter degit, ubi homines ſcit verſari, qui odore non ſunt tam acri, quam prædictalia, anima tum quod homines pernicitate pedum ipſum effugere non valeant. Ego Tigridem è Felium genere eſſe dixerim: nam præterquam quod capite, & reliquis membris, Tigridem egregie referant, etiam moribus cum ipſa plane conveniunt: nam Felis quoque (ut notum eſt) unico ſaltu Mures & Glires impetit, ac unguibus prius ipſos necat, quam devoret. Hoc clarius patet in Felibus magnis verſicoloribus iſtis, quæ è Perſia, & inſula Cypros adferuntur, quæ hiatu, & rictu, plane Tigridem referunt. Cæterum frequens eſt in ſylvis conterminis fluminibus præterlabentibus, ut dum aquatum reliquæ feræ eo adveniunt, ipſa ex occulto è ſylvis, ac latebris ſuis exiliens, aliquam earum dilaceret. Tum quoque reliquis animantibus ingens terror Tigridis ingenitus eſt propter ingentem ejus ferociam; unde quoque non male Iavani eam *Radja outang* vocant, quod Regem Sylvæ ſignificat. Denique robur hujus feræ incredibile eſt: nam occiſum à ſe Bubalum, quamvis tribus partibus ipſa majorem, non ſecus ac feſtucam in Sylvas trahit. Ac ut id magis credas, Nobil. D. Generalis Petrus Carpenterius, circa Sylvas inſidias, & decipulas Tigribus capiendis, ex ſolidis trabibus compactas, locari curaverat, quibus intus alligatus Caper, balatu ſuo Tigridem eo pelliceret: ac forte evenit, ut valvis recluſis, ingens Tigris capta eſſet, quæ trabes, quamvis ferreis clavis ligatas, unguibus, quibus plurimum valet, à ſe invicem divulſit, ac ita evaſit, incolumi, & intacto, Capro. Iam mirum quiddam de Tigridos, & Rhinocerotis amicitia vobis referam, & deinde deſinam. Vbicumque forte Rhinoceros habitat, etiam Tigris iſtic plerumque ſtationem habet, & ut plurimum una incedentes videas: ſed ego curioſius id inquirens à Iavanis, ab ipſis probabilem hujus rei cauſam elicui, quod nempe Tigris, utpote carnivora, propter ingluviem pleraque deglutiat, unde cruditates ipſi in Ventriculo oriri neceſſe eſt. Rhinoceros autem tantum herbis veſcitur; ideoque Tigris eum ſectatur, ut ſtercore ejus pro pharmaco utatur, non ſecus ac Nepeta ſeu Mentha Felibus, Canibus Gramen, Cervis Dictamnus, pro remedio eſt. Nam ſimulatam inter ipſos eſſe amicitiam inde collegi, quod Rhinoceros femella, Catulum alens, non patietur Tigridem penes ſe incedere: Et ego cum forte extra Vrbem circa fluminis ripas exſpatiatum iviſſem, ut amœniſſimas plantas, circa fluenta hic creſcentes, contem-

 plaret

plarer ſummo mane, repperi Iuvenculum Rhinocerotem in fluminis ripa jacentem, cui mordicus clunes ablati erant, & unguibus avulſi, ipſo adhuc ſpirante, & miſere barriente, quod ſervi mei Mauri, quos duos adduxeram, procul dubio, à Tigride factum eſſe dicebant: præterea hæ feræ una incedentes, ſemper ſe tranſverſis oculis intuentur, & inter ſe grunniunt, & ringunt, quod certæ amicitiæ ſignum eſſe non arbitror. Et ſane non male, tanquam Emblemate, hæc animalia exprimunt, amicitiæ illius typum quam Incolæ Iavani inter ſe colunt, qui tanta ſuſpicione inter ſe laborant, ut propriis filiis, nedum agnatis, & conſanguineis diffidant. Vnicum hoc de Tigride addo, quod dubius ſim, utrum Leo huic animali robore præſtet: Saltem quos ego Leones in Africa, ad Promontorium Bonæ Spei vidi, magnitudine, his Tigribus longe erant inferiores. Hoc quoque mihi jam in mentem revocat, quod aliquando apud Valerium Martialem, ingenioſum Poëtam, legi, lib. 1. Epigram. 18.

Lambere ſecuri dextram conſueta magiſtri,
Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo:
Sæva ferum rapido laceravit dente Leonem,
Res nova non ullis cognita temporibus:
Auſa eſt tale nihil Sylvis dum vixit in altis;
Poſtquam inter Nos eſt, plus feritatis habet.

Anno quoque 1628, Tigris hic Caveæ incluſa evaſit, & quamvis à Catulo iſtic educata erat, & hominibus quotidie aſſueverat, ſtatim in area exteriore arcis Bataviæ invaſit equum ibi paſcentem, & trucidavit, ita ut Cives Batavi, & milites, coacti fuerint feriſſimum hoc animal ſclopetis occidere, ne plus damni daret; quod ipſe coram vidi, & nuper etiam cum jam ſecundo noſtram urbem Iavani derelinquere coacti erant, Tigris ingens capta, & occiſa fuit circa mœnia Vrbis noſtræ præſente generoſo Domino noſtro Generali, *Iacobo Spex*: ac nuper hic perfuga ſuſpenſus eſt, qui ante aliquot annos hiantem Tigridem ſiniſtra invaſit, & linguam ejus arripiens, cultro lato quem penes ſe habebat, ventrem ei aperuit, & trucidavit; ſed hoc temeritatis magis (cui aliquando Fortuna favet) eſſe arbitror, quam fortitudinis, exemplum. Atque hæc de Tigride.

HYSTRIX.



HYſtrices vero familiares ſunt undiquaque in ſilvis, non raro poſt Carecta latitantes, ſicut ego cum ſummo timore expertus ſum. Cum enim Anno 1628, rumor eſſet Enatacanum nos obſidere velle, ſilvam circa civitatem, cæſum ivimus, ut latior eſſet ex urbe in ſubjectos campos proſpectus. Chinenſes itaque hortatus, ut eam demolirentur, motum aliquem cum ſtridore percepimus, rati Tigridem eſſe. Illi alta voce *Hari-mou*, quod Tigridem denotat, inclamant, ut quiſque ſibi à fera caveat. Ego perterritus, cum, quo fugerem, anxius hærerem, Hyſtrix intra pedes meos dilabitur, ac ego fere præ metu exanimis concido, reſpiciens, num, vel crus, vel brachium ſecum raperet,

peret. Interea Chinenſes Hyſtricem aſſequuti occidunt,mihique offerunt, ita ſummus metus in maximum riſum ſolutus eſt. Cætera quæ de ejus indole & figura externa referuntur, cum hac Hyſtrice non male conveniunt.

Leopardi ſeu Pantheræ minus hic frequentes ſunt, quam Tigrides. Nuper unum ex iis, inſidentem Apro recenter à ſe lacerato, ſclopeto occidit miles, duplicique fretus præda, utramque belluam in arcem nobis obtulit.

Leones quoque, quantum conſtat, in Iava non gignuntur, ſed copioſiſſime in Africa ad Caput Bonæ Spei, ubi eos catervatim incedere vidi, quorum rugitus poſtea è ſilvis & montibus non parvum nobis timorem incutiebat, imprimis cum noctu circa tentoria noſtra obambulare audebant, & recens ſepultos è terra erutos devorabant, nobis parcentes ob ingentes rogos, quos ſocii perpetua nocte alebant.


Equos parvos alit Iava ſed omnes craſſa & denſa Cervice,ſicut Nortvegia,quos Belgæ **Speck-halſen** vocant. Generoſiores autem è Suratte & Perſia huc adferuntur.

CAPVT III.

De Crocodilo, qui per totam Indiam Cayman *audit.*

PLinius lib. 8, cap. 25, hæc de Crocodilo vere ait: Crocodilum habet Nilus quadrupes malum, ac terra pariter, & flumine, infeſtum. Vnum hoc animal terreſtre linguæ uſu caret, unum ſuperiori mobili maxilla imprimit morſum, alias terribile pectinatim ſe ſtipante dentium ſerie, magnitudine aliquanto excedit duode-

CROCODILVS.



viginti cubitos, parit ova quanta Anſeres. Sed quod poſt ait, ipſum eſſe invicta cute adverſus omnes ictus, non ita eſt: nam contrarium ipſe oculatus teſtis dicere poſſum. Cum in præſentia generoſi *D. Iani Coenen*, magnus in palude circa mœnia civitatis Bataviæ caperetur, longus autem erat pedes viginti, craſſus quatuor: ſed certe ſtipatores Nobiliſſ. D. bipennibus ipſum in tergo, ac alibi, ſæpius tranſverberarunt. Carne ſunt Crocodili candidiſſima, ego de ea comedi; ſed agreſte mihi & paludoſum ſapiebat: & forſan non male ſaperet piſcatoribus noſtris Ranarum, qui aliquanto largius de hoc animali cœnarent, quam de extremis Ranarum pedibus. Vt porro aliquid dicam de exceſſivis viribus hujus terribilis beſtiæ, Hiſtoriam narrabo, quæ accidit tempore Gubernatoris Nobiliſſ. *D. Petri Carpenterii:* Vni itaque de ſtipatorum ejus numero, dum equum ad potum ducit, Crocodilus in ripa latens fluminis, equum inſidenti ſubripuit, qui niſi ſaltu ſe ſalvaſſet, una cum equo, ad fluvii fundum pertractus foret, ut ipſe, cum Plauto in Moſtellaria vere, potuiſſet dicere, *vivum me rapiunt ad Acherontem mortui.*


Serpentes porro hæc Iava in ſylvis alit, tanta alvi capacitate, ut integros apros hauriant; & in Ternata accidit capi aliquem qui ultra 40 pedes longus, Aprum in ventre gereret, quem exciſum coxerunt, & de eo Generalis *D. Petrus*, cum aliis qui adhuc in vivis ſunt, comederunt. Ego pellem unius ſeu exuvias domi meæ habeo, longam pede 36, quem ipſe in ſylvis, (dum illas cæderemus, ut hoſtem eo melius conſpicere poſſemus, qui tum in procinctu erat) cum ſociis navalibus contrucidavi. Itaque eſt ut Plinio facile fidem adhibeam in illis, Quæ de maximis Serpentibus, quæ Cervos totos hauriant, & de *Boa* Serpente, quæ tempore Claudii infantem deglutierat, dixit: cap. 14, lib. 8. Chinenſes, & Mauri eorum carnibus avide veſcuntur, ſed ego iis facile ſuas delicias reliquerim.

CAPVT IV.

De Lacertæ quadam ſpecie, Incolis Leguan, *ac Inſectis variis.*

IN Sylvis Iavæ, in paludibus, & cœno, tum etiam in cavernis, & antris, reperitur Lacertæ quoddam genus, aut, ut aptius dicam, Crocodili terreſtris ſpecies, quia magis in terris, quam in aquis degit: nam quod forma ei reſpondeat, figura hic appoſita ſatis indicat, magnitudine tamen longe infra Crocodilum eſt: nam ex pluri-

LACERTA, vulgo *Leguan* dicta.



mis, quos vidi, nullus ultra quinque pedes excreverat: ferunt tamen Iavani, ſævos, & majores in montibus verſari. Animal, per totum vertebrarum dorſi proceſſum, ſerratum eſt, cute rugoſa & ſquamoſa fœde viridi, & maculoſa; ita ut ſolo aſpectu ſuo inſuetis horrorem incutiat; Hoc tamen tam deforme animal dempta cute, carnis eſt albiſſimi Cuniculi inſtar, & ut aiunt, qui de ea guſtaverunt, ſaporis delicati. Rictu eſt magno, capite oblongo. Cauda totius corporis longitudinem æquat. Vnicuique pedum quatuor digiti cum unguibus ſunt conceſſi.

Porro, ut de Inſectis reliquis in India hic aliquid dicamus, locus hic videtur poſtulare: itaque tanta minutiorum Lacertarum campeſtrium eſt copia, pedem non ultra longiorum, ut vix veſtigium quis in gramine ponat, quin timidiſſimum hoc animalculum alicunde exiliat: Eſt præterea adhuc alia domeſticarum Lacertarum ſpecies, longe minorum prædictis, quæ colore viridi è pallido eſt, ac in laquearibus & ædium parietibus degentes Muſcas, Formicaſque venatur; atque licet cum magna voluptate, inſignem velocitatem earum conſpicere in venandis hiſce Inſectis, & quam ſe contineant immotæ, ac ſi parietibus appictæ eſſent, donec prædam certam videntes, eam invadant. Verum quoque eſt, quod Plinius ait lib. 9 Natural. Hiſtoriæ, Lacertis caudas renaſci, nam hoc in domeſticis meis non ſemel animadverti, dum filioli mei luſitabundi, bacillo caudas iis decutiebant, quas tamen poſt diem unum, aut alterum, adſolitum pabulum revertentes vidi, caudaſque iis paulatim reaccreſcere.

Scorpiones quoque copioſos, & grandes fert hæc India, vidi enim qui partem quartam ulnæ implerent, coloris è nigro cyanei, & ſplendeſcente: minuſculi quoque hic plurimi ſunt, ita vix lapidem loco moveas, quin ſub ea aliquot Scorpiones lateant: morſus tamen, aut punctura eorum, tam venenoſus non eſt, quam in Italia, vel Hiſpania.

Scarabæi ita frequentes ſunt, ut nil ab iis intactum & illæſum remaneat, præſertim, ſi quis in inferiore parte ædium habitare cogitur. Fitque hoc propter ſoli humiditatem, & calorem, quæ duo genitrix ſunt putredinis, idcirco habitacula in ſuperiore ædium parte ſunt longe ſalubriora, quoniam ſicciora, utpote quæ his beſtiis, & Formicarum myriadibus non ita infeſtentur. Scarabæos autem hos Luſitani *Caca-laccas* vocant, quod ova quæ excludunt, colorem, & lævorem, Laccæ factitiæ referant, ac, ſi ea chartæ, vel linteo, vel panno denique, affigantur, totum illud ſpatium, quod occupant, Blattarum inſtar, exedunt.

Eſt præterea Formicarum quædam ſpecies, quæ totas arcas linteaminibus repletas, & cribro crebrius perforant, cum ingenti ſæpe mercatorum damno; nam linteorum è cotonea contextorum, ingens per totam Indiam fit diſtractio.

Scolopendra etiam hic paſſim reperitur, cujus punctura tam acerbum dolorem infert, ut hominem ferme ad inſaniam adigat: non ſecus ac in patria Draco Marinus, quem

quem Belgæ **Pieterman** vocant: ſed ictus hujus Inſecti, ut & Scorpionis, oleo ex ipſis compoſito ſedatur, & ſanatur.

CAPVT V.

Lacertæ cujuſdam, admodum venenoſæ, ſpecies, quæ merito Salamandra Indica dici queat, quæque à Noſtratibus à ſono quem edit, Gecco *vocatur.*

Sæva Lacerta rubris ſtellata in tergore guttis,
Contactuque nocens, viridi vomit ore venenum
Mortiferum, ſuperans quæ dant Aconita novercæ.
Hoc tabo inficiunt, metuendi cuſpide Iavæ,
Tela ſua, & certam quæ dant haſtilia mortem.
Huic cedat Lybica dirus Baſiliſcus arena:
Cum tantum viridi lateat ſub felle venenum.

EST Lacertæ quoddam genus venenoſiſſimum, cujus figuram, ad vivum expreſſam, vobis exhibemus: ejus morſus tam eſt viroſus, ut, niſi pars affecta ſtatim, aut præcidatur, aut cauterio aduratur, intra pauciſſimarum horarum ſpatium, procul dubio actum ſit de vita hominis. Hoc de ſolo hujus Inſecti attactu experientia didici, in decumbente quodam ſocio navali, in Noſocomio noſtro Batavi-

SALAMANDRA INDICA.



co, cujus pectori, dum denudatus dormiret, ſupercurrerat Lacerta hæc, &, ſolo contactu, veſicam per tranſverſum in muſculis thoracis excitaverat, qualem in cute oriri videmus, à ferventi aqua, quæ pertuſa à Mag. Andrea Duræo, Chirurgo hujus Noſocomii expertiſſimo, emiſit ichorem flavum, & fœtidum: ſubtus vero caro, jam livida erat, & ad Gangrænam tendens, quæ etiam per duos latos digitos, impoſitis topicis neceſſariis, & munito corde medicamentis Beſoarticis, non ſecus ac in Gangræna, decidit, non ſine ſumma admiratione & horrore noſtro: Magnitudine paulum vincit hoc Inſectum, communem Lacertam campeſtrem; ita ut pedem circiter in longitudinem excurrat. Cutis eſt coloris è viridi dilutioris, quem Belgice **Zee-groen** vocamus, interſtincta maculis rubris, ac ſi Minio tincta eſſet: Capite eſt Bufonis, oculis magnis, fœde protuberantibus; Dentes habet tam acutos, ut eos etiam chalybi imprimat, quod vidi in hac Lacerta, his venenoſum & lethale infert vulnus, niſi pars affecta, aut ferro exuratur, aut novacula amputetur, dum Prætoris urbani ſervus cum gladio transfigeret, aperto ore palatum rubrum, inſtar fornacis, apparet. Tardigrada eſt, & ubi pedes fixerit, vix inde vi ipſam avelles, non ſecus ac ſi glutino cohæreret, quod etiam in hac deprehendi, dum chartæ impoſitam depingi curarem, quamvis mortuam, pedes non niſi cum chartæ laceratione inde avelli poterant; quinque enim digitis pedum, acutis & curvis unguiculis, armatis, prædita eſt. Noſtrates ipſum animal appoſito vocabulo *Gecco* vocant; Quippe non ſecus, ac Coccyx apud nos, ſuum cantum iterat, etiam *Gecco* aſſiduo ſonat, prius edito ſtridore, qualem Picus emittit. Degit porro in arboribus vetuſtis carioſis, lociſque humidis, ſæpe &, cum ſummo, tam Noſtratium, quam Incolarum, metu, circa cubilia verſatur, adeo ut Mauri caſas ſuas integras demoliantur,

ut hoc

ut hoc animalculum migrare faciant. Hinc optime convenit huic Inſecto, quod de Salamandra Plin. lib. 29, cap. 4, his verbis refert: Inter omnia venenata Salamandræ ſcelus maximum eſt; cætera enim ſingulos feriunt, nec plures pariter interimunt, ut omittam, quod reliqua perire conſcientia dicantur homine percuſſo, neque amplius admitti ad terras; Salamandra pariter necare populos improvidos poteſt: nam ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos qui comederant, frigida vi, nil Aconito diſtans, quinimmo ſi contacto ab ea ligno panis cruſta incoquatur, idem veneficium eſt, vel ſi in puteum cadat, &c. Sanguis ejus è rubro colore ad pallidum vergit, &, ut verbo abſolvam, ipſiſſimum venenum dicas eſſe. Iavani ſanguine, & ſanie hujus Lacertæ, tela ſua tingunt. Tum ſceleſti iſti veneni propinatores, qui hic utriuſque ſexus plurimi ſunt, hoc animalculum è laquearibus fune cauda alligato ſuſpendunt, quod tum præ ira glutinoſum & flavum liquorem aſſiduo è gutture deſtillat, quem exceptum fictili ſubtus appoſito colligunt, & Soli expoſitum, in maſſam cogunt, tali modo in vivis hoc Inſectum alendo quotidie ſervant ad aliquot menſes. Hoc veneno nullum magis præſentaneum reperiri certum eſt, ac puto de eo genere eſſe, quod Imperator Nero Britannico per Locuſtam famoſam Veneficam exhibuit, quod tam præcipitem mortem adferebat (ut inquit Tacitus) ac ſi ferro urgeretur. Vrina porro ejus tam acris eſt, ut non ſolum veſicas excitet in quamcunque corporis partem inciderit, ſed niſi confeſtim ſuccurratur, carnem ſubtus nigram & gangrænoſam reddit. Hujus morſui mederi teſtantur Indi Crocum ſubterraneum Luſitanis dictum, quod planta ſit, quæ radicem habeat flavam croceo colore tingentem. Hæc eſt radix Curcumæ officinis noſtris vocata, quæ quantas vires habeat, ſuo loco probavimus.

CAPVT VI.

De Chamæleonte in Inſula Iava.

SCio ego longe alia facie ab aliis Chamæleontem pingi: ſed certe eos iſtud genus animalculi, vel non vidiſſe ſuſpicor, vel hic alius ab illorum Chamæleonte: ut quicquid ſit, ego hunc ex fide deſcribam, qui omnibus Luſitanis, & Malaiis *Cambilon* corrupta voce nominatur: Eſtque frequentiſſimum in his locis animal, ſeu Lacertæ

CHAMÆLEON.



ſpecies, naturali colore eſt viride, rubris hinc inde in tergo, maculis diſtinctum. Criſtam in tergo habet, quam quietum demittit, irritatum erigit, ac tum etiam ſub gutture bulla enaſcitur, quod ubi videris, eſt quod tibi ab eo caveas: nam acerrimos dentes habet, & Incolæ morſum ejus venenatum eſſe affirmant. Pedes anteriores flexuram habent unicam inſtar brachiorum cubiti: poſteriores vero pedes ſunt multo longiores cum duabus flexuris: omnes tamen quinque digitis & longis unguiculis armati. Cauda longiſſima, & verſus extremitatem tenuiſſima quam in gyros contortam geſtat. De eo ego idem credo, quod doct. Belonius ait l. 2. obſervat. c. 25, in hæc verba: Chamæleon ſe mutat in varios colores, communiter viridis eſt, tendens verſus flavum, & aliquando cæruleum colorem. Quod eſt veriſſimum, nam hos duos colores, præ ira, vel metu ipſum induere vidi, ut qui domi in cavea aluerim hanc Lacertam aliquoties: mutare autem colorem in

ejus

ejus corporis ſpeciem, cui inſidet, nugaciſſimum eſt, ut & illud, vento victitare: nam ut idem *Belonius* paulo poſt ait, Muſcis, Formicis, immo Locuſtis, alitur, tum Scarabæorum ea ſpecie, quas *Caccalaccas* Noſtrates & Luſitani appellant, quos in ventriculo plus quam dimidia parte conſumptos inveni. Quod vero longo tempore ſine victu poſſit durare, hoc commune cum reliquis Inſectis habet, ut Serpentibus, quos Circulatores circumforanei aliquot menſes pyxidibus incluſos ſine ullo cibo circumferunt. Idem de Ranis dicendum, quæ integra hyeme in fundo Paludum latitantes immobiles ſub ulva latitant; itaque vere dicit poëta, quod minuat præſentia famam. Atque hæc ſunt quæ de Chamelæonte certo comperi. Quo ſpectat illud Alciati Emblema in adulatores.

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram,
Reciprocat Chamæleon;
Et mutat faciem, varios ſumitque colores
Præter Rubrum vel candidum:
Sic & Adulator populari veſcitur aura,
Hianſque cuncta devorat:
Ac ſolum mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudoris neſcius.

CAPVT VII.

Lacertus volans, ſeu Draconculus alatus.

Aëra pervolitans junxiſſe Medea Dracones
Dicitur: è Iava num tulit has volucres?

DEpingi hic curavi Lacerti quoddam genus volaticum, quod Belonius obſervationum ſuarum Orientalium lib. 2. cap. 70, deſcribit ſub nomine Draconis volantis: ſed ita curſim hoc attingit, ut coactus fuerim beſtiolam hanc paulo exa-

LACERTVS VOLANS.





ctius deſcribere, utpote qui eam, non mortuam tantum, ſed ſæpius vivam, hic in Iava vide-


viderim. Belonius effigiem hujus Inſecti adfert bipedem, quum quadrupes ſit, præterea duas bullas flavi coloris circa guttur externe gerit, quas inter volandum inflat, & veli loco utitur. Cauda, pro proportione corporis, longa eſt, verſicoloribus pulcherrime maculis cutis diſtincta. Tum alæ, alis Veſpertilionum admodum ſimiles ſunt, & membranaceæ, quas attollunt, hoc modo quo hic depictum vides, alias ubi eas demiſere ad latus, vix apparent. Magnitudine ſunt duarum unciarum, grandiuſculam domi habui, quæ tres partes ulnæ impleret. Volant quidem, ſed non diu perſeverant in volando, ab una nempe arbore cum ſtridore, in aliam tranſiliunt, quæ paſſus viginti, aut triginta à ſe invicem diſtant, non ſecus, ac piſces volatici, qui Hirundines aquaticæ Geſnero dicuntur, pauco tempore ſe ex aqua attollunt. Num venenatæ ſint hæ Lacertæ, compertum non habeo, Iavani ſaltem negant, & eas, ut & alias Lacertas, impune manibus tractant. Cæterum, Muſcis, Formicis, & aliis parvulis Inſectis, victitant, in Silvis Iavæ frequentes ſunt, & ſæpe grandioribus Serpentibus eſca deveniunt, quod & inter homines familiare eſſe, Plautus bene dixit hoc modo, Homo homini Lupus, potentiores innuens, minores deprimere ſolere.

CAPVT VIII.

Appendix. *De Lacerto Indico, ſquamoſo.*

ADmirabilis hujus exenterati Lacerti iconem, quam exhibeo, ejuſdem ſpecici, ſed non ejuſdem magnitudinis, eſt, cujus Carol. Cluſius exuvium in exoticis dedit. In Inſulæ *Tajoán* ſilvis frequens eſt. Nomen ejus vernaculum hactenus nobis incognitum; verum ne quid pubi nauticæ noſtræ innominatum eſſet, placuit quibuſdam

LACERTVS SQVAMOSVS.



Porcum, aliis vero Diabolum de *Tajoán*, appellare, fortaſſis ob miram & horridam ſquamarum conformationem, quas irritata erigit. Animal eſt duorum pedum longitudine, Vulpis magnitudine. Totum corpus ab oris ad caudæ & pedum uſque extremitates, perpetuis ſquamis nigricantibus, rigidis, & mucronatis, coopertus, excepto gutture, ventriſque, & crurum infima parte, quæ durioribus pilis leporinis veſtiuntur. iidemque pili hinc inde erumpunt in dorſo ex ipſis ſquamis. Magnitudo ſquamarum pro diverſitate partium corporis diſcrepat; omnes ad exortum ſtriatæ, & ad finem quaſi lævigatæ. Cauda eſt valida, fere pedem longa, præ cæteris membris mira ſquamarum textura ornatur: earum enim, quæ ejus latera utrimque claudunt, forma prorſus à reliquis diſſimiles, nam planæ non ſunt, aliarum inſtar, ſed cavæ quaſi incurvatæ, quia pronam & ſupinam laterum partem tegunt. pedes breviuſculi palmam circiter longi, poſteriores quinque unguibus brevioribus, anteriores tribus oblongis, craſſis, ſed imbelle curvis, armantur, ſicut in Braſilienſi *Tamandoá*, quibus, æque ac illa, Formicarum & Vermium latebras detegit, prædamque qualemcumque mordicus tenet. Capite & promuſcide non eſt porcino, ut *Armadilho*, ſed tenuiori & acutiori, more Talparum, quo terram commodius evertat. paſtum iturus, Lacertis, aliiſque Inſectis, inſidiatur, quibus pingueſcit.

gueſcit. Vnde caro ejus veſca non ſolum, ſed ſicut magnæ illæ Lacertæ Braſilienſes *Leguánæ* & *Tatu*, inter epulas ab omnibus paſſim incolis expetita.

CAPVT IX.

Appendix. *De Baby-Rouſſa.*

QVia Author noſter I. Bontius, ſedulus alias Naturalium in Indiis indagator, hujus animalis non meminerit, ego ejus genuinam figuram & deſcriptionem ab Indiarum noſtratibus conſiliariis, fide dignis, ſuppeditatam, operæ pretium duxi addidiſſe. Quadrupes hoc inuſitatæ figuræ, monſtroſis beſtiis aſcribunt Indi, quod

BABY-ROVSSA, & CRANIVM.





à diverſæ ſpeciei animalibus, Porco ſcilicet, & Cervo, pronatum putent. Reperitur tantum in inſula *Bouro*, triginta milliaria diſtante ab *Amboina*. Nec alibi terrarum ab aliquo viſum fuiſſe omnes teſtantur. Eſt majoris Canis vel Cervi magnitudine. Pilos habet more Canis venatici, fuſci & griſei coloris, inſtar Gliris. Capite & roſtro eſt Porcino, oculis & auribus parvis. Cauda tortuoſa, Porci æmula, pedibus & ungulis Cervinis. Velox & ferox habetur animal, & longævum quoque, ſi Ariſtoteli fides, dicenti, quibus plures ſunt dentes, eorum vita, magna ex parte, longior.

Sceletos capitis (cujus accuratam iconem hic exhibeo, favore optimi viri D. Swammerdami pharmacopœi Amſtelodamenſis, & rerum exoticarum inſtructiſſimi), Vitulini eſt magnitudine, ex validiſſimis oſſibus, imprimis utriuſque maxillæ, confirmatus. Quibus ab utroque latere poſterius verſus fauces, duodecim circa dentes, molares dicti; anterius autem initio roſtri ſex inciſores inferiori maxillæ, duo grandiuſculi ſuperiori parte inſerti ſunt, & more aliorum brutorum rapacium, bucca vel roſtro teguntur. At vero loco caninorum dentium ex intermedia maxillæ inferioris parte duo validi inſignes erecti dentes erumpunt roſtrumque perforant. Semipedis ſunt longitudine, pollicis craſſitie, paulului incurvati, inſtar dentium Apri, quibus hoſtes ſuos invadunt. In ſuperiori denique maxillæ parte ab utroque latere proceſſus oſſei concavi apparent, ex quibus promanant cornua, digitum craſſa, duas palmas longa, glabra, & dentium inſtar lævigata, ſed unci inſtar incurvata, ita ut primo intuitu quatuor cornibus

bus juxta ſe poſitis videatur armatum hoc animal *Baby-Rouſſa*, ac proinde ob duplicem rationem inter monſtroſa habitum, primo, quod contra Ariſtotelem, cornigera animalia in altera maxilla tantum dentes habere, & primoribus maxillæ ſuperioris carere, teſtetur. Secundo, quod idem Ariſtoteles, nullam dicat inveniri animantem, quæ cornua & exertos ſimul gerat dentes.

Cætera quæ circa indolem hujus animalis deſiderantur, quia fluxæ fidei mihi videbantur, diſtuli proferre, donec veritas magis elucescat; Ab advenis æque ac Indigenis caro ejus inter delicias expetita, atque loco Cervinæ apponitur.

CAPVT X.

De Corvorum, Columbarum, & Pſittacorum, quadam ſpecie.

Mira eſt quædam in Moluccis, & Banda præcipue, Corvorum ſpecies, quæ noſtratem Corvum roſtro quidem refert: Verum in temporibus ſimiliter pictus eſt, ut Indicæ iſtæ Meleagrides, quas Belgæ **Kalcoutſe-Haenen** vocant. Roſtro eſt magno, craſſo, parum acuminato, & ad rapinam compoſito, naribus patulis;

CORVUS INDICUS.



oculis magnis, nigricantibus, aſpectu fœdis. Capite & collo oblongis, nigricantibus plumis, ornate veſtitis. Pedibus, eorumque digitis, ſatis validis unguibus, oblongis, curvis, ſolidiſſimis, præditus. More Corvi noſtratium graditur, Indole à noſtris Corvis differt, quod non cadavere, ſed potiſſimum Nucibus Myriſticis avide veſcatur; iiſque inſigne damnum infert. Caro eorum quoque delicata eſt, & aſſa ſaporem à paſtu plane aromaticum habet.

Præter vulgares Columbarum, & Turturum, ſpecies, reperiuntur in Iava Columbæ viridiſſimi coloris, inſtar Pſittacorum. Eſt præterea in Banda aliiſque locis, Columbarum quarundam albarum ſpecies, quæ ſimiliter Nuces Myriſticas immaturas decerpit, & depaſcitur, guſtu quoque inde jucundo, ventriculo, ac inteſtinis ſalubri.

Pſittaci etiam ibidem albi ſunt, vel potius Corvos albos eos nominem, non tantum ab adunco roſtro, ſed à rapacitate quoque: nam nodos à veſtibus avellunt, chartas, & libros decerpunt, omnia vel coriacea, vel è ſimili materia, dilacerant. Itaque apage à

me

me has aves cum Simiis, & Pſittacis, quæ quamvis ad delectationem hominis nata videantur: tamen operam eorum non niſi damnoſam reperimus eſſe.

Appendix. *De* PSITTACO *parvo.*



EX minorum Pſittacorum genere, cui vulgo nomen *Peroket* inditum, hæc pulcherrima avis exiſtit. Alaudæ eſt magnitudine, roſtro adunco & griſeo, ut & gutture, oculis nigris, quos circulus argenteus ambit. Linguam habet fere ut Pſittacus cum ſolidis ligamentis, verticis plumas egregias criſtæ more erigit. Crura & pedes cinerei coloris, caudam longiſſimam, decem circiter digitos prominentem, ultra finem alarum. Quemadmodum ventre inferius, ita capite, collo, & cauda, ſuperius eſt pulchre rubicantibus. Pectus vero, & inferiores caudæ pennæ, dilute roſacei ſunt coloris, quæ elegantiſſime in cæruleum ex albedine & viridi mixtum, deſinunt. Alæ potiſſimum virides, rubicundis pennis intertextis, quarum medietas, luteo & roſaceo colore hinc inde adeo variegatur, ut adverſo Sole mille aureos colores ſecum trahat, atque à pictore haud facile exprimi poſſit, dignus ſane, ut à Magnatibus in pretio habeatur.

Reperiuntur hæ aves in mediterraneis potiſſimum, conſident & nidificant in altiſſimis arboribus. Catervatim & multo cum ſtrepitu, ſicut tota Pſittacorum familia, volant, garrulæ quoque ſunt, voceſque quaſdam ſonare diſcunt, ſi cicurentur.

CAPVT XI.

Corvus Indicus Cornutus ſeu Rhinoceris avis.

Et mare cornigerum eſt, & cornibus aëra pulſat
Hæc Avis in Iava: Cornua terra gerit,
Aſpice in aëreis volitantem Rhinocerotem
Conſpicuum cornu, quam bene fronte gerat.

VT odore gravis, ita & aſpectu fœda, eſt rara hæc avis cornuta, longe ſuperans magnitudinem Corvi Europæi. Collo & capite eſt craſſo, oculis magnis, roſtro, reſpectu corporis, mediocri, in hac imagine expreſſo, & à capite avulſo. Productior & acuminatior pars, inferne curvata, roſtrum ad rapinam compoſitum exprimit;

ROSTRVM CORNVTVM CORVI.



mit; ſuperior vero pars brevior, craſſior, & ſuperne incurvata, verum cornu ad viſum & ad tactum repræſentat, quod, ſicut altera medietate verſus caput quaſi roſtro contiguum, atque utrumque ſimul eodem modo capitis extremitati annatum; ita, & altera medietate à ſe dehiſcunt, adeoque ſeparantur contraria incurvatura, ut inſtar piſcis caudæ bifurcatæ videantur.

Victitat avis cadaveribus inteſtiniſque animalium, unde venatores qui ſclopetis Vaccas ſylveſtres, Apros, & Cervos jaculantur, comitari ſolent, ut ſe eorum viſceribus ingurgitent. Animalia ab ipſis militibus exenterari ſolent, ac ſæpe, in partes diſſecta propter gravitatem, ad ripas fluminum in cymbas ab illis deferuntur, ſi nolint, ut dictarum avium rapacitati proſtituta ſint.

Incolæ teſtantur, Iavam ingentes alere Aquilas: ſed ego non niſi Aquilas marinas vidi, quæ terreſtribus longe minores & imbecilliores ſunt, & non niſi piſcibus in littore vivunt.

Lapides Aëtitas, in nido Aquilarum repertos, duos habeo, in quorum meditullio nucleum, ſi moveatur, audire licet.

CAPVT XII.

De Coturnice Indica, cui adduntur quædam in tranſitu, de Gallis, & Gallinis, Pavonibus, & Avibus Paradiſi, Indicis.

Sic querulæ ſum vocis ego ſpectanda Coturnix,
Sacra ego ſum Phœbo: nam cum ſe condidit Indo
Oceano, parvis condor ſeu mortua plumis:
Poſtera lux oritur, tum me cantare viator
Audiet, & raucos crocitantem murmure bombos.

AVis hæc in ſilvis Iavæ gregatim, ut Perdix, paſcitur, & quamvis etiam cicuretur, & cum pullis ſuis comitata femella, non ſecus, ac Gallinæ, in areis ædium circumit, mares quoque non ſecus, ac Galli, pugnaciſſimi uſque ad mortem inter ſe ſunt,

COTVRNIX.



ſunt, colore plumarum vero Coturnici admodum reſpondent: verum roſtro paulo longiore, ſonum quoque per intervalla edunt, ut Coturnices etiam ſolent: verum is longe diverſus eſt à Coturnicum voce, & magis refert ſonum illum horribilem, quem Ardeæ ſtellares inter arundineta in paludibus edunt, quem Belgice **Pittoor** vocamus: & quo longius continuant vocem, eo generoſiores etiam putantur aves hæ. Cæterum hæ aves adeo frigidæ ſunt naturæ, ut, ſi caveæ incluſas non exponas ſolaribus radiis, & arenam ipſis ſubſternas, ſtatim langueſcant, periculumque vitæ incurrant, ideoque noctu, & occidente Sole, non ſecus in ſe convolvuntur, quam Coccyx hyeme in cavis arboribus apud Nos, & in truncis arborum, plumis ſuis ſe obtegunt. Oriente vero Sole, ſtatim cantant, iſque ſonus ad aliquot paſſus exaudiri poteſt, ut mireris tantillas aves, nam Columbum, aut Turturem, magnitudine non excedunt, tam gravem vocem poſſe edere. Alui ego aliquoties in caveis tales, quæ me advenientis auroræ admonerent, ſi quid ſerio agendum eſſet; nam, ſi quid negotii gerendum ſit, id vel mane vel veſpertino tempore, commodiſſime fiet, cum inutiles fere reddantur actiones interdiu, dum Sol ſummo ſuo calore omnia adurat, tum etiam ſanitati hoc tempus diurnum maxime officit: ſed de eo latius alibi.

Gallis & Gallinis hæc Regio abundat, inter quos aliqui carne ſunt nigra, optimi ſaporis, & pro ægris tanquam ſaniſſimi commendantur.

Parvuli Galli è *Ziam* adferuntur & hic aluntur, qui tantæ ſunt pugnacitatis, ut quantumvis alium Gallum maximum aggrediantur.

Pavones ſilveſtres & domeſtici, ut & aves Paradiſi (quos apodes olim arbitrati ſunt multi) in magna copia apparent; tam horum, quam illorum, caudis ſe Indigenæ exornant, iiſdem in galeis pro criſtis utuntur. Tantum vero abeſt, has Paradiſi aves vel pedibus carere, vel aëre nutriri, ut unguibus incurvis & peracutis parvas aviculas, Chlorides, Fringillas, & ſimiles, venentur, eaſque mox, ſicut reliquæ rapaces aves, devorent; ut nec illud verum ſit, eas non niſi mortuas inveniri, cum & arboribus inſideant & ſagittis à Tarnacenſibus figantur. Vnde etiam à celeri & reciproco volatu Hirundineo Hirundines Tarnacenſes ab Indis vocentur.

Quanta porro frequentia ſit omnis generis avium edulium in Iava, in primo libro de Conſervanda valetudine actum eſt, ut ſunt imprimis, Ruſticulæ, Ardeæ, Grues, Anates, Anſeres, Turdi, Pici, Paſſeres, Fringillæ, & aliæ infinitæ.

CAPVT XIII.

De Nidis Hirundinum edulibus.

Quid ſcopulos Progne, quid inhoſpita littora nidis
Optas, per medias hos Gula quæret aquas?
En Philomela tuum laceravit ut Enſibus Iphyn,
China caſas veſtras dentibus & lacerat.
Quid gemis infelix! alienis parcere pullis
Qui cupis? aſt propriis parcere deſideras.

IN tractu maritimo oræ Chinenſis, aviculæ parvæ diſcolores Hirundinum ſpecie, certo anni tempore, ubi æſtus prolificandi eas invaſit, è locis mediterraneis ad mare in ſcopulos meant, & ex ſpuma maris baſin ſcopulorum alluentis, tenacem quandam materiam colligunt, ſive ea Balænarum, ſeu aliorum piſcium ſit, ſemen, ex

NIDI HIRVNDINVM.



qua nidos ſuos ædificant, in iiſque ova ponunt, & pullos excludunt. Cæterum Chinenſes hos nidos è Scopulis avulſos, ingenti quantitate per Indiam venales ferunt, guloſis in ſummas delicias, qui eos Gallinæ, ſeu Vervecis, decocto diſſolutos, avide devorant, & Oſtreis, Fungis, & cæteris gulæ irritamentis, longe anteponunt.

CAPVT XIV.

Pica, ſeu potius Sturnus Indicus.

Pſittacus Eois quamvis tibi miſſus ab oris
Iuſſa loquar: vincit me Sturnus garrulus Indus.

E Regione ædium mearum in Batavia habitabat anus Iavana, ſerva Chinenſis hortulani, quæ Picam ſeu Sturnum Indicum alebat, valde loquacem, quem cum ego depingi optarem, ſæpius rogavi, ut eam mihi venderet; ſed cum impetrare iſtud non poſſem, petii ut ſaltem tantiſper mihi concederet, dum pictura exprimeretur, quod tandem anus ægre annuit: ſed ego cauſam deinde intellexi; nam, cum obnixe mulier Mahumetana ſtipularetur, ne avi ſibi cariſſimæ Porcinam comedendam offerrem, atque ego id promiſiſſem, avis peſſima ſubinde hoc mihi & pictori occinebat, *Orang Naſarani Catjor Macan Babi*; quod vult, Chriſtiane canis, comeſtor Porci; timebat enim aſtutiſſima Anus, ne ego, vel domeſtici mei, offenſi, avi huic Laridum guſtandum daremus, aut occideremus hac contumelia irritati.

STVRNVS.



Plumis cyaneis, & ſubobſcure cæruleis ac cinereis guttis interſtinctis Sturnum noſtratem refert, verum criſtam flavam in cervice gerit, & caput nigris mollibuſque plumis obſitum eſt, ut contactu te holoſericum tractare putes. Multo accuratius humanas voces imitans, quam Pſittacus, ſed cum importuna ſæpe garrulitate.

CAPVT XV.

De Onocrotalo ave.

Famoſum ingluvie contempla & gutture pando,
Et qui cuncta voret, conſpice Onocrotalum.
Præditus eſt duplici (ſic ſcripſit Plinius) alvo,
Candidus aſt plumis eſſe videtur Olor.
Audiat hunc quiſquam crocitantem voce moleſta,
Arcadicum dubitet rudere (credo) pecus.
Externus multos veſtitus, formaque, laudat:
Commendat tacitos linguaque muta viros.
Impleti Baccho vocem ſi forte reſolvunt,
Nil, niſi Brunones, Potitioſque, ſonant.

PLinius ſagaciſſimus naturæ indagator Lib. X. Natural. Hiſtoriæ, C. XLVII. Avem quandam deſcribit his verbis, Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent, nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ipſius ineſſet alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit capacitas. Mox perfecta rapina,

 ſenſim

Onocrotalvs.



ſenſim inde in os reddita in veram alvum, ruminantis modo, refert: Hactenus Plinius, qui tam exacte hanc avem mihi deſcripſiſſe, & delineaſſe ſuis coloribus videtur, ut nil addi huic deſcriptioni poſſit. Nam colore eſt albo in plumis, pedes Anſerinos, vel Olorinos habet, rubros illos plerumque, voracitatis tantæ eſt, ut etiam grandes piſces deglutiat. Vidi unam ejus generis avem, quæ vivum Felis catulum deglutiit, & cum in forum piſcarium veniret, Chinenſes piſcatores illi guttur colligabant, alioquin aſtutiſſima, & audax avis, momento temporis, cum ſummo riſu aliorum, aliquot piſces furtim à tergo veniens deglutiebat. In litoribus Iavæ, & circumjacentium inſularum, piſcatura piſcium vivit, voce eſt rauca, & fœda, unde ei etiam nomen Onocrotali inditum eſt, quod Tympanum Aſini ſignificat, & certe ſi talis cantus ſit Oloris morientis, quem tamen nullum audiiſſe puto, inſuavis ſane eſt, nec tam gratus, quam Poëtæ ipſi affingunt. Sed


——Pictoribus, atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

CAPVT XVI.

Appendix. *De Veſpertilione admirabili.*

QVam Africa non ſolum, ſed & Aſia atque America, monſtrorum ſit ferax, ut ex multis ſupra narratis; tum quoque ex hiſce Veſpertilionibus imprimis liquet. Illi enim in *Guſaratta* ſub Imperio Magni Mogolis gregatim Anſerum ſilveſtrium inſtar, volitant, & circa veſperam in aëre vel arboribus penduli conſpiciuntur, omneſque advenas ob inuſitatam magnitudinem, molem, & miram conformationem, attonitos tenent. Ac proinde Belgæ, novitate rei hæſitantes, an volatilium generi aſcriberent, Simias alatas nominarunt ſatis incongrue. Quod membranaceis pinnis alarum loco utantur, quod itidem auriti ſint, unguibus quoque, & quatuor pedibus prædíti, pulloſque, non ova, pariant & lactent, cæterorum Veſpertilionum familiæ aſcribendi ſunt: Verum quod Felis ſint magnitudine, ventre & pectore craſſo & carnoſo; item quod à cervice capitis ad unguium uſque extremitatem membrana continuata inſtar veli expanſi, pone cooperiantur, à cæteris quibuſcunque Verſpertilionibus diſcrepare videntur. Adde, quod velum hoc ſubtus quidem membranaceum, ut in aliis, lanugine, venulis, & fibris obdu

VESPERTILIO VOLANS.



VESPERTILIO arte EXTENSVS.



obductum appareat, ſed extus perpetuis molliſſimis pilis, Cuniculorum more, caſtis & ex nigro cinereis, mirum in modum veſtiatur. Tum quoque plicis illis, quibus alæ, more aliorum, contrahuntur & relaxantur, deſtitutum ſit. Ita ut, ſi conferatur icon cum Braſilienſis, vel cujuſcunque Indici, Veſpertilionis figura, hanc ab illis admodum diverſam reperies. Ne autem curioſus Lector quid deſideret, duas exhibui figuras, alteram volantis; alteram tergo incumbentis & expanſi.

Tota beſtia eſt longitudinis trium fere pedum, ejuſdemque latitudinis. Cauda tenuis, ſpithamam longa, eaque quaſi immerſa hæret eidem membranæ, qua totum corpus

pus tegitur. Crura molliori quoque lanugine flaveſcente obſidentur. Ex ultimis pedum articulis quinque ungues tenues, valde acuti & curvi, erumpunt, quibus mordicus tenet, quidquid apprehendit, imprimis arborum fructus, quos depopulatur. Capite eſt oblongo, aſpectu fœdo, rictu imbelli, dentibus exiguis, ad rapinam compoſitis, auribus denique rotundis, parvis, ex tenuiſſima membrana factis.

De Indole & generatione horum Veſpertilionum plura poſſem addere, quæ mihi quidem ſuppeditata ſunt à pube nantica noſtra; ſed quia variabant, & dubiæ famæ videbantur, malui ſuperſedere eorum deſcriptioni, donec veritas magis comperta fuerit, ne paginas replendo, errores (ut ſæpe contingit circa exotica) propagentur.

Dantur porro, teſte noſtro Bontio, vulgares quoque in Iava Veſpertiliones, in lucis habitantes, Columbæ magnitudinis, quibus Iavani veſcuntur, affirmantes ſapidiſſimos eſſe. Noctu aliquando cubilia ingrediuntur, ſi propter æſtum diurnum, ſpecularia vel feneſtræ apertæ relictæ fuerint, & pedes dormientium nudos mordentes, quantitatem magnam ſanguinis inde exſugunt, cum majori timore, quam ejus, qui hæc patitur, periculo.

CAPUT XVII.

Appendix. *De Dronte, aliis* Dod-aers.

INter Inſulas Indiæ Orientalis, cenſetur illa quæ ab aliis *Cerne* dicitur, à noſtratibus Mauritii nomen audit, ob Ebenum nigrum potiſſimum celebris. In hac inſula frequens eſt miræ conformationis avis *Dronte* dicta. Magnitudinis intra Struthionem & Gallum Indicum, à quibus ex parte figura diſcrepat, & ex parte cum iis convenit, im-

DRONTE.



primis cum Struthionibus Africanis, ſi uropygium, pennas, & plumas conſideres; adeo ut Pygmæus quaſi inter eos appareat, ſi crurum brevitatem reſpicias. Cæterum capite eſt magno, deformi, tecto quadam membrana, cucullum referente. Oculis magnis, nigris; collo curvo, prominente, pingui; roſtro ſupra modum longo, valido, ex cæruleo albicante, exceptis extremitatibus, quarum inferior nigricat, ſuperior flaveſcit, utraque acuminata & adunca. Rictu fœdo, admodum patulo, quaſi ad ingluviem nato. Corpore obeſo, rotundo, quod mollibus plumis, griſeis, more Struthionum veſtitur: ab utroque latere, loco remigum, exiguis alis plumatis, ex flavo cinereis, & pone uropygium, loco caudæ, quinis pennulis criſpis, ejuſdem coloris, decoratur. Cruribus eſt

flaveſcentibus, craſſis, ſed admodum curtis, quatuor digitis pedis ſolidis, longis, quaſi ſquamoſis, totidem unguibus validis nigris incedit. Cæterum tardigrada eſt avis & ſtupida, quæque facile præda fit venatoribus. Caro earum, imprimis pectoris, eſt pinguis, veſca, adeoque multa, ut tres quatuorve *Drontes* centenis ſociis ſaturandis aliquando ſuffecerint. Si non probe elixentur, vel veteres ſint, difficilioris ſunt concoctionis, & ſalitæ in penu reconduntur.

Lapilli diverſæ formæ & magnitudinis, cinerei coloris, in ventriculo harum avium reperiuntur; non tamen ibi nati, ut vulgus & pubes nautica arbitratur, ſed in littore devorati; quaſi & hoc quoque ſigno cum Struthionis natura aves has participare conſtaret, quod duriſſima quæque deglutiant, nec tamen digerant.

CAPVT XVIII.

Appendix. *De* Emeu, *vulgo Caſoaris.*

IN Inſula *Ceram*, aliiſque *Molucenſibus* vicinis inſulis, celebris hæc avis reperitur. Surrecto capite & collo decenter incedit, tuncque fere quinque pedum altitudinem æquat; Corporis autem longitudo, à pectore ad uropygium, trium eſt pedum. Capite, pro magnitudine corporis, ſatis exiguo, glabro, coloris ex nigro cærulei. Oculi

Emev vulgo Casoaris.



magni, ardentes, & truces, poſt quos, aurium meatus parvi, nudi. paulo ſupra mucronem roſtri, bina foramina, narium uſum ſupplent, à cujus medio ad capitis uſque verticem, corneæ ſubſtantiæ, coloris ex flavo fuſci, porrectum diadema, quod cum plumarum defluvio cadit, iiſque renaſcentibus renaſcitur: anteriori colli parti bina veluti membranacea palearia, ſive barbulæ, more quodammodo Galli Indici, coloris miniati, propendent. Cruribus eſt altis, craſſis, quaſi corticibus calloſis, tectis, pedibus eorumque

que digitis quoque craſſis, duris, ſquamoſis, ſine calcaribus. Vnguibus itidem longis, corneis, in quo hæc avis à Struthiocamelo differt, quod pedes, ut ille, biſulcos non habeat; licet notæ aliquæ communes cum illo ſint, ſcilicet caput parvum, erecta ſtatura, alæque ad volandum ineptæ, quodque ſine delectu, quidquid objicitur, voret, idque, ſi durius, per annum indigeſtum rejiciat. Pennis, ſive verius plumis, tota fere veſtitur, miniatis & nigris, quæ pectori & femori proximæ, ſemper geminæ ex eodem parvo tubulo prodeunt. Illæ autem quæ uropygium conſtituunt, cæteris longiores & duriores ſunt, adeo miræ naturæ luſu conformatæ plumæ, ut à procul aſpicientibus, non plumis, ſed villis dumtaxat, tectum ejus corium appareat; eoque magis, quod alæ exiguæ ſub plumis latera tegentibus abſcondantur. Alæ enim ad currendum pro velo, non ad volandum inſerviunt, quamobrem cum vix à terra ſe tollere valeat, non inter volucres ponendam putem; robur quo ſe contra hoſtem tuetur, non in roſtro, ſed in pedibus, conſiſtit; irritatus enim, non antrorſum, ſed oblique ſe convertit, averſis retrorſum pedibus eum impetens. Ovipara eſt, ſed ova à Struthionis longe diverſa, ratione tenuitatis & coloris; hujus enim teſta eſt vireſcens, perpetuis tuberculis, ſature viridibus ornata. Vitellum comedunt incolæ.

CAPVT XIX.

De Thynnis, & Delphinis, quos Corcovados, Dorados, *&* Bonitas *vocant.*

Hic videas celeres Delphinas ſemper in Indis
Ludere laſcivas, & ducere rite Choreas,
Quos tamen infames Lamiæ, Larique cruenti,
Tardigrado quamvis, natatu ſæpe ſequuntur,
Dum gyros celereſque meant remeantque proterve,
Improvido morſu ſub triſtia tartara mittunt.
Diſcite, mortales, quod ſit ſua Tigris in undis,
Quæ ſolet in ſilvis tranſverſo in currere ſaltu
Incautum, inſidiis veſtigia tarda doloſis
Compenſans. Homines ſic tetra calumnia ſemper
Obſervat, tum quidquid agas, nil undique tutum
Vix quiſquam effugiat falſiſſima verbera linguæ.

QVoniam piſces *Bonitæ* vocati Luſitanis, huc quotidie ad mercatum feruntur, ego potiſſimum inter eos depingi curavi, qui è Thynnorum, ſeu Delphinum, ſunt genere. Incolæ Iavæ hunc *Ican Bouda* appellant, quod perinde eſt, ac ſi pi-

THYNNI SPECIES.



ſcem equum dicas: procul dubio ideo, quod ſaltando ſe extra fluctus marinos ultra huma-

humanam facile altitudinem efferat, aut propter ſummam velocitatem, qua navem proſpero vento, expanſis velis, tam facile prӕternatat. Capiuntur prӕterea piſces *Dorados* dicti Portugalenſibus, ab aureo, quem ferunt in cute, colore, ubi recens captus fuerit, nam mortuis per horӕ ſpatium is color decedit: hic piſcis eſt longe optimi ſaporis *Bonitas* bonitate excellens: Omnes è Delphinum ſunt genere, lati, & longi, inter eos quoque numeratur piſcis, qui iiſdem Luſitanis *Corcovados* vocatur, quod gibboſum ſonat, quia gibbum in tergo gerit. Igne elixi dimidia ex parte condiuntur porro, oleo, & aceto, admixto pipere, allio, & ſale, vel etiam aliis aromatis: & ita conſervantur longo tempore, ut utiles ſint iis, qui hinc *Ternatam* verſus, & *Moluccas* navigant, ubi annonӕ parcior copia, quam in reliquis noſtrӕ Indiӕ eſt partibus. Tali modo conditi egregie ſapiunt, tum eorum muria pro condimento eſt, & orexin, & appetitum ventriculo addit: ſed oportet, ut Oryzӕ coctӕ bonam pro ratione menſuram ſimul comedas, atque ita nullum empyreuma, ſeu aduſtionem, inteſtinis adducent. Hoc adhuc addo, nos habere prӕſtantes hic piſces: Verum tamen, ut fatear, Aſello majori ac minori caremus, qui ſi adeſſet, nos, Patriӕ de prӕſtantia piſcium non cederemus. De Delphinum porro velocitate, hӕc Plinius, Lib. 9, natural. Hiſtor. Cap. 8, Velociſſimum omnium animalium non ſolum marinorum eſt Delphinus, ocyor volucre, ocyor telo, ac, niſi multum infra roſtrum os illi foret medio pene in ventre, nullus piſcium celeritatem ejus evaderet. Quӕ ſequuntur, vera pleraque ſunt: ſed hoc mihi dubium eſt, quod paulo poſt dicat, tanta eos vi exilire, ut plerumque vela navium tranſvolent, niſi forte vela Horiarum, ſeu navicularum piſcatoriarum, intelligat:

Orpheus in Sylvis, inter Delphinas Arion.


Lamiӕ porro, Galeӕ, Lari, nimis hic multi ſunt, quorum ingluviem miſeri noſtri navales ſocii ſӕpius experiuntur, dum incautius natando ſe exercent. Hi piſces tarde natant, & niſi in tergum ſe volventes prӕdam appetunt, quaſi ita natura ſӕviſſimi piſcis hujus ferociӕ, moram injecerit, ut miſeri mortales ipſos prӕviſos facilius evitare queant.

CAPVT XX.

De Scaro Piſce.

PEtrus Belonius in Obſervationibus ſuis doctiſſimis, Lib. 2, Cap. 8, meminit Scari piſcis, qui frequens in litoribus, olim Cretӕ, nunc Candiӕ, Inſulӕ capitur: ille vero huc quotidie in forum piſcarium venalis adfertur. Ego ipſum de genere Percarum eſſe autumem: nam ſive colorem ſpectes, qui in hoc piſce è rubro egregie

SCARVS.



viridis eſt, acutos aculeos in pinnis, denique ſquammas ejus aſperas, quӕque cum moleſtia abradi ſolent, eumdem ferme piſcem cum Perca noſtrate eſſe dicas. Cӕterum delicati adeo eſt ſaporis, quam quiſpiam piſcis alius in his oris: concoctionis quoque eſt

G facilis;


facilis; & inter ſaxatiles Indiarum piſces principem locum obtinet. Dentes fert, non, ut alii piſces, acute deſinentes, ſed obtuſos plane, ut humanos dentes eſſe dicas, quibus etiam ſtridet, ut homines iratos & inſanos facere videmus. Vere quoque dicit ibid. Belonius, hunc piſcem labris aduſtis, & toſtum ridentis hominis faciem mentiri. Capiuntur etiam inter rupes, & ſaxoſa vada piſces quidam coloris plane viridis, qui à figura, ſquammis, & rubris oculis, Alburni vocantur, Belgæ noſtri **Steenvoornen** vocant, optimi quoque ſunt ſaporis. Hos & reliquos piſces *Malaii* noſtri tam ſcite condire, & præparare ſciunt, ut in eo Germanos ac Polonos ſuperent, qui tamen palmam in coquendis piſcibus in Europa ferunt, addita radice Curcumæ, ad ſaporem & colorem luteum conciliandum. Eodem modo etiam præterea condiunt Lupum marinum, qui à fluviatili colore tantum differt: Nam albus plane eſt, & ſæpe tam magnus in mari & alveis flúviorum capitur, ut Aſellum noſtratem majorem mole ſuperet. Scarus inter piſces ſolus ruminat, & herbis veſcitur, teſt. Plin. l. 4. c.

CAPVT XXI.

De Cyprinis Saxatilibus marinis, de Carpionibus & eorum in India magnitudine. Item de piſce Cacap *indigenis dicto.*

CYprini lati ſaxatiles in magna copia capiuntur, genus piſcium, me judice, inter præſtantiſſima eſt numerandum, hujus plures ſunt formæ, rotundos enim habes quales ferme Rhombi, oblongiores quoque, quales hic depinguntur, omnes tamen lati, ac duris ſquamis obſiti, atque hi tantum in mari capiuntur. Cyprini

CYPRINVS SAXATILIS.



porro fluviatiles, qui magna copia in fluviis capiuntur, & **Carpers** noſtratibus vocantur, patrios bonitate carnis vincunt, utpote qui non in ſtagnis, & paludibus, ſed in profluenti alantur. Vnde etiam colore ſunt albo; & tantæ aliquando ſunt molis, ut ego habuerim, qui triginta libras penderent. Linguæ eorum apud Chinenſes non ſecus, ac apud noſtros delicatiores in deliciis haberi conſuevere, & ubi piſcem ichthyopolæ vendiderint alicui, niſi bene proſpexerit ſibi, aſtutiſſimi Chinæ linguam illi eruent momento temporis, & ſibi reſervabunt, vel aliis ſeorſim vendent, forte tam caro quam ipſum piſcem.

Capitur etiam in mari piſcis quidam *Cacap* Indigenis vocatus. E Cyprinorum ſaxatilium quoque genere eſt, ſed longe majores ſunt: nam aliquando Aſellum noſtrum Callaricum ſeu majorem (noſtris **Cabeljau** dictum) excedunt. Guſtus præ omnibus aliis marinis piſcibus in Iava ſapidiſſimi, & proxime Aſellum jam prædictum referentis, & in muria per noctem macerata pars quædam, atque cum Raphanis, aut *Batatis* radicibus, cocta, addito Sinapi pro condimento, ſapiunt plane, ut Aſellus ſalitus apud nos,

nos, quem **Aberdaen** vocare ſolemus. Et cum paſtinacis flavis, aut rapis eodem modo coquuntur, & comeduntur in patria, ſed nos iis carentes Raphanis, brevioribus & craſſioribus contenti vivimus, quamvis & Paſtinaca alba, & flava, hic ſata, bene proveniunt, tamen lignoſa ſunt, & nullo modo tam boni ſaporis, quam in patria; quod non agro, qui fertilior hic eſt patrio; ſed ſoli genio, imputandum eſt:


Hic ſegetes, illic creſcunt felicius Vvæ. Virgil.

CAPVT XXII.

De Congris, Murænis, & Anguillis, in fluminibus, & mari Iavano.

PLinius, Cap. xx. Lib. ix. ubi piſces in figuras corporis digerit, hæc ait; Pinnarum quoque ſunt diſcrimina, quæ pedum vice ſunt datæ piſcibus. Et paulo poſt; Binæ omnino (de primis intellige) datæ ſunt longis & lubricis, ut Anguillis, & Congris. Hæc omnia flexuoſo corporum impulſu ita mari utuntur, ut Serpentes terra. Hactenus

Congri.



ille. Cæterum iſte Conger & Muræna, quæ tanto in pretio apud Romanos habebantur, hic viliſſimi ſunt.

Anguillæ, etiam frequentes, fluminibus & ſtagnis capiuntur: ſed earum uſu ego facile caream, cum certiſſimum mihi ſit, eas cum Hydris coire, tum colore ſuperne nigro ſunt, & ſubtus fœde flavo, maculis luridis diſtincto, ut aſpicientibus ſaltem horrorem incutiant.


Conger porro ſtipatus eſt ſerrata dentium ſerie, quibus, ſi imprudens Piſcator eum tractet, acerrimos morſus imprimit, & difficilia inde curatu vulnera, non ſecus, ac ſi à Serpente quis demorſus eſſet. Cæterum capitur quoque in mari, & alveis fluminum: ſed marinum prætulerim, utpote qui frequentet vada ſaxoſa, & arenoſa, neque limum ſapiat, ut fluviatilis. Cæterum Congrum hunc ſi coquant, etiam exoſſare ſolent Incolæ, more Romanorum, ut eſt apud Terentium in Adelphis:

Congrum iſtum ſinito tantiſper in aqua ludere, dum exoſſetur.

Quod & Murænis ſolere antiquitus fieri, Plautus in Amphitruone teſtatur, dum Soſia ſervus Mercurium minantem auſcultat, *mirum ni is homo me, tanquam Murænam, exoſſare cogitat.* Sed ſi verum fatear, puto, hoc ſic intelligendum, quod voluerit ipſum exoſſem reddere, qualis Muræna eſt, quæ loco ſpinæ, cartilaginem teretem, & viridem, in dorſo gerit, &, ut Plinius ait, pinnis caret.

 Appen-

Appendix. *De* CONGRO *monſtroſo.*



NOn mirum,ſi admodum differat forma & figura Congrus hic Indicus, ab his quos autor noſter exhibuit; cum ille Inſulæ potiſſimum Iavæ, ubi vixit, animalia tractaverit; rarus autem hic piſcis, aliaque à me huic operi addita, ex diſſitis Indiarum partibus prodeant. præterquam quod merito dubitari poſſet, inter Congroſne, an Hydras, recenſeri mereatur, licet pubes nautica ex Indiis redux inter Congros haberi teſtetur: Sed cum meum non ſit,eam litem componere,ſaltem inter monſtroſos Congros repoſuerim.

Quem hic exhibeo,trium fere pedum eſt longitudine,coloris ſpadicei,ſed nigris maculis cancellatis, more Serpentum, diſtinctus. anterior dimidia pars corporis tenuis, poſterior duplo pene craſſior, & inſtar clavi nodoſi, imbellis ſatis apparet. Capite & ore eſt oblongo, rictu,& dentibus acutiſſimis, ad rapinam factis, adeo tamen exiguis,ut viſum fere fugiant. In petroſis fundi cavernis victitat, pabuli gratia, ibique pinguefactus, grato Incolarum alimento exiſtit.

Peculiare autem quid obſervatur in his Congris, quod quicunque illos mactant, quaſi horrore, & tremore, imo ſubinde animi defectu, eoque non durabili, ſed mox ceſſante, corripiuntur. Quod quidem venenoſitatem in aliqua parte latentem, videtur arguere, quæ deficiente beſtiæ vita, in aërem ſe diſpergit: unde non immerito quis ſuſpicabitur, hos quoque Congros, ſicut & Anguillas quaſdam, cum Hydris coire, quoniam idem de Hydris quibuſdam teſtantur Barbari.

CAPVT XXIII.


De Serpentibus in genere, & de Amphisbæna in ſpecie.

Non ſatis eſt uno diffundier ore venenum?
Amphisbæna tamen gemino hoc exſibilat ore:
Has, dubitem, furias intexere crinibus hydras,
Atque hominum ad rabiem triſteis invertere menteis;
Obtrectatorum duplici ſic lingua veneno,
Intumet in faciem, & mittunt poſt terga ſceleſti.

SErpentes undique adeo multi ſunt, ut prius mihi charta defecerit, quam omnes enumerem: tamen de ingentibus aliquid dicturus, qui aliquando triginta ſex pedum longitudinem excedunt, tantæque gulæ & alvi capacitate, ut integros hauriant Apros. Ventrem enim habent triplo majorem, quam collum, & pars ea, quæ in caudam deſinit. Atque, ut hoc mirabile eſt in Crocodilo, quod ei ſuperior tantum maxilla moveatur, ſic in hoc Serpente utraque movetur, quo grandem hiatum oſtendit. Vt hoc confirmem, ſunt adhuc in vivis, qui cum D. Generali Petro Both, de Porco exciſo è ventre ſimilis Serpentis comederunt, quem recens deglutierat. Venenati non ſunt, ſed plicatura circa corpus hominis vel alterius animalis locatura, id vi ſtrangulant. Sequitur nunc AMPHISBÆNA.

Hæc eſt illa Plinii lib. 8, cap. 23, Amphisbænæ, ait, geminum eſt caput, hoc eſt, ad caput, & ad caudam, tanquam parum eſſet uno ore fundi venenum. Hanc ego occiſam

AMPHISBÆNA.



ciſam in domo mea, ad vivum hic delineatam exhibeo. Alebam enim Gallum prægrandem, pugnacem valde, ipſumque, ſummo mane cum ſurrexiſſem, luctantem conſpexi, ut mihi videbatur cum duobus Anguibus, quia duo capita animadvertebam, medium quippe corporis curvatum in latebris adhuc hærebat. Iuſſi ſervo Mauro, ut Serpentem occideret, quem ille protractum, oſtendit Amphisbænam eſſe. Plinius alibi dixit, ſi mulier mortuam Amphisbænam tranſcenderit, ei ſtatim menſes moveri: & lib. 20, c. 20, Silveſtris Lentis decoctum (quam φακὸν Græci vocant) ejus ictibus mederi. Iavani, ut ejus lethalem vim exprimant, eam *Oular Matti*, hoc eſt, vermem mortis, vocant; namque hæc gens, ut ſimulandi eſt artificioſiſſima, ſic paucis vocabulis in ſua lingua contenta, ſciens taciturnitatem meditationi alicujus facinoris convenire: Namque vocabulum *Oular* Serpentem, quidem, ſed proprie Vermem, denotat: comprehendens etiam quidquid Inſectorum tereti corpore ſine pedibus humi repit. Tum in fluviis ac mari Anguillas, Muræнас, & Congros, hoc nomine indigitant; addito vocabulo *Oular-ican*, quod poſtremum, piſcem deſignat.

CAPVT XXIV.

De Aſelli Indici ſpecie, item de piſcibus Alatis.


Capitur piſcis, quoad formam, & molem, Aſello Callariæ, ſeu majori, non abſimilis, ſapore optimo, ſed tamen carne ſicciori, quam noſter Aſellus, qui meo quidem judicio, inter omnes totius orbis piſces eſt ſapidiſſimus. Piſcis porro hic cute eſt flava, nigrioribus maculis per totum corpus diſtincta, unde noſtri nava-

ASELLI SPECIES.



les ſocii, cum primum in Indiam navigantes, circa Inſulam Mauritii, eum cepiſſent, **Jacob Evertſen** vocabant, qui ipſorum Navarchus, & homo parva, & compreſſa ſtatura, flava cute, plurimas ſimiles maculas in facie gerebat, unde & per totam Indiam adhuc idem nomen retinet.

HIRVNDO AQVATICA.



VOlatici porro piſces, (Hirundines aquaticas Geſnerus vocat), ex Halecum mihi videntur eſſe genere, cum corpore, ſquamis, & ſapore eum plane referant: Nam plurimos in itinere noſtro cepimus, quibus toſtis, & elixis, jucunde veſcebamur, cum ſalſamentorum nos jam pridem ſatietas cepiſſet. Hos piſciculos ad paſtum perſequuntur Thynni, & Delphines, qui *Dorados*, *Corcovados*, *Bonitas*, Luſitanis dicuntur. De quibus alias fuſius diſputavimus. Alæ ipſorum alis Veſpertilionum aſſimulantur, niſi quod in ambitu acutis aculeis muniantur; Cæterum, tantum ad aliquos paſſus volant, &, exſiccatis alis, rurſus in mare decidunt. Mira ſunt hæc, piſces volare: ſed multo mirabilius, quod Plautus ait in Milite glorioſo, homines fuiſſe volaticos, quos iſte miles miro, illic dicto, modo occiderit uno die.

CAPVT XXV.

Tincæ marinæ, ſive Hippuri, mira quædam ſpecies.

OVid. *Nam gaudent pelago, quales Scombrique Boveſque*
Hippuri celeres, & nigro tergore Milvi.

Tinca marina, ſeu Hippurus, quod pinnam equinam habeat, caudam equi-

TINCA MARINA.



nam æmulantem: Tincam vero marinam ego hunc piſcem ob lævorem cutis vocavi, & quod ſoleat hic etiam ei pellis ante cocturam detrahi; ita ut rarus piſcis, ob inſuetam pinnæ continuitatem, Hippuro; atque ob lævorem cutis & carnis ſaporem Tincæ, comparari optime potuerit.

Præter enarratos piſces, infiniti adhuc edules quotidie è mari & fluviis ad nos deferuntur, & venum in piſcario exponuntur, ut ſunt imprimis, Alburni, Muſtelæ, Murænæ, Gobii, Polypi, Lupi, Anguillæ, Apuæ, Pectinum quoque, Solearum, Lingulacarum, Rhomborum, cæterorumque planorum piſcium genera, plura, quam in Patria. Paſtinacæ denique, & Raiæ, marinæ, abſciſſo, quod à latere & cauda eminet

telo

telo venenatiſſimo, comeduntur, ut reliquæ Raiarum ſpecies. Vidi inter eas, quæ duos oculos in capite, & alteros duos in tergo gererent; capiuntur & pluribus luminibus, præditæ.

CAPVT. XXVI.

De piſciculo Cornuto, ſeu Ican Setáng.

CApitur hic Piſciculus inter rupes plerumque littoribus Iavæ vicinas, non majoris magnitudinis, quam qua ad vivum depictus eſt: armatur duobus præacutis, & duris, cornibus, in parte anteriore frontis; gerit præterea duo cornua circa podicem, quibus ſe ab injuria majorum piſcium egregie defendit: nam alacer valde eſt, & mobilis inſtar Porcelli piſcis. Lupo marino, & huic piſciculo (ut à piſcatoribus Chinenſibus accepi) ſummæ inter ſe inimicitiæ ſunt. Nam, ut omnia devorare cupit Lupus marinus, ſi prehenderit hunc piſciculum, ille ſuis cornibus tantum moleſtiæ exhibet in ventre, ut, niſi prompte ipſum evomat, certiſſimam mortem incurrat, quamvis & inimicus ejus quoque ſuffocatur, tamen non inultus moritur. Piſcatores Indi vocabulo Arabico ipſum *Ican Setang* vocant, id eſt, piſcem diabolum, vel quod cornua gerat, ſeu, quod ictus ejus admodum virulentus ſit, ut ſæpe diximus de Dracone marino, ſeu **Pieterman** Belgis. Caput valde ſimile eſt bubalino capiti, cum prægrandibus oculis, ſquamis undique tam duris obſitus eſt, ut avelli ſine cute non poſſint,

PISCICVLVS CORNVTVS.



propterea Chinenſes, & Mauri, qui eo veſcuntur, non ſecus ac Ranas, excoriant: ſed certe carnis eſt duriſſimæ, & minus ſalubris, ideo delicatioribus ventriculis vitandus, non ſecus, ac Orbis piſcis, Sepiæ, Loligines, & Polypi, quibus abundamus, & quorum omnium miræ ſpecies quotidie in forum venales feruntur. Imo ego Polypos tam grandes vidi, qui, ſi hominem prehenderint, non facile eum amittant à ſe. Credo de eorum genere eſſe, de quo Plautus feſtive ait,

Novi ego iſtos Polypos, qui ſibi, quicquid tetigerint, tenent.

CAPVT XXVII.

De Nautilo piſce, Sepiis, & Holothuriis.

PLinius, antiquiſſimus Naturæ indagator, & rimator, Nautilos piſces inter Polypos ponit, & vere lib. 9, cap. 29, his verbis. Inter præcipua vero miracula eſt, qui vocatur Nautilos, ab aliis Pompilos, ſupinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facile naviget, poſtea prima duo brachia reflectens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in aura, cæteris ſubremigans brachiis, media cauda, ut gubernaculo, ſe regit. Hactenus Plinius; quæ verba tam naturaliter hujus Nautili formam exprimunt, quam ſi ipſe in eo habitaſſet. Ac paulo poſt. Ita vadit alto, liburnicarum ludens imagine, & ſi quid pavoris interveniat, hauſta ſe mergens aqua. Hæc quia ipſe ſæpius vidi, & cum damno meo expertus ſum, veriſſima eſſe novi: nam dum talem piſciculum in mari captum imprudentius manibus meis contrectaſſem, tantus

NAVTILVS, & SEPIA.





ardor manum invaſit, tanquam ſi aqua ferventi ſuffuſa eſſet, &, niſi appoſito ſtatim allio contuſo cum aquâ mihi ipſe ſubveniſſem, procul dubio præ dolore in febrim incidiſſem: unde ego ipſum piſcem de Holothuriorum eſſe genere contenderim, ut quæ omnia in mari fluctuantia, tam acrem calorem attrectantibus inurunt, quod & fallaciſſimi omnium mortalium Chinenſes noverunt, qui illa Oryzæ miſcent, ut liquorem ſuum deſtillatitium (quem *Arac* nos hic vocamus) tanto calidius reddant, pernicioſo invento, quod hinc miſeri noſtri ſocii navales, ſanguinis Sputum, Phthiſin, Maraſmum denique, & ipſam tandem mortem incurrant.

Sepiam hic appingi etiam curavi, ut videatis, quid de eo noſter Plinius dicat lib. ſupra citato, & cap. eodem, de Loligine, & Sepia loquens. Ambo autem, ubi ſenſere ſe apprehendi, effuſo atramento, quod pro ſanguine his eſt, infuſcata aqua abſconduntur. Quod adeo in me ipſo expertus ſum; Dum enim Sepiam curioſius contemplarer, effuſo illo Pliniano atramento ſuo totam faciem mihi infuſcavit, non ſine riſu aſtantium.

CAPVT XXVIII.

De Muſtela, & aliis quibuſdam piſcibus lacuſtribus, ſine ſquamis.

NEſcio quid Plinio venerit in mentem, quod Muſtelæ ſecundum, in fluviatilibus piſcibus, à Scaro dederit principatum, his verbis, l. 9, c. 17, Nunc Scaro, datur principatus, qui ſolus piſcium dicitur ruminare, herbiſque veſci, non aliis piſcibus. Et paulo poſt. Proxima eſt his menſa, generi duntaxat Muſtelarum. Et quæ ſequuntur, dum ipſas diſtinguit in fluviatiles, & marinas. Certe tanta copia hic Muſtelæ capiuntur, ut ſit è viliſſimis cibis, & ab Incolis *Sembilang* nominatur. Fateor equidem, Muſtelam ſapore excellere inter piſces, qui in fluviis degentes, ſquamis carent, ut

MVSTELA.



ut ſunt Anguillarum genera, Tincæ, & ſimilis ſpeciei. Cæterum maneat Plinio ſua autoritas, ego certe longe præſtantiores piſces me hic comediſſe autumo, aut guſtus me fallit. Anguillas porro, & Muræenas habemus, fluviatiles, & marinas, quæ poſteriores mihi bonitate reliquas vincere videntur; ego ſaltem lacuſtres cum Hydris, & Serpentibus coire non ſemel vidi, quod ſufficit mihi, ut abſterrear ab iis, aliiſque tales delicias relinquam.

Capitur præterea in lacubus & ſtagnis, Mugilum quædam ſpecies, ſquamis duriſſimis, & dentibus tam acutis, ut natantes pullos Anatum devoret, & laceret, ac Anſeribus ſæpe pedes mordicus demetat, vocaturque Incolis *Ican Caboſch*: hic tamen etiam limum ſuum ſapit. Mugiles denique marini (quos Belgæ, **Harders** vocamus) hic in ſumma quantitate capiuntur, & venales in forum feruntur, qui ſtatis temporibus ſapidiſſimi ſunt: ſed aliquando ipſos morbus invadit, ut vermes intra carnes eorum generentur, non ſecus ac Apuis in patria accidere vidi, & tum oſſibus & ſpinis abundant (quod noſtri **Parigh weſen** vocant), inſuaves quoque ſunt, minuſque ſalubres; Muſtelæ porro ſunt fœdo aſpectu, & caput ferme Bufonis oſtendunt, aſt oculis grandioribus, corpus quoque multis luridis, & lividis maculis interſtinctum gerunt.

CAPVT XXIX.

De Squillis Indicis.

Squillarum hic omnis generis capiuntur, inter eas illæ etiam, in magna quantitate, quæ in dorſo ſerratæ ſunt, quas Belgæ **Steur-krabbens** vocant: Quam porro Squillam depictam damus, tantæ & inuſitatæ eſt magnitudinis, ut habuerim, quæ ſex numero, libram ſexdecim unciarum penderent. Saporis ſunt delicatiſ-

SQVILLA.



ſimi, & inter omnia Oſtracoderma, ſaluberrimi, unde, & phthiſicis, & qui ſanguinem è pulmonibus fundunt, medicamenti ſunt loco: at tum cum pauco ſale coqui debent: nam ſal omne eroſivum eſt, & proinde pulmonibus inimicum.

Cancri quoque in aqua dulci fluminum capiuntur, pedali magnitudine, in cavernulis circa

circa ripas fluminis ab ipſis excavatis. Sapore ſunt præſtantiores, quam marini, qui ſiccioris ſunt carnis, Locuſtas eas Plautus in Menechmo vocavit, dum medicus interrogans Menechmum hoc modo, ſolentne tibi unquam oculi duri fieri? ille feſtiviſſime reſpondet. Quid tu me Locuſtam eſſe cenſes, homo ignaviſſime? nam Cancrorum oculos lapideos eſſe, notius eſt, quam ut ego hoc prædicem, & quantam utilitatem adferant affectibus Renum, & Veſicæ, tum GonorrhϾ, è concubitu Venereo ortæ, ſi miſceatur pulveri Therebinthinæ Venetæ, coctæ, melius apud Practicos dicetur. Unde vero illud proverbium natum ſit, Squillas à ſepulcro vellas, ego certe ignoro, niſi jam invenerim, dum in hac Inſula circa mare fluctuans Cadaver Iavani occiſi contemplor, id pleniſſimum magnis hujuſcemodi Squillis inveni: ſed taceo, ne delicatioribus ventriculis facile nauſeam concitem.


CAPUT XXX.

De Teſtudine Squamata, Tamach, *aliis* Larii, *dicta*.

Quid monſtri hoc? Piſcis vel num fera terrea dicar,
Amphibium terris, quod aquis & paſcar in udis,
Quum ſquamas gero, tum duras in tergore ſetas,
Inque excavatis prope ripas dormio cunis?
Sic & adulator tumida dum vivit in aula,
In cunctas facies vertit ſe: Principis ora
Et vultum ſequitur, jurans in verba, negansque,
Rurſus ea, ut ſpectat mutari à Rege colorem.

INter varias, & miras, tam terreſtrium, quam aquatilium, Teſtudinum formas, nullam ego huic aſſimilem, neque depictam, neque vivam vidi, præter duas, quarum una mihi dono data, aliquamdiu in aqua vixit. Capite eſt exiguo Serpentis inſtar, oculis parvis, & in omnem partem mobilibus, dentibus acutiſſimis,

TESTUDO SQUAMATA, *Tamach* DICTA.



quibus piſciculos venatur, & lacerat. Squamis ſuperne per univerſum corporis proceſſus textus eſt, quamvis Carpionis, ſeu Cyprini ſimilibus, niſi quod craſſiores ſint. Cauda eſt longa, item ſquamis obſita, ventre levi, & molli eſt, & ictibus pervio. Hujus ſquamas Chinenſes medici in ſumma tenent exiſtimatione in Cholericis affectibus, Dyſenteria, & Cholera; Exſiccatis enim ſquamis, & tritis in pulverem, utuntur, ad ℈j pondus, in vino ſuo aduſto, vel aqua Oryzæ, quam *Candgie* vocari alibi diximus. Adverſus Colicos, atque alios extremos dolores, vim narcoticam obtinere, experimento comperi; & non mirum, animal natura ſua frigidum, ſomno lentum, & tardigradum, tales effectus à ſe edere. Edulis eſt, & longe optimi ſaporis, ut mihi retulerunt, qui de ea comederunt. Ego, ut verum fatear, naturali inclinatione abhorreo à cibis iſtis, quæ à Teſtudinibus, Serpentibus, Lacertis *Leguan* dictis, & ſimilibus, petuntur, inde malo iis carere, quam imaginatione in Nauſeam, & Choleram incidere, quod

quod mihi contigit, dum,in menſa Dn. Generalis I.P. Coenen de,Crocodilo comediſſem, cujus ſaporem cum reliqui laudarent, ego ex illius guſtu tanto horrore correptus ſum, & domum reverſus in tam atrocem (per imaginationem) Choleram incidi, ut vitæ periculum incurrerim, cum tamen primis labris tantum guſtaſſem. Iavani hoc Monſtrum merito *Taunah* vocant, quod idem eſt, ac ſi dicas foſſorem terræ, quia circa fluminum ripas cavernas in terra excavat, ubi lateat: eſtque Animal amphibium. Chinenſes *Lary* appellant, quod curſorem ſignificat, per antiphraſin proculdubio, cum ne Teſtudo quidem tardius incedat, quam hoc animal.

Cæterum, ut hoc obiter addam, Teſtudines fluviatiles alit Iava, longe marinis minores, piſcinarum depaſtrices, adeo roſtrata oris capſide ſine dentibus, ut facillime alicui incauto digitum amputent.

CAPVT XXXI.

De Cancris, Aſtacis, Oſtreis, & Oſtracodermis reliquis, in India.

Quiſquis caudati ſenſiſti tela Paguri,
Diſce meo exemplo morſus vitare doloſos:
Dente leonino, quos aula volubilis infert
A tergo, & pejus retinet ſors cauda venenum.

Cancrum, quem tibi depictum hic damus, coloris eſt viridis dilutioris, ſcuto levi ſupra dorſum & orbiculari, caudam prælongam fert, atque in fine,ſpiculi inſtar, acutam, qua ſi quem imprudentem piſcatorem læſerit, ei non minorem, quam Scorpius dolorem infert. Caro ejus non tam delicata eſt, quam reliquorum Cancrorum,qui varii, & in magno ſunt numero.

Cancri.



Aſtacos quoque fluviatiles ſimul, & marinos habemus,ſaporis optimi: ſed quod mirere, plenilunio hic omnia Oſtracoderma ſunt inania, decreſcente vero Luna, implentur contrario modo, quam quo in Patria.

Oſtrea quoque familiaria duorum generum; alterum quod in rupibus affigitur, quod & delicatius eſt; aliud vero, quod in virgultis pendens capitur, refluente nimirum mari, ſylvas, & fruticeta nuda relinquente. Sed hæc Oſtrea ego non probem, quod littora & fundus ſint limoſa. Præterea fœdi ſunt ſaporis,

ſaporis, limum, & fundum, referunt, quo etiam veſcuntur: Sed quamvis figura, hæc Oſtrea inter ſe non differant, tamen ego guſtu facillime differentiam diſtinxerim, ita ut de nobis hinc non inſulſe aliquis dicat, quod Iuvenalis, Satyricorum Princeps, Satyra quarta ait de Montano. Qui

—— Circeis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,
Oſtrea callebat primo deprendere morſu:
Et ſemel aſpecti littus dicebat Echini.

De Conchis, Turbinibus, & cæteris Oſtracodermis aliquid libens dixerim, niſi illæ per myriades, apud curioſos phanaticos in patria conſpicerentur.

CAPVT XXXII.

Ourang Outang *ſive Homo ſilveſtris.*

Hircipedes Satyros, Sphingas, Faunoſque petulcos,
Nec pueri credunt: tamen hoc mirabile Monſtrum
Humana ſpecta facie, tum moribus illi
Aſſimile in gemitu, tum fletibus ora rigando.

PLinius, ille Naturæ Genius, lib. 7, cap. 2, de Satyris dixit: Sunt & Satyri, ſubſolanis in Indiis locis & montibus perniciſſimum animal; tum quadrupedes, tum & recte currentes humana ſpecie & effigie, propter velocitatem nonniſi ſenes aut ægri capiuntur.

OVRANG-OVTANG.



Aſt quod majorem meretur admirationem, vidi ego aliquot utriuſque ſexus erecte ince-

incedentes, imprimis eam (cujus effigiem hic exhibeo) Satyram fœmellam tanta, verecundia ab ignotis ſibi hominibus occulentem, tum quoque faciem manibus (liceat ita dicere) tegentem, ubertimque lacrymantem, gemitus cientem, & cæteros humanos actus exprimentem, ut nihil ei humani deeſſe diceres præter loquelam. Loqui vero eos easque poſſe, Iavani aiunt, ſed non velle, ne ad labores cogerentur: ridicule me hercules. Nomen ei indunt *Ourang Outang*, quod hominem ſilvæ ſignificat, eoſque naſci affirmant è libidine mulierum Indarum, quæ ſe Simiis & Cercopithecis deteſtanda libidine miſcent.

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Porro in Inſula Borneo, in Regno Succodana dicto, à noſtris Mercatoribus propter Oryzam & Adamantes frequentato, homines montani caudati in interioribus Regni inveniuntur, quos multi è noſtris in aula Regis Succodanæ viderunt. Cauda autem illis eſt prominentia quædam oſſis Coccygos, ad quatuor, aut paulo amplius, digitos excreſcens, eodem modo, quo truncata cauda Canum, (quos nos *Spligiones* vocamus) ſed depilis.

Simias denique, Cercopithecos, Bavianos plurimos Sylvæ Iavanorum alunt.

CAPVT XXXIII & Vltimum.

In quo Naturæ quædam opera miraculoſa poſteris Iatroſophis ulterius indaganda proponuntur.

OStracoderma, ut Oſtrea, Purpuræ, Turbines, & quæ ſunt fragilioris teſtæ, Cancri, Paguri, Aſtaci, Locuſtæ, Squillæ denique, hic Novilunio plena ſunt ſucco; eodem, Plenilunio, deſtituuntur.

Quidnam dicemus de Ætneis cavernis & montibus ignivomis in Iava & Banda, quæ ingentes lapides, quos ne viginti quidem homines loco movere poſſent, aliquando ex imis faucibus eructantes, non ſecus ac tela, extra conſpectum in aëra mittunt? Cujus noſtri hic plures oculati teſtes exſtant.

Sileat Bitumen & Aſphaltum ſuum Lacus Palæſtinus; cum & Sumatra Naphtham ferat, quæ in mediis fluctibus flammam alat, quod cum maximo ſuo damno, noſtris inſpectantibus, Luſitani cum duabus navibus, Galeonibus dictis, combuſti ſenſere, cum proſpero vento & æſtu eam in mare effundentes accenſam in hoſtium naves conarentur avertere.

In Iaponia arbor Palmæ figura creſcit, quæ ſi à pluviis permaduerit, tanquam peſte correpta ſtatim exareſcit, quam mox cum radicibus avulſam in locum apricum ſiccandam exponunt indigenæ, & tum in eandem ſcrobem injecta prius arena fervida, aut ſcoria ferri, replantant, & ſi qui rami exſiccati, vel avulſi ſint vel decidere, eos clavis ferreis trunco affigunt, & ſic priſtino virori reſtituitur.

Potulenti liquores ex arboribus ejuſque fructibus depromuntur, non ſecus ac vinum, inebriantes. Hi potus ex diverſis arboribus eliciti *Zagueer* & *Towac* vocantur.

Quod autem in Iaponia narrabo fieri, miracula ipſa ſuperat. In doloribus capitis antiquis, in obſtructionibus Hepatis, & Lienis, in Pleuritide quoque, perterebrant ſtylo argenteo, aut è chalybe confecto, non multo craſſiori, quam cythararum chordæ eſſe ſolent, tranſadigendo paulatim & lente prædicta viſcera, ut altera parte ſtylus exeat, quod & in Iava fieri vidi.

Sed jam tacebo; ſi de Regis Macaſſarenſis in Inſula *Celebes* veneno, quo jacula ſua parva per tubulos miſſilia inficit, dixero, quod tantæ pernicitatis eſt, ut celerius mortem inferat, quam ſi ferro urgeretur: nam aliquis vel leviter læſus ad ſimplicem ſanguinis miſſionem vel in extrema calce, ſtatim nutabundus, tanquam ebrius, mortuus in terram concidit: ſed & carnes intra dimidiæ horæ ſpatium à ſeptico hoc veneno, ita computreſcent, ut tanquam mucus à ſubjectis oſſibus manibus avelli queant: Et quod mirere magis, fit, ex. grat. aliquis in femore vel altius læſus ſuperficialiter à telo alio veneno non intincto, & ſanguis etiamnum calidus in ſubjectos pedes defluens tangatur ſimpliciter hiſce venenatis ſagittulis, ocyor Euro aura peſtilens vulnus verſus aſcendet, eademque celeritate & modo hominem è vivis rapiet: Hæc non ſunt

nugæ: ſed oculata experientia, non ſolum à Noſtris, ſed & Danis, & Anglis, uſurpata.

Sacerdotes Bandanes inediam facile, ex ſimplici voto, viginti & amplius dierum ferunt.

In Malacca, & Continentis quibuſdam Indiæ locis, creſcit herbula, quæ ſemen fert inſtar Hordei, ſed nigrius & hirſutius; cujus ſucco ſi ſolummodo dentes imbuantur, ſilicem in pollinem redigere valent.

Semen quoque aliud parvum inibi naſcitur, adeo efficax promovendo partui, ut, ſi diutius quam par eſt, ore contineatur, ipſum uterum præcipitet.

Nux Myriſtica, & Macis, in Inſulis Bandæ tantum proveniunt, cæteris terris negata.

Lapis Pa-ſahar, vulgo Bezoar, concreſcit in Perſia ex ſolo eſu herbæ, Colchici, vel Croci florem gerentis.

Quid Laccam elaborantes Formicas loquar, quarum operas ſi noviſſet Plinius, non tantus in ſolis Apibus laudandis fuiſſet?

Adde, Moſcum hic & in China fieri ex putrefactis carnibus beſtiarum, Muris Pontici forma, & odoratiſſimum Zibethum è vomica penes nates Vulpis Indicæ erui.

FINIS LIBRI QVINTI.

IACOBI BONTII

HISTORIÆ NATVRALIS & MEDICÆ

LIBER SEXTVS.

De Plantis, & Aromatibus.

CAPVT I.

De Herba, ſeu Frutice, quem Chinenſes The *dicunt, unde potum ſuum ejuſdem nominis conficiunt.*

DE hoc frutice hactenus eloqui erubui, cum Chinenſes id tanquam arcanum ſibi reſervent, & ſi quis eos interroget, unde adferatur, & ubi naſcatur, variant omnino, neque quicquam ſtabile adferent, nam modo dicent, herbam eſſe, modo fruticem; ita ut nil firmum inde concludere hactenus valuerim, cum tandem generoſus noſter D. Generalis Iacobus Spex, eam diſputationem, & ſcrupulum mihi partim ademit. Qui haud dubie fruticem eſſe pronunciavit, nam nobiliſſimus Dominus dum ante aliquot annos in Iaponia Legatus, & Gubernator eſſet ibi, ſæpiſſime creſcentem conſpicatus eſt. Viridia folia mihi nunquam hic videre contigit. Sed dum arefacta in aqua tepida diſſolverem, inveni ea omnino ſimilia eſſe foliis Conſolidæ, ſed inciſa ſunt in circumferentia, & dentata. Porro hanc herbulam cum aqua Chinæ decoquunt, & calidum decoctum dein ſorbent, ſanitatis conſervandæ gratia, quod decoctum ſapore eſt verſus amarum vergenti, unde & ſaccharum ditiores indunt. Porro de hoc potu tantas laudes celebrant Chinæ, tanquam iſta *The* ſacra eſſet herba, & omnibus languoribus, morbiſque accommodatum ſolatium. Et certe, ut verum, fatear, ſanitati procul dubio conducere dicendum eſt, & pituitæ craſſæ è pectore avellendæ non infima eſt medicina; ſiccitate namque præſtat, & calore, quod amaritudo ejus ſatis indicat, Phthiſicis, quoque hic potus prodeſt, & Orthopnoicis, tum veſicæ, & calculo renum accommodatum eſſe remedium extra controverſiam eſt, cum ſit ſumme diureticum. Cæterum non minoribus à Chinis laudibus effertur hic potus, quam Mahometanorum *Cave*, quod potus genus etiam apud ipſos fervidum ſorbetur in eoſdem, quos diximus uſus. Hactenus Bontius.

ANNOTATIO. Non abſonum exiſtimavi, ſi circa figuram differentias & qualitates nobilis hujus Aſiaticæ plantæ, huc quædam notatu digna adduxero, ex relatu eorum qui per integros campos in China & Iaponia eam ſtudioſe coluerunt. Quo, cum haud multi penetrarunt Europæi, ut neque noſter Bontius, & proinde viventis plantæ ejuſque Iconis ſe compotes fieri nequiſſe conqueſti ſint, ego tandem defectum illum favore D. Caron, olim in Iaponia Præfecti meritiſſimi, ſupplevi; ipſo nobis inuſitatam foliorum diſcrepantiam ſuppeditante, pictori quo ad magnitudinem & figuram, mihi quo ad vires & pretium. Quæ pleraque cum hactenus neglecta, non mirum eſt, multos etiam nunc in illo errore verſari, quaſi diverſæ ſpeciei plantæ eſſent *The* & *Tſia*: cum è contra eadem ſit, cujus decoctum Chinenſibus *The*, Iaponenſibus *Tſia* nomen audiat; licet horum *Tſia* ob majorem foliorum contritionem & coctionem, nigrum *The* appelletur. Vnde fit, ut Iaponenſium *Tſia* gratioris utique ſit ſaporis, majoriſque efficaciæ, ac altioris quoque pretii.

Omnis itaque *The*, ſive *Tſia*, nullibi terrarum, quantum quidem conſtat, niſi in Ia-

FRVTEX THE.



poniæ, Chinæ, & Chiam, campis colitur, exſurgitque ad Ribeſiorum vel Roſæ Europææ molem & altitudinem. Caules & ramunculi totius fruticis à pede uſque ad verticem, perpetuis & infinitis floribus & foliis tenuibus, acuminatis, in ambitu crenatis, ornate veſtiuntur. Quæ ejuſdem licet formæ, diverſæ adeo ſunt magnitudinis, ut quinque differentiæ foliorum uni eidemque frutici adnatæ appareant. Prima & maxima in inferioribus ramuſculis, Balſami hortenſis foliis ſimillima exiſtunt. His ſuccedunt ea, quæ ſecundæ magnitudinis & prioribus multo minora ſunt, ut ſic gradatim aſcendentia quinquies manifeſte differant. Verum quantum hæc folia ſurſum magnitudine decreſcunt, tantum pretio accreſcunt: quippe primæ magnitudinis exſiccatarum & præparatarum libra valet quinque aſſes; ſecundæ, quinquaginta; tertiæ vero, quinque florenos; quartæ, quindecim: quintæ & ultimæ magnitudinis, quinquaginta, imo ſubinde centum & quinquaginta florenos valet, ſi rite præparata fuerit. Iaponenſes folia hæc in pulverem (quo viridiorem eo præſtantiorem) redacta, ferventis aquæ cyatho immiſcent, quantum duobus cochlearibus continetur, eamque potionem ita permixtam potant. Sinæ vero in aquæ ferventis vaſculum aliquot ejuſmodi folia injiciunt, inde calida, poſteaquam eorum vim imbibit, epotatur, ipſa vero folia relinquuntur.

Flores porro fert *The* albicantes, magnitudine, figura, colore, Roſæ ſilveſtri Europææ, quæ *Eglantier* vocatur, excepto odore, ſimillimos. Quorum foliolis decidentibus, umbilicus manet, ubi ſemen horum fruticum rotundum & nigrum continetur Roſarum inſtar, quod terræ commiſſum novas producit plantas triennii ſpatio, ex quorum

rum foliis meſſis luculenta illis annuatim redit, etiam iis Iaponiæ locis, ubi gelu & nix vigent æque ac in Hollandia. Ita ut ſperandum ſit, ſi ſemen capſulis incluſum, & contra aëris injurias munitum, huc deferatur, ibidemque umbroſis & fertilioribus terræ locis commendetur, feliciter quoque educatum iri poſſe. Radices ſunt fibroſæ, & in minimas particulas diſperſæ circa terræ ſuperficiem, nullius hactenus uſus habitæ. Ita ut ſola hujus decantatæ fruticis præſtantia in frondibus exiſtat, quæ Vere Iaponenſi lectæ, & in umbra exſiccatæ, ad quotidianas decoctiones reſervantur. Quas quidem potiones pretioſiſſimis culinaribus inſtrumentis ab ipſis Magnatibus, diverſis modis religioſe præparatas, intimis tantum amicis, veluti exquiſitum quid noctes atque dies propinant: Eaſque non frigidas, ſed calidas tantum, prodeſſe, ratum habent, more veterum, qui frigidam calidæ poſtponebant. Si vero quibuſdam ob amaritudinem inſuavior videatur, tantillum ſacchari addunt, eamque ſumma cum voluptate & levamine ſorbent ſani ad arcendum ſomnum; & imprimis ægri, quibus poſt largiora convivia caput & ventriculus oppletus fuit.

Sed, ne in alieno opere prolixior fiam, omittam ea, quæ de uſu & deliciis hujus celeberrimæ potionis Autores probatæ fidei ſcripſerunt, ut ſunt Petrus Maffæus lib. VI, Ejuſd. lib. XII, Ludovicus Almeida in eodem opere l. 4, ſel. epiſt. Petrus Farricius ſoc. Ieſ. Tom. II, Rer. Ind. Matthæus Ricius, de Expeditione Chriſtiana apud Sinas. Aloiſus Frois, in relatione Iaponica, & alii. Quorum omnium Compendium D. Tulpius noſtræ Reipublicæ Medicæ Coryphæus, in calce obſervationum ſuarum ſuccincte tradidit. Cum enim hic potus indies celebrior fiat, etiam apud Europæ Magnates, omnes fatentur uno ore ipſis bene eſſe ex ejus uſu, unde fit ut magna copia & magno pretio ipſa folia exſiccata & in capſulis plumbeis recondita, undiquaque nunc diſtrahantur: Verum ſi earum potiones forte non æque feliciter in Europæis Regionibus evincant ſomnolentias conſuetas; nec renum calculos, & catarrhos, aliaque ſanitatis incommoda æque efficaciter arceant, ſicut illi in natali ſolo expertum habeant; tamen ille defectus non adeo ipſi herbæ, vel Aſiaticorum ſuperſtitioni, quam noſtro præparandi & utendi modo, ut & corporum noſtrorum diſpoſitioni, aliiſque impedimentis, imputari poſſe, facile eſt dijudicare. Collatis itaque allegatorum autorum ſcriptis, & noviciorum quorundam vivo relatu, omnes inter ſe convenire videntur potius circa uſum, dignitatem, & effectus hujus potionis, quam circa vires & qualitates. Nam quantum ad ſaporem foliorum *The*, præter amaritudinem, & calorem, aromaticum quid, & tenuitatem partium potius prædominantem, quam aſtrictionem, videntur arguere. Accedit, quod infiniti mecum experti ſint, ex reiterata hac potione ſerum ſanguinis leveſque ſudores moveri, urinaſque ſimul copioſe protrudi. Vnde ego crediderim, illud quod affert impedimentum vaporibus, ſomnum ordinarium inducentibus, non adeo aſtringendo ſtomachum, quam diſcutiendo flatus, attenuando ſpiritus, exſiccando & corroborando cerebrum, præſtare; imo dolores univerſales mitigare, ut inter anodyna primatum obtinere poſſit. Accedit quod omnes evidentes operationes, quas in humano corpore exerit, meæ opinioni faveant, cum non ſolum teſte noſtro Bontio, ſed & omni Sinenſium, Iaponemſiumque experientia, ſumme diuretica, & ſiccans craſſæque pituitæ abſtergendæ dicata habeatur. Imo quidni præter has enarratas manifeſtas qualitates, etiam antinarcoticæ ſive antiopiales (ſi ita loqui liceat) proprietates illi attribui poſſent; ſcilicet ut *The* diſcutiendo, & ſeparando vapores, atque exacuando ſpiritus, ſerenitatem quandam menti & corpori conciliet, blande vigilias inducat, vinculumque illud vaporum familiare paulatim diſſolvat æque commode, quam Opium coagulando, obtundendo, figendo, ſomnum inducere creditur.

Porro lis hæret inter Autores, an planta tam nobilis ejuſque uſus fuerit antiquiſſimus, quia in vetuſtis Sinarum voluminibus nullus ad eam ſignificandam hieroglyphicus character (quales ſunt illorum litteræ) reperitur. Noſtratium aliqui Præfecti in Indiis probabilitatem indigenatus territorii Chinenſis & à multis ævis agreſtem & incultam fuiſſe mihi teſtati ſunt: Sed ejus culturam, vires eximias, præparandi modos, dignitates, quæ quotidie adhuc incrementum ſumunt, apud illos minus obſoletas eſſe.

Quod ſi ita ſit, non male quadrat cum iis, quæ de Tabaco & Canna ſaccharifera perhibentur: quarum illa olim in natali ſolo Indiæ Occidentalis ſolummodo herba vulneraria fuit habita; Hæc vero inſtar Iridis circa ripas vaga fuit & contemta, antequam

dulcedo ejus à Barbaris detecta, tandemque per manus tradita, atque cum labore exculta, toti Orbi ceperit eſſe oblectamento.

CAPVT II.

De Nuce Faufel *ſeu* Pynang *Malaiis dicto, de* Sirii, *&* Sirii-boa, *& illorum uſu.*

Quis foliis credat commixta calce tenellis,
Cum fructu hoc Indos veſci, unde ore cruento,
Purpureum ejiciunt ſuccum, tum dentibus atris
Horrendum arringunt, & dentibus ore minantur?

RES iſtæ, de quibus jam acturi ſumus, adeo familiari ſunt in uſu apud omnes Indiæ populos, ut videamur operam velle perdere, ſi latius de iis agamus, tum quia Ianus Linſcotanus expertiſſimus rerum Indicarum ſcriptor, de iis ſatis copioſe egit, quem Autorem (ut hoc obiter dicam) immerito multi fluxæ fidei incuſant,

NVX FAVTEL, & BEFELE.



cum certe in iis, quæ ipſe viſu percepit, optima fide egerit. Cæterum de meo hic illud addam, quod vel reliqui ſcriptores omiſere, vel non ſatis luculente deſcripſere. Folia, igitur iſta, quæ Malaii *Sirii* vocant, Iavani *Betele*, ubi maſticantur ſine admixta calce, amara ſunt, & linguam pungentia, inde addito fructu hoc *Pynang* dicto Iavanis, Arabibus,

bus, *Fauſel*, cum calce è teſtis oſtreorum uſta maſticant Incolæ. Hoc *Sirii Pynang* formam refert glandis quercinæ, quamvis quadruplo ſit major, antequam ad medullam, quæ in medio eſt, venias, veſtitur multis filamentis, iiſque tam lentis ut admaſticando confringere poſſis. Hanc nucem quadripartiuntur incolæ, ſi grandiuſcula ſit, ſiñ minus, diſpartiuntur, & ſingulas partes, ſingulis foliis involvunt *Betele*, vel *Sirii* dictis. Folia autem hæc è Convolvulorum ſunt genere, niſi quod craſſiora ſint paulo, tum iſta folia pauca calce, ut ſupra dixi, admixta, ore terunt, & priorem quidem ſuccum exſpuunt, ne calx ſua acrimonia, gingivas, palatum, & guttur lædat, reliquum ſuccum deglutiunt, qui ſanguinis & minii inſtar rubicundus fit ab admixta calce, nam ſine ea viridis eſt ſuccus, unde etiam eo colore dentes inficit, & nimium ſumptus atro colore imbuit, quo Indi adeo gloriantur, quam noſtrates puellæ dentium candore.

BETELE.



B*Etele* hoc porro Phaſeolorum & Piperis modo appoſitos bacillos ſcandit; Et fructum fert Piperi albo, & oblongo ſimilem, ſeu mavis, caudam Gliris referentem, quem Incolæ *Sirii-boa* vocant, eſtque propter raritatem in longe majori exiſtimatione, quam ipſum folium *Betele*. Nunc ſi quis ſententiam me de harum rerum uſu roget, dicam libere quod ſentio, id eſt, me maſticationem hanc longe præferre fumigio Nicotianæ, ſeu Tabaci; attamen ſi quis ſine modo (quod ſæpe fit) his utatur, corrodunt dentes, immo eos excidere faciunt; novi ego, hic Iuvenes, qui vigeſimum quintum annum nondum exceſſere, tamen plane edentuli erant, ab uſu hujus folii frequentiori. Ideo quoque videre eſt pleroſque Iavanos, ut Malaios, rariores habere dentium ordines, in quorum vacuos loculos, ditiores, aureos rurſus includunt, quibus etiam non modice ſuperbiunt. Præterea, ſi Nux *Pynang* non ſatis maturuerit, tum maſticata vertiginem cerebro ſubitam inducit, non ſecus ac ſi ſumpto vino quis ebrietatem contraxerit, quæ alteratio quamvis ſumpto pauco ſale, & hauſtu aquæ gelidæ evaneſcat, tamen non omnino phyſicarum rerum ignaris ſuſpecta merito eſſe debet, quid id ſit, quod in nobiliſſimam corporis partem, qualis eſt cerebrum, & mentem hominis ipſam, tam ſubitam mutationem inducat. Notumque fiet indaganti cauſas rerum, maſticationem hanc univerſo nervoſo generi non admodum eſſe amicam, & ſalubrem. Itaque ego pronuncio; ſi quis hoc medicamentum ad commendationem halitus oris, & dentifricium moderate ſumere velit, me lubente, nec male fecerit. Atque hic cum Horatio concludo, quod,

Sit modus in rebus, ſint certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

CAPVT III.

Arbor Spinoſa, unde Cate ſeu Lycium exprimitur.

En Lycii ſtirpem, cujus jam Plinius olim
Tam bene laudavit ſuccum, ſed notior ille eſt
Hiſce locis hodie, lacrymæque Papaveris ipſum
Æquiparant Indi, bilioſaque tormina ventris
Tollit, & auſtero conſtringit robore dentes,
Quos nimis eroſit creberrimus uſus Arecca,
Quam Calci mixtam Iava conterit ore cruento.

ARbor hæc quam deſcribimus, creberrimis, in trunco, & ramis, ſpinis eſt obſitus, foliis fere Sabinæ, vel arboris, quam vocant Vitæ; ſed non tam pinguibus, & craſſis. Cæterum Fabas rotundas fert punicei coloris, in quibus tres, aut ad ſummum quatuor, nuces clauſæ latent, tanta duritie, ut dentibus frangi nequeant, hiſce

ARBOR SPINOSA.



pueri apud nos loco ſphæricarum lateritiarum in luſu ſuo utuntur. Vſum porro ejus in medicina duplicem vobis monſtrabo; primo, ex ſapore foliorum aſtringente, & ſtiptico, ſiccum eſſe contendo, ideoque ejus ſucco è foliis expreſſo, ubi alia medicamenta deſint, in ulceribus audacter uti non dubitavi: ſed in tanta reliquarum plantarum copia, viliſſima ſeu potius notiſſima contemnuntur, ut alibi de Graminis hic naſcentis ſpeciebus diximus. Secundo, longe nobilior & antiquior radicum, corticum & foliorum uſus, quem mox docebo.

Vt hoc quoque obiter dicam, plurimos etiam præter hanc habemus ſpinoſos frutices

frutices non tantum: ſed ingentes, & vaſtas arbores, quæ ſpinas in ramis & trunco ferunt dodrantales, inter quas arbor ea eſt, quæ Fabas rubras fert edules, Turdis jucundum pabulum, ut alibi videbimus. Tum hic Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis, & ſi quis in ſylvis à via aberraverit, quod ſæpe iis accidit, qui cum ſclopetis eo occidendorum Cervorum, Aprorum, & Vaccarum ſylveſtrium, gratia abeunt, illi ſine laceris veſtimentis in viam non redibunt, &, quod pejus eſt, ferociſſima ſæpe Tigris inter hæc ſenticeta cum multorum exitio latet.

Sed, miſſa digreſſione, revertamur ad arborem, quam vobis ob oculos pono, è cujus radice non ſolum; ſed ex cortice, & foliis, multoties præſtantiſſimum excoxi Lycium. Cujus vires in Medicina ſi enumerare velim, prius me dies deficiat. Hoc unicum addo, Malaios, & præcipue Chinenſes, ſi quando *Areccam* & *Betele* maſticant, parum Lycii ipſi *Cate* dicti admiſcentes ad præſervationem non ſolum; ſed & corroborationem dentium & gingivarum, quæ alias ab admixta calce infirmiores redduntur, & temporis tractu dentes exeſi ante tempus ſenii decidunt.

Garcias ab Orta l. primo. cap. decimo. *Cate* ſeu Lycii fecit mentionem: verum in ejus deſcriptione parcus eſt. Arbor unde ſuccus Lycii exprimitur, Rhamni ſpecies, folia Erucæ fert aut Sabinæ potius. Quod & Plinius confirmat l. 24. c. 14: Alterum genus (de ſecunda Rhamni ſpecie loquitur) nigrius eſt, & quadantenus rubens, eſt & ſilveſtre. Fert veluti folliculos (ſemen, credo, intelligit). Hujus radice in aqua decocta, fit Lycium vocatum medicamentum. Semen ſecundas trahit: Alter ille candidior aſtringit magis, collectionibus & vulneribus accommodatior, &c. Et paulo poſt. Lycium præſtantiſſimum è Spina fieri tradunt, qualis in Indicis arboribus, quoniam longe optimum eſt Indicum.

CAPVT IV.

De Tamarindis, & Carandis.

TAmarindorum arbor denſo eſt ſatis ligno, & in altitudinem Ceraſi plerumque aſſurgit; folia fert minuta inſtar Ciceris Arietini, egregie viridia, ita ut jucundum proſpectum intuentibus præbeant; Cæterum Ciceris, & Viciarum foliis in Zeelandia, quibus tam avide armenta veſcuntur, perquam ſunt ſimilia, guſtu Oxalidis acido, unde incolis, & propter aſtringentem qualitatem, in Cholera & Dyſenteria ſunt familiaria. Fructus Fabarum ſpecies ſunt, paulum incurve naſcentes, pulpa intus contenta, phœniceo eſt colore, nam quod atra apud nos viſitur, longo temporis tractu contraxit. Hic color iu Caſtaneis perſpicuus eſt; tum Piſa ipſius ſaxea fere ſunt duritie, ac Piſa Lupinorum referunt; ſed colore ſunt atro. De minorativis eorum viribus, quia toti Orbi innotuit, hic volens taceo: Hoc tantum ſilentio non prætereundum cenſeo, ut nos potum noſtrum quotidianum cum Saccharo & Tamarindis conficiamus hoc modo: Vaſculum bene vinculis ferreis vinctum, circiter triginta amphoris aqua fluviatili repletur, quibus induntur Sacchari nigri Iavanii ℔ ij. Tamarindorum ℥ ij, Limonum recentium inciſorum, N°. ij. Hæc bene obturata ponantur in loco umbroſo per viginti & quatuor horas. Mirandum eſt, ut hæc invicem fermententur, & ſine igne cum ſtrepitu ebulliant, non ſecus ac lebetes cereviſiarii iſti in Patria, ſuppoſito copioſo igne, efferveſcunt; ad ſuperiorem vaſculi partem ſordes & fæces ſuas amandans: Et hæc Iavanis, & noſtratibus cereviſiæ loco eſt: ſapore delicato, nec ullo modo cedente Hollandicæ cereviſiæ, tum ſalubrior longe in his calidiſſimis locis potantibus eſt. Et certe ſi mihi utriuſque optio detur, ego me hoc Iulapio contentum eſſe profiterer; nam experientia didici, cum naves è Patria Martiam Cereviſiam longe optimam huc advehunt, tum Angli quoque defæcatum ſuum potum Cerealem, delicatioribus ventriculis minus eſſe commodum, & ſæpe niſi quis ſibi temperet, inſignes cruditates in viſceribus progignere. De cæteris potulentis rebus abunde egimus in Diæta Indica noſtra, ad quam curioſum remittimus.

Præter hanc Tamarindorum jam deſcriptam ſpeciem, creſcit & alia fructu longe à præcedente diverſo, quam Garcias ab Orta cap. 6. lib. 11, ſub nomine *Carandas* deſcribit. *Carandje* autem Malaiis vocatur, folia quidem hujus arboris cum Tamarindi arboris foliis plane conveniunt, ſicut ex ramuſculo hoc appicto juxta arborem

TAMARINDVS, & CARANDA.



borem vulgarium Tamarindorum videre licet. Fructus maturi nucleis tanquam nuces incluſi, ſinguli ſingulis, ſecus ac Tamarindis, quæ ut Fabæ, plura Semina, & Piſa profert. Colore hic fructus eſt aperto, nucleo aureo, quem *Orange* noſtrates vocant, & caro ejus exterior gratiſſimi eſt ſaporis, neque dentes tam acidos reddit, quam Tamarindorum pulpa: ſed de dulci ſapore participat. Certe utramque hanc deſcriptam Tamarindorum ſpeciem Iavani *Oſſem Iava* vocant, quaſi acorem Iavæ dicas. Et ſimilibus quoque facultatibus præditæ ſunt, niſi quod *Carandas* non participent de poteſtate laxativa.

CAPVT V.

De Arbore Mangifera.

Manga Salutiferis ſic creſcit prædita ſuccis,
Atque intus flavas oſtendit limpida carnes
Caſtaneaſque Nuces referunt toſtæ igne ſaporem,
Quæ fructus media fixæ conduntur in alvo.

CHriſtophorus à Coſta hanc Arborem, pag. 293, bene deſcribit, ad quem nos lectorem remittentes, hoc tantum, quod cæteri omiſere, dicemus. Creſcit non ſecus, ac Quercus in noſtra Patria, hinc inde incurvis, & ingentibus ramis ſe extendentibus, flos flavus eſt, & in faſciculos congeſtus, qualis ferme eſt Liguſtri,

ARBOR MANGIFERA.



guſtri, ſed in multo longius ſpatium ſe extendit. Fructus immaturi acidi plane ſunt, ut niſi cocti dentibus non ſint ferendi, quapropter nucleum excidentes, quem prægnum in meditullio gerunt, ex ea pultem coquimus, quæ, Saccharo aſperſa, omnino ſaporem refert iſtius condimenti, quod apud nos coquitur, ex uvis criſpis acerbis immaturiſque, ſi ova ei miſceantur; & certe guſtus acrioris eſſe deberet, ſi quis differentiam ſaporis cognoſcere vellet, hoc modo præparati ventriculo roborando efficaces ſunt, & refrigerando ſanguinis in Iecore, venis, & arteriis, inſerviunt: maturi vero ubi devenerint, non ſolum viridem ſuum colorem, in flavum mutant: verum, & qualitatem ſuam frigidam amittunt: tum & ſaporem aſtringentem in dulciorem commutant, & calidi humidique deveniunt, bili gignendæ accommodati, ut eodem fol. apud Chriſtoph. à Coſta, paragr. 5. dicitur.

Itaque, ſi maturis Mangis, ſe aliquis ſine modo ingurgitet, facile in Dyſenteriam, & Choleram incidit, qui duo affectus non ſecus, ac dira peſtis in Europa, homines hic jugulat. Sed quoniam de his affectibus, & cura eorum abunde in Method. mea medendi Indica egi, de iis ſuperſedeo dicere.

ANNOTATIO. Videntur diverſæ ſpecies Mangarum apud Autorem noſtrum fuiſſe cognitas, figura non ſolum, ſed imprimis guſtu & dignitate, inter ſe diſcrepantes. Nam alibi mentionem facit deterioris cujuſdam *Mangæ*, quæ ſapore refert Paſtinacam illam ſativam, quam noſtrates **Geele-peen** vocant.

Alibi vero commemorat *Mangæ* ſpeciem fortis admodum odoris, Terebinthinam ſcilicet, & Piceæ arboris lacrymam, redolentes; quas propterea noſtri **Stinkers** appellant. Sapore, fateor, non ſunt tam grato quam præcedentes *Mangæ*; verum ſudorifica & diuretica ſunt admodum qualitate; ideoque eos merito inter alimentoſa medicamenta recenſeam. Quin & gummi ipſe, fructus, & arbor, Laricis inſtar, ex ſe deſtillat,

lat, quod glutinoſum non minus eſt, & odoratum æque quam Terebinthina prædicta.

In nulla arbore felicius excreſcit Polypodium, quodque præſtantius habeatur in medicina, quam in prædicta Mangifera, dein in Quercu Indica *Kiati* dicta, de qua ex profeſſo dictum eſt.

CAPVT VI.

Arbor Melonifera, Papayo *vulgo dicta.*

Arboribus quiſnam credat creviſſe Melones,
Qui non Heſperias viderit haſce plagas?
Carne quidem ſimiles intus, ſimilique ſapore:
Sed calor in nigro ſemine nempe latet.
Quisquis at è patriis Indas adveneris oras,
Fructibus his nimium veſcier uſque cave:
Ne te præcipitent ad certam tormina mortem.
Ventris, & ex alvo ſanguinolenta bilis.

ARboris in juſtam magnitudinem excreſcit ſive hæc planta, ſive frutex, ſive denique arbor dicenda ſit: nam trunco tam molli eſt, ut unico ictu machæræ, quamvis ſæpe femori humano craſſitie reſpondeat, tranſverſim diſſecare quis poſſit.

ARBOR MELONIFERA.





Fructus non è ramis pendulus eſt, verum è trunco prodit, magnitudine fere eſt parvi Melonis, quem externo cortice diſſectus flava carne, & ſimili ferme ſapore refert. Semina vero plane ſapiunt Naſturtium ſeu Erucam. Iuxta arbores has ſæpe latent parvi Serpentes *Cobre de Capello* Luſitanis dicti, digitum craſſi, cubitum longi, cute in tergo nigra, ſub ventre lurida, irati buccam, ut Ranæ coaxantes, inflant, & lethale venenum inferunt.

ANNOTATIO. Arbor, quam Autor hic leviter deſcripſit, Indiis Occidentalibus quoque eſt familiaris; ita ut de jure ejus indigenatus adhuc lis hæreat, quia quantum ex autoribus colligo, plantatur, non ſponte provenit. Miror Bontium cum Cluſii, & Dodonei *Papayo* non contuliſſe. Ego hujus arboris maris & fœminæ Icones exhibui & deſcriptiones in opere meo paulo fuſius, quam autor hic noſter, proſequutus ſum F. 159. lib. 4. ſub nomine *Pino-guaçu.*

CA-

CAPVT VII.

De Arbore Conifera Macandou.

ARbor hæc profert folia admodum lata, craſſa, colore pulchre viridi, quæ non abſimilia ſunt floribus Ari, quem Pedem Vituli botanici vocant: flores fert albos, oblongos, inſtar Periclymeni, queis decidentibus ordinatim ſuccedit fructus *Macandou* Iavanis dictus, hic depictus, nucem Pineam plane referens, niſi, quod

ARBOR CONIFERA MACANDOV.



tam acute in conum non deſinat, neque tam lapidea eſt duritie; ſed mollis plane, immaturus viret, maturus flavo eſt colore: porro muccilaginoſus eſt fructus, ſapore fatuo, aut inſipido potius. Malaii ſub cineribus aſſatum comedunt, ad Dyſenterias, & Choleræ orgaſmum ſiſtendum, tum pectoris vitiis, Aſthmati, Phthiſi, Pleuritidi conducere aiunt, propter vim emplaſticam, quæ in ipſius muccagine eſt: Ego certe eo nomine arborem hanc Conſolidam Indicam arboream nominare non dubitem, utpote qui primus eam deſcripſerim: & quare mihi non idem jus ſit, quod veteribus, qui vegetativa, ab effectu, ſapore, colore, & primis qualitatibus ſæpe nomen indidere? Præſertim cum in Noſocomio vim hujus fructus conſolidantem, in Hæmoptyſi, ſeu ſputo ſanguinis, non ſemel cum ſucceſſu expertus ſim. Folia quoque ſarcotica ſunt, & in vulneribus, & ulceribus, carnem egregie generant, & cutem cicatrice obducunt. In quam rem ſal ex foliis quoque arte Chymica elicere liceret, quod præter conſolidativam qualitatem, etiam, quamvis inveterata, & cacoëthia ulcera, munda reddit.

CAPVT VIII.

De Malis Cydoniis in India.

Credo aliquem è Creta vexiſſe Cydonia Sylvis
Mala hæc, Heſperios & conſeviſſe per agros;
Carne flava, & multo circumlita ſemina mucco
Oſtendunt, duro ſed prædita cortice cernor.

ARbor, quæ depictum hic fructum fert, alta eſt, & patulis ramis, foliis arboris Limoniferæ, ſed gracilioribus, & friabilibus admodum. Fructus Citreis Malis non ſunt abſimiles;ubi nondum maturuerint, viridem; maturi corticem flavum oſtendunt. Durus eſt cortex, itaque eum frangere, cultro vero diſſecare non licet; carne intus ſunt flava, &, Cydoniorum inſtar, denſa, in medio ſemina continentur; non ſecus ac in Cydoniis, glutinoſa materia, ſed copioſiore circumlita, unde & Cydoniorum nomen iis indidi. Porro hæc muccilago etiam omnibus oris efferveſcentiis & gutturis inſervit, tum Aphthis medetur: cum autem hæc Mala adhuc viridia ſunt, neſcio quid viroſi, & ingrati naribus odoris, expirant; verum matura, Violas iſtas murales odore referunt, quas *Keiri* Arabes vocant. Subſtantia ſeu caro ejus, aſſata, indubitatum eſt remedium adverſus Dyſenterias, tum Choleræ immanem orgaſmum. In Sylvis paſſim hæc Arbor creſcit. Vnde Mauri fructus hos cum ſumma cura auferunt, & venales in civitatem ferunt, aut ſibi ad prædicta mala reſervant: Nam, virides fructus durabiles ſunt admodum. Cæterum à muccilagine, quam intus gerunt, Noſtrates ea appoſite **Slym-appelen** vocavere.

MALVM CYDONIVM.



CAPVT IX.

De Vtraque Nimbo *ſeu Lauro Indica.*

Nimbo vocor Iavis, ſum nobilis Indica Laurus,
Quæ morbos uteri pellere rite ſolet:
Iudice me ſi prima datur ſua palma Liguſtro,
Tunc ego ab hac facile ſceptra ſecunda fero.

CONſtat mihi ferme, Garciam ab Orta hanc arborem, ſeu potius fruticem, oculis non uſurpaſſe, tum quod tribus verbis de ea ſcripſerit, cum non debuiſſet nobiliſſima hæc folia ignoraſſe, quibus nil magis apud Indos in uſu eſt medico: nam, præterquam quod in lotionibus, fomentis, inſeſſionibus, Indæ mulieres, ad morbos gy-

NIMBO I.



næceos his foliis utantur, nil tam juvare dicunt adverſus Colicos dolores, longas Diarrhœas, Hydropem, & ad pernicioſiſſimam viſcerum, præſertim meſenterii, obſtructionem. Foliis quoque non eſt in ambitu ſerratis, cæterum foliis Lauri non abſimilibus: ſed craſſioribus longe, ut potius ea Rhododendri foliis aſſimilem. Nervos folia habent inſtar Plantaginis ferme, ſed non tam crebros, colore è nigro purpuraſcente; totus frutex obſcure viridis eſt.

 Creſcit

NIMBO II.



CReſcit & altera *Nimbo* ſpecies, quam averſa pagina cum flore hic appoſui, primam florere non vidi, cum tamen in horto meo eam curioſe alam. Flos ſubpallidus eſt, non plane albus, ut Garcias affirmat. Vulneraria quoque ei ineſt vis, & ſuccus è viridibus foliis expreſſus, utiliſſimus eſt ulceribus antiquis mundificandis.

Qualitate ex amaro ſubaſtringente calidam, ſed magis ſiccantem eſſe veriſimile eſt: porro Indi veneno, vel intus ſumpto, vel telis inflicto, mederi teſtantur, & apud illos in frequenti eſt uſu, ſi in bellis vel haſtis, vel *Criſſis* (id eſt Sicarum genus) vulnerati ſint: nam Iavani vel ſuccis ex herbis venenoſis, vel ſanguine Salamandræ Indicæ, quam alibi ſub nomine *Gecco* deſcripſimus, tela ſua tingunt, ideoque ea ſemper atris maculis infecta conſpiciuntur: nam hæ nationes adverſus hoſtes ſuos adeo crudeles ſunt, ut vel cum vitæ periculo vindictam acerrimam exerceant, quod ipſe coram vidi, dum in bello in eruptione aliqua noſtrorum miles quidam Iavanum tranfixiſſet gladio, ipſe contra nitens arrepto capulo enſis, fica ſua hominem trucidavit, & ipſe mille vulneribus à reliquis militibus confoſſus, ſtridens dentibus, cecidit, vitæ non vindictæ exſaturatus.

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

CAPUT X.

Arbor Caſſiam ferens.

ARbor quæ Caſſiam ſolutivam fert, ſeu mavis fabaceam, magnitudinem æquat Pruni, foliiſque eſt Mali Perſicæ foliis, ſed tenuioribus paulo, flores, Geniſtæ floribus adſimilantur, iiſque decidentibus ſuccedunt ſiliquæ, primum viridis coloris,

Arbor Caſſiam Solvtivam Ferens.



coloris, dein in magnitudine accreſcentes, ad maturitatem pervenientes, nigrum colorem, & majorem duritiem induunt, quales in Europæis pharmacopoliis viſuntur. In ſilvis Iavæ creſcit copioſe, quas inde Chinenſes Incolæ, Malaii, & Guſaratæ afferunt, ſed propter nuperrima duo bella cum Iavanis Matara nenſibus longo temporis tractu huc in urbem venalis non allata eſt Caſſia: ſed jam reſpirantibus nobis à bellis, & metu Iavanis incuſſo, rurſus in ſatis magna quantitate adfertur. Flores (quod pene omiſeram) aromatici ſunt odoris, proxime Caryophyllorum flores referentes. Vt notas qualitates hujus Fabæ prædicem, non eſt mei inſtituti, utpote qui aliquid inſoliti, & patriis auribus inauditi, latius explicare deſiderem: ſed ne videar nobiliſſimam arborem, quam ſæpe viſu uſurpavi, præteriiſſe, hæc pauca de ea commentatus ſum.

Neque hoc ſilentio præterire poſſum, ad vitia Renum, & Veſicæ, ad Gonorrhœas denique Venereas, nullum efficacius in his locis remedium inveniri, quam pulpam ex Faba hac extractam, & cum Therebinthina Veneta mixtam ad ʒ. ij ß pondus, vel ejus defectu, Gummi Benjouin, quod neſcio an Plautus Reſinam Ægyptiam vocaverit, dum conquerenti ſervo, ſe heri cauſa rupiſſe currendo ramices, ipſe herus reſpondet, *Reſinam Ægyptiam ex melle vorato, & ſalvum feceris.* Hoc ſaltem ſcio, Gummi Benjouin in Ceromatis utiliſſime miſceri ad omnis generis Hernias. Vt deſinam, merito hæc Caſſia inter laxativa principem locum habet in morbis, qui febre carent; nam eam in Dyſenteriis, Choleris, cæteriſque affectibus, qui ut fere ſemper Febrem ſymptomaticam continuam ſecum ferunt, non facile auſim exhibere, cum periculum ſit ne in bilem convertatur; & ſic cauſam horum affectuum adaugeat.

Porro paragr. 9, f. 119, Garciæ ab Orta ridicula refertur quorundam opinio, nempe boves hic aſſiduo alvi fluxu laborare ex paſtu foliorum arboris Caſſiæ, &c.

Cauſa autem vera hujus fluoris, mea quidem opinione, eſt, quod regiones ſub vel circa Æquatorem ſitæ, aërem ſortiantur calidum & humidum, ut alias latius explicavimus, qui viſceribus, ventriculo, lieni & inteſtinis putredinem inurit, fluxuſque inteſtinorum & hepatis inducit.

CAPUT XI.

De Fructibus Carambolas dictis.

Oxalidos guſtu gratum præbemus acorem
Fructibus, atque iiſdem ventris profluvia ſiſto.

GArcias ab Orta hunc fructum deſcripſit libro 2, cap. 15, ſed, me Iudice, valde perfunctorie, cum tamen inter ſaluberrimos Indiæ fructus merito numerari debeant. Folia Pruni foliis adſimilantur, quæ ut folia in Populo ſubtus albeſcunt, flores fert ut flores Geniſtæ: ſed colore è pallido ſunt puniceo. Quibus ſucce-

FRUCTUS CARAMBOLAS.



dunt ſiliquæ oblongæ, in quatuor partes interſtitiis diſtinctæ, qualia interſtitia videre eſt in Corona imperiali Cluſii, quæ ſemen ejus continent; immaturus hic fructus ſubacidus eſt, & aſtringens; maturus vinoſus eſt. Muria quoque conditur & aceto, ut plurimi alii fructus Indici cum Allio, Porro, Cæpis, Zinzibere viridi, & racemis Piperis, & tum ponuntur inter ea fercula, quæ bellariis orexin excitant. Præterea Syrupus è viridi ejus ſucco confectus, Dyſenteriæ, Choleræ, Spaſmo, Febribus ardentibus, & reliquis morbis bilioſis, utiliſſimus eſt, Saccharo quoque in eundem finem à

Chinenſi-

Chinenſibus conditur. Ad oris Aphthas præterea mixtus hic Syrupus in collutionibus, cum pauco mellis roſacei adhibetur, tum in gargariſmatis adverſus incipientem Anginam. Facile propter vim repercuſſivam ſummum locum obtinet.

CAPVT XII.

De Corni cujuſdam ſeu Sorbi ſpecie.

Sæva Dyſenteriæ quæ torquent tormina ventrem,
Queis tot lethæas animæ ducuntur ad umbras.
His ſimul & Choleræ bene ſubvenit Indica Cornus:
At multos ægros è faucibus eripit Orci.

CReſcit hic in Iava ampla & vaſta quædam arbor, in altitudinem Batavicæ Quercus facile aſſurgens, foliis oblongis, craſſis, & egregie virentibus, ſapore acido (ut Oxalidis eſt) & aſtringenti: flores ſunt parvi, faſciculatim creſcentes, ferme ut flores Sambucini, quibus fructus ſuccedunt rotundi, & etiam ut uvæ inter ſe

SORBI SPECIES.



cohærentes, ſed rariore intervallo à ſe diſtantes. Primum hi fructus virides apparent: mox matureſcentes paululum flavi deveniunt, plane maturi ex nigro purpurei ſunt, ſapore aſtringenti, quod indubitatum ſignum eſt, eſſe frigidioris naturæ, & qualitatis: lapillos intus habens, quales reperiuntur in Sorbis, & Corni arboris fructibus, & in earum genere arborem hanc pono, quæ præter dictum in fructibus ſaporem, etiam truncum nodoſum oſtendit. Succus ex floribus expreſſus, colore plane refert Mori ſuccum, ac certe eodem modo tingit purpureo colore: Ex hoc ſucco nos hinc conficimus ſyrupum ſaluberrimum ad Dyſenterias & Choleras refrænandas: Quæ duæ morbo-

morborum ſpecies præſertim poſterior, æque metuuntur, quam Peſtis in Europa: & in hiſce locis (proh dolor!) nimis familiares ſunt. Præterea conducit Syrupus in ardentibus & continuis febribus: has atque alias non minus utiles operationes nos quotidiana experientia in Noſocomio Batavico, ubi vix unquam tales affectus deſunt, veras eſſe deprehendimus. In hepatis porro calidioribus affectibus præſtantius remedium reperiri non puto: nam phlogoſin, & ſanguinis efferveſcentiam, egregie temperat. Habemus præterea Sorbos & Cornos, noſtris omnino ſimiles: ſed quæ fructus noſtratibus majores fert, & colore purpureo plane. Condiri hi fructus ſolent aceto, & muria, atque in bellariis nobis olearum vicem implent: Saccharo quoque macerati ad ſupradictos jam morbos idem juvamenti adferunt.

CAPVT XIII.

De Fraxino Indica, ejuſque fructu.

CReſcit hic arbor ſatis patula, & Fraxini ſimilibus foliis, trunco quoque nodoſo: fructus fert, quales ferme ſunt Nuces Avellanæ, corticibus ablatis, edules ſane, & non mali ſaporis, ſed paulum aſtringentis, unde frigidæ, & ſiccæ naturæ eſſe conſtat; ut & folia, quæ impoſita vulneribus, & ulceribus, ea mundant ſa-

FRAXINVS INDICA.



nantque, tum cicatricem iis breviſſimo temporis ſpatio ſuperinducunt. Succus ejus Cochlearis menſura exhibitus, Lumbricos, Aſcaridas, & Tineas necat, quibus propter Solis, & aëris humidam & calidam intemperiem, putredinis effectricem, homines, præſertim pueri, aſſiduo affliguntur.

Nec

Nec eſt quod miretur quis, Indos à compoſitis medicamentis abhorrere, cum adeo feliciter ſimplicibus herbis, affectibus contra naturam mederi contingat; ita ut merito imaginer mihi veterem medicinam ſimilem fuiſſe, & compoſitiones iſtas medicamentorum à recentioribus Arabibus inventas eſſe: quo commodo ego dicere non auſim, ne hæreticus apud modernos audiam. Saltem hoc ſcio, veterem & antiquam eſſe regulam, Fruſtra fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora.

CAPVT XIV.

Arbor Lanigera ſive Goſſampinus Plinii.

DE Lanigeris ſeu Goſſampinis Plinio dictis, lib. 12, cap. 11, & lib. 12, cap. 10, quoniam plures ante me ſcripſerunt, ego tantum arboris ejus generis figuram vobis ob oculos pono, quæ nulli, quod ſciam, hactenus deſcripta ſit. Arbor hæc pulcro foliorum virore non ſolum oculos oblectat: ſed & caule viridi, & in celſi-

ARBOR LANIGERA.



tudinem ſæpe Mali Piceæ, rectis ſuis ramis expanſis, tranſverſim æquali ordine, & longitudine è trunco ſurgentibus erigitur. In quibus poſt flores rubros, oblongos tubulos ferr, qui maturi Lanam, & ſemen nigrum Piperis inſtar producunt. Lana hæc propter brevitatem carminari non poteſt; neque inde lintea texuntur; ſed per totam Indiam expetitur,

petitur, quod fulciendis culcitris & pulvinaribus ſit aptiſſima. Cavendum unice eſt, ne hæc Lanugo flammæ vel minimam ſcintillam excipiat: nam ignis huic materiæ tam tenaciter hærendo ſerpit, ut vix aqua reſtingui valeat.

CAPUT XV.

Planta Spinoſa incognita.

CReſcit hic quidam frutex non admodum alte à terra exſurgens, qui primum flores flavos fert inſtar Solani: quibus fructus ſuccedunt copulati, qui immaturi virides ſunt, maturi vero pulcre rubri, forma rotunda, fricati manibus adeo fœtidum odorem à ſe emittunt, ut Aſſam fœtidam, Sagapænum, & Caſtoreum longo in-

PLANTA SPINOSA.



tervallo ſuperent. Quapropter eos quoque Indæ mulieres hyſtericarum naribus admovent. Edules porro eſſe negant, neque, quod ſciam, ad alios uſus adhibentur; itaque non ſuaſerim, ut propter pulcrum colorem, iis aliquis temere veſcatur; nam forte in perniciem ſeſe daret. Cum hic ſecundum Homerum creſcant Pharmaca multa bona, multa mixta, plurima vero venenoſa, & deleteriam vim obtinentia.

C A-

CAPVT. XVI.

Quercus Indica Kiati *Malaiis dicta.*

Indica ſum Quercus, foliis ego creſco ficulnis,
Duritie inſigni patrium ſed Robur adæquo;
Vndula quin etiam me permeat undique curva.

HAnc arborem merito Quercum Indicam vocavi propter vaſtitudinem lateque patulos ramos non ſolum: ſed & propter inſignem ejus ligni duritiem & undulatam ejus aſſerum picturam, quæ duo in Quercu noſtrati etiam reperiuntur, tum in ædificando maxime hoc lignum probatur, quod durabile ſit, nec facile à tere-

QVERCVS INDICA.



dine ſecetur, neque tam opportunum Formicis quibuſdam albis, quæ ligna exedunt pauciſſimo temporis ſpatio, ita ut ingentes trabes, quamvis externa facie integræ videantur, ſæpe intus ab his inſectis exeſæ ſint, non ſine metu etiam magnarum ædium. Folia patula ſunt & attactu aſpera, ut niſi ſine inciſuris in ambitu eſſent, quis ficulnea folia eſſe putaret: florem fert flavum inſtar Peponum floris, quibus ſuccedit fructus, Nucem gallam ſapore, magnitudine, & forma referens.

C A-

CAPVT XVII.

De Sambuco Indica, de Ebuli ſpeciebus, & de Vinea Thaminæ *Plinii, de Bryonia, aliiſque herbis purgantibus.*

SAmbucus hic quidem creſcit, ſed non ea ſpecie, & forma, qua in Patria, foliis enim non eſt in ambitum dentatis: ſed æqualibus, floribus quidem non admodum differt, neque baccis: ſed baccæ grandiores ſunt, & rariores: odore porro, & effectibus Sambucus eſt, tum ramis, pulpam albam continentibus, ei plane reſpondet.

SAMBVCVS.



Ebuli quoque ſpeciem reperire eſt, tum Bryoniam, & Uvam Thaminam, quæ tria cum viribus inter ſe ferme conveniant, ego ea de induſtria conjunxi. Valent ſiquidem, in morbis longis, & chronicis, quales ſunt Cachexiæ, Hydrops, obſtructiones lienis, meſenterii, quæ quidem medicamentis mediocribus, ſi non cedant, malo nodo malus eſt quærendus cuneus, & ſæpe in tali caſu præſtat tentare anceps remedium, quam nullum: ſed id non tentandum, niſi ubi videris imbecillioribus rem nullo modo peragi poſſe, & viribus etiamnum integris, neque adeo collapſis, ut remediis validioribus reſiſtere non valeant, quod judicio prudentis Medici relinquendum eſt. Ego hoc ſincere affirmo, me extracto ex hiſce plantis, & fruticibus, deſperatos curaſſe. Quidni? cum & Eſulæ extracto omnibus his longe valentiori, quotidie utamur cum ſucceſſu, ut alibi dictum eſt.

Immenſas


Immenſas prætcrea Convolvulorum ſpecies paſſim in ſilvis creſcere vidi, inter quas Scammonea, & Eſula, frequentiores. In montibus autem luxuriabat Colocynthis, & Cucumer Aſininus, ex quo Elaterium optimum conficitur.

CAPVT XXIII.

De Fructibus Lance, *& Rampoſtan.*

HI duo fructus externa tantum facie & nominibus inter ſe diſcrepant. Nuclei albi intus conditi cum carne ſua eundem ſaporem acidum & vinoſum obtinent. Alter *Rampoſtan* vocatur, quod fructum crinitum denotat, quia filamentis quaſi capillis, externe ſit munitus: Alter fructus, *Lance* dictus, lævis eſt & cortice flavo, qui læſus lacteum humorem emittit & acrem, qualem & in Tithymalis reperire eſt.

LANCE, & RAMPOSTAN.



Cæterum arbores magnæ & vaſtæ ſunt, foliis Laurinis, è quibus hi fructus racematim magna quantitate pendent, & pulcherrimo aſpectu: facultates utriuſque fructus inter ſe conveniunt, & apud omnes paſſim incolas celebratæ, quod ardoribus febrilibus reſtinguendis eximie conducant.

CAPVT XXIV.

De Myrobalanis in Iava.

Neſcio cur Medici vocitent me Myrobalanum,
Cum non ſim Plinii Myrobalanus ego;
Nec mihi tam grato fructus laudatur odore,
Quam jecori vis ineſt ſtyptica grata mihi.

RAmum, quem vobis ob oculos pono, ipſe in ſylvis ex arbore diſcidi. Hi ſunt Myrobalani Emblici officinis dicti. Arbor, quæ hos fert, magnitudine eſt ferme Ceraſi, pulchre virentibus foliis, quæ ſaporem Oxalidis, ſeu Acetoſæ, habent. Fructus primum viridis eſt, dein maturus flaveſcit, ſapore acido, & ſumme eſt aſtringenti,

MYROBALANVS.



genti, qui & exſiccatis adhuc apparet: rugas quas in patria ipſos habere videmus, in arbore pendentes non habent, ſed læves ſunt, interſtitiis tamen apparentibus, tanquam fibris: Non dubito, quin omnes Myrobalanorum ſpecies in Iava creſcant, quas Garcias ab Orta deſcripſit: ſed dum ob metum latronum Bantamenſium, & Tigridis ferociam, altius ſylvas petere non audemus, vel montes aſcendere (libenter enim in locis ſiccioribus creſcunt) mihi eas virides videre hactenus non contigit, ſed præter ibi deſcriptas ſpecies, hic aliam creſcere vidi, quæ Nucis Iuglandis facile eſt magnitudine; rotundus, & plane ſphæricus eſt fructus ejus, lævis adeo, ut tanquam ſpeculum, imaginem hominis reddat. Hos Myrobalanos Mauri ſæpe naviculis plenis ad mercatum deferunt & vili vendunt, ita ut paucis aſſibus tantum emere poſſis, quantum ad condituram tibi toto anno ſufficiat. Conditi autem valent adverſus Dyſenterias, Choleras, & cæteros è bile natos affectus. Condiuntur quoque muria, & aceto, cum Cucumeribus, Mangis, Pipere, Allio, & Zinziberis radicibus viridibus, ad orexin excitandam, Capparum, & Olearum vice; hoc conditura genus *Achár* vocari antea diximus.

C A-

CAPVT XXV.

De Iangomas ſeu Paliuro Aegyptio Pr. Alpini.

GArcias ab Orta lib. 2, hiſtor. Plantarum Indicar. cap. 5, hos fructus *Iangomas* vocari ait, ut & apud Malaios hic etiamnum vocantur. Quantum autem ad arborem, quæ eos fert, ea Prunis ſylveſtribus in Hollandia & foliis perquam ſimilis

IANGOMAS.



eſt, unde & noſtri *Iangomas* **Javaenſche Sleen / en Pruymkens /** vocant. Aſtringentis admodum ſunt ſaporis: ſed non injucundi: fructus maturi flavum colorem induunt: ſecus quam in patria, ubi Pruna ſylveſtria matura, è purpureo nigro ſunt colore. Viribus inter ſe conveniunt: nam eodem modo, quo apud nos, ſuccus horum mixtus cum aq. *Champaccæ*, & Roſarum, ardoribus gutturis, tonſillarum, & aphtharum denique, medetur. Ad Dyſenterias, Choleras, & fluxus hepaticos, expertum, intro ſumptus eſt remedium. Summa, Acaciæ ſuccus nobis uſum per omnia præbet.

Proſper Alpinus has *Iangomas* in ſua de plantis Ægyptiis hiſtor. Paliurum vocavit, credo, quia rami Spinis ſint obſiti.

Si quis porro Acaciæ arborem videre velit, adeat Pr. Alpinum, lib. eod. cap. 4, & ſic nos compilandi aliena, opere levabit. Nam certum eſt mihi non ſcribere, niſi cujus ipſe notitiam è viſu, & experimentum ex uſu, percepi. Porro arbores hæ paſſim & indiſcriminatim per campos hinc inde viſuntur; quod mihi fidem facit ejus, quod de hac ſcribit Garcias ab Orta, lib. 11, cap. v, aves quaſdam hunc fructum comeden-

 tes,

tes, excrementa ſimul alvi, & nucleos ejus omnibus locis dejicere, qui nuclei in fervido avium ventriculo macerati, eo facilius emergunt. Vnde Virgil. in Eclogis ait,

Carduus, & Spinis ſurgit Paliurus acutis.

IANGOMAS ALTERA.



ANNOTATIO. Alterius *Iangomas* ſpeciei autor promittit deſcriptionem, ſed nihil de ea inveni, niſi ſolam hanc iconem, quam idcirco poſteris ulterius indagandam, hic apponi malui, quam ut tota negligeretur. Multum ſane, qua ad externam figuram, hi duo ramuſculi, primæ *Iangomas*, paucis exceptis, ſimillimi ſunt, niſi forte pictor nimia licentia, in magnitudine exprimenda, uſus fuerit.

CAPVT XXVI.

De Frutice odorifero quodam, Incolis Daullontas *dicto.*

Cede Melilotus, Chamæmelon cedito nobis
Viribus exupero vos, quamvis Barbara planta.

FRutex hic in ſylvis ſupra altitudinem humanam aſſurgit, & ramos ſuos late à ſe expandit, ut Salix aquatica, qua corbes in Patria contexunt, hicque frutex tam creſcendo luxuriat, ut Hortulani Chinenſes illum flamma & ferro excidere cogantur, folia fert Balſaminæ foliis non abſimilia, & ſimiliter in ambitu inciſa, florum faſciculos gerit, ut Sambucus, quibus etiam amaræ ſuccedunt baccæ: quod vero odore plane referat Chamæmelum noſtrum, & quod eoſdem nobis hic uſus in fotibus,

FRVTEX DAVL-LONTAS.



bus, & balneis præbeat, quem Chamæmelon, & Melilotus; Ideò nomen ipſi indidi Chamæmeli arborei. In Cataplaſmatis porro, & Ceromatis pro tumoribus reſolvendis, foliorum pulvis perutilis eſt, atque apud has gentes ſecundum locum, à Liguſtro Indico, ſeu *Lagondi*, obtinet. Florum quoque & baccarum decoctum aſthmaticis, & diuturnis pulmonum affectibus, mulierum quoque menſtruis movendis, nihil utilius ſumi poteſt: Prædictum porro *Lagondi* ſeu Liguſtrum Indicum, vehementer prodeſt, in jam toties dicta paralyſeos Indicæ ſpecie, quæ *Beriberii* dicitur. Porro hunc fruticem habentes facile uſu Chamæmeli, Meliloti, Anethi, & Fœniculi, caremus.

CAPVT XXVII.

De Acetoſa Indica, aliiſque Acetariis, & Oleribus.

Oxalis ex acido ſic appellata ſapore,
Purpureo flavum florem circumdata limbum.

IN Iava, & circumjacentibus Inſulis, creſcit quædam Acetoſæ ſpecies mirabilis, nihil quoad formam cum Europæa Oxalide, aut Acetoſa, commune gerens. Aſſurgit porro in altitudinem facile humanam, caule firma, & in modum Cannabis angulata, folia Agrimoniæ, ſeu Eupatorii foliis, quam ſunt ſimilia, cum acutis ſpinulis, hinc inde extuberantibus: Florem fert inſtar Malvæ arboreſcentis, folio ſimplici, ejuſdem quoque magnitudinis, qui in circumferentia quidem colore ex albo luteus eſt, in calice

Acetosa.



calice vero intus pulcherrime purpuratus. Folia ſi maſticentur, Acetoſam plane ſapiunt, niſi quod guſtui pinguius quiddam, & glutinoſius repræſentent: Semen ejus plantæ eſt inſtar ſeminis Cardui benedicti ſpinoſum.

Qualitate eſt è frigida vergente ad ſiccam: Malaii quoque Bengalenſes & cæteri Mauri eam in edulibus pro olere reponunt: Olus autem, vel quicquid herbarum pro alimentis in uſu eſt, hæ Nationes communi vocabulo, *Saiir*, vocant; contra quicquid è terra naſcens medicam, vel adeo venenoſam qualitatem obtinet, *Oubat* indigitant. Herba hæc quoque in frequenti uſu eſt pro topico medicamento; conterunt quippe folia ſuper lapidem marmoreum ſcrobe ligni Santalini, & intinctos pannos capiti imponunt, mixto oleo Nucis Indicæ, & aceto, in doloribus capitis bilioſis, qui plerumque meninges cerebri infeſtare ſolent. In febribus ardentibus etiam & phrenitide admodum frequenti in uſu eſt. Certe hæc gens, magis addicta eſt medicamentis localibus, quam intro ſumendis: atque adeo pharmacis, præſertim validioribus, non, niſi in ſumma neceſſitate, utuntur: & profecto, meo quidem judicio, hoc faciunt minus abſurdo propoſito, quam qui inter nos in patria vel levicule affecti, ſtatim catapotia, & pharmaca liquida deglutiunt, ſine diſcrimine; tum extemplo laſciviæ magis, quam neceſſitatis ergo, venam ſibi pertundi curant: aſt hæ gentes ſola inedia, & accommodata victus ratione, non tantum corpus neutrum: ſed & inſigniter præter Naturam affectum, curant, non ignari, medicamentis pro cupediis & deliciis non eſſe utendum. Vt autem hoc obiter addam, videtur Natura voluiſſe ex profeſſo multas acidas, & conſtringentes herbas (ut in progreſſu videbitur) è terra producere, contra violentos & Endemios morbos, Dyſenteriam nempe, Choleram, & Spa-

ſinum, plerumque à bile ortos. Vt quaſi digito monſtraret, ubi hæc vel ſimilia mala naſcuntur, ibi locorum remediorum manifeſta & etiam occulta qualitate pugnantium penuriam non fore; haud ſecus quam in Septentrionalibus regionibus, ad Scorbutum Endemium vel iſtis locis familiarem morbum, herba Britannica, ſeu Cochlearia abunde ſuperque è terra naſcitur, ut in Indiis quoque Occidentalibus Lignum Guajacium ad morbum Venereum, inde oriundum, terra liberaliter profert.

Trifolii variæ ſpecies, imprimis Acetoſum, tam in ſilvis circa fluenta, quam hortis luxuriant. Idem de Portulaca, Cichoreo, Malva, Althæa, Endivia, Lactuca, Soncho, Plantagine, Becabunga, Naſturtio aquatico, Petroſelino, Raphano hortenſi, utraque Beta, aliiſque ſimilibus, partim ex ſemine à patria allato, partim ſponte naſcentibus, dictum volo, quarum aliquæ noſtratium inferiores, aliquæ dignitate ſuperiores exiſtunt.

Cautio porro adhibenda, quod Flammulæ quædam ſpecies in aquis circa prædicta acetaria creſcat, Lactucæ perquam ſimilis, ejuſque elegantem virorem æmulans, qua ego deceptus, frigidam herbam ratus, eam guſtavi, unde tanta acrimonia & fervor linguam invaſit, ut erumpentibus per totum os veſicis, plus quam per tres horas ardoris iſtius ſenſus in ore remanſerit.

Mandragoræ ſpecies illa Italis *Belladona* vocata, apud Indos in frequenti eſt uſu contra febres continuas & ardentes. Aceto vel muria conditam, fructus quoque ſub cineribus toſtos, pro acetariis ſani & ægri apponunt.


CAPVT XXVIII.

De Fructu Mangoſtan.

Cedant Heſperii longe hinc, Mala aurea, fructus;
Ambroſia paſcit Mangoſtam, & Nectare, divos.

HIc fructus à Garcia ab Orta lib. 2, cap. 12, nimis leviter deſcriptus eſt, cum ſit inter omnes Indiæ fructus longe ſapidiſſimus. Cortice refert plane Malum Granatum ſeu Medicum, eodemque modo aſtringit, cum paulo majore amarore. In baſi ſeu inferiore parte veſtitur circa caudam tribus vel quatuor quaſi

FRVCTVS MANGOSTAN.



ſeparatis corticibus, minutioribus, ut in Roſa videre eſt. In vertice vero coronam gerit, quæ quot radios habet, tot nucleos in aperto *Mangoſtano*, candidiſſima carne nivis inſtar veſtitos reperies, ita aliquando ſex, aliquando octo, pro radiorum multitudine indubitato intus occluduntur. Folia porro hujus arboris, ut & truncus & rami, niſi

quod ſpinoſi non ſint, Mali Citrei arborem æmulantur, & niſi odore diſtinguerentur, qui hujus *Mangoſtan* foliis nullus eſt, procul dubio aſpectum fallerent.


CAPVT XXIX.

Mangam fructus apud Iavanos ſacer.

Antidoton adverſus Iavanum dira venena
Mangam quintuplici ſic ſpector ſegmine fructus.

FAbulas lectori narraturus, an veri quippiam ignoro, vos judicate: Iavani hunc fructum majoris æſtimant, quam quicquid antidoti ſit in mundo, ſive id Lapis Bezar ſit, ſeu aliud quippiam, ut Nux de Malediva; plantaturque tantum in regum ſepulcris. Magnitudine eſt Nucis, quam Palma Indica fert, *Coquo* vocant Luſitani, Malaii *Calappa*. Vbi nondum maturuit, continuus videtur, maturus autem à ſe invicem diſſilit & diſrumpitur, ſemen intus oſtendens lanugine cinctum, ſeu ſemen Goſſampini arboris Plinio dictæ, quod niſi tempeſtive colligatur, facile à vento diſſipatur. Summitatibus hujus fructus Rex Bantamenſis aureum poculum torcularibus infert, atque hoc ſummi favoris loco Magnatibus vel Legatis peregrinis propinat. Dono porro mihi hæc Nux data eſt à Chirurgo hujus civitatis, qui ipſum cum non contemnenda argenti copia acceperat, à Regis Bantamenſis filio majore, in præmium reſtitutæ à ſe valetudinis. Cæterum partes à ſe invicem ſupra diſruptæ, tam arcte baſi ſuæ inhærent, ut ne fortiſſimus quidem eas divellere queat.

FRVCTVS SACER MANGAM.



CAPVT XXX.

Crocus Indicus, Arabibus Curcum, *Officinis noſtris Radix* Curcumæ *dicta.*

Magnis ſum foliis, tum flavo Curcuma ſucco
Nobilis hic Nymphis frutexque ſalutifer Indis.
Cortice rugoſo, ſed edulia Piſa recondo,
Quam multis plantis ſimul hæc natura negavit.

HÆc eſt nobilis illa Curcuma, de qua Garcias ab Orta mentionem facit Aromatum lib. 1. cap. 39; ſed cum exigua ejus notitia. ſub finem prædicti cap. ait, putare ſe, hanc radicem ſine noxa edi poſſe: audacter, quamvis illud non meo periculo dicat: Nam non ſolum ea Malaii in medicamentis utuntur: ſed etiam ſimul cum piſcibus & carnibus coquunt, condimenti & ſanitatis gratia. Cæterum excellentiſſimum eſt remedium in obſtructionibus viſcerum, Pulmonis nimirum, Iecoris, & Lienis,

Cvrcvma.



Lienis, tum in oppilatione venularum meſaraïcarum, tum Nephriticis doloribus Calculo Renum & Veſicæ efficaciter opitulatur, tum fœminis menſtrua promovet, difficultatem pariendi aufert. Et quod in ea caput rei eſt, peculiare & ſpecificum remedium eſt in Ictero, quod multoties feliciter expertus ſum. Chinenſes quoque eam propter hunc uſum præcipue Saccharo condiunt. Folia lata habet hæc planta, non abſimilia foliis Hellebori albi, niſi quod non tam ſtriata: ſed lævia ſint. Radicem habet qualem ferme Gentiana. Flore eſt pulcherrime purpureo. Radix porro colore flavo tingit, non ſecus, ac Crocus, unde etiam Garcias ei nomen indidit Croci Indici: Luſitanice vocatur quoque *Saffran da Tierra*, quaſi Crocum Subterreſtrem dicas: Iavani radicem hanc *Borborii* vocant, unde etiam ejuſdem nominis nobile unguentum conficiunt. Hanc cum pulvere Santali & aliis floribus odoratis poſt dicendis, in marmore ſubigunt in unguenti conſiſtentiam, quo univerſum corpus, tam viri quam fœminæ inungunt: Quod quamvis inſolitis aſpectu fœdum propter flavum colorem ſit, tamen adverſus calores febriles & Solis ardores, tum moleſtiſſimos quoque Culicum morſus, ſummum eſt juvamen. Fructus hujus Curcumæ, qui floribus ſuccedunt, Echinati ſunt, ut in hac figura videre eſt, inſtar Caſtanearum in Europa. Aperti ſemen ſuum oſtendunt, Piſorum forma rotundum, quod etiam coctum in juſculo gallinarum vel carnium hœdinarum, alimenti ſimul, & medicamenti præſtantiſſimi, adverſus ſupra commemoratos morbos, vicem obtinet. Cæterum, ut finiam, radix hæc merito ob ſummas & præſtantiſſimas qualitates, inter Medicamenta deobſtruentia mihi principem locum obtinere videtur. Nuperrime obſervavi, Chinenſes etiam in ſternutatoriis hac radice uti, inſtar radicis Hellebori albi: & certe ſapor ejus aliquantum linguam vellicat: unde non mirum

rum eſt, proceſſus mammillares in naribus exaſperare, & ita Cerebrum concutere, & ſternutamentum è Cerebro elicere.


CAPVT XXXI.

De Durionibus, Iaaca, *&* Champidaca *dictis.*

Diſſectis foliis, latam præbentibus umbram,
Prædita ſum, viridi quæque colore nitent.
His à Laurinis foliis ego diſto Iaaca;
Nam ſapor, & ſimilis fructus, adeſſe ſolent.

DVriones fructus dicti à corticis duritie, ſeu ſpinis, quamvis primum guſtantibus faſtidioſi ſunt ſaporis, & odoris Allium putridum referentis, tamen merito inter ſaluberrimos Indiæ fructus numerari debent, ſicut ex ſequentibus patebit: Si quis iis aſſueverit, eum non tam cito ſatietas hujus fructus capiet, quam aliorum. Qualitatis ſunt calidæ, & ſiccæ, quod ex effectis facile conjicere liceat; nam non ſolum copioſe urinas cient, ſed & flatus diſcutiunt, tum ſudores egregie eliciunt: nihilominus ego inter fructus eos numerem, qui medicamentoſi, & alimentoſi ſimul dici merentur, ideoque parcius iis quoque utendum eſſe autumo. Nam immodice ſumpti inflammationem hepati, & ſanguini inducunt, & exanthemata in facie copioſa excitant. Et, ſi quis Indica Scabie, ſeu Prurigine iſta, quam *Courap* Iavani vocant, laboret, is, hoc fructu comeſo, ſtatim tam ingentem in cute pruritum ſentit, ut à ſcalpendo ſibi temperare nullo modo queat. Inter Echinatos porro, & Spinoſos quoque referuntur hi fructus Incolis *Iaaca*, & *Champidaca* vocati: qui ejuſdem ſunt generis, & uterque obſitus protuberantiis ſpinoſis; ſed, ut *Iaaca* fructus tota mole & magnitudine ſuperat *Champidaca*, ita & pungentioribus ſpinis; de quo Garcias ab Orta lib. 2, cap. 11, ſed melius multo Chriſtophorus à Coſta egit, f. 289.

FRVCTVS DVRIONIS Majoris IAACA.



Aſpera me veſtit cutis, hinc ego dicar Echinus
Non male, me nimium veſcier uſque cave;
Ni faciem cupias diro rubore notari,
Quem, ſi me comedas, puſtula ſæva facit.

Iaaca inſalubris plane eſt, & difficillimæ concoctionis, & fere incoctus per alvum rejicitur, ut ore aſſumptus eſt: nam caro ejus circa nucleos fixa, tam lenta eſt, ut vix dentibus lacerari valeat, flavi coloris eſt, ſed ipſi nuclei, à ſe ſubſtantiam albam reddunt, inſtar cremoris lactis, ſed lentam, & viſcidam, digitiſque adhærentem. Hæc

autem

autem *Iaaca* non è ramis dependet, ſed miro modo è trunco Arboris prodit. Ingentes nuclei intra ſpinarum concamerationes contenti carne alba veſtiuntur.

Frvctvs Dvrionis Minoris Champidaca.



Est tamen illius aliqua ſpecies, quam hic depictam damus, quæ è ramis dependet. Ac Arbor illa in qua creſcit, vaſta eſt & præalta, foliis Platani latis, aut Quercinis, ſed profunde laciniatis: Fructus autem peculiari voce *Champidaca* vocatur, & melioris eſt ſaporis, ſalubriorisque ſucci quam *Iaaca*. Ex corticibus horum Echinatorum fructuum Indi cineribus combuſtis Lixivii loco in lavandis linteis, & veſtibus, utuntur, & nos iis in Cauteriis potentialibus non ſemel uſi ſumus.

CAPVT XXXII.

De Herba ſentiente, & pudica, quam Luſitani Yerva Sentida *y* Vergonhada *appellant.*

Cur tactum refugis, cur nervos contrahis? anne
Hic Daphne latitas, quæ Lauro forte relicta
Phœbæos radios fugias vetereſque calores?
Pone metum, nullos Phœbi verearis amores,
Arcta pudicitiæ ſatis hic cuſtodia poſta eſt:
Cynthius hic vacua nec ſolus regnat in aula.

Garcias ab Orta Medicus quondam Proregis Goënſis hanc herbam deſcripſit lib. 2. Aromatum & Stirpium Indicarum, cap. 27. Sed quod dicat foliis Polypodii creſcere, non ita eſt; nam foliola habet longe minutiora: Verum accedunt

Herba Sentiens.



dunt proxime ad Viciarum & Ciceris Arietini formam. Cæterum planta hæc nomen ſortita eſt, quod contacta, in ſe contrahatur, tanquam ſi pudore afficeretur: floſculum profert eleganter flavum, ſimilem floſculis Anagallidos; non ultra palmæ altitudinem aſſurgit. Quoad qualitates ejus manifeſtas, eas ex guſtu parum amaro, & aſtringente, ſiccas & calidas eſſe conſtat, proximeque Viciarum naturam redolent, è quarum genere eam eſſe affirmare auſim: nam floribus parvulæ ſiliquæ ſuccedunt, niſi quod teretes & oblongiores ſunt, quam Cicerum ſiliquæ. Prima facie & ſuperficialiter naturam hujus plantulæ contemplanti, mirum videtur herbam reſilire à contactu hominis; ſed cum videam idem etiam in aliis multis plantis evenire, mirari deſino: Nam inter cæteras videre eſt ſemen Trifolii acetoſi, ſi contrectetur, exſilire & manum hominis fugere. Hoc Trifolium cum ſumma quantitate creſcit ad Promontorium bonæ Spei, eaque ſola herba ferme ægri à Sceletyrbe reficiuntur; Cum neſcio quam ob cauſam, aut à noſtris, hominibus hujus regionis illatam injuriam, non amplius deſcendant ad littus, cum vaccis, bobus, & ovibus venalibus. Præterea Cucumer Aſininus, unde Elaterium confici ſolet, ubi maturuit, linteo excipi debet, ut decerpatur, alioquin cum ſtrepitu diſſilit à ſe invicem, & manum carpentis eludit. Notum quoque de herbæ iſtius ſiliquis, quam Noli me tangere, in Patria vocant, quàm etiam tactum, ubi maturuere, effugiant. Itaque non eſt, quod putemus miraculum hoc peculiare huic plantæ eſſe; ne dum in hac re nimis altum philoſophemur, idem nobis accidat, quod Chriſtophorus à Coſta refert eveniſſe Philoſopho Malabarenſi, qui præ nimis accurata hujus herbæ contemplatione amens redditus ſit. Præterea Iavani illud pro philtro habeant: Ego natura non propenſus ad credendum ſupernaturales, & ſuperſtitioſas medicamentorum vires, cum Horatio concludo Epiſt. ad Numicium:

Nil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere & ſervare beatum.

C A-

CAPVT XXXIII.

De Planta Iavanis Simbor Mangianam; *Malaiis vero* Tando Rouſa. *Quod utrumque nomen Cornu Alcis à ſimilitudine exprimit.*

Et mare cornigerum eſt, & cornibus aëra pulſat,
Multa avis in Iava, Cornua terra gerit:
Aſpicis hanc plantam, ſimilis quam Cornibus Alcis;
Affixam ſcopulis, terra nec ulla tegit:
Atque è fungoſa mitto radice fibellas
Queis quicquid tango, ſic retinere ſcio.

NAtura genitrix & rerum conſervatrix, non ſolum videtur contenta fuiſſe, in effingendis cornutis animalibus, in terra, & etiam in mari, ut poſt oſtendemus; verum hoc videtur etiam æmulari voluiſſe in vegetativis, ſeu plantis, ut in Cicerum, & aliquibus Piſorum ſpeciebus: Sed præcipue in hac planta, quæ circa fluen-

CORNV ALCIS SIMBOR DICTA.



ta in Iava, præſertim regno Bantamenſi, creſcit, adeoque ad vivum foliis ſuis Cornu Alcis refert, ſicut in hac figura videre eſt, ut ne quidem Pictor vel Plaſtes illud melius arte efficere poſſet: Radice enim caret, in cujus vicem ſuccedit maſſa quædam è materia fungoſa, qualis apud Hollandos in paludibus (quas De Veenen vernacule vocamus) è fundo aquarum retibus extrahitur, unde iſti ceſpites flammatiles conficiuntur, quos Turven indigitant Batavi noſtri. Creſcit illa præterea, terra non contecta: ſed vel ſimpliciter lapidi impoſita, vel arboris cavo trunco, demittens hinc inde ſua folia.

Supra hæc, deſcripta herba merito propter ſucculentiam ſuam, & quod perpetuo vireat, inter Seda ſeu Semperviva, numeranda venit: nam nunquam areſcit; ſed per pluvias aliquando putreſcentibus foliis, ſtatim primo Sole nova ſuccedunt. Quantum ad foliorum ſubſtantiam, & formam attinet, ea eſt plane talis, qualis in Liliis apud nos albis: florem ferre credo, ſed eum non vidi, neque adeo ſciſcitandi occaſio data fuit,

propter Iavanos Bantamenſes, ſi non inimicos, ſaltem ſimulate amicos nobis, in quorum territorio hæc planta præcipue creſcit.

Vſus foliorum apud Iavanos idem eſt, qui apud nos foliorum Lilii albi, in Cataplaſmatis ad Oedemata ac ad Tophos à frigida cauſa ortos; At in Eryſipelate Malaii minus convenire aiunt, unde calidior hujus herbæ Natura facile colligitur: Quod & ſapor ejus amarus & faſtidioſus indicat, intus ſumpta, alvum ſatis vehementer movet, necat quoque Lumbricos & Tineas puerorum, umbilicis contrita, & impoſita.

CAPVT XXXIV.

De Phyllitide ſeu lingua Cervina, ubi de Polypodio, & reliquis Filicum Speciebus in India creſcentibus.

CIrca fluenta in Iava Phyllitis ſeu Lingua Cervina creſcit magna copia, ſæpe in humanam altitudinem exſurgens, colore pulcre viridi: forma ejus in Patria omnibus nota eſt, ideo ea omiſſa, tantum uſum in re medica oſtendam. Ad Dyſenterias itaque ſiſtendas & orgaſmum in Cholera refrenandum, ejus decocto

PHYLLITIDIS SPECIES.



feliciter quotidie utimur. Radices ejus ſaporem dulcem, qualis etiam in Polypodii radicibus eſt, præ ſe ferunt; harum decoctum excellens eſt remedium in obſtructionibus Lienis, Quartanis, Scorbuto, & ſimilibus è melancholico ſucco ortis affectibus: efficacius hæc omnia præſtabunt, ſi addas Sarſamparillam & radicem Chinæ. Præterea hoc nobis experimento compertum eſt, folia hujus Plantæ arte Chymica in ſal redacta, medicamentum topicum eſſe præſtantiſſimum in ulceribus inveteratis, præcipue pedum, & tibiarum exſiccandis. Tum in carie oſſium, quæ hæc ulcera frequenter comitatur, tollenda, efficax eſt remedium: nam propter aëris humiditatem, ulcera tibiarum difficulter ſanantur, tum propter negligentiam & malam victus rationem, in nauticis Sociis præſertim, ſæpe in inſanabile malum convertuntur: ſed de hoc alibi fuſius diximus. Iavani, & Malaii ipſam quoque herbam in Morſibus venenatarum

tarum beſtiarum conducere aiunt. Cæterum ex ſupradictis effectibus ſatis conſtat, herbam hanc eſſe temperatam, præſertim radice, quæ deobſtruens eſt, præcipue in obſtructionibus prædictis lienis, cujus affectibus peculiari, & formali, qualitate medetur.

CAPVT. XXXV.

Solani Indici Fructus Edulis, quem Indi Fockii Fockii *vocant. Et Hyoſcyamus Indica.*

Fructibus in Patria Solani Narcotica vis eſt,
India at è contra Solanum producit edule;
Deſtituunt Medicum ſic Medica Mala ſaporem
Naturamque novam Europæ in finibus illa.
O quoque ſit utinam, vehimur quum per mare ad Indos,
Longum iter! Infames liceat deponere mores.

QVantum ex foliis, floribus, fructuque denique hujus Plantæ conjicere licet, certo certius eſt, hanc ſpeciem Solani eſſe, niſi quod fructus longe grandiores ſint, quam Solani noſtri, utpote qui cubiti longitudinem aliquando excedant, corticeque tam lævi, ut ſpeculi modo, humanam effigiem remittere poſſit. Foliis

SOLANI Species FOCKII FOCKII dicta.



quoque hirſutioribus & quaſi lanam ſuperinductam gerentibus. Craſſitudine brachium humanum facile æquent. Pleni intus ſunt ſeminibus minutis, qualia etiam in fructibus

ctibus ſeu baccis noſtri Solani inveniuntur. Fructus porro in his regionibus, non ſolum ſunt edules; verum etiam delicatiſſimi ſaporis, ſi coquantur cum Vino, & Pipere. Eundemque guſtum obtinent quem Cinaræ baſis, ſeu Carduus altilis in Patria. Commune eſt edulium apud Indos & etiam noſtrates, qualiter ſunt Rapæ in noſtra Patria. Boni porro ſunt nutrimenti, tum diureticam vim obtinent, eoque calculo veſicæ, & renum affectibus admodum utiles: Malaii, & Iavæ incolæ fructum hunc vocant *Focqui Focqui* iterato vocabulo, quod etiam in aliis rebus faciunt, quas excellere ſciunt; atque in eo conveniunt cum cæteris Orientalibus linguis, præſertim Arabica & Hebræa ut ex. gr. Si prophetæ rei alicujus excellentiam cum emphaſi exprimere volunt, non ſolum dictiones; ſed integras ſententias ingeminant, ut mos in Bibliis loquendi frequens eſt. Ita loquitur Dominus, Dominus Zebaoth &c. Hoc eo Parergice addidi, quod lingua Malaica, quamvis, ut pleræque Orientales linguæ, vocabulorum indigens, tamen ſignificativa ſit valde, & amœna, meo quidem judicio, quæ non ſolum per totam Indiam familiaris: ſed & in Surate, Chormandel & cæteris Aſiæ oris, in multo eſt uſu.

Vt ad rem redeamus, unde digreſſi ſumus, hujus *Focqui* ſpecies eſt & alia ſylveſtris; ſed hujus fructus, non, ut jam dicti, oblongus eſt & teres; ſed ſphæricus plane, & ubi maturuit, colore flavo, cum domeſticus, ſit colore vel purpureo, vel grandinis inſtar albo. Cæterum ſylveſtris hic fructus amarus eſt, ideoque non niſi ab Apris & Rhinocerotibus devoratur. Porro hujus plantæ caulis (quod fere omiſeram) plane ſpinoſa eſt, unde imprudenter, non ſecus, ac Rubus, attingi non debet. Rhinocerotis porro lingua, & palatum tam aſpera ſunt, ut vepres, & ſpinas cubitales devoret, ac quo quid pungentius eſt, eo libentius iſto alimento utitur, ſi in hominem irritata hæc beſtia ſæviat, ſolo linguæ attactu carnem, & cutem, uſque ad oſſa ei delingit, ut alibi in animadverſionibus Garc. ab Orta, ad VII Caput de Ebore, latius diximus.

Quam plantam Indi Daturam, ego Hyoſcyamum Indicam appellavi, non ſolum quod narcotica & ſtupefaciens vi ei ſimilis ſit: Sed quod odore foliorum & forma floris maxime reſpondeat. Semen in echinato cortice concluſum gerit, qui maturo ſemine diſſilit cum ſtrepitu, ſi vel leviſſime tangatur, fabaſque cinereas, nigris guttis diſtinctas, intus oſtendens.

CAPVT XXXVI.

De Sedo arboreſcente.

Roſa vale, & Violæ, quas Arcticus orbis adorat;
Nam melius multo complentur odoribus auræ
Flore hoc Sedifero, quem dives Iava virentem
Oſtendit, diris pellit contagia morbis,
Ac guſtu Oxalidos gratum diffundit acorem,
Et ſemper toto viridis ſpectatur in anno;
Scorpius hanc plantam nec tanget Araneus unquam,
Antidotum hinc Medicis adverſus dira venena.

FRutex hic non in ſolo creſcit, ſed arboribus Mangiferis aut Quercus cujuſdam ſpeciei, quam Indi *Kiati* vocant, affixa non ſecus, ac viſcus apud nos, qui tamen in dictis arboribus non deeſt. Planta ſeu frutex hic eſt foliis Oxalidis ſaporis, oblongis, qualia ſunt Perſicariæ; ſed craſſioribus longe, & ſucculentioribus, qualia ſunt Sempervivi iſtius folia, quod in tectis apud nos naſcitur, & **Huys-loock** vocatur. Radices edit mirabiles, teretes, ex quibus fibras demittit, quæ vel lapidem, vel arborem apprehendunt, & ſine limo, vel terra, ſic affixa creſcunt, magnitudine glandium, forma & figura tali, quali eſt manubrium haſtæ ſeu lanceæ, quibus Perſæ, & Turcæ equites etiamnum utuntur (nam uſus illarum apud pleraſque Europæ Nationes exolevit): florem profert parvulum, Anagallidis flori ſimilem, ſed album, &

tam

SEDVM ARBORESCENS.




tam aromatici odoris, Citri æmuli, ut me in vita nil quicquam odoratius naribus percepiſſe ſciam. Vnde etiam apud Malaios nil ad Cerebri & Nervorum præternaturales affectus æque conducere fertur: Hinc quoque in Spaſmo & Cholera, Conſerva ex floribus, & foliis hujus Plantæ, ſingulare eſt remedium. Comperi quoque egregios ejus effectus in Dyſenteriis; habent enim folia qualitatem aſtringentem, & ſaporem plane talem, qualis eſt in Acetoſa patria, ſed palato longe gratiorem: flores quoque conditi non minus cordiales ſunt, quam Bugloſſæ aut Borraginis. Fructus medium digitum longi, ſapore muccilaginoſo & fatuo, & per medium tranſverſim diſſecti, ſemen oſtendunt paulo majus quam Milii, itidem muccilaginoſum, quod decuſſatim ſitum eſt, ut ferme arcem repræſentet, quatuor ſuis vallis & propugnaculis exornatam. Qualitate quantum manifeſte ex ſapore elicere poſſumus, hæc Planta frigida eſt & ſicca: Virtute vero occulta, putredini, & omni corruptioni reſiſtit, unde merito inter violentos jam dictos morbos, pro Alexipharmaco apud incolas in uſu eſt. Dum hæc ſcribo, retulit mihi ſenex quidam Malaius, qui medicinam inter ſuos exercebat non infeliciter, nihil æque conducere ad venenata vulnera à pugionibus, & lanceis Iavanis alicui inflicta. Solent etenim Iavani, mortalium longe crudeliſſimi, tela ſua tingere cruore cujuſdam Lacertæ venenoſiſſimæ, quam à ſono, quem edit, *Gecco* vocamus, ut alibi dicemus. Hinc conjicere licet, eandem herbam etiam ad ictus venenatorum animalium utilem eſſe.

CAPVT XXXVII.

De Nobiliſſimo, & Saluberrimo Aromate Cardamomo, Majori & Minori.

INter alias herbas, & Aromata, quæ fertilis Inſula Iava profert, merito inter excellentiſſima Cardamomum eſt numerandum: Planta hæc caulem habet Arundinis modo internodiis à ſe invicem diſtinctam, & certe folia non abſimilia Arundinis foliis, & eodem quoque modo catervatim creſcit, primumque intuenti, vix dif-

CARDAMOMVM MINVS.



ferentia inter duas has ſtirpes videbitur, niſi quod Cardamomum vix ultra duos aut ad ſummum tres pedes in altitudinem aſſurgit; folia quoque contrita ſuaviſſimum odorem à ſe reddunt. Dum florentem eam primum conſpexi, animadverti inſignem Garciæ ab Orta in deſcriptione errorem, lib. 1, cap. 24, qui ait, Cardamomum, non ſecus, ac Fabas, & Vicias, ſeri, & eodem modo creſcere, pendentibus ſiliquis, Piſorum inſtar, in ſummitatibus Plantæ; quod longe ſecus ſe habet.

Ideoque ego, qui plantam hanc millies contemplatus ſum, primus eam ad vivum delineatam exhibeo. Circa radices igitur primum emittit ſpicam, qualis in Spica Nardi conſpicitur, verum longe craſſiorem, cujus calycibus ſupernaſcuntur flores, pallidi potius in peripheria, quam albi; in calyce vero flavum colorem oſtendunt, ſuntque admodum ſimiles floribus Mali aurei. Floſculis his decidentibus ſiliquæ eorum loco ſuccedunt; ſemen fragrans Cardamomi continent, quale in officinis noſtris conſpicitur; ſed colore ſunt flavo ſemina intus concluſa, quæ ariditate & tractu temporis ex puniceo atrum, quem in exſiccato Cardamomo colorem videmus, contrahunt, eodem modo,

do, quo lector effigiem, ob oculos ſibi ponere poteſt; Certe ſi egregias hujus præſtantiſſimi Aromatis qualitates enumerare quis velit, vix horæ ſpatio iſtas eloqui poterit: Nam calorem habet blandum, & Naturæ noſtræ amiciſſimum, nullum empyreuma in viſceribus noſtris relinquens; ideoque etiam ſolum abſque alio cibo maſticari, & comedi poteſt, ſecus, ac Piper, Zinziber, Caryophylli, & reliqua calidiora Aromata, quæ ſummo ſuo calore, vix niſi admixtis aliis eduliis deglutiri poſſunt, & nimis large uſurpata phlogoſin in ſanguine, & febres ſæpe continuas excitant; Vrinas porro commode ciet, menſtrua fœminarum blande movet, anhelitum commendat, tum obſtructionibus Hepatis, Lienis, & præſertim Meſenterii, ad miraculum uſque, conducit, etiam in juſculis gallinarum, carnis hœdinæ, & vitulòrum.

Ex hac Cardamomi deſcriptione facile deprehenditur Plinii error, qui l. 12, Natur. Hiſt. cap. 13, Cardamomum ait nomine & frutice ſimilem eſſe Amomidi, quod falſiſſimum eſt, cum Amomis, ut poſt docebimus, ferulacea ſit herba, & radice refert radicem Spicæ Indicæ, pro qua imperitis etiam obtrudi poſſet. Atque hoc loco eſt, quod glorier, me primum eſſe, qui nobiliſſimam Cardamomi Plantam exacte deſcripſi: Cum etiam Garcias cap. & lib. ſuprad. ſe tantum auribus famam Cardamomi percepiſſe affirmet. In cibis porro condiendis, præſertim carnibus, & piſcibus elixis, apud Malaios in ſummo uſu eſt, & certe fragrantem guſtum iis addit, concoctionique adjuvandæ ſumme conducit.

CARDAMOMVM MAIVS.



CArdamomum majus copioſe creſcit in ſilvis Iavanis, flore, Hyacinthi modo, faſciculato. Differt à minori Cardamomi ſpecie, ſupra deſcripta, plurimis modis; primo,

quod ultra humanam altitudinem aſſurgat; quod folia quoque longe ampliora habeat, quod caule non ſit geniculato, aut Arundinis inſtar nodoſo, ſed qui Cæparum more foliatim à ſe invicem ſeparetur. Præterea, ut diximus, Cardamomum minus ſpicas ſuas circa radices cum floribus emittit; è contra majus, Hyacinthi modo in faſtigio gerit. Semen denique ejus vel ſiliquæ oblongiores ſunt, digitali aliquando longitudine: folia tamen odore conveniunt, ut & flores. Niſi quod folia majoris Cardamomi, præterquam quod ſint majora citra comparationem, etiam averſa parte, inſtar Verbaſci ſint mollia. Tota Planta pulcherrimo eſt aſpectu, grato virore floribuſque albis cum purpureo limbo nitet. Vires ejus plane conveniunt cum Cardamomo minori.

CAPVT XXXVIII.

Nymphæa Indica flore purpureo, cujus Calyx ſeu Fructus quaſi per nebulam à Cluſio deſcribitur.

Indica purpureum præfert Nymphæa colorem,
Atque Nuces gignit maturo calyce eduleis.

PLanta ſubſequens certe digniſſima eſt, quæ deſcribatur, tum ob qualitates excellentes, tum propter pulcherrimum ejus florem; denique propter admirandum, qui floribus ſuccedit, fructum, cujus mentionem facit Car. Cluſius*, Exoticorum lib. 4: ſed tantum per tranſennam, utpote qui deſcriptionem non inſtituit ex viſu; ſed ex relatione navalis cujuſdam ſocii, à quo fructum hunc coëmptum eſſe ait: Ego,

NYMPHÆÆ SPECIES.



Ego, qui plantam millies vidi, eam paulo luculentius vobis ob oculos ponam, ut conatus viri diligentiſſimi ſimul, & doctiſſimi in re herbaria adjuvem: Itaque verum eſt, quod ominetur plantam aquaticam eſſe; nam Nymphæa eſt, in omnibus noſtrati, tam in latis quam rotundis foliis, caule, & radice plane conveniens: Flore vero à patria Nymphæa differt, qui in Hollandia vel albus, vel flavus eſt, hic autem pulchre purpureus, odore gratiſſimo nullo modo noſtrati cedens. Fructu quoque, & calyce longo à patria Nymphæa diſtat, qui in ſuperficie hic planus conſpicitur, tanquam ſi per medium cultro diſſectus eſſet; verrucas parvas in orbem diſtinctas ſuper oſtendens circiter triginta N°, quæ paulatim grandeſcentes, calycem ſibi unaquæque effingit, donec matureſcens Nucem Avellanam dempto putamine, tum forma, tum nucleo valde referunt; ſaporem quoque ejus non male æmulatur, qui tamen fatuus aliquo modo, & aqueus eſt, naturam redolens elementi, in quo creſcit.

Quantum ad vires attinet, in tertio gradu frigidas, de iis hic conticeo, cum in his patriæ Nymphææ ſimilis ſit, ideoque decocto hujus plantæ, à Malaiis edocti, utimur in calidis morbis, febribus ardentibus, Phrenitide, Cholera, & in mortifera Dyſenteria.

Nymphææ porro aliæ ſpecies hic etiam circa ripas fluminum, & in ſtagnis creſcunt abunde, uſque ad Lentem aquaticum, gratum Anatibus (quos Chinenſes in copia alunt) pabulum.

Potamogeiton quoque feliciter provenit, tum Plantago aquatica, quam frigidam eſſe nullus mortalium mihi facile perſuaſerit: nam dum experiendi gratia (ut Botanicis mos eſt) hujus plantæ folia paulum maſticarem, tantam acrimoniam in ore ſenſi, quantam ne quidem Ranunculi aquatici ea ſpecies dare poteſt, quam Flammulam apud nos, rei herbariæ periti ab ardore vocant. Ita ut meminerim nos, non fruſtra aliquando in Patria de ejus qualitatibus diſputaſſe: nam & folia hujus Plantaginis etiam apud nos maſticata aliquam acrimoniam in ore relinquunt, verum tranſitoriam tantum, & momento durantem; hæc vero Indica palatum & guttur excoriat. Quodſi adhuc incredulus quis rei Botanicæ ſtudioſus, de hoc dubius hæret, huc veniat velim, ei bona fide promitto, hac planta deguſtata omnem ſcrupulum ex animo rejiciet.

CAPVT XXXIX.

De Veronica Iavana, ubi & quædam parergice tractantur de familiari potu Aracco.

CReſcit hæc herba copioſe in pratis, & ſylvis Iavanenſibus, flore albo, Malaii, & Iavæ Incolæ eam *Oubat Matta*, vocant, quod medicamentum pro oculis denotat, quia illi ſuccum expreſſum ad lippitudinem, & Ophthalmiam oculorum adhibent, non ſecus ac noſtri ſucco vel aqua deſtillata Veronicæ ad affectus oculorum utuntur. Porro hic ſuccus, & totius herbæ decoctum in affectibus thoracis commendatur, ut ſunt Aſthma, Phthiſis, & reliqui morbi Pulmonum, qui cum tuſſi homines moleſtant. Tum propter vim diureticam Incolæ ea utuntur in affectibus renum & veſicæ; tum in Gonorrhœis è concubitu Venereo conceptis. Itaque ut ſæpe mirer oſcitantiam noſtræ gentis, quæ hos populos Barbaros appellare non veretur; cum non ſolum in herbis cognoſcendis, ſed in omni œconomica adminiſtratione noſtros longo intervallo poſt ſe relinquant. Vtuntur porro Incolæ foliis hujus contritis ad ulcera pedum & tibiarum; nam qualitatis eſt egregie exſiccantis, atque ulcera, ut ſupra dixi, propter climatis humidam conſtitutionem, admodum difficilia ſunt curatu. Imo propter intemperantiam militum, & nauticorum ſociorum in potando *Aracco* ſeu vino aduſto Indico, hæc ulcera cacoëthia, & mali moris, & ſæpe inſanabilia efficiuntur.

Vt tranſitorie aliquid de *Aracco*, ſeu vino aduſto Indico, dicamus; ſciendum eſt Chinenſes, gentem totius Orbis avariſſimam, & ſubtiliſſimam, hoc potus genus, ut Oryzæ parcant, adulterare Holothuriis, in mari fluctuantibus, admixtis, ut ſic ei pernicioſum Pulmonibus ardorem concilient; & hinc fit, ut miſeri nautici & milites in Phthiſes, Maraſmos, ſanguinis ſputum incidant, &, poſt diuturnam emaciationem, miſerrime morian-

VERONICÆ SPECIES.



moriantur: Nam hæc Holothuria, ut & cætera recrementa maris, inter quæ eſt Nautilus piſcis, Stellæ marinæ, & alia, tam exurentis ſunt caloris, ut ſolo attactu in cute veſicas excitent, non ſine ſummo dolore. Hujus generis ſunt non tantum Lepus marinus, ſed Stellæ marinæ, & Aſterites, tum Nautilus piſcis, cujus deſcriptionem poſt dabimus, qui tam ardentis eſt caloris, ut dum è Patria in Indiam navigarem circa inſulas Canarias, mari vehementer tranquillo, in ſcapham cum aliis deſcenderem, piſcandi gratia, &, extracto reti, cum incluſus eſſet unus ex hiſce Nautilis, quem dum imprudens & inſcius contracto, tam vehemens calor manum meam invaſit, ut iis fieri ſolet, qui à Dracone piſce, quem **Pieterman** noſtrates vocant, puncti ſunt, & niſi admoto Allio in aqua marina macerato, mihi ſubveniſſem, certe propter dolorem febrem incurriſſem.

CAPVT XL.

De Ricino Braſilienſi, Lada Chili *vocato, quod ſonat Piper Chilenſe & de ejus uſu hactenus nobis incognito.*

QVamvis planta hæc ſub nomine Ricini Americani, jam etiam apud Batavos in hortis ſeri, & coli inceperit: tamen quia ejus uſus non niſi quam inter cauſtica medicamenta cognitus eſt, ego non potui, quin oſtenderem familiare Luſitanis, & Indis condimentum, & edulium eſſe ad cibos aſſos, vel elixos, hoc modo; Sumunt

UADATCHILA.



Sumunt poma ſeu fructus illius Mandragoræ, quam Itali *Melanſana* vocant, Neoterici Poma Amoris, Luſitani *Tamatas*, & *Poma doro*, à pulcherrimo, & lucido in maturis rubro colore; diſcindunt fructus hos cum hoc Pipere Chilenſi in minutiſſimas particulas, eaſque crudas, oleo & aceto perfundunt cum pauco ſale, eoque pro cupediis utuntur. Hoc modo frigidiſſimam, & narcoticam Mandragoræ qualitatem calidiſſimo alio fructu temperantes, ne frigus prioris ſolum comeſi naturalem calorem ſuffocet, & extinguat. Conſtat autem Piper iſtud Chilenſe, Capſici ſpeciem eſſe, ut bene notat doctiſſimus Cluſius in annotationibus ſupra Nic. Monardem Medicum Sivilienſem, fol. 386.

Incolæ præterea (quod & à quibuſdam noſtratibus fit) iſtud Chili quoque aſſiduo ore ferunt maſticando: aſt ego id conans animi gratia imitari, tam exurens hoc inveni, ut mihi non videretur operæ pretium aſſueſcere ei mori, qui, præterquam quod cum dolore conjunctus ſit, etiam nihil emolumenti adferat; tamen aſſerunt Luſitani jam dicto modo præparatum, utile eſſe adverſus pituitam, & cruditatem ſtomachi; quæ propter aliquoties jam dictas cauſas huic regioni admodum familiaris eſt.

Porro deſcripta Ricini ſpecies eſt è minutioribus: nam ſunt etiam majores, quæ pollicis craſſitudinem exæquent, ejuſdem tamen uſus, & facultatis, quam ſuperiores, qui hic depinguntur.

ANNOTATIO. Improprie admodum nomen Ricini huic plantæ inditum eſſe mihi videtur; cum neque forma, neque figura externa, ulliſve qualitatibus internis cum Ricinis Americanis conveniat; ſed vera Piperis ſive Capſici Braſilienſis ſpecies appareat. Niſi forte, (ut ſæpe contingit, circa exotica imprimis,) varia nomina nunc huic, nunc illi plantæ approprientur.

C A-

CAPVT XLI.

De Telephio Indico.

TElephii ſeu Sempervivi ea ſpecies, quam Belgæ **Hemel Sleutelen** vocant, hic in hortis creſcit caule paulo elatiore, quam patrium, foliis etiam aliquantum in figura variantibus. Incolæ Malaii id à forma *Moulit Bebec* vocant, quod Anatis roſtrum ſignificat: nam inverſum Anatis roſtrum admodum bene refert, præſertim

TELEPHII SPECIES.



iſtorum, qui inciſuras ad latus roſtri habent, ut in hac figura videre eſt. Semper viret hæc planta, quæ ad cæteras qualitates frigida & ſicca eſt, ideo Incolæ utuntur ea contrita ad ipſorum ſcabiem & cætera basilioſa ulcuſcula in cute, quæ hic nunquam deſunt. Tum ad Eryſipelata utilis quoque eſt cum aceto contuſa. Malaicæ mulieres ea quoque utuntur pro topico ſuper bregma puerorum, ubi ſuturæ nondum coaluerint, referentes, id ad robur cerebri facere, & ut id topicum melius applicent, novacula capillos infantium abradunt. Cæterum mirari ſubit Incolarum horum induſtriam, qui veterum Arabum, Avicennæ & reliquorum inſtar, à forma herbis nomina indunt externa: tum in herbis dignoſcendis, & noxiis ab innoxiis ſeparandis, Guſaratti & qui ab ora Chormandel huc veniunt, adeo excellunt, ut ne quidem optimo Botanico cedant. Ratio eſt, quod hæ gentes ſectam Pythagoræ ſequuntur ut plurimum, qui nihil, quod anima ſentiente præditum fuit, ullo modo comedent; ſed vegetativis ſtirpibus & herbis tantummodo veſcuntur; quare etiam à crebra experientia edocti ad unguem herbas edules ab herbis medicinalibus, vel etiam venenoſis, diſtinguent, imo hoc norunt pueri ſeptennes & infra.

C A-

CAPVT XLII.

De fructu Billing-bing *indigenis vocato.*

Stypticus è Citreis acor etſi dentibus hæſit
Billing-bing *guſtum hunc fructus abire facit.*
Non ſecus, ac magnus dolor arcet ſæpe minorem,
Hic acor his acidis fructibus eruitur.

CReſcit arbor quædam foliis Ciceris arietini quoad figuram: ſed grandioribus, acido ſapore præditis. Fructus porro tam pendentes ex ramis, quam ex trunco ipſo arboris prodeuntes, magnitudine ſunt & forma Cucumerum, primum adoleſcentum, quos *Agurcas* Luſitani vocant; qui certe propter extremam ſuam acidi-

BILLING-BING.



tatem, ipſe acor vocari merentur, & quod magis in iis miror, ſi cui dentes, ab acido aliquo fructu guſtato obſtupeſcant, his fructibus tantum deguſtatis, ſtatim acor iſte evaneſcet, credo, eadem ratione, qua in quibuſdam affectibus mixtis præter naturam major dolor minorem obſcuriorem reddit. *Billing-bing* hic fructus Malaiis dicitur, & nos ex ejus ſucco expreſſo (nam ſucculentus admodum eſt) Syrupum conficimus, adverſus hepatis intemperiem calidam, & Phlogoſin in ſanguine venis & arteriis contento; tum eo utimur etiam cum Oryzæ non decorticatæ decocto, quod *Padii* vocamus, egregio juvamento in febribus ardentibus, & continuis, tum ſiti ſedandæ

 optime

optime confert. Choleræ quoque impetum ſiſtit. Hinc facile quis colligat, qualitate eſſe è frigida verſus ſiccam, quod aſtringens ejus guſtus etiam indicat.

CAPVT XLIII.

De Cypero Indico.

HErba hæc in ſumma quantitate circa fluenta Iavæ creſcit, radices ejus bulboſæ ſunt, non ſecus, ac Chamæbalanus, ſeu glans terreſtris, qui in Zeelandia in agris foditur è terra: Odoris ſunt plane aromatici, & Caryophyllos referentis. Vnde earum decocta per aliquot dies ſumpta, nervorum frigidis affectibus ſumme condu-

CYPERVS INDICVS.



cunt, imprimis multum adferunt levaminis in tremoris, ſeu Paralyſeos iſto genere, quod *Beriberii* aliquoties Indis vocari diximus. Indæ Mulieres hanc plantam etiam ciendis menſtruis adhibent, nam diuretica admodum eſt. Ideo hydropicis quoque convenit, & propterea habemus in Noſocomio ſemper radices Cyperi exſiccatas ad manum, cum ille frequentiſſimus ſit, & decocto Chinæ, atque hoc Cypero feliciter curatur. Ex hac radice porro conficimus arte Chymica ſal, apprime utile conſumendis excreſcentiis in ulceribus, præſertim pedum, & tibiarum: nam præterquam quod eas abſumat, etiam os à carie defendit, & loca inania carne replet, eique cicatricem ſuperinducit. Idem & Cyperus in Patria præſtat, in cinerem redactus, & inſperſus ulceribus iſtis calcium, quæ Perniones vocitari ſolent, quæque hyeme præſertim mortales infeſtant. Cyperus porro inter Graminis ſpecies reponi debet: ideoque, quia de iis alibi latius diximus, hic ſupervacuo labore ſuperſedebimus.

C A-

CAPVT XLIV.

De Fabis, & Leguminibus in arboribus naſcentibus, & primum de arboris fabiferæ flore, qui Boa Tſinkring *dictus Iavanis.*

FLos, quem depictum videtis, in prœalta arbore creſcit, cujus truncus multis, & acutis ſpinis obſitus eſt, folio plane, quali Tilia in noſtra Patria. Apertus tam egregie ruber eſt, ut è longinquo nihil gratius oculis objici poſſe putem, cui magna copia ſiliquæ ſuccedunt, in quibus rubræ Fabæ itidem naſcuntur, quibus

Arbor Fabifera I, Boa-Tsinkring dicta.



Turdi avide veſcuntur, non ſecus, ac in Patria noſtra baccis Orni rubris, laqueo inditis capiuntur.

Plurimæ ſunt arbores, quæ varia Piſorum genera, & Legumina ferunt, more plane noſtris incognito, ubi miraculum eſſet, Fabas è ligno naſci. Saporis tam boni ſunt ut noſtra Legumina, quædam, melioris: attamen ſunt Piſa, Legumina, & Lupini, quæ non ſecus, ac noſtratia in ſarmentis naſcuntur, & bacillos appoſitos ſcandunt. Fabæ, quas Turſicas nos vocamus, plures ſpecies hic naſcuntur, qui ſapore nullo modo aliis cedunt.

Cæterum quoad vires Leguminum, ea conſtat verſus ſiccum pleraque vergere, ac flatulenta eſſe, torminaque in ventre & inteſtinis ciere: diuretica tamen ſunt omnia, & hydrotica; unde ea inter medicamenta alimentoſa reponamus, & non niſi aliquoties iis veſcamur.

Inter eos quoque familiares ſunt, Phaſeoli ſeu Fabæ purgantes, Piſorum noſtrorum forma, ſed folio Trifolii, vel Meliloti, verum craſſiori. Harum Fabarum jus hydropicorum aquas potenter per ſuperiora & inferiora educit.

PHASEOLUS II INDICUS RUBER, qui ABRUS Proſp. Alpino dicitur.



ANNOTATIO. Cum Autor noſter ſolam iconem hujus plantæ ſine aliqua deſcriptione exhibuerit; Cumque eadem æque in Braſilia luxuriet ac in India Orientali, vel Ægypto; paucis defectum hunc ſupplebo, eaque traditurus quæ mihi innotuerunt. Quod vero ejus figuram & deſcriptionem in opere meo neglexerim, non eſt quod quiſquam miretur; quoniam ea tàntum attigi, quæ majoris ſunt efficaciæ in Medicina; hoc vero, rectius in puellarum cultum, quam corporis alimentum vel medicamentum cedat; Corallorum enim uniones, quas collo geſtare ſolent, ex rubris Piſis conficiuntur; nec memini unquam in Braſilia hæc ſicut cætera Legumina advenis vel indigenis, etiamſi probe elixa, accepta fuiſſe, quod ea pravi nutrimenti, & difficillimæ concoctionis deprehenderint. Idem quoque de iis teſtatum reliquit Proſper Alpinus, etiamſi fateatur ab Ægyptiis parari & pro cibis apponi.

Silveſtris & volubilis hæc planta ſemper virens arboribus ſe involvit, eaſque enititur tenaci

teaci ſarmento. Cui, rami alternatim oppoſiti, uti & folia ad eundem modum æqualia, paria in quolibet ramulo, circiter digitum longa, figura Buxi, vel Sesban Alpini potius foliis ſimilia, ſplendentia, ſine petiolis, ramulis ornate innitentia conſpiciuntur: moventurque ut nonnullæ aliæ herbæ ad Solem, ſeſe claudentes ac aperientes ad ejus ortum vel occaſum; quaſi eo converterentur, quo humor radiante Sole provocatur. Ex parvis floribus ſiliquæ proveniunt omni anni tempore, quæ mature factæ dehiſcunt, unde ſex, ſeptem, vel octo ſemina apparent Piſi fere magnitudinis, ſed paulo ovalis figuræ, dura, ſplendentia, læto coccineo colore decora, excepta ea parte, qua folliculo annectuntur, ubi macula nigra loco hili egregie ſplendet.

PHASEOLVS III QVADRANGVLVS.

En Phacos, & docti quadrata Legumina Plini.



MIrum hoc Leguminis genus foliorum magnitudine, & fructuum inſueta figura, cæteris præeminet, licet creſcendi modo & qualitate iiſdem Piſis, ſimile ſit; non enim ingratioris ſaporis ſunt fructus, quam Piſa illa in Patria apud nos, quæ ſine membranaceo illo cortice (noſtrates **Peulen ſonder Schillen** vocant) appoſitos bacillos ſarmentoſis ſuis ramis, ſcandunt. Ex uno eodemque caule tria folia ſibi conjuncta emergunt, atque ex eodem quaſi centro pediculus provenit; ex quo Phaſeolus quadrangularis dependet, Piſis rotundis repletus, qui ubi maturuerit, dehiſcit, & fit edulis.

De eorum natura & guſtu nihil ulterius addam utpote quæ reliqua id genus Legumina æmulantur, ut ſupra monui.

Phaseolus Indicus, IV qui Secamoné Alpino dictus.



Annotatio. Quam ſæpe inter ſe conveniant, Ægypti & Iavæ Plantæ, ex hoc quoque Phaſeolo liquet, qui nihil plane differt, ab eo quem P. Alpinus in Plantis Ægyptiacis tradidit; quamvis ille, ut & Autor noſter, nihil fere de ejus qualitatibus ſpecifice egerint; ille enim tanquam novam & adhuc minus uſitatam, eam exhibet, & diſputat, ad quam ſpeciem redigenda ſit, & Apocyno Cluſii, anguſti folio non male comparat. Noſter vero autor qualitate hujus Phaſeoli, communes cum cæteris Leguminibus & plantis fabiferis, ſub hoc capite comprehenſis, ſtatuit: quamobrem eo lectorem remittit.

Planta hæc exotica ſponte in ſilvis naſcitur, alteque ſaliens, arbores vel bacillos ſcandit, foliis longis, duris, acuminatis. Flores fert albicantes ſtellares, tres quatuorve ſimul copulatos, ex quibus naſcuntur ſiliquæ longæ, lanuginoſæ, craſſæ Rhododendri ſiliquis ſimiles, ſed longiores, ſeminibus parvis refertæ.

Teſtatur Pr. Alpinus, ex hac planta manare ſuccum flavum, urentem, quem ſiccatum Ægyptii valenter tenues humores purgare aiunt. Vnde nonnulli Scammonei ſpeciem eſſe affirmant, quam *Secamoné* appellant; cujus tamen nullum in medicina uſum ſe noviſſe dicit.

LVPINVS FLORE FLAVO.



PIſorum hoc genus, ſi vel ex ſapore faſtidioſo, & amaro, judicare velis, è Lupinorum eſt ſpecie. Flores fert flavos, quibus ſiliquæ ſuccedunt, Piſorum noſtrorum ſiliquis ſimiles. Decoctum eorum alvum movet, & urinas, ideoque magis inter medicamenta, quam alimenta locanda veniunt; agreſtes ſunt, & in hortis, quod ſciam, non coluntur. Ramunculi ex ipſo caule ſatis longi & recta extenſi emergunt, qui deſinunt in quinque vel ſex folia oblonga tenuia. Flores autem & ſiliquæ etiam caule cum tenui pediculo adnaſcuntur.

CAPVT XLV.

De quibusdam Indicis floribus, eorumque grato odore & uſu apud Incolas.

IAvani, imo omnes Indi, qui Mahumetis ſectam ſequuntur, florum bonorum odorum ſunt amantiſſimi, ut hinc proverbium enatum ſit, Iudæos rem diſpendere in ſacrificiis, Chriſtianos in epulis, Mahumetanos in odoribus. Itaque ſuaſerim Hollandis noſtris, qui tanti faciunt florum varios colores, & odores, ut ſæpe integra patrimonia in eos abſumant, huc veniant, ſi emolumentum è floribus ſuis deſiderent, nam ingens in Iava eſt bene odoratorum, & coloratorum florum copia, ita ut ſi particulatim de ſingulis agere velim, charta & atramentum mihi prius deficiant, quam Na-

FLOS INDICVS CHAMPACCA dictus.



turas eorum explicem. Itaque ſelectiores, & magis odore præſtantes enumerabo. Inter odoratos igitur, facile principem locum obtinet Flos ille, quem *Champacca* indigitant, qui creſcit in arboribus non abſimilibus Perſicæ Mali, foliis eodem modo oblongis, & in cuſpidem pyramidaliter deſinentibus. Colore flores ſunt duplici, viridiori & aureo, qualis eſt in Malis Aureis Hiſpanicis. Forma ſunt, quali apud nos flores Colchici, vel etiam Croci Anglici. Porro odoris jucundi, & Roſam mixtam cum Viola æmulantis. Vnde etiam fœminæ Indicæ iis in nobili ſuo unguento *Borborii* ſupradicto utuntur, ut corpus à capite ad calcem eo inungant. Capillos quoque ferme ſemper intertextos habent hiſce & aliis bene olentibus floribus, ut maritis ſuis, vel potius amantibus, gratiores occurrant.

Naſcuntur præterea in arbuſculis, nivis inſtar albentes floſculi, qui *Fula Mogori* à Garcia ab Orta vocantur, tam grati odoris, ut Violæ ipſis cedant longo intervallo. Ex his aquæ deſtillatitiæ cordiales conficiuntur pro Lipothymiis, (quæ frequentes, & periculoſæ hic in Choleris eveniunt,) præſtantiores certe, quam aqua Roſarum vel Bugloſſæ poſſint eſſe. Ad Epithemata porro in continuis febribus, & doloribus Capitis bilioſis accommodatiſſimæ ſunt hæ aquæ; unde natura horum florum, è temperato verſus frigus vergens facile conjicitur.

CAPVT XLVI.

De Roſa Batavico-Indica inodora ſeu Malva fruteſcente.

FRutex quidam hortorum ſepibus contexendis plantatur, cum ſarmentoſis, & oblongis ramis, è quibus corbes conficiuntur. Folia habet pyramidalia, in circumferentia dentata, florem fert rubicundum plane, qualis eſt Roſæ ſimplici folio apud nos. Sunt & frutices ejuſdem ſpeciei, qui carnei coloris flores gerunt, quem Belgæ Lijfverwigh nominant; totus porro frutex inodorus eſt, & ſuo virore ſolum, & pulchre florum rubro colore, aſpectum delectat amœniſſimum. Maſticatus Flos nigrum ſuccum à ſe emittit, quapropter nobis aliquando denigrandis calceis inſervit. Ex ſapore

ROSA INODORA RVBRA I. ROSA INODORA PALLIDA II.



ſapore tamen aſtringenti, conſtat frigidioris eſſe naturæ, & in Febribus continuis aqua deſtillata ex his floribus ad conciliandum ſomnum uſus ſum pro frontali. Non incommode etiam poſſe ſumi in Dyſenteria propter aſtringentem vim contenderim, ſed cum notiora, & meliora ad hunc affectum medicamenta nobis ſuppetant, non eſt quod ad minus uſualia curramus. Ego huic frutici lubens Malvæ fruteſcentis nomen indiderim. Cum Flos ipſi Malvæ arboreæ flori non ſit abſimilis, præſertim quantum ad pediculum prominentem è Floris calyce, ut hic depictum videre eſt.

SEcunda Roſa Batavico-Indica inodora hic appoſita eſt, quæ quoniam colore tantum differt à priore, quod illa rubro, hæc vero carneo ſit colore, peculiariter quod de ipſa amplius ſcribamus, non habemus.

CAPVT XLVII.

Appendix. *Moly, vulgo Lilium Indicum.*

PRo miro & vario naturæ luſu flores Aſiatici Europæos æmulantur. Belgæ in Indiis pulcherrimum hunc Liliis rubris noſtris annumerant, quibus ſane figuræ & coloris elegantia haud cedit, & proinde apud indigenas, perpetuos florum & odorum admiratores, in pretio habitus. Si ulli florum Indicorum comparandus, certe

Moly

LILIVM INDICVM.



Moly montano latifolio, flore flavo, Cluſii ſimilis exiſtit. Caule unico, enodi, firmo, ſed tenui, ad altitudinem noſtratis Lilii exſurgit. Cui infra tria quatuorve folia oblonga, ſurrecta, ſupina parte carinata & contorta adnaſcuntur. Summo autem faſtigio, ex membranaceo folliculo, bifariam diviſo, quindecim aut plures flores uncialibus vel longioribus pediculis, ſenis foliis, ſtellæ in modum expanſis, emergunt, qui ſimul eleganter juncti coronam imperialem repræſentant. Ideoque non indignam putavi plantam hanc ad vivum in Indiis depictam pro corollario annectere, licet ulterior ejus uſus & dignitas à nobis adhuc deſideretur.

CAPVT XLVIII.

De Liguſtro Indico, & Alcanne *frutice.*

CHriſtophorus à Coſta, hiſtoriarum libro, de aromatis, & plantis Indicis, f. 285, vehementer laudat hanc plantam: Quod adeo verum eſt, ut nihil præſtantius inveniri in terra poſſet, fovendis membris eorum, qui à moleſtiſſima paralyſeos ſpecie, *Beriberii* dicta, affecti ſunt; de qua cum latius in Method. medendi egerim, non eſt quod hic repetam. Planta eadem eſt, quam Proſper Alpinus ſua, de Plantis Ægyptiis, hiſtoria Liguſtrum Indicum nominat: & certe flos, folia, & ſarmenta omnino Liguſtrum referunt; odoratius tamen ſpirant folia quiddam, quam noſtrum Liguſtrum: flos quoque, quamvis forma conveniat, colore variat; nam in Liguſtro Indico ſubcyaneus eſt, cum in Liguſtro patrio, nive ſit candidior; Vaccinia tamen utriuſque nigro

LIGVSTRI SPECIES I.



LIGVSTRI SPECIES II.
ALCANNA dicta.



nigro ſunt colore. Nobiliſſimus eſt frutex per omnem Indiam, longe virtutibus excedens Chamæmelum, & Melilotum, quum in fomentis diſcuſſoria ſua vi paralyſin ſanet, folia maſticata aliquantum linguam vellicant, ſine tamen inſigni acrimonia.

Alcannæ frutex, quem ſimul hic appingi curavi, huic congener eſt, niſi quod ſit foliolis minutioribus, quam Liguſtrum Indicum, quod Malaii *Lagondi* vocant, Garcias ab Orta *Neergundo*, & *Negundo* appellat.

Alcannæ porro folia per totam Indiam in uſu ſunt tingendis dentibus, labris, & unguibus præſertim, rubro colore. pulcrum inter Mauros exiſtimatur, quod hoc modo faciunt; folia in lapide marmoreo piſtillo confracta macerant in aqua pura, cum pauca calce, & ſic rubrum naſcitur hoc pigmentum, quo & caudas equorum ſuorum Turcæ, & Perſæ, eleganter tingunt, non ſecus, ac ſi videas equos iſtos in Zelandiæ partibus, ubi Rubia tinctorum naſcitur, qui quia Molas illas circumactiles trahunt, quibus radices dictæ Rubiæ, in fornacibus exſiccatæ, teruntur in pulverem, toti rubro colore picti conſpiciuntur.

Denique ut concludam, hi duo frutices in tanto ſunt honore apud mulieres Malaicas, ut ſacrilegus habeatur, qui malum de iis protulerit verbum, & ſemper in lotionibus, quibus utuntur in puerperiis, omnibus denique vulvæ morbis, ditiores, hæ plantæ adeſſe debent. Quin & ſenectutem arcere dicunt, & (ſi auderent) mortem ipſam. Certe virtutes ejus egregias ego nunquam ſatis laudare deſinam, cum foliis hujus nobiliſſimi

liſſimi fruticis, ſecundum Deum, ſanitatem meam reſtitutam debeam à moleſtiſſima iſta paralyſeos ſupra dicta ſpecie, qua ego per integros quatuor menſes, cum prima vice, à Iavanis Mataranenſibus obſeſſi eſſemus, vexatus ſum, fotu, & decocto intus ſumpto hujus *Lagondi*, plane ab ea liberatus ſum, & in Noſocomio eodem modo plures alios percuravi.

CAPVT XLIX.

De Colocaſsia ſeu Culcas *Proſperi Alpini, quam Ari eſſe ſpeciem proxima deſcriptio oſtendet.*

PRoſper Alpinus libro ſuo, quem edidit de plantis Ægypti, hanc *Culcas* ab incolis vocari ait, ipſe Colocaſſiam vertit, qua ratione ego equidem ignoro, cum Colocaſſia longe quid aliud ſit, præterea edulem eſſe ait, quod quidem verum eſt, ſed cum cautione eſt intelligendum, ne ignarus quidam vitæ periculum incur-

COLOCASSIA.



rat, cum planta hæc na tura ſua venenata ſit. Itaque radices ejus craſſas, & in taleolos diſciſſas, Iavani per triduum aut quatriduum in profluenti macerant, ut muccilaginoſa, quæ in iis eſt ſubſtantia, abluatur, nam in hac muccagine deleteria ejus vis conſiſtit, tunc expreſſas torculari eaſdem radices Soli ſiccandas exponunt, & dein eas in pollinem terentes, placentas ex iis loco panis & oryzæ conficiunt. Et hæc eſt radix ea, clade Iavanorum Mataranenſium nos obſidentium tam nobilis, quæ inter eos perniciosam in caſtris Dyſenteriam excitavit, dum miſeri fame oppreſſi, quod à noſtris oryza omnis intercepta, & incenſa eſſet, quæ à *Tengal* civitate in caſtra advehi deberet. Itaque hac ſola fere radice ſe per aliquot ſeptimanas ſuſtentare in ſumma fame coacti ſunt. Chinenſes, & Malaii eodem modo præparatis ejus radicibus utuntur. Quantum me ſpectat, ego non libenter fruar deliciis tam caro conſtantibus. Præterea (quod pene omiſeram) dum hanc radicem coquunt, prius decoctum abjiciunt, & addita aqua recenti recoquunt, & tum iis quoque veſcuntur, cum aceto, & oleo Nucis Indicæ, &

Pipere,

Pipere, ut nos radicibus Betæ rubræ. Cæterum quod Pr. Alp. loco citato dicat, plantam hanc florem non ferre, falſum eſt, immo ego ejus florem, & fructum, millies vidi, & ex iis conjeci, Ari eſſe ſpeciem, ut in hac figura videre eſt: adde quod fructus maturus omnino ruber ſit.

CAPVT L.

Cynara Indica ſeu Ananas *Indis dicta.*

Qui legitis Cynaras, atque Indica dulcia Fraga,
Ne nimis hæc comedas, fugito hinc, latet Anguis in herba,
Ne tibi lethifero ſapor impleat ilia ſucco.

CVm Chriſtophorus à Coſta hunc fructum egregie deſcribat, nolo ego honorem ſuum illi invidere, ſed lectorem eo remitto: hoc tantum addito, guſtu adeo delicato eſſe, quam Fraga in Patria, vino, & ſaccharo macerata. Externam cutem hujus fructus aufert, qui eo uti volet, & reliquum diſcindit in taleolas, quas aqua,

ANANAS FRVCTVS.



aut vino, paulum macerare neceſſe eſt, ut erodens vis ipſi inſita extrahatur, alias calore ſuo palatum, & linguam exulcerant, bullaſque in iis excitant. Quapropter omnibus & ſingulis ſuaſerim, ut his fructibus moderate utantur, ne decepti à gratiſſimo ſapore incurabilem Dyſenteriam incurrant. Quamvis fructus hic ex effectu ſuo procul dubio ca-

N lidus

lidus judicari debet, tamen folia frigida ſunt, quod acidus ejus, & adſtringens ſapor, ſatis indicat, qui guſtus non niſi in frigidioribus plantis reperitur. Neque hoc alicui videri mirum debet, plantam, aut fructum, una parte calidum, altera ſæpe frigidum eſſe, cum exempla in promptu ſint; ſed unicum hoc tantum adferam huc de Malis Citreis, Limonibus, & Aureis, quorum pulpa egregie refrigerat, exterior vero cortex calidus eſt, quod ſapor ejus amarus facile indicat, præterquam quod mulieres Indæ, nullum efficacius medicamentum ad obſtructiones menſtruorum eſſe quotidiana experientia teſtantur, & nos corticibus horum fructuum conditis, ad frigidos Ventriculi, & Inteſtinorum affectus commode utamur.

CAPVT LI.

De Betonica fruticeſcente.

ANtequam plantam hanc fruticoſam deſcribam, illud lectorem admonitum volo, me inter Naturæ miracula, quæ in hac Inſula viſuntur, referre, quod herbæ, & plantæ, alibi à natura molles, hic caule ligneſcente multæ conſpiciantur, ut inter cæteras videre eſt Malvam vulgarem, quæ pumilis ſtolonibus ligneis

BETONICA FRVTICESCENS.



egregie floret, & caſeolos ſuos profert. Multæ præterea Fabarum, & Lupinorum ſpecies hic in arboribus creſcunt, quod in Patria noſtra plane inauditum eſt, ſed de iis ſuo loco. Ad Noſtram hanc Pulmonariam jam deveniamus, quam ſic nomino, quia maculas fert in foliis ſuis, quales in Pulmonaria noſtra videmus, quæ ibi inter olera refertur, ſed revera flores, ſeu ſpicæ ejus, eam de Betonicæ genere eſſe arguunt: tamen hic pulmonibus ejus decoctum utile fertur, Sputo ſanguinis, Phthiſi, Aſthmati denique conducit, quod *Sakit hatii* Malaii vocant, ſeu morbos Cordis, cum Cor, Hepar, Pulmo-

Pulmones, Lienem denique ipſi nomine Cordis inſigniant, ac, uno ex ſupradictis inſtrumentis laborante, *Sakit hatii*, id eſt, ſe dolere è Corde conquerentur; & dum locum affectum manu demonſtrant, facile Medicus verſatus errorem intelliget, alias ludibrio ſe exponi Tiromedicus putaret. Spica hujus plantæ fruteſcentis, ut dixi, Betonicæ flori reſpondet: colore ſunt floſculi, qui mille fere, una ſpica exiſtunt, ex pallido cyanei, quales ſunt flores Roris-marini in Patria. Indæ porro mulieres ſuccum hujus plantæ expreſſum, ac viridem, excellens antidotum dicunt eſſe adverſus morſus Serpentum, Scorpiorum, Scolopendrarum, & cæteros venenatos ictus. In quo ego illis facile fidem adhibeo, cum ſciam, ipſas perfectiſſimas magiſtras, & repertrices venenorum eſſe, quibus illos, quibus male volunt, ad Orcum demittunt, & in hoc genere fraudis nullo modo Italis cedunt, cum terra hæc, ut optimarum, & præſtantiſſimarum herbarum eſt ferax, ſic venenorum, & medicamentorum deleteriorum copiam gerat.

FRVTEX INDICVS INCOGNITVS.



FRutex hic exoticus, anonymus eſt, cum floribus exiguis copulatis, foliis autem magnis, deorſum pendentibus, ex pediculis ſolidis, ligneis. Eorum ſuccus ulceribus malemoratis exſiccandis dicatus eſt. Cætera, quæ de hujus plantæ viribus dicenda forent, quia mihi incomperta, poſteris indaganda relinquo.

CAPVT LII.

De Gramine Cruciato Proſperi Alpini, lib. 1. de Plantis Aegypti, cap. 40. & de cæteris Graminibus medicinalibus, & radicibus eorum in Java.

Gramen ego quamvis vociter viliſſima Planta,
Sed tamen in morbis notus me prætulit uſus,
Qui Renes diro vexantque dolore veſicam.

GRaminis ſpecies hic depicta, abundantiſſime in Inſula Iava creſcit, non ſecus, ac in Ægypto, ubi Proſper Alpinus medicus præfecti mercatorum Venetorum in Cairo Ægypti, eam creſcere ait, folia eadem habet cum gramine vulgari: ſed in apice Caulis quatuor decuſſatim ariſtas profert, formam Crucis plane referentes. Eſt

GRAMEN CRVCIATVM.



præterea Gramen ejuſdem generis, quod ſex vel octo, tales ariſtas ferat, quales hic pinguntur, & ſtellas cæleſtes non male tum referunt; in his ariſtis ſemen continetur parvum, & ſemini per quam ſimile. Radices cum tota planta coquuntur, ad Dyſurias, Strangurias, Renum, & Veſicæ dolores, & ulcera; excitandos dein fluxus muliebres, Malaii medici iis utuntur.

Graminis omnigeni adhuc plurimæ ſunt ſpecies, figura diverſa, Dodonæus quindecim, vel ſexdecim diverſas ponit, Lobellus aliquanto plures: ſed huc veniant velim, vel centum iis oſtendero. In hoc genere etiam (omiſſis vulgaribus) Iuncum odoratum repono, quem quamvis Garcias ab Orta nullius ferme uſus eſſe dicat, quam equorum ſubſternendis cubilibus, tamen in Iava vix unquam carnes, vel piſces elixantur, quin faſciculus hujus vere aromatici Graminis addatur, cum ad ſaporem conciliandum, tum ad naturalium membrorum concoctionem adjuvandam. Taceo vim ejus deobſtruentem, in Iecoris, Lienis, Meſenterii denique, & Pancreatis infarctionibus, quæ duæ poſteriores obſtructionum ſpecies, hic perquam familiares ſunt, & miſeros mortales ſine ullo fere ſenſu doloris in maraſmum & extremam extabeſcentiam conjiciunt, ita ut verius Sceleti, ac umbra hominum, quam homines appa-

appareant: ſed de his in privatis meis Obſervationibus, & Methodo medendi Indica.

Creſcit & aliud Graminis genus, ſola radice à vulgari differens, quæ tres, quatuorve tubercula profert, Ciceris, aut Piſi magnitudine, quæ maſticata plane ſaporem Caryophyllorum reddunt, niſi quod ſint moderatiori & blandiori calore. Denique quamvis Gramen vulgatiſſima ſit herba, & propterea ab omnibus exiſtimetur viliſſima, & abjectiſſima: tamen inter ſaluberrima eſt è terra naſcentia medicamenta.

Quapropter, quia multi nihil niſi pretioſa prodeſſe putent, monitum volo qualemcunque novicium huc adventantem, nil quod vulgo contemptiſſimum videtur, temere abjiciat; cum vel exercitatiſſima ingenia in eo ſæpe reperiant, quod omnes univerſi Orbis theſauros ſuperet, ſanitatem dico, ſine qua multi hic ardeliones fruſtra delicias ex opibus quæritant.


Corona quidem nulla graminea nobilior in majeſtate populi terrarum Principis, præmiiſque gloriæ Gemmatæ, & Aureæ, Vallareſque, Roſtratæ, Civicæ, Triumphales &c. Plin. lib. 22. tum quoque lib. 4. cap. 55. Graminea (corona) non niſi in deſperatione ſuprema contigit nulli, niſi ab exercitu univerſo, ſervata & decreta. Cæteras Imperatores dedere, hanc ſolum miles Imperatori.

CAPVT LIII.

De Halicabo ſeu Alke-kingi *Arabibus dicto.*

PLanta hæc nobilis circa fluminum ripas copioſe naſcitur, cum floribus ſuis pulcre flavis, quibus minores paulo patriis veſiculæ ſuccedunt, quibus ſemen continetur: Indi, & Chinenſes hanc plantam cum Mandragoræ pomis, quæ *Poma d'oro*

HALICACABVS.



Luſitani vocant, & Chili ſeu Ricino Americano comedunt, de quo cum in deſcriptione

ne Ricini commemoravimus, non eſt, quod actum, hic agamus. Succus viridis expreſſus in uſu eſt ad calidos Renum, & Veſicæ affectus: Tum in Gonorrhœis Venereis, quæ hic eveniunt acerbiſſimæ, remedium eſt anodynum ſumme; & certe hinc videre licet, quam conſone, hæ gentes, quamvis Idiotæ, cum nobis medicinam exerceant, ut mihi non dubium ſit, Græcos potius hanc artem à vetuſtiſſimis Ægyptiis, & Arabibus hauſiſſe, quam ipſis tradidiſſe; nam quis, quæſo, Græcorum huc unquam devenit? præterea Malaica unaquæque mulier medicæ ſimul & obſtetricis munere facile fungatur, ac (ut fatear, quod res eſt) ego me illarum manibus libentius commiſerim, quam ſciolo alicui Medico, vel Chirurgo arroganti, è ſcholis ſtudia in umbra educata, & inflatam præſumptionem, præ ſe ferenti, & ſine ulla experientia, medici ſolummodo in charta, tamen (ſi Dis placet) rationales dici volunt.

CAPVT LIV.

De Verbena Indica, & nugacibus de ea anicularum opinionibus.

VErbena hæc ſimilis eſt Verbenæ noſtræ mari, ſpicæ tamen hic duriores, & longiores ſunt; foliis hujus Plantæ contuſis utuntur Incolæ, & nos quoque, ab iis edocti, ad ulcera tibiarum: nam egregie exſiccant, quod requiritur in omnibus ulceribus, quæ hic propter aëris calidam & humidam conſtitutionem, difficulter

VERBENA INDICA.



admodum curantur. Succo expreſſo recenter, & cochlearis unius menſuram ægri ad Cholicos dolores, Dyſenteriam, Choleram, & reliquos indiſcriminatim Inteſtinorum

ſtinorum affectus, cum ſummo ſucceſſu hauriunt. In Syncope quoque, & animi deliquiis cum aceto contuſam pectori applicant.

Cæterum herbam hanc ſacram eſſe dicunt anus Indicæ (quod cum noſtris aniculis commune habent) omniaque incantamenta arcere aiunt, & maleficia: ſed credat Iudæus Apella, non ego; qui, ut natura non propenſus ſum credendis ſuperſtitioſis medicamentorum viribus, hoc ſaltem ridendi cauſa huc adduxi, ut oſtenderem, inſanam, & futilia credendi Cacoëthiam, & malum morem inter totius Orbis deliras aniculas verſari.

CAPVT LV.

De Myracantho ſeu Eryngio Indico.

Affectos renes & tormina dira veſicæ,
Cortice quæ ſcabro producit calculus, atque
Mille minas mortis ſanat Myracanthon odora
Radice, & rauco ducit de pectore phlegma.

QVantum ad folia Eryngium hoc Patrio ſimile eſt, quod in collibus arenoſis circa mare in Hollandia, & in Zeelandia circa aggeres, copioſe creſcit. Flore tamen omnino differt, qui ſpicatim prodit, non ſecus, ac flos Lavendu-

ERYNGII INDICI SPECIES.



læ, ſeu Spica Nardi, niſi quod longe major ſit hujus Eryngii flos, coloris eſt ex cæruleo pallidi, florens per totum annum conſpicitur, &, ſecus quam in Patria, libenter


ter circa paludes creſcit: & longa ſpatia occupat, læto ſane ob pulcherrimos flores aſpectu. Radicem habet Aromaticam, & blande calidi ſaporis: Vnde non fruſtra Myracanthi nomen apud Græcos meruit. Ego radices hic ſaccharo condiri jubeo, & illis cum ſummo ſucceſſu exhibeo, qui paralyſi Indica, *Beriberii* Incolis dicta, laborant, quod in me ipſo expertus ſum, dum moleſtiſſimo, & pigro hoc malo, per quatuor continuos menſes miſerrime decumberem. Copioſas quippe urinas hæc radix elicit, & ſudare facit; tum Aſthmati, quod plerumque hoc malum comitatur, utiliſſima eſt, neque ego inter vegetativa medicamenta ullum præſtantius reperiri poſſe confido, ad expectorationem Pituitæ ſalſæ, & craſſæ, ut taceam notiſſimas ejus vires adverſus Calculum, & Renis affectus. Colicum quoque dolorem temperato ſuo, & blando calore, confeſtim ſedat, & flatus inteſtinorum diſcutit.

CAPVT LVI.

Milium Solis ſeu Lithoſpermon Indicum.

HOc Milium Solis, quia à Patrio floribus, caule, & foliis, non longe differt, peculiarem de eo deſcriptionem hic non adjunximus, id ſolum dico, fructum longe majorem, ac lapidis inſtar durum, ferre, quæ farinam edulem intus contineat: Portugallice vocatur *herba da Roſarios*, quod Malaicæ mulieres pauperiores, &

MILIVM SOLIS.



ſervæ, horulas ſuas precarias inde conficiant, & etiam iiſdem catenarum ſeu torquium loco, ut ditiores ex auro, utantur. Vires hujus ſeminis notæ ſunt adverſus Renum, & Veſicæ affectus, &c.

C A-

CAPVT LVII.

De Eſula Indica, & de Planta illa, quæ lacrymam illam emittit, Gutta Gemou vocata.

Scammonii ſuccum quid laudas Græcia mendax?
Indica nam Lathyris liquorem fert meliorem;
Aureus eſt illi color, & virtutibus aurum
Exſuperat, quod dirus Hydrops teſtabitur, atque
Indica Paralyſis Beriberii *nomine dicta.*

PAſſim hic in ſilvis creſcit mirabilis, Eſulæ, ſeu mavis, Lathyridos, ſpecies, quæ in tantam altitudinem aſſurgit, ut ingentes arbores ſcandat, craſſitudine ſæpe brachiali, & amplius, plena eſt ſpinoſis extuberantiis, quæ tamen, utpote molles, puncturas non inferunt: foliolis hinc inde excreſcentibus, quæ admodum ſimilia ſunt

ESVLA INDICA.



foliis ejus Sedi, ſeu Sempervivi, quod nos vernacula lingua **Huys-loock** vocamus. Caule eſt trigono, quo vulnerato ſuccus lacteus, qualis ex Eſula, deſultim exit, ut, niſi tibi caveas, facile veſtem, &, quod pejus eſt, faciem, & oculos commaculet, quibus propter vim cauſticam admodum inimicus eſt. Ex hoc ſucco conficimus extractum utile ad Cachexiam, Hydropem, Paralyſin, & reliquos ſtupidos, & frigidos affectus, qui levi pharmaco non moventur: doſis ejus eſt à gr. x. ad xx.

Ab hac Planta, neque forma, neque figura, neque creſcendi modo differt ea, quæ lachrymam iſtam flavam à ſe emittit, quæ officinis noſtris Gutta Gemou corrupte dicitur, Indis *Lonan Cambodja* vocatur, quod in *Cambodja*, vicina Chinæ regno Provincia, proveniat, ubi etiam copia Aloës hepaticæ exprimitur.

Hujus

Hujus porro flavi ſucci ſi virtutes enumerem, deficiat me prius dies, quam loquela, præparatus autem longe tutius, quam crudus ſumitur, nam eo modo vomitivam ſuam, & infeſtam ventriculo facultatem maxima ex parte deponit. Modus autem præparandi talis eſt. ℞. Gutt. *Cambodja* ℔j. contundat. groſſo modo, contuſa inf. in vitrea phiala capaci in aceto fortiſſimo diſtillato, ut materiam ſuperet tres digitos circiter, expone dein ſolaribus radiis, qui propter fervorem, nobis in multis ignis Chymici uſum præſtant, poſt octo, aut decem dies rurſus arctiſſime coletur, & rurſus ſ. a. inſpiſſetur in extracti debitam conſiſtentiam: hujus extracti gr. XII, ad viginti exhibentur in forma catapotiorum ſolida, vel vino diluta, & ſic materiam peccantem per alvum ſolum modo educimus copioſe, & ſine moleſtia. Ego certe hoc Gummi, eo, quo dixi, modo præparatum, longe prætulerim Scammonio in his calidis, & humidis regionibus, quam ob cauſam jam dictum Scammonium, aëris injuriis non valens reſiſtere, ſtatim corrumpitur, & vires ſuas amittit, ſecus quam hic ſuccus, qui denſus, & compactus facile aërem ambientem contemnit; Et hæc de nobili illo flavo ſucco dicta ſufficiant, de quo, quod ſciam, nullus ante me quid exacti edidit.

Sed quia in mentionem Scammonii incidimus, illud hic etiam per quam copioſe creſcit, ut & innumerabiles Convolvulorum ſpecies, inter quas ponimus etiam Piper, ac tantopere decantatum folium, *Syripynang* dictum, de quo alibi egimus.

CAPUT LVIII.

De Gentianella Indica.

QVoniam herba hæc, tam forma, quam floribus cyaneis, Gentianellæ patriæ apprime reſpondet, merito mihi illi Gentianellæ nomen indidiſſe videor; guſtu tamen non amaricat, namque Guſaratis, & Indis inter olera ac *Seir* ſuum, reponitur; tum alvum modice cit, urinas movet, obſtructionibus denique viſcerum tollendis inſervit, ut merito inter alimenta medicamentoſa reponenda ſit. Folia in uſu ſunt adverſus tibiarum, & pedum ulcera, hic admodum familiaria, propter exſiccantem, & abſtergentem ejus vim. Aquam quoque ex illius foliis elicimus, quæ conducit Colicis doloribus, diuturnis Diarrhœis, cæteriſque ventriculi, & inteſtini affectibus à frigore ortis. Folia hujus plantæ, quia nervoſa ſunt, Plantaginem in mentem mihi revocarunt, quam tamen in locis ſilveſtribus hic creſcentem nunquam me vidiſſe ſcio: ſed in hortis inter lactucarias herbas aliquando eam ſpeciem ſurgere conſpexi,

GENTIANELLÆ SPECIES.



ſpexi, quæ anguſtifolia vocatur (vulgo Coſtam caninam appellant) quam tamen inter ſemina Lactucæ è patria allata, & minus bene purgata, latitaſſe crediderim. Et certe hæc terra tam fertilis eſt, ut noſtra ſemina, & quæ è Perſia, & Zirate, huc adferuntur, cum fœnore reddat. Iam nuper enim Aſparagos, primum ſatos, luxurioſe creſcere vidi, tum Braſſicas noſtrates, ſi opportune terra ipſis aggeratur, hic quoque in ſe contractas optime provenire certum eſt: Sed ſi quis negligentius eas tractet, in folia diffunduntur fruticoſa, & lignoſa.

Raphanus ſativus porro longe melius, & ſapidior creſcit, quam in patria, è quibus craſſior, & brevior quædam ſpecies nobis cocta pro Rapis reſpondet. Chinenſes quoque Raphanos & folia aceto & muria, ad orexin excitandam, condiunt.

CAPVT LIX.

Guanambanus.

Rei Botanicæ ſagaciſſimus indagator Carolus Cluſius, in animadverſionibus ſuis ad Garciam ab Orta, de plantis Indicis, lib. 2. cap. 10, citat Iulium Scaligerum, hunc fructum utcunque deſcribentem, ex auditu, credo; ſed intermixtis non parvis erroribus: nam quod dicat fructum *Guanamban* naſci in altis arboribus, plane er-

GVANAMBANVS.



roneum eſt: nam vix frutex dici poteſt, qui fructum hunc profert, & vix ultra medium humanæ ſtaturæ aſſurgit, Sarmenta potius emittens, quam ramos, quæ egregie flavos flores ferunt, quibus *Guanamban* fructus ſuccedit hac figura, qui quinquangulus eſt & totidem commiſſuras habet, prominentiores paulum, quæ apertæ ſemen oſtendunt, inſtar

inſtar Ciceris, quod viride primum, mox matureſcens, ex cyaneo atrum & ſplendentem colorem contrahit, qualem videre eſt in Corallo nigro expolito. Fructus hic in ſuperficie lanoſus eſt, & pungens, ut in foliis Cardui Benedicti etiam fit. Folia referunt plane Pentaphyllum noſtrum. Apud Malaios eorum alius uſus non eſt, quam quod inter cætera legumina ab iis coquantur, cum jure gallinarum, aut aliarum carnium, & etiam flatus excitant, ut cætera Piſorum & Cicerum genera; atque neſcio quid faſtidioſi ſapiunt, unde etiam inſuetis alvum movent.

Hæc ex viſu vera eſt *Guanambani* deſcriptio; & nemo mihi, ſcio, hoc vitio vertet, quod credam, oculatum unum teſtem plus fidei mereri, quam auritos decem.

GVANAMBANVS Africanus.



ANNOTATIO. Ego cum noſtro Bontio, Oviedum, Cluſium, Scaligerum alioſque erroris quoque inſimulare poſſem; quod in deſcriptione hujus plantæ admodum diſcrepent ab Aſiatico & Africano Guanambano; ſed ob multas rationes videntur hi excuſari poſſe: præterquam enim quod inter ſe haud conveniant de arboris magnitudine & figura; nullus quoque eorum plantam vel fruticem ſicut nos, ſed unanimiter Arborem ſatis proceram eſſe aſſerunt. Proinde vel diverſa plane ſpecies illorum Guanambanus, diſcrepans ab hoc noſtro, etiam ratione diverſi ſaporis, & qualitatis ipſius fructus; vel error ille aſcribendus eſt perpetuæ varietati & perplexitati nominum exoticis plantis impoſitorum. nam interdum idem nomen à diverſis autoribus, diverſis rebus impoſitum eſt. Ex quibus amphibologiis obſcuritates infinitæ cauſantur. Cluſius fructum *Boabab* Alpini, non male mihi viſus eſſet Guanambano comparaſſe, ſi etiam non ex arbore penderet, & non foliis eſſet admodum à noſtro diſcrepantibus. Oviedus autem ſub nomine Guanambani, accurate. l. 8. c. 17, arborem in America undique familiarem eſſe teſtatur. Quæ ſi rite examinetur, exacte quadrat cum noſtro Braſilienſi *Araticuponhe*, fol. 142, deſcripta. Quæ arbor revera in multis Americæ locis ſponte luxuriat, & cujus fructus pulpa, ejuſdem eſt ſaporis & conſiſtentiæ, ſicut deſcripſit illam.

Hic autem Guineenſis Guanambanus planta quoque eſt fruticeſcens, foliis magnis Cardui vel Acanthi non diſſimilibus, cum profundis pro vario naturæ luſu inciſuris, eaque caules ſarmentoſos cingunt. Ex his ſuperius emergunt flores flavi, quibus fructus oblongi, craſſi, ſuccedunt, cum multis ſtriis, & eminentibus inciſuris, per longitudinem excurrentibus, deſinuntque in coronam, ex octo foliolis tenuibus conſtantem, quæ corona his Guineenſibus fructibus peculiaris eſſe videtur. Num qualitatibus & uſu cum Bontii Iavenſi conveniat, vel diſcrepet, nihil mihi hactenus certi compertum eſt, & proinde ulteriori deſcriptioni ſuperſedeo.

CAPVT LX.

De Salvia Indica arboreſcente.

SAlviam pumilam, humi ſerpentem, in India nondum mihi videre contigit, Anthos ſeu Roris-marini plantulam unam atque alteram aliquando conſpexi, eaque tanta cura à Solis injuriis conſervari debet, quam apud nos à ſævientis hyemis frigore, & nivibus. Salvia autem, quam tibi depictam damus, frutex eſt

SALVIA ARBORESCENS.



ſurgens ultra duorum hominum altitudinem; & tanta copia creſcit, ut ſylveta integra conficiat: nam longe lateque luxurians radices agit non ſecus ac Glycyrrhiza in Europa, ita ut qui eam in hortis plantant, poſt aliquod tempus cum ſumma moleſtia radicitus effodiant, cum ſubinde repullulaſcat. Ad Promontorium quoque Bonæ Spei creſcentem in magna copia hanc Salviam vidi, cæterum flores fert ex albo cyaneos, ut reliqua Salvia, foliis admodum longis eſt, quæ præter gratum odorem, etiam umbram commodam præſtant. Si autem bene colatur in hortis, plurimum de feritate ſua remittit, quod fiet, ſi radices, & luxuriantes ſtolones ſtatis temporibus commode reſecentur; & tum non minus utilis eſt in cibis, quam manſueta pumila apud nos, tum vino macerata, &, ex ea quotidie ſi ſumas aliquot liquoris uncias, nullum præſtantius medicamentum invenias in familiari hic tremoris ſeu paralyſis ſpecie,

quæ *Beriberii* Incolis dicitur, quod ut in pluribus aliis, ſic in me ipſo cum ſumma utilitate expertus ſum.

Malaicæ quoque Mulieres ad eumdem uſum ea Salvia utuntur, tum ad omnes uteri & nervorum affectus in fomentis ſuis, & lavacris familiaribus, cum Liguſtro Indico ſeu *Lagondi*, & frutice alibi *Daullontas* dicto. Flores quoque, à nobis condiuntur, & ad omnes frigidos inteſtinorum & cerebri affectus ſumme conducunt, tum hydrotici ſunt, & urinas bene movent: ſed de hoc melius in Methodo mea medendi Indica dicetur; Quia hic tantum nudam Plantarum Hiſtoriam proponere eſt animus. Finio itaque cum ſcholæ Salernitanæ verſibus Leoninis.

Cur moriturus homo, cui Salvia creſcit in horto?

CAPVT LXI.

De Scabioſa Iavana.

SCabioſa in Iava copioſiſſime creſcit, ſed macilentior eſt ratione foliorum, quam noſtras, flores minuſculos cæruleos habet, qui foliis ut calice conteguntur. De viribus multa dicere, ſupervacuum judico, quia iſtæ cum patriis conveniunt, unum tamen reticere nequeo, eſſe hanc Scabioſam remedium præſtantiſſimum in

SCABIOSA.



extabeſcentia ſeu Maraſmi quadam ſpecie, in his locis admodum familiari, quo affecti ægri ad extremam maciem perducti, tandem tenuem animam exhalant, ita ut pellis, & oſſa deveniant, & Sceleti potius videantur, quam homines. Quod morbi genus

ex obſtructionibus hepatis, ac lienis ortum trahit: ſed ſæpius ex obſtructione meſenterii, ac ejus Scirrho, & Apoſtemate. In hoc affectu dico, Scabioſa hæc cum Gramine cruciato P. Alpini, alibi à me deſcripto, & cum radicibus Chinæ ſimul cocta, excellens eſt medicamentum. Ac polliceri id certe audeam, quod ſi meſenterium non adeo corruptum ſit, ut ad priſtinam temperiem reduci nequeat, certiſſimam adferre ſalutem. Malaii porro hac Scabioſa inter olera ſua utuntur, &, ut nos, pectorale eſſe medicamentum autumant, vitiiſque pulmonum egregie mederi.

Creſcit porro etiam Succiſa ſeu Morſus Diaboli vocatus, tum Morſus Ranæ quoque, in foſſis, & paludibus: ſed quoniam vires cum patriis conveniunt, non eſt, quod eas denuo referamus.

CAPVT LXII.

De Lyſimàchio Indico, & obiter quædam de Indis Pythagoricis.

CReſcit hæc Lyſimachii ſpecies in Iava circa fluminum ripas, colore florum à patrio varians, qui ibi purpurei plerumque ſunt, hic vero albi conſpiciuntur, & flores referunt non male Periclimeni flores, quos vulgo Lilia ſylveſtria appellant. Vt florum color, ita & totius plantæ facies à vulgaribus Lyſimachiis multum

LYSIMACHII SPECIES.



abludit, ſicut non raro in Indiis contingit, præterquam quod alia Lyſimachia inter ſe maxime diſcrepent, ſicut præſertim in Cluſii rarioribus plantis apparet. Planta hæc eſt

 Europæo

Europæo Lyſimachio procerior, caule unico, duro, firmo, in coronam aliquot foliorum noviciorum deſinente, quem ambiunt ordinata quadam ſerie ab imo ad ſummum folia bina, ex adverſo poſita, longiora & ſolito anguſtiora, unico nervo recto, multis venulis obliquis diviſa. Circa horum pediculos ad caulem alii cauliculi emergunt longiuſculi, in quorum extremitatibus flores naſcuntur. Inter Olera à Mauris recipitur, & non ſecus, quam apud nos Beta, in Spinachiis coquitur. Qualitates ejus ex guſtu pingui, & paulum aſtringenti ad temperatas referre auſim, & ad Malvæ naturam quam proxime accedere: nam & in clyſmatis, ad ventrem, & inteſtina eluenda, in frequenti eſt uſu; hoc & experientia à Malaiis edoctus, verum eſſe comperi non ſemel in Noſocomio noſtro Batavico, neque ego id mihi pudori duco, à barbaris, ac idiotis doceri, nam revera hæ gentes, præſertim Guſaratæ, & qui ex ora Continentis Chormandel huc veniunt, ſagacius diſtinguunt inter herbas Medicinales, edules, ac venenatas, quam expertus quiſpiam Botanicus in Patria: ratio hæc eſt, quod plerique ſolis herbis victitent; ſive id à Pythagora habuerint, ſive (quod credibilius eſt) id per manus à frugalibus majoribus traditum reſervent; quidam namque in eo tam ſunt pertinaces, ut quamvis ſe ſcirent per tormenta ad mortem eſſe adigendos, nunquam tamen eo veſcentur, quod vitam ſenſitivam acceperit: Immo ſi vel Chriſtianum, vel Maurum alterius ſectæ, videant aviculas, vel ſimile quid vivum habere, ab iis eas pretio rediment, & libertati reſtituentes avolare ſinent; Hinc mirum ergo non eſt, cum vegetativis tantum ſuſtinentur, eos præ reliquis mortalibus, guſtu, & odoris ſenſu, in dignoſcendis herbis præſtare.

FINIS.

GULIELMI PISONIS
MANTISSA AROMATICA;

SIVE

DE AROMATUM

Cardinalibus Quatuor,

ET PLANTIS

Aliquot Indicis in Medicinam receptis,

RELATIO NOVA.

GULIELMI PISONIS

MANTISSA AROMATICA;

SIVE

DE AROMATUM Cardinalibus Quatuor,

ET PLANTIS Aliquot Indicis in Medicinam receptis,

RELATIO NOVA.

MEditari forſan Iliada poſt Homerum videbor his, quorum in animo ſedet illud longo uſu tritiſſimum: Nihil dici, quod non ſit dictum prius. Quid enim toto Orbe notius iſtis, de quibus promitto, Aromatis? Quorum naturalis Hiſtoria utcumque putetur ex pleno tradita, neque quid ad ulteriorem notitiam deſiderare; ſpero tamen tales me mei facti redditurum rationes, ut conſtare liquido queat, nihil hic ſine cauſa eſſe tentatum, & aliquid dictum, quod ignorarunt hactenus, quotquot eamdem materiam conſcribere ſunt aggreſſi. Quo ipſo videri debeo, nihil equidem detraxiſſe de laude tot Clariſſimorum Virorum, qui egregiam ſane in iſtis operam poſuerunt; quin addidiſſe potius ad cujuſque merita, & perfeciſſe quæ varias ipſi ob cauſas relinquere imperfecta debuerunt. Hæc enim, ut olim, ita & nunc agimus, ut, quæ neſcivere majores, proferamus in apricum; quæ ſcivere quidem, ſed incerto, certa faciamus; quæque poſteritati tradidere, ſed fide dubia, indubia reddamus. Quod dum facio, quia fieri non poteſt, ut non detegam errores quos errarunt anteceſſores noſtri; invidia litem nemo mihi movere tentet, priuſquam paucis perlectis pagellis cognoverit, ſatin' inveniat juſtam actionem in his, quæ & publici à me boni cauſa ſunt ſuſcepta, & teſtimoniis aſſerta fidelibus. Occaſionem quippe non unam nactus de Aromatis iſtis principalioribus, maximique per univerſam Europam uſus, ſimul & de aliis quibuſdam in Medicinam receptis Plantis, conferendi cum exercitatiſſimis & integræ fidei Medicinæ peritis, aliiſque Indicarum rerum ſcrutatoribus ſagaciſſimis, deprehendebam, in non paucis, non magis Æra Lupinis differre, quam eorum relationes & annotationes ætatum ſuperiorum. Quod idcirco monendum volui, ne quis arbitretur, me in rebus Naturalibus minus obviis temere aſtipulari iis, qui vulgari ſunt peritia, nec judicio adeo acri, ut probatiſſimorum Virorum ſcriptis, maxime controverſis, refragari mereantur. Veritatis itaque amor ſtimulum addidit promovendi rem Medicam, ſimul & detegendi fontem errorum, tam circa externam eorum faciem, quam natale ſolum & cultum, atque cauſas adulterationum. Veteres enim, quod mare ipſis eſſet *ἀπερεγλώτερον*, & adiri Solis ultra terminos poſitæ regiones niſi per longas ambages & mille pericula non poſſent, non videntur ſua aliter quam per varias accepiſſe traditiones. Quam etiam ob cauſam factum eſt, quod unam eamdemque rem & diverſis ſubinde nominibus appellarent, & tractationibus exhiberent: accepta videlicet errandi occaſione à mercatoribus, & locis ſæpe, per quæ deveherentur. Etenim mercatorum avarioribus, nemo non novit id eſſe in more poſitum, ut commendandis mercibus, quantumvis unius generis, ſemper novum affingant nomen, cum à cæli ſolique bonitate, tum à varietate odoris, ſaporis, coloris, corporis, aliorumque id

genus. Quod ut optimis quibuſque Aromatis, ita vel imprimis omnium nobiliſſimæ Cannellæ (quam nomen Caſſiæ ferunt olim audiviſſe) contigit. Hæc enim vel quod trunco fuit arboris vicinior aut remotior; vel intempeſtive cæſa; itemque rite aut non bene præparata, vel inter tranſvehendum aſſervata; vel denique integra aut deteriorum mixtura corrupta, nomine, facie externa, efficacia interna, variare ſolet. Vnde profectum, quod non ſolum contenderint inter ſe Autores vel diverſi vel ejuſdem generis eſſe Cimamonum & Cannellam & Caſſiam; ſed & pro vera Cannella quidam habuerunt corticem quemdam ſuppoſititium, & per ſe non ſatis cognitum; ducti in eam videlicet opinionem ſola quadam odoris ſaporiſve ſimilitudine. Quæ cauſa eſt, quod plurimi cum Medici tum Pharmacopœi, partim mercatorum technis decepti, partim autoritate Dioſcoridis, Galeni, Plinii, aliorum ejus & inſequentium ſeculorum nitentes, & ipſi impoſuerunt per imprudentiam ſuis diſcipulis, quibus notas, ad delectum hujus alteriuſve Aromatis cognitu neceſſarias, traderent: præſertim illi, qui haud ſatis circumſpecte crediderunt Arabibus; Quorum multi, quod neque rerum ipſarum neceſſariam, neque Græci ſermonis ſufficientem, haberent cognitionem, fatali quadam gentis credulitate perſuaſi, nihil à Dioſcoride, aut Galeno (unde fere omnia ſua compilarunt) eſſe prætermiſſum in deſcribendis Simplicium cum notis tum facultatibus, ne dubitarunt quidem aſſeverare hoc illud, etiamſi ſolo dumtaxat auditu haberent cognitum, medicamentum eſſe id ipſum, cujus laudati modo Autores meminerint, quoties putarent illis quadrare notas & facultates aſſignatas. Quæ ſi quis conſideret, deſinet haut dubie mirari, quare pleraque Exoticorum ſint tot diſputationibus & controverſiis obnoxia. Neque enim aliter hæc ſacra potuerint conſtare, quandoquidem nobis tradita ſint à Græcis primum, deinde ab Arabibus. Non poſſum hic non dolere, periiſſe nobis quæ ea de re parata habuit D. Claudius Salmaſius, ſeculi Phœnix, qui rei medicamentariæ hiſtoriam præſtare conſtituerat certiorem & ab erroribus repurgatam. Quo in labore olim Garcias ab Horto, Proregis Goæ celeberrimus Medicus, certe laudem meruit, detegendo aliquos errores, probandoque multorum Aromatum nomina eſſe ab Arabibus pariter ac Græcis depravata prorſus ac corrupta. In iis tamen quæ de Cinamomi, Cannellæ, atque Caſſiæ natura prodidit, quod unum idemque eſſent, non poſſum ipſi conſentire; utpote qui Goæ vixerit, loco ab Inſulis Aromata iſta ferentibus remotiſſimo, ubi facile potuit falli Vir optimus à Luſitanis imperitioribus, qui non veritatis eruendæ, ſed negotiandi & acquirendi gratia in ea loca inciderunt. Quippe, etiamſi concedi facile poteſt, Cannellam noſtram vulgarem apud veteres Caſſiam fuiſſe appellatam, quod ex ejuſdem generis ejuſdemque formæ arboribus, ſponte in ſilvis naſcentibus, proveniant, eodemque modo præparentur; tamen ſatis ſuperque conſtat, ea, quæ nunc Caſſiæ nomen audit, licet ejuſdem cum Cannella ſit ſaporis Aromatici, multis tamen partibus ab illa abludere; primo, quod viſcoſa ſua humiditate in ore præluceat, colore quoque intus ſit nigricantior, dein quod Caſſiæ dos primaria in meditullio corticis ſpongioſo conſiſtat; (ſuperficie ejus, ut ex raſura patet, fere inſipida exiſtente) cum in Cannella noſtra ſecus appareat, quæ tota perfuſa eſt vi illa Aromatica, licet ob minorem materiæ ſuæ viſcoſitatem, minoris durationis ſit, quam Caſſia hodierna. His accedit, quod *Ceylon* nullam ferat enarratam Caſſiam, ſed ea naſcatur omnis in parva & ignobili Inſula *Floris*, quæ Inſulis *Solor* & *Timor* viciniſſima & tantum non contigua eſt, longeque à *Ceylon* Cannellifera remota, quem admodum cognoſcere eſt è Tabulis hydrographicis. Imo ſupra has enarratas differentias, adde, quod maſticata, majorem, quam viſciditate promittit, humiditatem in diſtillando non præſtet, ſed oleum, quod exſtillat, Cannellæ oleo, ſi non qualitate, ſaltem quantitate cedat. Ex quibus omnibus colligi facile poteſt, Cannellam à Caſſia non ſolum nomine, ſed & re differre; imo etiam ex allegatis labefactata putem illorum adverſariorum argumenta, qui ex ſola languiditate vel vivacitate ſaporis, differentiam inter Caſſiam & Cannellam metiri poſſe prætendant, ſine ſupra enarratis conditionibus. Nec eſt etiam quod objiciant, Caſſiam hodiernam ideo infrequentiorem eſſe, quod vilioris notæ Aroma exiſtat, ſed quod Cannella Ceylonnica, tam ob majorem uſum, imprimis in re cibaria (in qua Caſſia longe poſtponenda imo inutilis cenſenda, ob muccoſam, & viſcidam humiditatem) quam ob uberiorem proventum, nataliſque ſui ſoli commoditatem, à mercatoribus per Europam ipſaſque Indias diſtrahi conſuetudo obtinuerit.

CAPVT I.

De Cannella quæ *Cuurdo*; & Caſſia vulgari, *çalibacha* dicta.

AROmatum ergo, quæ Cardinalia vocavi, quod & copia & dignitate cæteris antecellant, primo ſe nobis loco deſcribendum offert Cannella appellata ab aliquot retro ſeculis. Nam & recentioribus Græcis, Nicolao Myrepſo aliiſque *Κανέλλα* dicta ex Latino eſt. Quod vocabulum diminutum ex *Canna* videtur, à quo Iſi-

CANNELLA.



dorus l. XIX. Orig. cap. VIII, *Cinamomum dictum* ſcribit: *quod cortex ejus in modum Cannæ ſit rotundus & gracilis.* Vetus appellatio fuit Cinamomum, & Cinamum. Plinius in XII. cap. XIX. diſerte: *Cinamomum, idemque & Cinamum, in Æthiopia Troglodytis connubio permixta.* Dalechampius, ut mendacium hoc ſatis pellucidum obcruſtet, Ghinenſes ab Autore Æthiopas vocatos ſcribit. Sed antequam propius rem deſcribam, audiamus Scaligerum quoque Exercit. CXLIV. In *ʒeylon* naſcitur Cinamomum, “ & in Mutir una ex Molucis. Nullum fert fructum. Æſtu cortex finditur, atque “ abſiſtit. Quod & Commaro accidit. Bis in anno deglubitur. Dulcis primum: men- “ ſe poſtea perficitur. Iccirco ibi *Caunama* vocatur. *Cau* namque lignum ſignificat: *na-* “ *ma* dulce. Tam propinquus etiam nunc vocis ſonus eſt vocabulo noſtro, & Syri vo- “ ce affini, *Chamam* dicunt, ut queri jam deſinant noſtri ſeculi Medici, Cinamo- “ mum nobis incognitum: cum ſit hoc aliud, quam quod deſcribitur à Galeno. Pro- “ fecto quale prodit ille, nuſquam comparet. Mirum ſane. Sed mirum magis: in to- “ to terrarum ambitu atque complexu, qui nunc univerſus notior, quam illi domus “ ſua fuerit: apud tot Reges Æthiopiarum, Arabiarum, Perſiarum, Indiarum omnium, “ nulla “

,, nulla in Inſula, nullo in Continentis angulo, latere, meditullio reperiri. Nam Otho-
,, mannus ipſe, cui lac affluit gallinaceum, ſuam Theriacam vero Cinamomo perfici
,, curavit. Dioſcorides optimo nigrum ſtatuit colorem, vinoſum, ſubcineritium, Moſ-
,, ſilitiæ Caſſiæ ſimillimum. Acutum vult, mordacem, levi ſuperficie, non ſine aliqua
,, ſalſedine, lenta fragilitate, non ſine pulvere. Quæ omnia niſi in iſtis fiſtulaceis corti-
,, cibus invenias, non invenias in mari ſalem. Cum igitur à locis, in duas ſpecies Can-
,, nellam partiantur, Ceylanitam & Mutiream: priorem puto eſſe Caſſiam; craſſior enim
,, eſt: hoc quod è virgultis eximitur exilioribus Cinamomum. Quæ omnia ad incudem cenſuræ noſtræ revocare non putamus eſſe noſtrum. Terrent enim me veſtigia tot eruditorum neotericorum, qui monumenta veterum triverunt circa Cinamomi inveſtigationem & interpretationem, etiam nunc ſatis fluctuantem. Si tamen calculum meum addere liceat, non video quomodo decantatus ille ſurculus Cinamomi nomine inſignitus (ſive is, cum, vel ſine cortice, olim fuerit cognitus) ratione odoris ſui caryophyllati idem cenſeri poſſit cum Caſſia vel Cannella noſtra. Imo operam ludere videntur Viri alias ſummi, Cardanus, Scaliger, Garcias, & alii, ſi conſultis naribus & lingua de pertinacia ſua nihil remiſerint. Quamobrem ego declinans mæandros, ea tantum proſequuturus ſum, quæ de natura Caſſiæ & Cannellæ hodiernæ mihi conſtant, eaque poſteritati trado, ut lector deinde ſuo utatur judicio circa ea, quæ alibi legit. Andreas Mathiolus varias hac de re Autorum opiniones recenſens, omnibus in utramque partem ventilatis, tandem & ipſis & ſibi ipſe diffidens, de Caſſia & Cinamomo erumpit in hæc verba, candoris certe plena: *Hæc autem dicere volui, non quod hac in re certi aliquid exploratique habeam, cum tantum conjecturis agam; ſed ut aliis ulterius explorandi latius pateat iter.* Quæ dubitatio quoniam de pleriſque etiam hodie eſt eorum, quæ ex Indiis ad nos devehuntur, certe optandum eſſet, uti in tot millibus Batavorum, Anglorum, Luſitanorum, qui ſe eo conferunt, invenirentur plures, qui privatis lucri (cui nunc uni, velut vultures, cadaveri inhiant) ſtudiis adjungerent publicum commodum; & cum amore ſui, amorem ſociarent proximi. Quod ſi fieret, ſpes eſſet, brevi nos ex tot titubantibus Plinii aliorumque Autorum (quibus familiare fuit vocum æquivocatione falli) relationibus eluctaturos, & habituros certiorem plenioremque notitiam remediorum. Quod uti magno fieret Medicinæ augmento, ſic & reipublicæ emolumento: unde & ipſi immortale ſibi pararent nomen. At quoniam ejuſmodi raro vota audiuntur, imo ne integro quidem ſeculo contingat, doctum & ſagacem herbarum & animalium ſcrutatorem utramque peragrare Indiam, viſus ſum recte facturus, ſi ipſe manum admoverem ſtivæ, aliiſque irem præſenti conatu inſtimulatum ad perficiendum opus, quod inchoo ſubnixus fide & ſubſidio erectioris animi aliquot & viridis ingenii Virorum, qui præfecturam in iis Indiæ Orientalis regionibus geſſerunt, ubi, quæ de hoc cæteriſque Aromatibus ſum dicturus, cognoſcere oculis auribuſque potuerunt.

Cannella igitur, ut & Caſſia, ſunt cortices ejuſdem faciei & generis arboris incultæ, Inſulis *Çeylon* & *Floris* indigenæ. Quamvis enim *Malabar* & aliæ fortaſſis utriuſque Indiæ Regiones ſpeciem quamdam corticis Cannellæ aſſimilem, & ignobiliorem proferant; vera tamen aliam non agnoſcit patriam, præter, quam dixi, utramque Inſulam: quidquid etiam alii nobis perſuadere conentur, inducti ad hoc ſaporis quadam affinitate cum Cannella genuina. Memini in ea Americæ parte, ubi partem ætatis contrivi, nonnullos ibi cenſuiſſe & obtruſiſſe unum atque alterum genus corticis, qui guſtatu olfactuque æmulari quidem videretur Cannellam: ſed diligentius examinatus atque vel igne vel contuſione exploratus quamplurimum veræ cederet bonitate & dignitate. Fateri interim me, quod res eſt, oportet: Peruana illa, de qua Franciſc. Gomara, Auguſtus Carate, Petrus çieca, Nic. Monardus aliique Peruani ſcriptores referunt, admodum & quam proxime accedit ad Ceylonnicæ virtutes; niſi quod primaria illi dos in fructu ſolo, non in vero arboris cortice conſiſtat; Sicut ex ſequenti eorum relatu patet. Provinciæ enim *de los Quixos* proxima regio eſt ad Peruviæ Orientem, quam *Canelam* Hiſpani vocant ab arborum copia, (atque adeo integris illarum ſilvis, quæ in multarum leucarum ſpatia pateſcunt) quas ob ſimilitudinem quandam cum notiſſimo Aromate vocant *Canelas*. Sed quamvis multæ hujus generis ſilveſtres exiſtant, diligenter tamen & magna cura eas in ſuis prædiis colunt, ut evadant meliores; quas poſtea in vicinas regiones deferunt, alias merces, ad vitam humanam neceſſarias, hoc Aromate redemturi. Omnes perpetua coma ſunt præditæ, foliis Laurinis, fructu racematim

cohæ-

cohærente,ſed qui calyce ſuberino, duplo tamen ampliore & magis cavo,contineatur, intus lævi, extus aſpero, utrimque ex purpura nigricante. Harum arborum fructui, foliis, cortici & radici (licet Cannellæ ſaporem & odorem referentibus) longe calyces præferuntur, quorum dumtaxat pulvis in uſu eſt. Si Cannellæ modo cum cibis decoquatur, tantum abeſt,ut ſuavitatem eduliis conciliet, quin potius ejus facultas, & ſaporis gratia decoctione evaneſcit: horum pulvere in multis morbis utuntur; ſed præſertim adverſus coli, inteſtinorum & ſtomachi dolores in potionibus propinant.

Ceylon, quam uſualis noſtræ Cannellæ genitricem & altricem dixi, Inſula eſt, quam *Tapobranam* I. Barrius multis argumentis probat: utut hoc neget Scaliger vir ſummus, Exerc. CXLII. 5.Non deſunt, inquit, qui obturbent: ac Ceylon Tapobranam, non Sumatram, putent. Polum hæc Inſula ſupra ſe habet elevatum à ſexto ad nonum gradum. Figura pene ovali eſt, leucis in circuitu pluſquam ducentis. Ambiuntque ejus mediam vaſtamque planitiem, jucundo admodum ſpectaculo, montes ſilvoſi, & theatralem in modum circumducti. Fluminibus aliiſque perennium aquarum laudatiſſimis, quibus plurimis omnino locis irrigua, magnam ſuæ fertilitatis partem debere certum eſt. Regio non ſolum populoſa,ſed & quadrupedum aviumque genus omne feraciſſima. Præſtat & cornu copiæ fructuum delicatiſſimorum & ſola ſoli benignitate naſcentium. Aromata fert plurima, neque ulli aliorum locorum ſecunda. Primatum tamen obtinent ibi Cannelliferæ arbores,tam denſæ, ut integras nec unas conſtituant ſilvas, adeoque luxuriantes, ut, niſi flammis eam incolæ luxuriem coërcerent, univerſus terrarum orbis corticibus non ſufficeret conſumendis. Quam vero luxurioſe fert Cannellam, tam operoſe Caryophylla aut Nuces Aromaticas. Quemadmodum neque Cannelliferæ alienum in ſolum amant transferri. fuere enim, qui horum pericula fecerunt, tranſlatis quibuſdam ex dictis arboribus ad regiones cum vicinas tum diſſitas, æque felices, iiſdemque & ventis & à Sole caloribus expoſitas: inibique ſummo ſtudio cultis. Verum compererunt ſe operam, quod aiunt, & oleum perdidiſſe. Quamvis enim tralatitii frutices excreſcerent in juſtas arbores, eæque ſuos fructus in tempore darent: attamen,ubi ad examen ventum fuit,deprehenderunt eorum & longe minorem in virtutibus efficaciam, & hanc ipſam promtæ corruptioni obnoxiam: Contra quam hortulanis ſæpe evenit tranſplantantibus ſilveſtres plantas in pinguiore ac lætiore ſolo,atque iſta eas ratione reddentibus longe meliores efficacioreſque. Ex quo liquere poteſt varius ille & admirabilis rerum omnium parentis Naturæ luſus, quo tam facilem aliis transformationem, quam felicem tranſmigrationem concedit; aliis contra utramlibet adeo difficilem, ſæpe impoſſibilem; ut citius è pumice oleum exprimas, quam in tranſlatis invenias vires eas, quas dare Solum natale ſolet. Mirum, videre id in plantis: ſed magis mirum, videre id in hominibus; ſicuti nos vidimus, qui palatiorum majeſtates urbium illecebras aſpernati,nullis potuere vel blanditiis vel culturæ humanioris officiis retineri, quo minus ex clementiſſima ſervitute ſe reciperent in ſolitudines & deſerta unde erant oriundi, præferentes in mapaliis ſuis, interque agreſtes & omnis humanitatis exortes vivere homines (ſi modo ſic merentur appellari) quam inter divina præditos ratione,eoſque moribus inſuper & virtutum omni genere excultos. Quos natalis ſoli & libertatis, imo viliſſimæ ſervitutis,dulcedo retrahat in patriam, an indoles inculta culturæque inepta,non facile dixeris, niſi ejuſcemodi humana ſpecie mortales à feris & plantis ſilveſtribus pene concedas non differre, niſi corporis conſtitutione. Quemadmodum vero, quod retuli, verum eſt de arboribus aromaticis iſtis; ita & idipſum non ſemel cum magno meo tædio fui expertus in plurimis plantis Americanis, quas transferendas curabam è nemoribus, aliiſve locis, in hortos,quos eo in Braſiliæ tractu, animi cauſa, colebam.

Cannellæ arbor, quemadmodum & Caſſiæ, ad magnitudinem aſſurgit Mali medicæ: eſtque ramis multis, longis, craſſis, enodibus, nuſpiam curvis, ſed ubique rectis, & mirabili inter ſe ordine diſpoſitis: quemadmodum appoſita in figura utcumque videre eſt: Ex iſtis deinde ramis ramulos exigit alios folioſos: folia magna ſatis, nec admodum diſſimilia ſunt foliis Lauro-Ceraſi,figuram ſi ſpectes. Eorum ſingula tum alternatim exeunt tenuibus brevibuſque pediculis ex ſurculis ſuis,tum è latiore baſi deſinunt in acumen, tribus quatuorve interim ſtipata nervis per longitudinem, ſicut in plantagine, excurrentibus. Ex eiſdem ramulis etiam Floſculi quidam effloreſcunt hinc inde parvi, nivei, odori. His ſuccedunt fructus parvi, Olivæ magnitudine & figura, quique

primum

primum vireant, & matureſcentes præ nigredine ſplendeant. Hos Simii decerpunt, rapiuntque aves, priuſquam cadere prorſus maturis accidat. Ex his ſeu Solis vi ſeu igne exſtillat liquor viridis, acris, amarus, oleaginoſus; quique, perinde ut qui è floribus arte elicitur, Cannellam quidem odore ſaporeque referat, ſed plurimum virtute cedat; unde & uſus haud multi eſt. Ligni materia ſaporis & odoris expers exiſtit. Adeo ut omnis hujus arboris vis cæteris quidem omnibus partibus denegata videatur, & unum in corticem collata, quo plus ex eo fœnoris natura reportaret. Duplicem, ut pleriſque arboribus, illi tribuerunt Corticem autores veteres & novitii. Superiorem Garcias craſſum eſſe, eumque tanquam inutilem rejici, neſcio quo fundamento, pronuntiavit; cum tamen ramorum partes Ceylannicæ Cannellæ ad nos delatæ arguant, primum illum corticem, eſſe pelliculam ſaporoſam, adeoque tenuem, ut non niſi viridis tolli poſſit: nam poſtea ſiceſcens interiori cortici quaſi contiguus fit, ut nec viſu nec guſtu dignoſci, nec manu ſeparari poſſit: Si aliter eveniat, Cannella vel corrupta, vel Pſeudocaſſia erit cenſenda. Neque tamen mirum debet videri, odoris illam ſuavitatem, qua viridis Cortex fere deſtituitur, poſt tres menſes à delibratione acquirere; quia multa ſunt viridia, quæ parum vel nihil olent; ſiccata odorem ſpirent optimum: ut ante bis mille annos obſervavit Theophraſtus, quod nimio abundent humore, cum odor in medietate, non in extremo, teſte Philoſopho, conſiſtat; ac proinde Aroma recte definiatur, vegetabile, quod odore & guſtu ſuave eſt. Recens itaque Cortex à pellicula illa cineritia inæquali libratus, lubricus eſt, imo is qui Caſſiæ venit nomine, ſi maſticetur, glutinoſus deprehenditur: delibratus purgatuſque & in laminas diſſectus exponitur ad Solem: quo illas ſiccante, in cannas ſponte convolvitur, ex cinereo in rufum colorem mutans, abſumta videlicet, ardore tandem Solis, omni, quam habebat, nativa humiditate. Cortice ablato per biennium (non ternis quibuſque menſibus, ut voluit Fr. Hernandez in opere ſuo de Aromatibus,) arbor ſæpe triennium perſiſtit nuda; ſed tum denuo induitur Cortice novo & delibraturæ rurſus apto. Radicem incolæ ferunt exſudare ſuccum Camphoræ non abſimilem.

Cannellæ generationem perſecutus, addam de qualitatibus aliquid ut & facultatibus. Qualitates ſi ſcrutere, deprehendis inſigni gradu calefacientem & ſiccantem. Acrimoniam habet, qualem in nullo reperias Aromate æque guſtu jucundam. Odor admirabilis, præſertim ejus, quæ de novis ſurculis fuit ademta. Quæ & tenuium magis partium eſt, & incidendo aptior, minuſque ſiccans aut aſtringens. Sapor ei aromaticus & egregie. Sapor iſte, ut omnino debet haberi diverſus & alius ab amaro, dulci, ſalſo, unctuoſo; ita proprius cenſeri rebus odorem ſpirantibus gratum, quæque ſubito noſtrum ſpiritum reficiant atque confortent: Sunt interim aromatici ſaporis diverſæ ſpecies. Eſt enim Caryophyllo acutior & pinguior, Piperi ardentior, Cannellæ aſtringentior, ut & Nuci Aromaticæ. Quemadmodum vero Cannellæ major eſt, qua odorem, qua ſaporem, ſuavitas præ his Aromatis, de quibus ſum poſtea dicturus: ita & utrumque amittit citius, quam aliud ullum. Habet enim utramque prærogativam in ſubſtantia prætenui & exhalabiliore; unde nec ætatem fert, præſertim aëri expoſita ſqualido. Communis ei cum aliis Aromatum facultas eſt vegetandi ſpiritum, Naturæ omni in actione miniſtrum. Aſt uti Caryophyllum cerebro magis, Nux Aromatica & Piper ventriculo potius, convenire deprehenditur: ita Cannella cordi, vitæ fonti. Vnde nobis in animum linquentibus, aliiſque nobiliſſimi viſcerum affectibus, eſſe uſui conſuevit: Indi præterea pro antidoto habent, & venenis offerunt expellendis. Super hæc, videtur obſervatu non indignum, in gratiam ſcilicet τῶν τῆς χημίας φίλων, è Cannella & Caryophyllis elicitum diſtillatione oleum, quod vocant, non ut Nucum cæterorumque Aromatum, ſupernatare ſuo phlegmati aut ſpiritui, ſed balſami inſtar petere fundum. Porro quantum Cannella vel per ſe exhibita, vel in compoſitionem recepta, ſeu cruda, ſeu arte Chymica præparata, calefaciendo, attenuando, digerendo, excitando, vegetandoque vitalem ſpiritum, præſtet, cum ægris auxilium, tum ſanis oblectamentum, ſi velim enarrare, longum erit, & modum excedet inſtituti. Indi etiam ex viridi cortice & floribus recentibus extrahere ad varios uſus ſolent liquores, non aliter ac noſtrates aquas egregie odoratas eliciunt ſiccata è Cannella. Quin & è fructu oleum exprimitur (teſtantibus, juxta cum Garcia ab Horto, etiam noſtratium non paucis, qui viderunt) quod ſponte ſua duratum plebs cogunt in panes, & adhibent ad affectus cum externos tum internos. Eſt autem ut pretii vilioris, ita & virium imbecilliorum.

CAPVT II.

De Caſsia Caryophyllata.

POſteaquam, quæ de Cannella & Caſſia vulgari mihi dicenda putabam, dilucide & fuſe ſatis ſum perſecutus, viſum fuit tertiam quaſi ſpeciem prioribus adjungere, propter novitatem ſimul & virtutem eximiam. Quemadmodum enim novitas ipſa invitat, ita & rei dignitas prorſus me incitat ad patefaciendum poſteritati, quod hactenus fuit ignoratum. Præſertim cum hoc Aroma, non, ut cætera, ferat aut dives Aſia, aut felix Arabia, ſed priſcis incognitus orbis vaſtaque Americæ deſerta & ſolitudines ſilvoſæ: unde & Americanam vocamus. Caſſia autem iſta Americana adeo veræ Aſiaticæ qua faciem externam ſimilis eſt, ut ovo non magis ovum. Quod ſi guſtum deinde adhibeas judicem, fatebitur & ipſe Caſſiam aliquam languidam eſſe, quamdiu primoribus dumtaxat labris explorat: at mox ubi maſticata fuerit & contrita dentibus, non jam Caſſiam ſed Caryophyllum dicet, cujus vices explet advenis Luſitanis pariter atque Indigenis. Quorum commendatione factum, quod cœperit Caſſia iſta & in ipſam Luſitaniam & ad Amſtelodamenſes quoſdam Iudæos migrare. Nec dubium eſt, quin ſe magis magiſque commendaturus ſit apud poſteros Aromatis tam nobilis uſus. Si fiat, non poterunt poſthac gloriari çeylonitæ & Moluccenſes ſibi ſolis id eſſe de cælo muneris conceſſum, ut illi quidem Cannelliferas, alteri vero Caryophylliferas poſſideant arbores, ſuique muneris eſſe quod univerſus orbis utrarumque fructu gaudeat. Fietque eorum gloria hoc ipſo minor, quod Cannellæ, inquam, facies & Caryophyllorum vis Medicinalis in uno exhibeatur cortice, adeoque excellens, ut Orientalibus non cogatur cedere. Neque vero eſt quod quis ſuſpicetur, Aroma hoc, aliudve ſimile, eſſe ex veteri orbe in novum tranſlatum; Cum minime id ſtudium teneat homines ab omni pene etiam ingeniorum cultura alienos, & dominatis propriiſque divitiis contentos; Imprimis cum conſtet quamplurima Americæ eſſe familiaria, alibi in totum ignota. Quod enim Seneca Natural. quæſt. lib. VII. cap. XXV. ait, id hodieque verum non una in re experimur. *Veniet tempus*, inquit, *in quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet & longioris ævi diligentia.* Verum à digreſſu regrediamur ad novi hujus Aromatis ulteriorem expoſitionem.

Arbor, quæ iſtam fert Caſſiam Caryophyllatam, creſcit in diſtrictu Guaianæ & *Maranhan* in eadem Braſiliæ continenti. Quæ regiones ſitæ ſunt inter primum quintumque gradum ab Æquatore verſus Septentrionem. Vbi quemadmodum ſilveſtris, ita & neglecta, neque ulli aſſerta domino, ſed promiſcui uſus, communiſque juris.

Arbor cujus Icon ob itineris injurias periit, eſt mediocriter procera, ramoſaque. Flores parvi ut Violæ, cæruleo colore, ſed umbilicum albicante, & croceis aureiſque lineis variegati. Cortex tenuis, quique & ipſe decorticatus à trunco pariter ac ramis, atque velut in corrigias conſciſſus ſiccatuſque, Orientalis Cannellæ in modum convolvitur, qui mox primis labiis guſtatus ſaporem videtur reddere immixtum Cannellæ, ſed cum Caryophylli prædominio, qui etiam (pereunte primo, utpote languido) vires acquirit cum tempore, tantaque vivacitate, fragrantia & acrimonia ſe exerit, ut lingua quaſi levioris cauſtici ſentiat effectum, imprimis qui ex ſurculis tenuioribus & vegetioribus provenerit. Vnde eſt, quod levi maceratione aquæ fontanæ, colorem rubicundum, & odorem caryophyllatum ſupeditet, ad medicinam, & coſmetica utilem; vina quoque medicata inſtar hypocratici gratiſſima exinde parantur. Aromatis hujus tam nobilis mediocrem penes ſe quantitatem habet David *Naſi* doctiſſ. & humaniſſimus Iudæus Amſtelodamenſis. Vt vero de fuco ſuſpectum Aroma vindicaret naturæ & potentiæ & benignitati, periculum ejus fecit Carolus Chivry, aſſeſſor Collegii apud nos Medici, Pharmacopœus, & rei tam Botanicæ eximius cultor quam Chymicæ ſcrutator diligens. Qui ex eo oleum præſtantiſſimum more Chymico, ſicut ex ipſis Caryophyllis fieri ſolet, paravit; tum quoque cum ſpiritu vini extractum reperit prorſus igneum, nec ingratum tamen, ſed merum reſipiens redolenſque Caryophyllum, & ſpiritibus imprægnatum uſque adeo ſubtilibus, ut in vitro etiam diligenter obturato ſeſe non ſiverint retineri, quemadmodum & ipſe nuper ſum expertus. Vt dubitandum non ſit, ſpeciem eſſe non ſolum egregie Aromaticam, ſed & inſignium facultatum. Quarum uſus ſuccedaneus

cedaneus Caryophylli cœpit eſſe, & forte jam dudum fuiſſet, ſi non regio diplomate cohibitus fuiſſet in Moluccenſium favorem. Medicina etiam docuit pulverem ejus craſſiuſculum (nam ſubtilius odit pulverari ob ſpiritum, quem habere dixi admodum volatilem) drachmæ pondere aſſumptum ex conveniente liquore ſpiritum efficaciter revocare labantem, & parturientibus partum accelerare tam tuto quam feliciter. Hoc paucum eſt, quod de uſu ejus atque virtute poſſum in præſens communicare. Non dubito tamen, quin ſe brevibus ſit inſerturum in hominum experientiam & cognitionem uberiorem.

Cæterum iis è locis Americæ, quæ propoſui, reduces, narrant reperiri ibi integras ſilvas arbutorum, quorum cortex, etſi tenuior ſit, eadem tamen omnia, qua naturam & odorem ſaporemque, præ ſe ferat; imo qui eum, quem deſcripſimus, corticem ſaporis acrimonia magis ignea antecedat.

Quæ aliaque infinita naturæ beneficia, dies & hominum ſagacia brevi proferent in publicam notitiam. Quo non parva ſane affulget Philiatris ſpes, cum jam novæ expeditiones & Coloniæ in procinctu ſint, quas noſtri moliuntur verſus eandem (cujus vicinæ terræ in *Maranhan* nuper poſſeſſores fuere Batavi) Braſiliæ continentem, quæ recepto nomine Guaiana, vel, ut nautæ malunt, Ora barbara dicitur. Eaque ſane Regio diviſa quidem eſt à Braſilia per Bullam Pontificis Romani; & illa quæ poſtea inter Reges Caſtellæ & Portugalliæ convenerant. Cæterum illi contermina, eademque cæli clementia, nec minus felici ſoli genio gaudens, ſicut continens mediterranea edocuit, poſtquam noviſſime confirmari cœpit id, quod antehac I. de Laet, aliique, quos ille ſecutus, circa fertilitatem medicaminum & frugum in ſcriptis ſuis adumbrarunt; ut ex ſequenti digreſſione facile patebit.

Tempeſtates anni in hoc climate plurimum variant; nam in orientali Guaianæ parte, quæ vergit verſus Flumen Amazonum, æſtas inchoatur à menſe Auguſto, hyems à Februario: in occidentali autem parte & verſus *Orenoquen* ſumit æſtas exordium ab Octobri, hyems ab Aprili: Quæ tempeſtates, quod & alibi monuimus, tantum pluviis (unde barbari pluvias & hyemem uno nomine denotant) & ſiccitatibus, itemque graviſſimis ventorum flatibus & malaciis diſtinguuntur: nam quum hæ regiones tam exiguo intervallo abſint ab Æquatore, exiguam admodum caloris & frigoris patiuntur viciſſitudinem. Neque tamen omnibus annis, æqualiter aut æque diu pluit; ſed diſcrepant interdum uno atque altero menſe, & pluviarum copia aut mediocritate.

Solum quoque plurimum differt: nam primo ad oram maris fere eſt humile, & niſi auræ pene perpetim interdiu ab oriente valide perflantes, æſtum egregie temperarent, à mortalibus habitari neutiquam poſſent, nunc vero vel maxime à barbaris habitatur, ob fluminum, quæ paſſim hic effluunt, opportunitatem, & telluris fœcunditatem, atque adeo cæli (paucis quibuſdam locis exceptis quæ incolarum valetudine male audiunt) bonitatem atque ſalubritatem. Intra continentem plurimi viſuntur montes, quorum quidam fœcundo ſolo culturam facile admittunt; alii penitus ſunt aſperi, ſed variis metallorum venis ſcatere creduntur: in hiſce montibus nonnihil algetur, nihilo tamen ſecius aër ſaluberrimus judicatur, quo fit, ut plures barbari ibidem habitent. Inter hæc extrema, veluti medium eſt, ſolum modice editum, præcedentibus longe feracius, atque amœnius, nemoribus atque lucis, campis atque pratis grata varietate diſtinctum, adhæc pluribus amnibus & torrentibus riguum; cæloque imprimis ſalubri. Cæterum duas peſtes hic patiuntur indigenæ; culices, ipſis *Mapiery*, & Niguas, ipſis *Sico*: adverſus priores tamen in promptu remedium eſt, noctu luculentum focum in ædibus alere.

Abundat hæc Regio æque ac Braſilia, radice Mandioca Mayzio Melle ſilveſtri, ac ligno illo rubro tincturis dicato. Sed præter illa, certis radicibus oblongis, Rapis ſimilibus veſci amant, quas *Napi* vocant. Dein arboribus frugiferis, Pinis, Platanis, Meſpylis, quarum fructus noſtrates ſuperant: Prunis etiam diverſorum generum, ſed fructus minus commendantur, quia crebrius comeſti lienteriam in illis regionibus periculoſiſſimam provocant. Nucibus quoque variorum generum, & inuſitatæ formæ, non deſtituitur. Multæ inſuper plantæ, reſinæ, & ligna, tam mercaturæ quam Medicinæ dicata, luxuriant, quorum præcipua enumeraſſe ſufficiet.

Inter præſtantiſſimas plantas, quæ ſponte hic naſcuntur, merito primum locum ſibi flagitant Cannæ Sacchari, è quarum cultura ingens quæſtus poſſet fieri, ſi hic machinæ

ad cannas molendas comparatæ excitarentur, quemadmodum à Portugallis in Braſilia videmus factum, ad quas quidem initio magnis expenſis opus eſt, quæ deinceps maximo quæſtu refunduntur.

Proximum locum merentur arbuſculæ quæ goſſypium ferunt, quæ & frequentiſſimæ ſunt, & facile admodum coluntur & propagantur, & intra annum ex quo ſatæ ſunt, uberes fructus reddunt. Barbari autem noverunt illud in fila ducere & ex illis lectulos ſuos penſiles contexere, magni in hiſce partibus uſus.

Naſcitur hic quoque infinita pene copia cannabis ſive lini quædam ſpecies, admodum elegans & tenuis, ita ut byſſum æmuletur; è cujus filis varii panni texi poſſunt, uti experientia eſt comprobatum.

Præterea varii naſcuntur fructus, qui tincturas edunt ſupra modum elegantes, quarum uſum & barbari noverunt; qualis eſt *Annoto*, quam alii vocant *Orellanam*, Braſiliani *Vrucu*, ut ſuo loco probavi, qua lanæ & præſertim byſſus, colore inficiuntur aurantio. Habent & alium acinum, qui cyaneum colorem edit. Necnon gummi quoddam, quod à certa arbore funditur, quod pannos eleganti & pertinaci colore flavo tingit. Atque frondes cujuſdam arboris, quæ bene præparatæ, colorem obſcure rubentem fundunt. Neque etiam deſideratur lignum quod elegantem colorem purpureum edit; ut & alterum quod croceum: tertium denique cujus liquor excoctus, fervens quidem purpureo tingit colore, frigidus autem coccineo. Nec dubium eſt diligenti inquiſitione & alia ejuſcemodi ligna hic poſſe reperiri, quæ magno uſui ſint futura.

Gummi & reſinæ bene olentes & magni in medicina uſus reperiuntur plures, inter quas celebrantur ab *Harcourtio*, *Colliman* ſive *Carriman*, & *Baratta*.

Colliman, ut inquit ille, reſina eſt nigricans & reſplendens, inſtar picis duræ, quæ prunis impoſita gratiſſimum fundit odorem; *Waltherus Caryus Buckingamius*, vir exacti de ſimplicibus quæ in medicina uſurpantur judicii, teſtatur fumum hujus ter quaterve quotidie naribus hauſtum egregie mederi gravedini capitis, & cerebro humido frigidoque plurimum prodeſſe, & rheumata ſiſtere: adhæc efficaciſſimum eſſe remedium adverſus paralyſin, cujus capitis gravedo & ſomnolentia prognoſticon ſolet judicari. Medetur quoque doloribus, quos fœminæ quæ crebro pepererunt, patiuntur juxta lumbos, & in inferiore dorſi parte, ſi liquefactum illinatur pelliculæ, & calidum applicetur parti affectæ, inſtar cerati. Creditur & nervos corroborare; & levamen adferre illis qui arthritidis doloribus torquentur; denique & recentia vulnera egregie conſolidare.

Baratta itidem prunis impoſita egregium fundit odorem; eſtque balſamum præſtantiſſimum, & adverſus recentia vulnera imprimis efficax, uti experientia à multis eſt comprobatum. Reperiuntur & plures hic reſinæ, quæ gratum odorem fundunt; & præſertim una quæ odorem ſpargit inſtar *Majoranæ* nobilis.

Naſcitur paſſim præſertim juxta littora, arbuſcula ſive frutex, cujus jam ante aliquoties meminimus, ferens fructum (ut inquit *Harcourtius*) inſtar viridis pomi, & quidem minuti, pollens ſomnifera qualitate, ita vehementi, ut vel particula quævis exigua imprudenter uſurpata lethalem ſomnum inducat; & vel una gutta illius liquoris hauſta tam valide dejiciat alvum, ut obſervatum ſit ſexaginta ſedes non ſine extremo diſcrimine operatam: Putatur tamen, ſi maligna illius qualitas à medicis corrigatur, caute in medicina poſſe uſurpari.

Acinus qui barbaris dicitur *Kellete* utiliter adhibetur contra dyſenteriam. Succus autem herbæ quam vocant *Vppee*, adverſus vulnera à venenatis ſagittis inflicta. Denique ſuccus foliorum quæ *Icari* nominantur, adverſus dolores capitis. Pluraque ſimplicia, quæ peropportune ad Medicinæ & Chirurgiæ uſum poſſent traduci.

Naſcitur præterea hic arbor, quam barbari maximi faciunt, & plerumque juxta domicilia ſua colunt, ob inſignem in piſcatione uſum: ſolent enim in receſſibus & elicibus, poſtquam æſtus maris implevit, & copiam piſcium adduxit, è cymbis ſuis, ramulos hujus arboris, prius nonnihil fractos, manibus terere inter undas, ita ut ſuccus corticis ſe diffundat; piſces autem illo ſucco ita ſoporantur, ut ſtatim ſuperna tent, & manibus capiantur.

Huic accedit arbor quæ materiem fert quantivis pretii, barbari vocant *Pira Timinere*, noſtrates vulgo Letter-hout; eſt enim valde ſolidum, durum & grave, colore roſſo elegantibus notis ſubnigris grata varietate diſtinctum, & inſignis ad fabrilia opera

uſus: Arbor eſt procera & recta, glabro cortice, frondes tantummodo ferens in faſtigio trunci, quæ ad pyri folia quam proxime accedunt.

Gemmarum quoque copiam plurimis locis reperiri volunt, ut Iaſpidis, Porphyrii, & illius quam ſummopere commendant adverſus Nephritidem. Nec metallorum etiam præſtantiorum effœta creditur tellus, licet hactenus nullæ auri aut argenti venæ hic apertæ fuerint; quamvis ſtudioſe à multis quæſitæ.

Plurimæ reperiuntur feræ, venationi peropportunæ: nimirum Cervi; Apri duorum generum, qui tamen fere mole diſtinguuntur; majores vocant *Pingo* vel *Panigo*, Europæis haud quaquam inferiores: minores *Pockiero*, qui umbilicum in dorſo obtinent. Infinitus numerus Leporum & Cuniculorum, qui à noſtratibus diverſi eſſe dicuntur. Et Vaccæ ſilveſtres quas vocant *Maypouri* vel *Maipuries*, carne inſtar bovillæ, & quæ ad eundem modum muria condiri ſe patitur. Aliud animal quod vocant *Baremo*, carne inſtar ovillæ: variæ Damarum ſpecies & ab Europæis nonnihil diverſæ; etiam Aprorum quædam ſpecies, quæ lardo caret, & ipſis dicitur *Abihera*: & animantia illa quæ à pigritia nomen meruerunt, quia tardiſſime progrediuntur aut ad faſtigia arborum ſubrepunt, ipſis *Waricarii*: infiniti Simii & Cercopitheci: & plures majorum atque minorum quadrupedum ſpecies, quæ paſſim in hac America Meridionali reperiuntur; etiam feroces & hominibus infeſtæ animantes, Tigres, Leones, Pardi, Lynces.

Avium quoque magna copia atque varietas, nam præter Anſeres atque Anates quas hi barbari vocant *Raponne*; Ardeaſque quas vocant *Ovakare*; Grues, Ciconias, Phaſianas aves, Perdices, Columbas, Merulas, Ficedulas ſive Scolopaces, Pſittacos variorum generum & Cornices elegantibus plumis; aliaſque. reperiuntur hic quoque fere omnes illæ volucres, quas in Braſilia utraque deſcripſimus: aviculam autem illam monſtroſo & grandi roſtro vocant *Covakan*: Pſittacos *Courga*. Nec deſunt plures aves quæ raptu vivunt, præſertim Falcones variorum generum.

Piſcium quoque maxima eſt varietas, tam marinorum quam fluviatilium; & quidem præter eos qui noſtro quoque mari familiares ſunt; piſcem habent Salmoni noſtrati non abſimilem, præterquam quod carnes illius ſunt crocei coloris, uti noſtratium rubri. Itemque quem ſuperiori libro deſcripſimus ſub nomine *Araovaova*, quem hi barbari vocant *Chipari*. Adhæc ſpeciem *Raiæ* ſive Paſtinacæ, cujus cauda oſſe ſemipedem longo armata eſt, acutis denticulis utrimque aſpera, quorum punctura imprimis noxia eſt; barbari hi vocant *Pakamen*; alibi ſub nomine *Taveboayre*. Quibus noſtrates addunt *Cavimo* piſcem Aſello majori mole pene parem, ſine ſquamis, verum armatum ſex acutiſſimis ſpinis, valde venenatis; in cerebro illius lapidem reperiri tradunt, admirabile remedium contra arenas & lapillos renum. Et *Accaren* Crocodilis haud abſimilem, ſed magis gracilem, longioremque & roſtro breviori atque obtuſiore, victitat piſcibus, egreditur tamen nonnunquam in terram: cibis idoneus, ſed captu perdifficilis, licet grato odore, quem fundit, ſe prodat: minor ejuſdem ſpecies appellatur à barbaris *Owanna*. *Aymaren* item inſtar grandis aloſæ, qui in fluviis tantum capitur. Quos autem alibi vocant *Manatos*, hi barbari vocant *Cojumero*.

Harcourtius addit hiſce *Caſſoorwan* rarum piſciculum, paulo majorem *Apua*, Cobite, vel Spiringo, ſed multo meliorem: hic in ſingulis oculis duas habet acies, ita ut inter natandum alteram infra aquam, alteram ſupra teneat: dorſum habet planum cum ſpina, & coſtis rotundis, pene ad humanum modum. Denique fluviatiles piſces tam multi, & tam præſtantes apparent (licet à noſtratibus multum diverſi) ut vix ulla regio in terris magis illis abundare poſſit. Teſtaceorum piſcium quoque infinitus eſt numerus, maxime Oſtreorum, & Cancrorum & Aſtacorum.

Sed longius provectus in Occidentem quam conſtitueram, nunc vela contraho, & me denuo ad Orientalis Indiæ inſulas aromatiferas recipio.

C A-

CAPVT III.

De *Pala*, & *Bongo-Pala*, hoc eſt, Nuce Aromatica cum Maci ſuo.

Moluccenſes Inſulæ, ut multæ ſunt, atque ſub Æquatore aut juxta ſitæ; ita & ab amœnitate locorum omnes, omnes à fertilitate præſertim Aromatum, atque à portuum ſtationeque navium opportunitate, mercibuſque evehendis & advehendis mira commoditate magnis celebrantur laudibus ab his, qui ſunt experti quæ dixi omnia. Quibus è cælo donis etſi inter ſe certare videantur, principem tamen locum inter ipſas obtinet, quæ Banda vocatur. Hæc ſeſe à Septentrione ad Auſtrum incurvans, equinam velut ſoleam conſtituere videtur: longa tres leucas, unam lata. Hujus in ſinu emporium eſt nobile, & frequens mercantibus. Incolarum viri quidem

BONGO-PALA.



diſtrahendis mercibus indigenis, fœminæ colendis & cogendis, operam navant. Fœminæ, inquam, agriculturam: viri mercaturam exercent. Quemadmodum autem ſupra notabamus, uni Inſulæ Ceylon conceſſum eſſe ſponte Cannellam ferre: ita uni Bandæ (quantum hactenus conſtat) *Pala* & *Bongo-Pala* quæ dicuntur ſuis. *Pala* eſt quam doctiores Nucem Myriſticam, ego Aromaticam malui appellare: natura ſua, non ſicut illi, ab uſu. Neque enim, ut Balanus Myrepſica, adhiberi concinnandis unguentis & unctoribus inſervire ſolet. Interim, ut Nux Moſchata vocetur cum vulgo, non refragor. *Bongo-Pala* eſt, quam vocant Arabes Macin. Cum quo confundi non debere Macer aut Machir, probat Scaliger Exercit. CXLV. quem vide.

 Quis-

Quiſquis autem, quæ Nuces iſtas profert, arboris iconem, quam apponimus delineatam ad ipſius Naturæ exemplar, conſiderat, haut diſſimilem dicet aut Perſicis Malis aut Pyris. Perſico folio eſſe, recte Cardanum ſcripſiſſe laudat, quem modo laudabam, vir doctiſſimus. Naſcitur arbor ſponte & frequens admodum & ſine cultura. Eſt & annoſa & perpetuo virens & florens, perpetuoque Nuces gerens, alias aliis maturiores. Cortice cinereo eſt, ligno medulloſo, medulla ex fuſco rufeſcente. Folia parvis pediculis è ramis, quibus arbor luxuriat alternatim & fere catervatim, raro ſingula dependent, læte viridia & tenuia, glabra, & nervo unico recto cum pluſculis venulis obliquis prædita. Ea non recentia tantum contrita manu fragrant, ſed & cum exaruerint, acrimoniam ſervant, & vim Aromaticam inſignem, ut eſſe etiam uſui Indigenis queat. Flores floribus Pyri Ceraſive ſunt, & magnitudine pares, & colore ſimiles, quique facile cadant, & parum fragrent. Fructus ſuccedens, circa pediculum nonnihil turbinatus, cætera orbiculatior, non ipſis ramorum faſtigiis naſcitur, ut Nuces Iuglandes, neque in foliorum alis, quemadmodum Mathiolus depingit; ſed in ipſis hinc inde ramulorum articulis. Qua defloruit, ſummum Nucis operimentum virens & rugoſum villoſumque primo ſatiſque denſum eſt: deinde matureſcens interſtinguitur multis luteis, purpureis, aureiſque maculis, ſicut apud nos Bericocca, ſive Armenica Perſicave Mala. *Primum nucamentum*, inquit Scaliger, *carnea pulpa, craſſa: ſed veluti hirſutum per initia. Sub eo non ſtatim teſta, qua nucleus continetur, ſed cutis coriacea, quam vocant Arabes Macin.* Villus iſte mox fiſſus & hians Nucem oſtentat ſuo Maci, quaſi reticulo, amictam. Deinde amplius & ex toto finditur, maturo fructu, haut ſecus ac Iuglandium apud nos nucamentum, nuce matura. Quo facto reticularis iſta tunica ſive Macis pulchre initio rubens, mox aureo colore apparet, intra includens putamen, quo nucleum contineat; velut oſtendit Icon Nucis per medium diviſæ, appoſitæque ad arboris pedem. Itaque nucleus iſte, qui Moſchatæ Nucis appellatione paſſim & Synecdochice venit, tribus eſt amictus velamentis: extimo viridi denſoque: medio tenuiori quidem, ſed aureo & pretioſo; intimo teſtaceo denique. Quandoque contingit autem ſine Maci reperiri Nucem. Id fit ſi quando præpropere tumeſcente nuce reticula diſrumpitur & perit, antequam firmari juſta craſſitie ac pinguitudine potuit. Hunc fructum variæ quidem aves depaſcuntur, ſed maxime Columbæ genus album & parvum. Quæ dehiſcente nucamento, illectæ ſuavitate Macis, hunc cum nuce eripiunt & devorant, nec niſi repleta ingluvie capaciſſima ſaginam deſerunt. Noſtrates ibi mercantes ob id Columbis iſtis **Neut-eeters** ſive Nucivoris nomen dederunt. Quas autem vorarunt nuces poſtea, integras per alvum reddunt. Redditæ citius deinde germinant, utpote præmaceratæ fervore ventriculi. Arbores exinde natæ, ceu præcociores, facili ſunt corruptioni obnoxiæ, fructumque ferunt cæteris multo viliorem, & hac cauſa neglectum Incolis contemtumque, præter Macin, quem ad adulterandum meliorem adhibent, decerpunt.

Porro ſemper quidem bis, ſubinde ter fructum ſuum ferunt arbores iſtæ uno in anno. Vindemia prima fit Auguſto & Septembri; altera Martio circiter. Tertia alio atque alio menſe, prout faverit tempeſtas cæli. Legi vero Nuces niſi bene maturæ non debent. Fallit interim non raro vindemiatrices color, roſeo colore, ſeu qualis eſt Malis Perſicis, maturitatem juſtam referens tam exacte, ut ſatis alias ad carpendum peritas, intempeſtive invitet. Decerptæ enim minus ſunt durabiles ob ſucci paucitatem & cruditatem, quæ & teredini obnoxias reddit. Hoc genus *Rumpi* vocantur. Quæ autem mature leguntur, exemtæ nucamentis ſuis ſiccantur primum ad Solem. Siccatis adimitur Macis ſuus. Poſtea nuclei, quas Nuces vocamus, lavantur calce. Hac enim ſola contra corruptionem, & omnem etiam externam injuriam, tutæ præſtantur, & aptæ per univerſum terrarum orbem longis navigationibus transferri. Optimæ ſunt, quibus color eſt ex rufo cinereus, ſed interpolatus ſtriis quibuſdam albidioribus. Probari ſolent ponderoſiores & bene compactæ, oleoſæ, & quibus punctura aciculæ confeſtim è vulnuſculo emanet liquor. Cæterum evenit quandoque, ut in magna illa Nucum ubertate per Naturæ luſum quædam magnitudine figuraque & colore diſcrepent à cæteris, quemadmodum haut infrequenter idem eſt videre in Iuglandibus atque Avellanis, quas tunc *Pala-lava* appellant, quod Iavani eas, non in condimentum, ſed ſolam Medicinam requirant.

Priuſquam vero qualitates, quibuſque gaudent, facultates iſtarum Nucum perſequar,

quar, ſpectemus primum quæ ſit natura Macis, ſive ſecundi Nucum involucri, ubi ante omnia neceſſe Indorum Macin decernere à Græcorum Macere, quæ ut confunderent recentiores, nullam habebant rationem. Nam ſi color ipſos, qui pene idem eſt utrique, Maci & Maceri, aut vicinitas iſta appellationis, adduxerit in eam opinionem, eſſe rem unam; nimis certe leves ſecuti ſunt conjecturas. Hunc errorem Cardanus quoque admiſit, & notat eum Scaliger, ſed argumentis refellit momenti minoris. *Vocant Arabes*, inquit, *Macin. Non enim Macer aut Machir eſt, ut ſcribis tu. Cui etiam vel fruſtra, vel temere, ut Galeno atque Dioſcoride hiſtoriam tuam conciliares, adſtrictionem attribuiſti, multam calefactionem quaſi ceſſim ſubtraxiſti. Hoc enim de Machire uterque eorum ſcribit. Cum tamen Macis adeo calefaciat, ut ei pauca ex odoratioribus æquiparentur. Quæ fuit cauſa, ut de Maci ſeparato Capite ſcriberet Aboali, de Taleſaſar alibi ea omnia, quæ de Macere Dioſcorides.* Quibus ut aliquid addamus, ipſa res exigit. Et Macis igitur & Macer frequens eſt apud Indos, & frequentis uſus, ſed in Medicina tantum. Macer autem cortex eſt radicis arboris in Malabri naſcentis. Is ſubſtantiæ eſt frigidioris & terreſtrioris, & ob id ſiſtendis alvi fluxibus deſtinatus. Macis contra tegumentum Nucis & quidem egregie Aromaticum eſt, multoque & ſpirituoſo calore plenum; unde & adverſus frigidos affectus, itemque venenatos, ſolet uſurpari. Quin Avicenna & Serapion & Arabum alii ſatis prodidere ſuis ſcriptis, bonam ſe & Macis & Maceris habuiſſe notitiam. De Græcis non idem conſtat. Quin videntur illi ſolius Maceris habuiſſe cognitionem: uti nunc nos, quid ſit Macer, ignoramus. E quibus liquere poteſt, non ſolum eſſe multa hodie nota nobis, quæ veteribus erant ignota; ſed & multa nos ignorare, quæ veteres habebant in notiſſimis. Sic omnia tempus habent; & accidit, quod verbis, etiam rebus, ut, quæ fuere in pretio, cadant, & in lucem neglecta protrahantur.

Macis autem ille, quem reticulæ inſtar amicire primitus Nucem aromaticam dicebamus, priuſquam ex pleno maturuit, & adhuc colore eſt elegantiſſime coccineo, condiri apud ſuos ſale & aceto ſolet, & inferri primæ menſæ ad excitationem appetitus. Poſteaquam vero maturuit Macis, adimitur Nuci, & exſiccatus ad Solem collectuſque cum cura reponitur ſervaturque. Odore ſemper quidem grato eſt, ſed recens mire jucundo. Sapore aromatico & ſuaviter amaro, & qui quamdam à ſe ſiccitatem ori relinquat. Si quid aſtringentis habet, id in Maci non æque ac Nuce poteſt guſtu deprehendi. Brachmanes aliique Indorum Medicaſtri nervis refrigeratis opitulari credunt, & ad hoc tam Macin, quam Nucem, exhibere ſolent, eorumque ſpiritus atque extracta adhibere foris. Quin habet vulgus in eumdem uſum ſemper paratum oleum, è fructu recenti expreſſum, ceu præſens & familiare remedium affectibus frigidis. Exprimunt autem & è Maci & è Nuce. Macis oleum vero ut oleo Nucis quantitate cedit, ſic qualitate antecedit. Habentque Incolæ Macin tanto Nuce præſtantiorem, ut etiam ſextuplo pluris æſtiment & vendant fere.

Nuces virides & immaturiores condiri ab Indorum magnatibus ſolent, aliæ aceto, aliæ ſaccharo, & pro bellariis eſſe in menſa. Eæ ab aliquot retro annis etiam ad nos deferri cœperunt, & non in medicinam ſolum venire, ſed & in menſas epulaſque lautiores. Neque vero per Europam tantum diſtrahuntur, etiam Aſiaticis notæ ſunt & expetitæ. Delicatiores etiam nucamento, ſeu exteriore cortice viridi, delectantur ſolo, eumque ipſi Nuci præferunt, dum plane eſt immaturus, tam propter odoris ſuavitatem, quam ſaporis ſubaſtringentis, & ob id ſtomacho amici, jucunditatem. Docuit interea uſus, non omnino innoxias eſſe iſtas delicias, neque tantum quando ſine, ſed & quando una cum ſuis Nucibus ſumuntur. Pollent enim, eaque inſigni, facultate narcotica, qua frequentiore aut largiore uſu ſoporoſos invehunt affectus. Idem de pulte quadam, quam ex iſtis nucamentis, eo, quo nos ex Pomis acidis, modo coctam, familiarius uſurpant, Iac. Bontius alicubi teſtatur.

Quantum vero attinet ad Nucum maturarum & ſiccatarum qualitates manifeſtas, vix operæ videtur pretium eas hic recenſere, cum ſatis ſint omnibus ex uſu quotidiano notæ & perſpectæ. Vnde in Scholis Medicorum habentur ſecundum inter & tertium gradum calidæ & ſiccæ, & ſubſtantiæ craſſioris, ſed permixtis partibus igneis atque aëreis. Habent facultatem cum urinas ciendi, tum alvum ſiſtendi.

CAPVT IV.

De *Pala-Metſiri* ſive Nuce mare dicta.

HActenus de Nuce Aromatica vulgari, & nobili. Nunc & communio naturæ & opinio hominum me vocat, ut aliquid quoque dicam ad ſatisfaciendum curioſitati lectoris, haut dubie id expectantis, de Nucum Moſchatarum oblongioribus; quas Incolæ *Pala-Metſiri*, Cluſius & cum eo alii Nuces mares appellant, & tantum non præferunt prioribus; neſcio qua de cauſa. Neque enim quia mares dicuntur, idcirco dignitate & facultate antecellunt, quaſi ſi natura majoritatem & longitudinem feciſſet notam præcellentiæ. Quippe ſecus ſe res habet. Nam quantum mole cæteras ſuperant, tantum ab his ſuperantur virtute aromatica, omnibuſque doti-

PALA-METSIRI.



bus Moſchatæ Nuci genuinæ & nobiliori conceſſis. Nomen vero à plebe habet, quæ ſibi perſuadet non ratione aliqua, ſed ſuperſtitione mera, oblongam Nucem, in cibo viris datam, potenter eos ciere in Venerem, & facere ſolito ſtrenuiores. Macis tamen ejus, quamvis elegantiſſimi quoque coloris ſit, adeo eſt infirmis viribus, ut etiam nullo apud ſuos, nedum apud naturæ peritos, ſit in pretio. Vnde eſt, quod arbor, ex qua naſcitur, inter degeneres & ſilveſtres habeatur negligaturque. Ea enim nulla quoque cultura humana creſcit in ejuſdem Bandæ confiniis, non tam ſpecie & facie diverſa ab altera illa, qua indole & virtute. Quam quia Incolæ inefficacem deprehendunt, idcirco & fructum, ceu viliorem, non dignantur vindemiare. Quin Bandenſibus ſatis juſta negligendi cauſa videtur, quod Macin ejus deprehendunt virium infirmiorum. Arbor ipſa foliis eſt longioribus, craſſioribus, nervoſioribus. Nuces non ſolum oblongæ ſunt, ſed & quadratæ fere. Eæ non è ramorum interſtitiis, ut priores, excreſcunt; ſed ſum-

ſummis, &, Iuglandium inſtar, ſimul ternæ quaternæve; quemadmodum videre eſt ex eo icone, quem exhibeo cum & ſine naturalibus operimentis.

CAPVT V.

De *Tſhinka* ſive Caryophyllo.

MOluccæ vocatæ Inſulæ, ut & ante monui, juxta Æquatorem ita ſunt ſitæ, ut ſe à Borea in Auſtrum exporrigant, à ſe invicem non amplius vicenis leucis diſſitæ. Earum maxima ultra ſenas leucas in ambitu non habet. Omnibus ſolum eſt adeo aridum & ſiticuloſum, ut non ſolummodo cælo lapſos imbres momento imbibat, verum etiam è montibus deſcendentes aquas abſorbeat, antequam colligere ſe in flumen aliquod atque ita in mare delabi queant. Quin aliquot locis è terra ſponte ignes & magno ſtrepitu eructantur. Vnde cætera quidem ſteriles, ſolis ſuperbire Caryophyllis geſtiunt. Certe quæ ad victum ſunt neceſſaria, ea Incolæ coguntur omnia petere à vicinis Inſulis. Quæ etſi Caryophyllis deſtituantur, Moluccenſibus tamen ſunt fertiliores eorum, quæ cedere homini in alimentum debent. In quo videre eſt nobile Divinæ providentiæ ſpecimen; quæ ita ſua munera terris, ut hominibus diſtribuit, quo, dum alias aliarum rerum egenas voluit, omnes in mutuam collegit ſocietatem. Porro ex Inſulis, quæ Moluccæ dicuntur, ſub unius Reguli imperio ſunt *Ternate*, *Makian*, & *Mutier*. Quarta, quæ *Baciam*, alium ſibi Regulum habet. Hæ quatuor olim abundare Caryophyllis ſolebant, nunc penitus iis deſtitutæ, culpa non novercantis Naturæ, ſed largiſſimæ & benigniſſimæ matri invidentis fortunæ. Reguli enim à Batavis noſtris aliquot millenis imperialibus excæcati, ex pacto omnes ibi Caryophylliferas arbores eradicarunt. Noſtri vero ut uni lucro ſatis ſtudent, ſua intereſſe putant, ne tam nobile Aroma vileſcat copia & fertilitate divina. Ita avaritia lege, modo, ratione carens audet ipſi Naturæ auctori, omniſque boni largitori, tantum non ſuam exprobrare benignitatem & liberalitatem. Moluccenſium interea cæteræ, *Tidor* & *Marigeron*, quas ſui juris Hiſpanus fecit ſuo more, Caryophylla ſatis abundanter ferunt. Quemadmodum & Amboina, quæ noſtratium commerciis patet, eorundem arboribus & arte conſita eſt, & naturæ beneficio frequentibus locis dotata.

TSHINKA.



Aroma ipſum quod attinet, id Incolæ ſua lingua vocant *Tſhinka*, Græcis recentioribus, & ad quos rerum Indicarum aliqua pervenit notitia, καρυόφυλλον dicitur. Hoc ſibi nomen in Latino ſervat. Arabibus & Perſis & Turcis, ut & Indis quibuſdam, *Calafur* vocatur. Belgæ à figura nomen impoſuerunt, **Kruyt-nagel**/ quaſi dicas clavum Aroma-

Aromaticum: ſane appoſite adeo, ut niſi apud Botanicos invaluiſſet conſuetudo appellandi voce Græca, rectius hoc novo veniret nomine. Græca enim, unde unde ſit (nihil attinet inquirere) inepta eſt, neque ullatenus rei conveniens. Belgica vero appellatio, & ad ejus imitationem facta Latina, quadrat quam optime. Scaliger exercit. CXLVI. ſcribit tribus vocari nominibus *Gomode*, *Chiáncha*, *Bugalavam*, proculdubio alio ab aliis Inſulanis. Anthophylla vocant Apothecæ.

Arbori magnitudo noſtratis Ceraſi. Caudici craſſitudo quanta pene humano corpori. Cortex oleæ. Folium Pyri noſtratis, quandoque ſingulum, ſed ſæpius vno è loco numeroſum. Folio petiolus eſt longiuſculus, in medio nervus, & ex eo plures fibræ in utramque partem. Rami plures & multum fruticantes; quorum plurimi deſinunt in tenues valde ſurculos. E quibus ſummis prodeunt tenues petioli, & ex his alabaſtri & in his flores conferti, deni & viceni, oblongi, lato capite, criſtato, atque ſtellæ in modum coronato radiatove. Alabaſtri ipſa ſunt Caryophylla. Flos intra alabaſtrum, ſuum clauſus multa ipſa & complicata continet ſtaminula. Effloreſcens initio albicat; poſtea vireſcit; tum ruſeſcit & indureſcit. Flori inſignis fragrantia, & qualis ipſi fructui. Hæc ipſa major ſudo cælo, pluvioſo minor; à quibus & major minorve ubertas pendet. Tempeſtate ſicca enim, admirabili luxurie ſæpe fructus, quam folia, numeroſiores. Neque tamen etiam per annos conſtante tempeſtate omnibus par ubertas: Nam altero tertiove aliquando ſeptimo anno minor hæc, quaſi vires recolligente arbore, per nimis liberalem fructificationem exhauſta. Poſtremo alabaſtri in fructum excreſcunt ſatis lentum, dum creſcit; cum adoleverit, duriſſimum: rubicundo primum colore; poſtea, ut mox dicam, nigro: leguntur ſemel in anno (non bis, ut voluit Scaliger,) ab Octobri ad Februarium. Quod ibi tempus maxime & æſtivum & tempeſtivum legendis eſt. Pars manibus leguntur: pars arundine longa aut è funiculis flagello diſcutiuntur. Ab his periculum tamen eſt, ne non ſatis aut provida aut experta manus ſurculorum extrema quaſſet cum certa in ſequentem annum vindemiæ etiam ſperatæ jactura. Cum vindemiandum eſt, univerſum ſub arbore ſolum exherbatur purgaturque; quo facilius legantur decuſſa Caryophylla, neque qua fugiant lectorem. Idem in Braſilia fieri ab hortulanis prudentioribus ſub *Mangabas* vidimus. Caryophylla ſive clavi Aromatici in arbore reſtantes intumeſcunt maturando, adeo ut cæteris ingenti mole & magnitudine diſpares evadant, & inſequenti anno ſponte cadunt, iique langueſcente licet vi Aromatica in pretio habentur & loco ſeminis plantationi dicati ſunt, ideoque eos Matrem fructuum appellarunt, convenientius ſane quam Avicenna l. II. c. 311. qui illos Mares nominavit. Horum aliqui ab agricolis neglecti, ſponteque nacti gremium & fotum & alimentum è terra germinant, atque, octo intra vel novem annos juſtæ interea arbores factæ, fructum juxta cæteras ferunt. Felicius tamen, quotquot altero tertiove anno frutices tranſplantantur. Recens lecti, rufi ſunt, & leviter nigricantes. Qui, ut prorſus evadant nigri, & ſiccantur, & infumantur, atque, ne teredo invadat, marina tepida aliquantum macerantur iterumque ſiccantur. Ita, & præparati ad durandum & collecti in acervos poſtea quaquaverſum per orbem diſtrahuntur. Quo appellunt, ibi plerumque purgari à petiolis ſuis conſuerunt, & hi ſeorſim vendi. Id purgamentum Luſitani *Baſton*, noſtrates **Nagelgrups** / ſolent appellare.

Quamvis autem Caryophylliferæ arbores propter ſolum fructum ſuum colantur, & æſtimentur, eſt tamen, & in foliis, & in floribus ramuliſque, quin & in gummi quod fundunt, egregia vis Aromatica, & ad medicinam apta. Fructus potenter admodum calefacit & ſiccat. Sapor ſubamarus, & acris, viridi pariter ac maturo, ſed imprimis ſiccato. Quas autem facultates habeat, quibus uſibus in culina, in medicina, ſerviat, ſatis ſuperque, & proditum eſt ab autoribus, & notum mulierculis. Nolo itaque tuo abuti, Lector, otio. Vnum addam, licet probatione ulteriori haut indigeat, quantopere ſpirituoſis, & igneis ſcateat partibus. Indi vendituri, aut vendita tradituri, biduo ante ſolent in horreis ſive Caryophyllorum conditoriis apponere magnum & ſatis capax vas, atque hoc replere aqua. Quæ omnis brevi exhalans ſubit in Caryophylla, & ponderoſiora reddit certo lucro; Quin invenitur fere Caryophyllon in tantum pondus auctum, quantum fuerat aquæ appoſitæ. Cujus experimenti noſtratium aliqui haut ignari, adulterium hoc facile & lucroſum non ſemel imitati ſunt.

E floribus & Caryophyllis adhuc viridibus Indæ pariter ac Luſitanæ fœminæ deſtillando

lando eliciunt aquam, vel ſpiritum, mira odoris ſuavitate fragrantem, & cerebri affectibus ſingulari poteſtate convenientem. Imprimis autem paralyſeos iſti ſpeciei *Beriberii* dictæ, à Bontio noſtro accurate deſcriptæ. Quibus medendis ex iiſdem etiam condita parant præſtantiſſima. Magnates inſuper acetum ex infuſione Caryophyllorum viridium parant, durabile valde, & cibis condiendis ac ventriculo roborando atque concoctioni promovendæ aptiſſimum. *Achar* id appellant. Plura quiſquis deſiderat ex arboris hujus indole, de fructuum uſu atque abuſu, adeat Garciam ab Horto, & Ludovicum Romanum, & Maximilianum Tranſilvanum, potius, quam Arabes, & Græcos. Tanti enim non ſunt quæ Serapion autoritate Galeni de iis tradidit, quantumvis aſſeveranter ea, quæ ignoravit, tanquam ſi ſciviſſet vel ipſe vel Galenus bene, prodiderit.

CAPUT VI.

De *Tshinka-Popouá* ſive Caryophyllo Spicato.

Caryophylli genus hoc alterum eſt, vulgo inuſitatum, quia, & rarum, & carum valde. Vocatur apud ſuos *Tshinka-Popouá*, quaſi dicas Caryophyllum dentatum aut criſpatum. Ego ſpiculatum vocavi, à ſimilitudine, quam habet cum ſpica, & quia ſpicæ inſtar è ſummis ramorum ſurculis enaſcitur. Noſtrates appellant Caryo-

TSHINKA-POPOUÁ.



phyllum regium: quia Moluccenſibus Regulis, & Magnatibus, ad ſuperſtitionem uſque in pretio eſt, non tam ob guſtum, & fragrantiam, etſi eam præ cæteris habet excellentiorem, quam ob ſingularem formam, imo raritatem ſummam. Hactenus enim, præter unam & alteram arborem, negant repertam; & quidem in ſola Inſula *Makian*, idque ante ullam violentam ſupra enarratam Caryophylliferarum arborum extirpationem obſer-

obſervatum eſt à plurimis præfecturam ibidem loci tenentibus, nec perfunctorie eas indagantibus. Quæ tam egregii fructus raritas, & arborum infrequentia, merito poſſet dubitari, an ex inſtituto Naturæ, an vero ex negligentia eorum qui ibidem loci vixerunt, judicari debeat; eoque magis, cum fructus eorum ſive Caryophylla decidua in terram, ſponte ibidem germinant. Arborum harum altera altera eſt major, utraque tamen cæteris ſupra deſcriptis ſimilis, excepta proceritate. Quantum vero Caryophylla hæc magnitudine diſcrepent inter ſe, ex appoſitis utriuſque ſpeciei fructibus liquere poteſt, quorum externa facies, ut ex toto diverſa à præcedentibus, ita qualitatibus, & facultatibus pollere iiſdem, quibus priora, & odor, & ſapor, perſuadent. Nihil ultra certi definire eſt, quia vocari in experimentum quotidianum nequeunt ob paucitatem.

CAPVT VII.

De *Lada*, aliis *Molanga*, ſive Pipere Aromatico, Mare & Fœmina.

QVam hactenus ignotum Caryophyllum ſpicatum, vel Cannella Caryophyllata tam ſemper & ubique gentium notum, & familiari in uſu Piper fuit. Hoc non uno aliquo in loco, ceu de Cannella, deque Nuce Moſchata, atque Caryophyllis jam notavimus, nec ſua creſcit ſponte, ſed ſeritur omne, præter quoddam agreſte genus,

LADA aliis MOLANGA ſive Piper MAS.



ignobile & amarum. Quibuſdam autem regionibus vix tantum redundat ex cultura, quantum ipſis Incolis ſufficit: aliis vero locis, præcipue in Malaca, Iava & Sumatra adeo luxuriat Piper hoc Aromaticum, ut inde per totum orbem diſtrahatur. Licet autem

LADA aliis MOLANGA ſive Piper FOEMINA.



tem civilioris notæ Indigenis rarior ſolet eſſe uſus Aromatum, nullum tamen inter omnia æque expetitum, nec condimentum illis videtur vel ſanum vel gratum, niſi recipiat certam Piperis quantitatem. Adeo ut omnes qui eas terras piperiferas frequentarunt, facile plus in Indiis, quam in Europa conſumi teſtentur. Miſſis itaque cæteris Piperis generibus quæ India Occidentalis profert (utpote de quibus ex profeſſo egi in mea Hiſtoria Naturali), communis potiſſimum Piperis aromatici marem & fœminam exhibeo hoc capite. Seritur autem in Indiis non procul à mari, & ad radices arborum, præſertim quas *Fauſel* appellant, vel appoſitis perticis, quibus adnititur more Vitis. Magnitudo ei par cum ea arbore, aut pedamento, cui advolvitur. Sæpe cum veteraſcit, & cineribus fumoque ſtercoratur, excedit altitudinem fulcrorum ſuorum, ut Lupuli inſtar ſe, cum ſcandere altius non poteſt, demittat. Planta ipſa eſt ſarmentoſa, nodoſa, lenta, & flexilis adeo, ut niſi inveniat, cui adnitatur, vel arborem vel aliud pedamentum, humi repat prorſus ut Lupulus ſalictarius, aut Phaſeolus turcicus nobis dictus. Si fertili ſolo ſata eſt, intra annum dat fructum, eumque uberem. Si minus bona terra eſt, ſerius cum adoleſcit tum fructificat. Fit & de anno in annum fertilior, minus, magis, pro ſoli genio. Terræ ſe infigit radice fibroſa, fibriſque parvis & lentis, nec adeo Coſti ſimilibus, ut Dioſcorides notat. Qua nodi ſunt, folia prodeunt multiplici ordine ac Naturæ luſu: hærent autem petiolis longiuſculis è ramis ſarmentoſis quoque. Figura his, qualis hederaceis: alii Cordi malunt comparare; medio nervum habent, qui plures fibras apicem verſus exporrigat bifiſſas. Color exterius viridior; interius dilutior eſt. Fructus racemoſus eſt prorſus ut Ribes: ſed racemo longiore, & frequentiore, baccis, quæque ipſi ſcapo ſine aliquo petiolo adhæreant. Racemi iſti modo ex

 mediis

mediis ſarmentis, modo ex ſummis dependent, ut ex hiſce appoſitis iconibus conſpici datur. Vnde eſt quod diverſitatem ſexus accuratioribus agricolis attribuere illis placuit, hanc fœmellam, illam marem appellantes.

Baccæ initio virent; ubi maturuerint, nigræ ſunt. Maturantur menſibus maxime æſtivis, quod eſt Decembri & Ianuario. Maturæ protinus leguntur & inſolantur. Dum ſiccantur, rugas contrahit cortex niger. Quo, in tempore, & ante inſolationem, decorticato, fit Piper album illud, & glabrum: quod ut nigro acrius eſt, ita carius eſt, & ori gratius. Vnde & ſolum Indorum magnatibus in menſa apponitur, proque ſale ut plurimum uſurpatur. Decorticatio illa fit bene maturo Pipere, ex marina macerato. Maceratione enim cortex exterior niger dehiſcit tumeſcendo, atque ita facillimo negotio granum, quod intra illum includitur, album eximitur, &, ut prius, reſiccatur. Quem laborem laboris impatiens natio niſi adeo fugerent, non tanta eſſet Piperis albi, ſi cum nigro compares, apud nos inopia. Cæterum hujus decorticationis & præparationis ignoratione factum, quod Piper album, quamvis maturitate ſola & quod cortice nigro rugoſoque ſit privatum, nihilominus etiam nunc paſſim credatur ſpecies à nigro diverſa, imprimis cum integros racemos aliquando ad nos delatos videant, perſuaſi ſcilicet hujus illiuſve jejuna relatione, neque adhibita diligentiore inquiſitione, ſtatim hoc literis tradiderunt, quod auribus accepiſſent. Idem Theophraſto, Dioſcoridi, eorumque imitatori Plinio latuiſſe non miramur. At quomodo etiam major ignoratio condonari poſſit Arabibus, qui id & bene potuerunt reſciſcere, non video. Inhærere enim errori, quamvis vetuſto, in rebus Naturæ, quemque vel mediocri inquiſitione poſſis detegere, ea demum ſupinitas in his, qui præſumunt de tali materia ſcribere, & ſe ſæpe jactant Cornicum oculos confixiſſe.

Porro non baccæ ſolum, quod proprie dicitur Piper, acrimonia præditæ ignea ſunt; ſed tota etiam Planta. Nam, & folia virentia, ſarmenta, & radix, ſi maſticantur, prorſus linguam fauceſque urunt, & ſalivam movent, haud ſecus ac Pyrethri Coſtive radices. De qualitatibus & facultatibus Piperis, deque ejus uſu & abuſu, quod addam ad ea, quæ toties ab aliis ſunt repetita, nihil habeo.

Præter ante dicta aliud eſt Piperis genus, ſed ignobile Piper, *Canari* appellant lingua Malabarica, à *Canara* loco natali. Id noſtrati Fagopyro ſimile, coloris eſt cineritii, intus cavum, & repletum granulis aliquot exiguis. Manducatum pari pene acrimonia cum prioribus, ſed minus aromaticum deprehenditur. Ejus, niſi apud infimam plebem, nullus eſt in Indiis uſus. Ea vilitas in cauſa eſt, quod non ſolum non deferatur ad exteras gentes; verum etiam noſtrum nemo dignatus fuerit ipſius plantæ notitiam ſibi comparare. Quæ cauſa, quod & nos cogamur hic expectationem Lectoris deſtituere.

Carolus Cluſius, vir doctiſſimus in Exoticis, meminit alicujus Piperis caudati, Cubebæ ſimilis quidem, ſed minus uſitati, quodque aliorum quandoque defectum ſupplere apud ſuos ſoleat. At enimvero, cum neque ille quid plenioris notitiæ habuerit, nec alii ex Indiis reduces quicquam de eo mihi communicaverint hactenus, cætera poſteritati ulterius indaganda relinquo.

CAPVT VIII.

De *Pimpilim* ſive Pipere longo.

Bengalenſes *Pimpilim* nuncupant, quod nos, auctoritate Græcorum, Piper longum. Hujus in culina quidem nullus eſt uſus: Frequens in medicamentis, præſertim theriacis aliiſque confectionibus antidotis; & merito; virtutes enim non contemnendas obtinet. Vnde forte & pretium ei majus. Nobis hoc potiſſimum dicendum, cujuſcemodi plantæ fructus ſit. Nam hoc à quoquam neſcimus dictum. Bengalenſium in terris frequens admodum eſt, indeque ad Europam defertur, quod ibidem, & lætius creſcat, & copioſius fructificet. Qua faciem tota, ſi fructum excipis, ſimillima eſt Piperi rotundo, niſi quod aut humi repat, aut perticis contenta ſit non altis adniti. Quo magis mirari ſubit, quid Garciæ ab Horto fuerit in mente, ſatis alias ſedulo Naturæ ſcrutatori, cum ſcriberet, longi Piperis plantam cum planta rotunpi haut plus habere ſimilitudinis, quam faba cum ovo. Sed ita eſt, ex auditu habet, non autopſia. Credidit referenti, & deceptus eſt. Interea hujus plantæ folia ſunt utcunque

tene-

PIMPILIM.



teneriora, & virore ſaturato magis, ac breviore petiolo hærentia. Cætera eadem. Fructus, nucamentis aut iulis oblongis ſimiles, ad ſingulos articulos hinc inde ex adverſo foliorum enaſcuntur, pendentque à mediocri petiolo. Sunt initio virides; poſtea cum ſiccantur, cinereum acquirunt colorem. Longitudo non omnibus una: etſi figura eadem, & ſimilis toto ductu diſpoſitio granulorum. Intra ſcapum, cui granula jam dicta inſeruntur, aliquando plus humidi eſt. Quo evanido carie exeduntur. Decerpuntur autem, & in uſum ſiccantur, antequam matureſcant. Siccatum, etſi initio minus, poſtea tamen non minus rotundo urit palatum, ſi vel leviter deguſtes. Optimæ conditionis habetur id quod ponderoſius, ſolidius, intus granis plenius, ac, ſi in aqua decoctum aut plurimis diebus maceratum, minime diffluat.

Indi linimentis addunt, quibus adverſum dolores artuum à frigore utuntur; & ita, ut baſis hoc Piper ſit, corpuſque addat Santalum rubrum. Vtuntur & contra venena, vertigines, catarrhos, oculorumque nebulas, & cum ſucceſſu. Quod & Dioſcorides teſtatur, ſic ſatis alias infelix ipſius plantæ deſcriptor. Verum de planta ex aliena fide haut dubie; de viribus ex multorum obſervatione teſtatus eſt. Indorum plebs adverſus diuturnam ſtomachi languiditatem bibit aquam, cui infuſa eſt ſatis bona Piperis copia. In eundem uſum quoque eliciunt è Pipere recenti ſpiritum mire igneum. Vtrumque, cum adhuc viret, Piper, longum æque ac rotundum, condiri muria aut aceto ſolet, & condi in penum ad uſum familiarem menſæque delicias. Quo loco vel imprimis habetur, cui quædam alia ſimul adduntur Aromata, *Achar* nuncupant. Ejus uſus frequentior menſibus pluvioſis, & in phlegmatica corporis conſtitutione. Sunt, qui malunt virentibus integris racemis ore receptis (ut nos ribeſiis) baccas eo retinere, avulſo petiolo, & parum mandere, & ſolum glutire ſuccum, utpote gratum guſtu, & ſuavem, ob levem acrimoniam acerbitate quadam mixtam.

CAPVT IX.

De Aromatum enarratorum abuſu Epilogus.

HActenus exſequutus ſum, quæ ad hiſtoriam pertinent quatuor Aromatum, cum in medicina, tum in culina, maxime uſualium. Sunt enim, præter iſta, multo plura, quibus vis, eaque non contemnenda, ineſt Aromatica, nullum tamen, cui ſit tam acris, aut nobilis, aut durabilis. Quid Pipere acrius? quid Cannella nobilius? quid Caryophyllo, aut Nuce Muſcata, ejuſve præſertim Maci, durabilius? Non repetam ſingulorum dotes, utpote decantatiſſimas, libris omnibus, & commendatas laudibus, quas, non ratio dictaſſe, ſed admiratio videtur effudiſſe potius: proinde unum atque alterum reſtat, de quo tacendum non duxi, nec ita tamen loquendum, ut hoc me agere aliter quam in tranſitu voluiſſe oſtendam. Nam ſi ex profeſſo de abuſu Aromatum velim diſſerere, fateor me dicendi carceres videre, non metam.

Principio eſſe in confeſſo arbitror, & audias ſæpe eam apud nos querelam, majores noſtros, & firmiore uſos ſanitate, & vitam vixiſſe longiorem. Nempe ita revera eſt: Ætas parentum debilior avis, tulit nos infirmiores, mox datura progeniem morboſiorem. Cujus eſſe cauſas in rebus quærendas, quas Medici non-naturales vocant, uti dubium eſſe non poteſt: ita inter eas vel præcipua eſt victus mutata ratio. Quæ, ut intelleximus, & partim ipſi vidimus, majoribus erat parca, ſimplex, dura; nobis vero, prodiga, dubia, mollis. Imo Apiciorum cœnas olim magis fuiſſe molles quam ſint hodiernæ, multis de cauſis dubitari poſſet. In cibis ipſis quam ſtulta, & ad effœminandum etiam optime natorum corpora potens! Quid non indies machinantur cupedinarii adverſus mortalium ſalutem, infatuando eorum palatum? quid non irritamentorum, ut fatuam rurſus linguam ſapere cogant? ſed inter vitæ illecebras hodiernas Aromata quoque in patrias menſas invecta ſunt. India nobis cum cœpit ſuas merces dare, ut omnia divitiis implevit, ſic multorum ſanitatem corrupit. Quod ne gratis dixiſſe videar, conſideremus, utrum Aromata adeo humanæ naturæ conducant? quæ accipiuntur ſcilicet, non è medicina ad neceſſitatem, ſed è culina ad prodigalitatem. Ita loquor: quia nullus dubito, quin æque nos atque majores noſtri carere rebus iſtis externis queamus: præſertim cum ſatis condimentorum dederit natura noſtri vicinique ſoli, quæ licet non admodum numeroſa, abunde tamen ſufficere poſſunt. Res dicit, quod Galenus, omne Aroma calidum eſſe, II. de fac. Alim. xv: & ſubtilium partium, VII. de ſimpl. fac. III. At quæ ejuſcemodi ſunt, facile ſubeunt in corpus, ſpiritumque incendunt, & conſumunt. Vnde eſt, quod Galenus, & bono quidem conſilio, VII. de comp. ſec. loc. II. Arteriacis dictis confectionibus jubeat addi Aromata craſſa ac integris partibus. nempe ne, quibus illæ compeſcendis componuntur, concitandis fluxionibus evadant aptiores. Hippocrates maximus Medicorum nuſpiam in cibum legitur admiſiſſe Aromata. Vſus eſt nunc hoc nunc illo cum in aliis quibuſdam morbis, tum maxime in muliebribus; & plerumque in ſuffitibus, in fomentis, in externis; in potionibus vero, & raro admodum, & parce. Sed & in iſtis quam circumſpecte. Aph. v. 28. cum ad muliebria educenda valere dixiſſet ſuffitum Aromatum: protinus addit, *Sæpius vero, & ad alia utilis eſſet, niſi capitis gravedines induceret.* Addit Galenus: *Quod omnia fere Aromata natura apta ſunt facere capitis dolorem, & experientia oſtendit & ratio docet.* Sed Hippocratem iterum audiamus, hæc nobis mala Aphor. v. 16. recenſentem. *Calidum hæc dat nocumenta iis, qui ſæpe utuntur; carnium effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, ſanguinis fluxiones, animi defectiones: hæc quibus mors.* Tota autem talis concatenata ſymptomatum ſequela ſe debet ſpirituum languori, concoctionum cruditati, pituitæ, & ſeri indies increſcentium multitudini, viſcerum atoniæ, & corruptelæ: una vero omnium cauſa eſt calidi calefactio, & attenuatio nimia, & nimis crebra. Exemplorum ad fidem Aphoriſmi abunde poteſt adferri, attende modo ad eos, qui ſe negant vivere poſſe, nedum præeſſe rebus ſuis, niſi aut venas mane medicato impleverint vino, aut ejus igne (quem ſpiritum vocant) multis ſæpe Aromatis ignito, ſuum ignem, heſternæ cœnæ cruditatibus obrutum, velut è cineribus excitaverint, quaſi nocere multum nequeat, cujus parum, prodeſſe, ſemel ſibi paſſi ſint perſuaderi. Cum itaque jam intelleximus ex Galeno, & res ſit apud omnes confeſſa, Aromata, & calida eſſe, & ſubtilium

partium;

partium; Neceſſe igitur, ut & facile ſumta incaleſcant & pervadant in ſanguinem, eumque incendant, & urant non tantum, ſed & ſpiritum ejus juſto plus calefaciant & calefaciendo agitent, agitando attenuent, attenuando diſſipent. Habet enim & ſpiritus ſuum modum ſubſtantiæ. Intra quem niſi contineatur, fieri non poteſt quin excedat, evadat, erumpat, pereat, & poſt ſe corpus tam viribus enerve, quam cruditatibus grave relinquat. Atque ita quidem facere Aromata ne dubitare quidem nos ſinit leucophlegmatia, virgineus pallor, & febris alba dicta Medicis: Namque hos affectus ſæpe alioſque ſoporoſos, cum ſenſus & motus depravatione, judicio devigeſcente, & memoria obliviosa, multis accidere ex Nucis Muſcatæ frequentiore uſu, & ipſi vidimus non ſemel, & alios vidiſſe, probe ſcimus. Quamobrem, cum eæ ſint Aromatum facultates, & calefaciant potenter, atque ita & ſpiritum inflamment ac digerant, & ſanguinis nutritium ſuccum ſiccent, quis non merito ſibi metuat ab eorum largiori uſu? Imo, quis neget recta à nobis ratione referri inter ea, quæ nos noſtris majoribus reddunt magis morboſos? Quaſi Aromaticitas illa, quæ non niſi intra Tropicos à Sole potentiſſimo ex ſolida & ſitienti terra proveniens, nobis advenis, toto fere cælo inde remotis, quadraret potius, quam iis apud quos naſcuntur Aromata. Nam aut omnino illis non utuntur in cibo, aut crudis, & ob nimiam humiditatis aquoſæ copiam impotentioribus, aut parce admodum, & valetudinis duntaxat cauſa. Neque enim negandum cenſeo, illius gratia quandoque recte ſumi, ſive incidendo, & attenuando phlegmati, ſive reſiſtendo putredini, ſive nutriendis ſpiritibus deficientibus, id fiat, ſicut in præcedentibus capitibus uniuſcujuſque Aromatis docuimus. Verum ut recte ſumas definire non coquus debet, ſed Medicus, ſeu verus humanæ ſalutis cuſtos; alias enim tutius foret ea in ſubſidium vocare, quæ eadem aut vicina fert tellus, quæ non dicam tulit nos, ſed nutrit tam benigne, tam liberaliter. Europæi equidem quantum cæteris mundi populis excultiores habentur, ſi tantum quoque iis temperatiores, & abſtinentiores eſſent, non plus inhiarent longe petitis dapibus Indorum, quam illi noſtratium. Quin non pauci Indiæ Orientalis & Occidentalis Indigenæ haud ſine ratione Europæorum iſtuc adventantium intemperantiam deridentes, & incontinentiam culpantes, ſibi congratulantur, quod ſuis contenti bonis, tam ſanitatis quam deliciarum ergo, ſe ſuſtentent. Si enim opus eſt calidis, quibus in corporibus frigidioribus cibi coquantur, quorſum temere ab Indis petimus, cum tot remedia ſuccedanea, aromatica vi prædita, nobis dederit natura, quæ ſingula ſufficiunt? Sicut Campanella inter Italos, Beverovicius inter Batavos, in multorum ſalutem fieri poſſe probarunt. Imo prædicta Aromata, ipſis licet medicamentis purgantibus indita, ſive palati & ſtomachi oblectamento, ſive alterius qualiſcunque neceſſitatis cauſa, ſi tamen non exacta proportione reſpondeant, parvaque indantur quantitate, ſolventium minuunt facultatem; atque non minus ſubſtantia ſua terreſtria & ſtyptica occludunt denſantque, quam tenui & aërea aperiunt. Plura equidem huc poſſent afferri argumenta, à quotidiana experientia deſumta, quibus ſuperſedeo. Quæ enim hactenus dixi, non eo fine dicta ſunt, ut Aromatibus quicquam derogem, hoc enim eſſet Naturam criminari, & ſimul ſupra enarratis contradicere: ſed ut nimis promiſcuum abuſum eradicem ex animis non guloſorum, ſed ſuæ ſatagentium ſanitatis.

CAPUT X.

Arundines *Mambu* cum ſuo *Sacar* ſive *Tabaxir*.

INter tot variæ figuræ, & magnitudinis Arundines in incultis Indiarum regionibus luxuriantes, duæ dantur ſpecies *Mambu*, Luſitanis corrupte *Bambu*. Quarum altera minor intus magis farcta, altera multo major, & minus repleta, ligni proceritate & ſoliditate cæteras omnes antecellit uſque adeo, ut non mirer quoſdam veteres & neotericos propter inſignem illarum altitudinem hæſitantes, nunc arbores, nunc cannas appellaſſe; ſicut & ipſe Garcias ab Horto eas Populo aſſimilavit. Arboreſcentes itaque Arundines *Mambu* udoſis locis ſponte ſua recta exſurgunt. Arte ſubinde torquentur inter creſcendum, ut incurvatæ lecticis portatilibus aptiores fiant; pro bacillis quoque ad fulcienda Piperis ſarmenta in quotidiano ſunt uſu. Inferius femoris humani plus minus ſunt craſſitiei (cujus ni fallor fragmentum exſtat in porticu horti Academici Lugd. Batavorum) tantæque inter illas reperiuntur amplitudinis & ſoliditatis,

MAMBV.



tatis, ut cymbæ exinde parentur, eæque non quidem excavatæ, ſed relictis ſolum duobus utrimque internodiis inferioribus per medium ſectis. In harum extremitatibus bini Indi conſidentes eas tanta dexteritate remis impellunt, ut rapiditatem fluminis facile ſuperent. Ejuſdem naturæ arundines Solinus videtur noviſſe, quas his verbis expreſſit: *In Indiæ paluſtribus arundo craſſa progignitur, ut fiſſis internodiis lembi vice vectitet navigantes.* Ipſius vero ligni ſive materiæ craſſities trientem unciæ ſæpe ſuperat, circumferentia ſexdecim, diameter aliquando quinque eſt unciarum, unde ampla ejus capacitas facile poteſt dijudicari, ideoque ſubinde cannarum craſſiores partes, vaſorum loco mercibus vel aquis in longo itinere replent. Nodis perpetuis conſtant (qui in adoleſcentibus cannis hic depictis minus conſpicui ſunt) ſinguli ultra palmi longitudinem ab invicem diſſiti, ex quibus rami emergunt utcunque erecti, ſed arte aliquando incurvati, ut topiarii operis defectum ſuppleant, ad evitandos diurnos æſtus. Folia ſunt Oleæ figura, ſed multo longiora, aliquando ſolitarie poſita, aliquando ſibi oppoſita. Ipſæ autem Arundines *Mambu* adoleſcentes medulla levi, ſpongioſa, & liquida (non adeo farcta ut vulgares cannæ ſacchariferæ) refertæ ſunt, quam vulgus grati ſaporis gratia avide exſugit. Noviſſimi autem ſtolones qui maxime ſucculenti ſunt, & ſaporoſi, magni fiunt in Indiis apud advenas æque ac Indigenas, quod baſes ſint celebris iſtius compoſitionis *Achar* dictæ, quæ in Europam invecta inter delicias habetur palatum doctis, & à me quoque non ſemel cum voluptate guſtata. At vero, ubi arundines hæ proceræ, & annoſæ factæ fuerint, liquoris contenti ſubſtantia, color, ſapor & efficacia mutatur (ſicut in Nuce *Coco* adulta etiam fieri videmus) atque paulatim protruditur foras, & juxta internodia vi Solis coagulatur, ac inſtar pumicis albi induреſcit; mox nativæ ſuavitatis expers facta, peculiarem ſaporem cum parva aſtrictione, eboris uſti æmulum,

lum, acquirit, vocaturque apud Indigenas *Sacar-Mambu*. Qui quo levior, albicantior & glabrior, eo præſtantior; quo magis inæqualis atque cinerei coloris evadit, eo vilior habetur.

Rarior quidem uſus exiſtit tam boni medicamenti in Indiarum maritimis habitatis, ubi Arundines hæ luxuriant, idque duplicem ob cauſam: primo, quod licet omnes liquore ſuavi in principio ſcateant; ſuccus tamen ille lapideſcens ad internodia, nec in omni arundine, nec in omni terra apparet, ſed pro ſolis vi & ſoli genio felicius vel infelicius producitur, ſicut in oris *Malabar* & *Cormandel* fieri conſtat. Secundo, quia Arabes Medici & Brachmanes vehementer appetant hoc medicaminis genus, & care emant à Regulis ſub quorum ditione creſcunt arundines hæ ſacarferæ. Præter Garciam ab Horto, & Hugonem Linſchotanum plurimi optimates nuper inde reduces, integræque fidei viri, teſtati ſunt, quod, licet pretium ejus ex anni fertilitate variet; tamen utcunque in Arabia pari argenti pondere divendi, idque potiſſimum quia Medicorum tum Indorum, tum Arabum, Maurorum, Perſarum, Turcarum unanimi teſtimonio & experientia conſtat, externis & internis convenire ardoribus & inflammationibus ut & dyſenteriis bilioſis, ſi trochiſcorum vel potus forma exhibeantur. Indi ipſi contra Strangurias, Gonorrhœas & Hæmorrhagias utuntur, magnumque putant caritatis officium noſtratibus præſtare, ſi in ſimili renum & genitalium incendiis hoc *Sacar-Mambu* ſive *Tabaxir*, aqua diſſolutum, largiter ſuppeditent. Plura Arabes & Perſæ huic *Tabaxir* attribuerunt, quibus ſuperſedeo, ne videar iis inhærere quæ longe petita, & nobis incerta ſunt: adeoque ſimul huic capiti finem imponerem: ſed cum de nomine, & natura veterum ac recentiorum *Sacar* & *Tabaxir*, non ſolum ſub medicorum filiis, ſed & ſub præſtantiſſimis totius Europæ eruditis lis una atque altera hæreat, non abſonum fore putavi, ſi rationibus, & probatæ fidei virorum experientia, diſcrepantes opiniones, qua poſſibile conciliavero. *Tabaxir* itaque, è lingua Perſica deſumtum, nihil aliud denotat, quam lac lapideſcens: cum tamen placuit & quibuſdam ſuperſtitioſis Arabibus & Turcis, nihil aliud eſſe quam cinerem exuſtum cannarum, vi venti inter ſe confricatarum, & ignem exinde concipientium: adde, quod teſtimoniis plurium, qui rem ex vero deſcribunt, conſtet trochiſcos ex cineribus ejuſmodi confectos, pro ſuppoſititio *Tabaxir* agnoſci. Hunc interim errorem propagarunt Arabum interpretes Latini, *Tabaxir* Spodium vertentes, utpote aliquam in eo qua ad guſtum & viſum ſimilitudinem cum ebore, cornu cervi uſto, animadvertentes: qui quam craſſe impegerint, dilucide ſane à Garcia, & Cluſio aliiſque probatum eſt. Proinde ut nos tales præternavigemus ſcopulos, & certum quid ſtatuamus, conſultius erit cum erudito Garcia in poſterum Spodio ſive Tutia uti in medicamentis externis à Græcis deſcriptis: noſtrum autem hoc *Sacar-Mambu* ſive *Tabaxir*, in Arabum compoſitionibus intus plerumque aſſumere.

Alter reſtat diſſolvendus nodus circa nomen, qualitatem & uſum hujus concreti ſucci, quod ipſi Indi *Sacar* lingua vernacula indigitant, idque non reſpectu alicujus dulcedinis, ſed quod à multis ſeculis apud Indigenas humor hic in nodis antiquarum cannarum concretus nomen *Sacar* obtinuit: poſtea autem cum liquor vel mel cannæ Sacchariferæ hodiernæ vi expreſſus, & igne coctus, in ſubſtantiam duram, ſiccam, & albam migraverit, videtur ad imitationem externæ figuræ, & nominis *Sacar*, nunc nomen Sacchari impoſitum eſſe. Nam apud veteres Græcos, & Romanos autores, apparet, nomine Sacchari nihil aliud eos voluiſſe exprimere, quam id quod ex Plinii verbis l. XII. c. VIII. colligere eſt, *Saccharum & Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in Arundinibus collectum, gummis modo candidum, & fragile, ampliſſimæ Nucis Avellanæ magnitudine, ad Medicinæ tantum uſum.* Quo etiam Galeni verba ſpectare videntur, l. 7. ſimpl. Medic. de Saccharo. *Sacchar quod ex India atque felici Arabia convehitur, in calamis, ut aiunt, concreſcit, & ipſum mellis eſt ſpecies, minus certe noſtrati dulce, ſed aſſimiles ei vires obtinens, quod ad abſtergendum, deſiccandum, & detergendum attinet.* Ita ut ex hac mea enarratione, & interpretatione labefactata putem argumenta ſummi noſtri ſeculi viri Cl. Salmaſii, dicentis *Sacar* ſive *Tabaxir* ob defectum melleæ dulcedinis non poſſe ſumi pro Saccharo antiquorum: nam præterquam quod Plinius mellis in arundinibus collecti, late ſumpti, mentionem fecerit, ſicut de lactis, & aquæ fontanæ dulcedine communiter loquimur; accedit, quod Arundinum harum *Mambu* primogenitus ſuccus, ut dictum ſupra, ſuavis deprehendatur, licet poſtea evaneſcat. Multa veterum & neotericorum ſuper hac re monumenta Mathiolus in Comm. Dioſcorid. docte ponderavit & diluci-

dilucidavit, quæ meæ opinioni favent, ſolum in eo à doctiſſ. viro diſſentiens, quod putarit, ex iiſdem Arundinibus Saccharum emanaſſe, è quibus vulgare noſtrum exprimitur, eamque ſolum eſſe inter ſe differentiam, quod à Natura factum, ſit noſtrate factitio longe tenuius.

CAPVT XI.

Arundo Rotang *dicta.*

AD Arundines præſtantiores, humanis quoque uſibus inſervientes referenda eſt & hæc, lingua vernacula Indorum *Rotang* dicta, quæ licet huc ex Indiis venalis afferatur, ut pro baculo vel ſcipione inſerviat, & corrupte à Noſtratibus *Rotting* appelletur, tamen in natali loco ſtolones earum, grato quoque, ut *Mambu*, ſucco turgidi, vel crudi manducantur vel condimento *Achar* toties enarrato induntur. Hæ minus concavæ ſunt quam *Mambu*, ſed ſubſtantia ſpongioſa, inſtar herbæ ferulaceæ farcta. Baculi ſive ſurculi, ſi poſtea exſiccati impetuoſa manu collidantur, multas igneas fundunt ſcintillas, inſtar concuſſi ſilicis, cujus defectum ſupplere ſolent quibuſdam Indis.

ARVNDO ROTANG.



Creſcit paſſim in ſilvis circa fluenta Arundinis hæc ſpecies mirabilis, in omnem partem flexilis, eoque ad omnia liganda utilis: nam Incolæ hac Arundine funium loco utuntur, & ædes ſuas ex magnis Arundinibus conſtructas, quas *Bambous* Luſitani vocant, iis loco clavorum ferreorum ligant, & mireris tenacitatem hujus Arundinis, quæ craſſitie digiti humani ferme cum ſit, tamen in quatuor partes diſſecatur, non ſecus ac Salix aquatica apud nos, unde corbes & cunæ Infantium conſarciuntur: in quem uſum etiam hæ Arundines aſſumuntur: hinc & anchorarum funes à Iavanis in navibus conficiuntur, & ſane longius durant in aqua ſalſa, quam funes, immo deficientibus funibus, nos iis anchoras quantumlibet graves ligamus. Atque ut verbo abſolvam, duo habet India ad vitam & commoda hominum admodum neceſſaria, nimirum, hanc plantam, & Nucem, ſeu Palmam Indicam, *Coquo* Luſitanis dictam: ſed hæc cum decantata ſint ab aliis, ego fruſtra operam inſumſerim. Cæterum hoc *Rotang*, fructum talem fert, qualem depictum cernere eſt, eumque edulem, & ſaporificum, cum aciditate quadam grata, rotundum, parvæ pilæ magnitudinis, tectum ſpadicei coloris, putamine duriuſculo, fragili, ſtriis perpetuis cancellatis ornatum, ſicut fere videre eſt in calyce glandis

dis quercinæ. Ex ſingulis arundinis nodis ad ſummitatem uſque ſarmenta, funium modo contorta, & tenacia, foliorum quaſi loco emergunt, hiſque fructus globulares, raro ſolitarie, ſæpe copulatim adnaſcuntur. Nucleum porro intus ferunt durum, ex quo contuſo extrahitur, & exprimitur oleum, non edule ſolum, ſed in medicamentis topicis, præſertim in ungendis nervis, ſumme utile. Itaque, ſi quid læſionis acceſſerit ſervis, ex ſarmentis hujus arundinis, quibus flagellari ſolent, ejuſdem fructus oleo poſſint ſanari. Vt liceat iis dicere:

—— Qui mihi vulnera fecit:
Solus Achilleo tollere more poteſt.

CAPVT XII.

Zinziber, Indigenis *Gingibil*. Mas & Fœmina. atque Galanga, *Lanquas* dicta.


CVm Bontius noſter Zinziberis, & Galangæ deſcriptionem, ob inopinatam mortem, vix initiatam, & plane mutilam reliquerit, adeoque pauca tantum de earum inter ſe ſimilitudine externa, & interna, cum ſola Zinziberis Icone inter adverſaria ejus repererim; ego partis meæ eſſe putavi utrumque ſtudioſo Lectori exhibere,

ZINZIBER MAS.



eaque ſimul addere quæ ab exercitatiſſimis viris, & Chirurgis, ex Indiis redeuntibus accepi; ſimulque differentiam inter Orientale & Occidentale Zinziber ob oculos ponere: ut inde clarius eluceſcat, quod Zinziber, licet inter ea numerandum ſit Aromata, quæ

ZINZIBER FOEMINA.



quæ utriuſque Indiæ ſolum & ſolem haud difficile admittat; tamen, qua ad externam faciem, & internam virtutem, aliqualem diſcrepantiam pro perpetuo Naturæ luſu præ ſe ferat. Optimæ notæ, & maxime uſualis, eſt Malavaricum, & Bengalenſe, cui Molucenſe ſuccedit. Loca maritima, ut fere omnia Aromata, non mediterranea amat. Licet autem Chinenſes, aliique Indi Orientales, inter olera Zinziber plantare conſuerint, tamen ſilveſtribus quoque locis ſponte, vilioris licet notæ, creſcit. Quod vix memini in Indiis Occidentalibus obſervatum eſſe; unde hanc plantam hiſce potius Indiis nativam crediderim. Duo genera eſſe perhibent Incolæ; maris ſcilicet, & fœminæ: quarum hæc foliis & radicibus eſt minoribus, illa vero majoribus conſpicitur. Folia admodum ſimilia ſunt foliis Arundinum, ut qui nunquam viderit creſcentem hanc plantam, Arundinetum vere dixerit, quod primum è terra ſurgit: in qua comparatione Bontius à Garcia diſcrepat, qui Iridis non Arundinis ſimilia eſſe ſtatuit. Sed variant Auctores, etiam ii, qui ex Indiis reduces ſunt, circa foliorum figuram, ſive ob territorii diverſitatem, ſive, quod alii marem, alii fœminam Zinziber viderint. Nam maris hujus folia non ultra tres pedes excreſcunt in altitudinem. Aſpera ſunt, unico nervo recto, in longitudinem excurrente, conſpicua; caulibus hinc inde ſine pediculo, inferius ſolitarie, ſuperius frequentiori coma adnata. Radices diverſi ſunt ponderis, & amplitudinis; omnes tamen imbelles, & tuberoſæ, atque in ſuperficie terræ ſicut Arundineta, expanſæ. Quarum unum atque alterum internodium in ſcrobe relictum, terraque aggeſtum, loco ſeminis ſtercoratur, & ſtatim à ſatu aqua dulci plus minus pro terræ ſiccitate rigatum, proximo anno à ſatione fructus eruitur, qui eſt regerminata radix, ipſum ſcilicet Zinziber. Vindemia illius fit areſcentibus foliis, quod eſt media æſtate, ſcilicet Decembri, & Ianuario. Radices recentes minus fervent, ob prædominium humiditatis; paulo ſiccatæ, limo obducuntur, ne, evaneſcente nativa humiditate, teredine, cui alias maxime obnoxiæ ſunt, afficiantur. Vt condiantur, prius decortican-

corticantur, moxque in muria vel aceto conjiciuntur & macerantur per horam unam atque alteram, dein æquali fere temporis momento ſub dio probe inſolantur, ac denuo ſtragulis ſub tecto cooperiuntur, donec omnis humiditas exhalaverit. Si aliunde transferendæ ſint radices, tunc, thecis incluſæ, & aqua irrigatæ, noctu terra operiuntur, interdiu cælo patent. His omnibus rite inſtitutis ab exercitato agricola, poſtea ſaccharo non ſolum, ſed muria vel aceto condiuntur, nulloque tunc inſigni calore palatum afficiunt, nec filamenta ulla ingrata in ore relinquunt. Si nimio tamen mangonio nimiiſve lotionibus fatigentur, pars quoque aromaticæ ejus acrimoniæ evaneſcit. Quo ad qualitates, Piperi reſpondet, ſed craſſioris eſt ſubſtantiæ, ut docte ex Galeni monumentis, & propria experientia probavit Mathiolus in Dioſcoridem, quo Lectorem remitto.

Præterquam quod recens Zinziber ſativum Indigenis inter olera uſurpatur, remedio illis eſt quoque præſtantiſſimo ad Colicos dolores, Cœliacam ac Lienteriacam paſſiones; Diarrhœas diurturnas ex frigore natas, flatus, ventriſque tormina, & gravia his ſimilia accidentia, ut multoties in Indiis ſe feliciter comprobaſſe teſtatur ipſe Bontius, aliique Medici exercitati. Ea tamen perpetua adhibita cautela, ut qui ſanguine ſunt fervidiore ſive ſani ſive ægri parciſſime eo utantur, quia Zinziber fere omne, ſanguinem accendit, & orificia venarum aperit.

De Galanga.

QVantum attinet ad Galangam, eam hic ſubjungere conducit, quia foliorum facie, & radicis qualitate, multum ſibi ſimiles ſunt, licet Zinziberis radix albeſcat, Galangæ autem ſubrufa ſit, tum internodiis pluribus inter ſe diſtinguatur. Duo ejus genera, majus, & minus, ab autoribus deſcribuntur, nos tamen radicem majorem ſolam exhibemus, utpote Zinziberi foliorum figura, & qualitate radicis, magis vicinam; licet Neoterici de vera Galanga inter ſe haud conveniant, partim quod Græcis incognita, & Arabibus minus perſpecta fuerit, partim quod Batavi & Luſitani reduces ex Iava (ubi plurimum luxuriat Galanga) nimis negligenter eam obſervarint. Seritur radice ſua ut Zinziber, eodemque fere modo excolitur, & ſummopere ſe propagat. Caules arundinacei ad Zinziberis fere altitudinem exurgunt. Folia, longa, mucronata, ſuperius ſature, inferius dilute viridia. Flores albicantes inodori, ſemen fatuum. Radix craſſa, tuberoſa, rufeſcens, Zinziberis radice major. Illa porro ad omnia utilis, ad quæ Zinziber, atque eodem modo quoque condiri ſolet; quod genus conditurae *Achar* vocari aliquoties diximus, ac magnus ejus uſus eſt in bellariis ad orexin excitandam, non ſecus, ac cappares, & oleæ fructus apud Europæos. Recens vero utriuſque dictorum Aromatum radix, in taleolas diſſecta, cum carnibus piſcibuſque coquitur in eundem nem. Sic quoque cruda, ſale & aceto & oleo inſperſa, cum piſcibus, & carnibus aſſis commode editur ad juvandam concoctionem. Malabarenſes & Iavani eam, non ſolum contra hominum, ſed & jumentorum mala frigida, magni faciunt, quoquo modo præparatam. Polentas, ex farina radicis confectas, in frequenti uſu habent, quas cum ſucco Nucum *Cocos* præparant, atque, teſtibus Bontio, & Acoſta, contra uteri & veſicæ mala exhibent. Sed quid diutius hæream in elogiis harum præſtantiſſimarum radicum, quarum uſus jam pridem toti mundo innotuit? Cum hujus inſtituti potius ſit, aliquod exoticum, minus hactenus cognitum, in ſcenam producere.

CAPVT XIII.

Iambos.

INter nobiles, & familiares arbores fructiferas, à Bontio noſtro neglectas, eſt illa; cui Indigenæ à fructu ſuo nomen *Iambos* indiderunt. Vnde Luſitani corrupte *Iambeiro*, Arabes ac Perſæ *Tuphat*, Turcæ *Alma* nominarunt. Ejus indoles à Garcia ab Horto aliiſque recentioribus eum ſequentibus tradita eſt; ac proinde, cum pleraque illa quæ mihi à rerum Indicarum peritis ſuppeditata ſunt, ex parte conveniant cum prædictis autoribus, hæc leviori penicillo attingenda, & pauca tantum cum genuina ejus icone ad vivum expreſſa addenda putavi. Arborum harum duæ reperiuntur ſpecies ſibi ſimillimæ, fructibus nonnihil diſcrepantes, utraque ut forma & figura, ita & magnitudine Malum Europæam æmulatur, nec culturam, nec peculiarem terræ genium poſtu-

IAMBOS.



poſtulat, ſed multis Indiarum locis adeo feliciter arte vel ſponte provenit, ut ſæpe ante quintum annum fructificet, &, quod raro videtur in Indiis, profunde radices in terram exerat. Ex Malaca Piperifera in diſſitas quaſque regiones ob florum fragrantiam, & fructus ſuavitatem, tranſlatam ferunt. Arbor eſt patula, ramoſa & frondoſa. cortice cinereo, glabro, ligno fragili. Folia Pruni magnitudinis; in extremitate magis acuminata, exterius ſature, interne dilute viridia apparent, nervo unico craſſo recto, venulis obliquis in medio prædita. Flores roſacei odoris & coloris, ſed magis variegati cum multis ſtaminulis in umbilico pulchre nitentibus, qui vinoſo ſapore quaſi ipſius fructus præludium exhibent. Quippe pulpa illi eſt ſucculenta, mollis, optimi odoris, & ſaporis. Horum fructuum Garcias diverſas eſſe ſpecies putavit; alii majores ſature rubri, minoris mali Cydonii figuræ & magnitudinis exiſtunt, tenuiſſima pellicula ſplendente veſtiti, atque vix quicquam lapidei in ſe continentes: alii minores ex pallido purpuraſcentes lapidem tenent compreſſum, oblongum, albicantem.

Hæ arbores ſunt ex numero earum, quæ pulcherrima florum, & fructuum varietate advenas in admirationem rapere ſolent, non ob gratum ſolum aſpectum, ſed imprimis ob perpetuam florum, & fructuum viciſſitudinem, quod in altera arboris medietate frondibus & floribus orba, altera pars fructibus maturis, & immaturis tam diu oneretur, & ornetur, donec frondes recuperaverit; ita ut in iis, perpetuo tempore vernali atque ſimul autumnali frui conceſſum ſit; quod Naturæ beneficium ipſe quoque in plurimis Americæ arborum fructibus ſæpe in ſolatium ægrotantium expertus ſum.

Flores & fructus *Iambos* frigidæ & humidæ ſunt qualitatis, inſigniter fragrantes, ac proinde inter primas delicias omnibus pariter incolis habiti: plurimi quoque uſus paſſim in Medicina exiſtunt. Fructus enim crudi & flores ſaccharo conditi, ab æſtuantibus

tibus

tibus ægris cum ſucceſſu uſurpantur, quod ſuccoſa frigiditate ſitim in febribus exſtinguant, ſpirituſque vitales confortent.

CAPVT XIV.

Arbor *Acajú*, vulgo *Cajú*.

SVpra monui, quædam vegetabilia, & ſenſitiva, alicui tantum Indiarum Regioni propria; aliqua vero utriſque Indiis, inter Tropicos ſitis, communia eſſe. Quæ particulatim recenſere, nimis operoſum foret. Inter ea quæ poſterioris ordinis ſunt, non infimum locum tenet umbroſa & patula arbor *Acajú*; à veteribus omni-

ACAIV'.



bus, ni fallor, neglecta vel incognita. Malus hæc ſemel tantum in anno, ſed per multos menſes, eoſque maxime æſtivos, fructificat, quæque pro vicinitate, vel remotione ab Æquatore, tardius vel citius deficit. Non autem, ut aliæ plurimæ, bifera aut trifera unquam inventa fuit, ſicut in hiſtoria mea Americæ Naturali probavi, ubi naturam, uſum, & noxam graphice ſatis me depinxiſſe puto; ideoque iſtuc Lectorem remitto, cum arborem hanc *Acajú* Orientalem, ab Occidentali vix quicquam diſcrepare animadverti; ea enim cum facilis ſit migrationis, atque ex ſola glande fructus (utpote ſemine deſtituti) terræ licet ſitienti immiſſa germinet; & cum nomen quoque vernaculum *Acajú* retineat in Indiis Orientalibus, vix dubium eſt, quin ex Braſilia iſtuc tranſlata ſit; accedit, quod in natali ſua terra, & non alibi, ſilvas integras circa habitata litoralia conficiat, frondibuſque ſuis gratiſſimam umbram; fructibus vero glandiferis perpetuum penu Indigenis ſuppeditet. Quantum ad fructus eorumque glandes, hæ toſtæ, illi crudi, non in minori pretio Aſiaticis quam Americanis habentur. In ſolo apparatu, quantum reſci-

ſcere potui, inter ſe diſcrepant. Scilicet gens hæc magis cicurata fructuum horum annatam aſtrictionem cum auſteritate conjunctam, gulæque minus abblandientem, licet ventriculo proficuam, vino & ſale obtundere ſolent, adeoque, in illo condimento aliquandiu maceratos, cum voluptate comedunt æſtuantes, quod ſitim egregie reſtinguant, nauſeam tollant, & dejectum appetitum ventriculo reſtituant. At vero annatæ glandes (à quibus ipſi fructus incrementum ſumunt ſubſtantiamque hauriunt, convertendo illud oleum non ſecus, ac Anacardii oleum urens, in ſuccum edulem,) toſtæ & decorticatæ, pro bellariis uſurpantur: tum quoque ad Venerem excitandam Piſtaciorum loco, quibus nec guſtu nec dignitate cedunt, Magnatibus in frequenti uſu exiſtunt.

CAPVT XV.

Radix *Ninzin.*

QVemadmodum vix ullibi terrarum, quantum quidem conſtat, Nuces Aromaticæ, quam in Inſula *Banda*; neque Caryophylli, niſi in Inſulis *Molucenſibus*, ſponte naſcuntur: Ita nullus in orbe locus hactenus innotuit, qui celebrem illam radicem *Ninzin* producit, quam *Corea* Regnum, ſitum ad latitudinem Borealem circa quadraginta tres gradus. Nullus Belgarum eam creſcentem vidit, quia in mediterraneis tantum, ultraque ducentas leucas à mari diſſitis locis proveniat; unde fit, ut varient circa effigiem frondium, quæ tamen foliis Paſtinacarum ſativarum noſtratibus **Geele-peen /** ſimiles ſunt: moles autem & magnitudo ipſius radicis, Paſtinacis multum cedit; ita ut in Iaponenſi terra ipſa Paſtinaca, magnæ ſilveſtris *Ninzin* nomen vulgo obtineat. Radix plantæ, de qua nobis agendum, digiti eſt longitudinis & craſſitiei, in fine filamentoſa. Colore ex flavo albeſcente, ſapore ſubdulci, non ingrato, pingui: cujus genuinam effigiem ope & favore Clariſſimi & Amiciſſimi viri Fr. de Vicq, Lectori offero.

RADIX NINZIN.



Hujus decantatæ Panaceæ uſus quotidianus eſt, non ſolum apud incolas Regni *Coreæ*, ſed & *Tankinde*, *Chinæ*, & *Iaponiæ*, adeoque ad illam tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Qua tamen non ſemper ſola & ſimplici utuntur, ſed utcunque aliis remediis nativis mixta, manente *Ninzin*, compoſitionis baſi. Illa autem medicamenta quæ adduntur, *Coreæ* incolæ celant & tanquam arcanum ſibi reſervant. Quando autem animus eſt oppugnare magnos aliquos Naturæ hoſtes, ut motus Epilepticos, Vertigines, Spaſmos, Hydropes, Lipothymias, Choleras, & quæ ejus farinæ porro exiſtunt, tunc Medici robur addunt huic radici ex valido aliquo additamento pro vehiculo. At vero nulli alteri mixta, omnibus languidioribus & cachecticis non ſolum in uſu eſt, ſed eam, tanquam præſervans contra malignos & venenatos affectus, domi foriſque perpetuo ad manus habent; atque bis terve de

ve de die exiguam particulam recentis radicis maſticant. Vnde mirifice virium reſtaurationem, cordis refectionem omnes ſe experiri teſtantur.

Prolixior eſſe poſſem in enarrandis dotibus hujus *Ninzin*, ſi verbotenus ſchedas medicinales ex lingua Iaponica à Præſtantiſſimo viro D. Caron, ibidem Præfecturam tenente, in vernaculam tranſlatas, hic exhiberem. Sed malui contrahere ſtylum, partim ne verborum ambagibus vel tautologiis Lectorem detinerem; partim, quod verear (ut ſubinde animadverti ſuperſtitioſos Indos) nimium huic medicamento, tanquam labaſcentis Naturæ ſoli reſtauratori, tribui; ſicut Chymicis ſæpe & Circulatoribus multis uſu venire ſolet; qui qualecumque fere novum remedium, dum tanquam Panaceam Naturæ, & arcanum mundi venditant, ſibi æque ac profano vulgo imponere conſueverunt uſque adeo, ut, ſe fallere & falli, vix ſentiant.

CAPVT XVI.

Polypodium Indicum.

VIr literatus, & rei Medicæ addictus ex Indiis Orientalibus nuper redux, raram hanc & eleganti aſpectu plantam apportavit, cujus neque nomen, neque vires noverat: ideoque ego eam penſiculatius tactu, viſu, & guſtu examinans, & dein conferens cum Medicinæ peritioribus, vix quicquam ab egregio illo & raro Cluſii Polypodio exotico diſcrepare deprehendi. Quam cum ibidem paſſim in ſilvis luxuriare, & ab advenis æque ac Indigenis magni fieri intelligerem, operæ pretium me facturum putavi, ſi poſteritati ulterius indagandam offerrem. Bontius noſter, Polypodii Indici quoque mentionem fecit in catalogo herbarum ſponte ibidem naſcentium; verum morte præventus, deſcriptionem atque uſum pollicitus eſt, ſed non præſtitit. Noſtrum hoc Polypodium radice eſt nigricante, obliqua, longa, craſſa, hirta, ad modum Europæi Polypodii ſumma tellure repente. Huic bina folia, aliquando plura, ſolida, firma ſupernaſcuntur, breviſſimo pediculo à radice emergentia, etiam aliquando eam tegentia, atque ſtatim ab exortu in latera ſatis ornate ſe ſpargentia. Folia quercinis foliis amplioribus in novellis præſertim ſurculis natis, & modice laciniatis, magnitudine & forma ſimillima ſunt. E medio nervo, præter morem craſſo & valido, foliorum longitudinem ſecante, ſicut coſtæ è ſpina dorſi, inordinate poſitæ, ſurſum in latitudinem uſque ad extrema laciniarum extenſæ, apparent. Inter quas multiplices venulæ, reticuli inſtar contextæ, & ſeſe invicem ſecantes, excurrunt. Radix (in qua ſola vis medicinalis hactenus deprehenſa fuit) recens evulſa ſubdulcem vulgaris Polypodii ſaporem præ ſe fert, cui admixta eſt acrimonia quædam levis, quam vel ex regionis calidioris intemperie, vel ex vetuſtate forte contraxiſſe autumandum eſt. Iiſdem hoc uſibus, quibus noſtratium dicatum eſt Polypodium: quamobrem illius deſcriptioni non inhærebo.

POLYPODIVM.



CAPVT XVII.

De *Chocolata* Inda.

CVm totus in eo eſſem, ut Mantiſſæ meæ Aromaticæ finem imponerem, conveniunt ecce cum Typographo neſcio quot Philiatri, ſummopereque urgent, ut ne, priuſquam de tabula manum, gravarer Operi adjungere egregios tractatus duos: nempe unum de Nuce Maldiviæ, ejuſque inſigni antidoto; alterum de Americana arbore Cacaviſera, & celebratiſſimo ejus potu *Chocolata*. Quod quidem eo difficilius à me impetrari ſum paſſus, quia non ignorabam exſtare jam doctorum virorum de utraque illa materia monumenta, non perfunctorie tradita. Adeo ut juſta de cauſa omnis mihi ablata videretur anſa gratificandi Artis noſtræ Symmyſtis: eoque magis, quod haud multum in duobus his exoticis à me aliiſque potuerit obſervari, quod non Cl. D. Augerius Clutius, urbis hujus, dum viveret, Practicus, opera & fama celebris circa Nucem Maldivienſem, & Hiſpani Medici circa potionem *Chocolatam*, jam ante attigerint. Itaque Clutii quidem tractatum propter exemplarium diu defectum deſideratum, denuo exhibeo; Hiſpanorum vero aliquot, ut Antonii Herreræ, Ioſephi d'Acoſta, Franciſc. Hernandez, Antonii de Ledeſme, Antonii de Leon, Ioannis Cardenæ, Ioannis Barrii, aliorumque graviſſimorum doctorum ſparſas, & pleraſque in nova Hiſpania conſcriptas, animadverſiones, in ordinem atque in compendium Latino ſermone coactas hic promo: eorumque Authorum, quorum laboribus adjutum me fuiſſe lubens agnoſco, idcirco nomina ſubjicio, ut fidem meam liberem, & gratum me præſtem iis, à quibus ea, quæ hic ſequuntur, accepi. Qua noviſſima mea opella, ſi non reipublicæ literariæ, ſaltem meis amicis, & mihimet ipſi hoc ſum gratificatus, quod, quæ de effectibus utriuſque hujus medicaminis enarro, eorum aliqua ipſe pericula fecerim, & porro facienda atque indaganda nunc aliis proponam, & eum in finem, ut quiſque per cauſas perque ſedulas ire prius experientias diſcat, & vera à falſis diſcernere, antequam judicium ferat de rebus hactenus minus ſibi perſpectis. Licet autem ſtudioſe caverim, ne in eundem lapidem impingerem, tamen vereor, ne alicubi ſimile quid acciderit; quare eandem veniam, quam aliis libenter concedo, viciſſim ab æquis Lectoribus flagito.

Cuivis, vel mediocriter in gentium hiſtoriis verſato, conſtare ſatis ſuperque credo, quam nulla non earum, ſive culta, ſive inculta, quæ vinum ignorant, præter potum ſimplicem à Natura conceſſum, etiam alium excogitaverit, non modo ad delicias, ſed & contra ſitim. Americæ certe pars maxima potiones ſibi & plures adinvenit, & familiares fecit, ex radicum fructuumve ſuccis expreſſis & aqua dilutis. Præ cæteris autem tractus ejus Septentrionalis in potum ſibi illum præcipue aſcivit, qui in Hiſpania nova, & Mexicana viciniſque terris, ſermone quidem vernaculo *Chocolatl*, externo autem *Chocolata*, ſolet appellari, & haberi in ſummis deliciis: adeo ut Incolæ & ipſi illum depereant uſque ad corruptionem ſui, & hoſpitibus in teſtimonium grati acceſſus atque ſingularis amicitiæ offerant: prorſus ut de Chinenſium, & Iaponenſium *Thé*, ſive *Chiá*, ſupra ſum teſtatus. Qui quidem in eo potiſſimum ab aliarum nationum potu factitio diſcrepat, quod nec uno modo, nec ex eiſdem rebus componatur: ſed modo ex his: modo ex illis ſeu floribus, ſeu ſeminibus aliiſque plantarum partibus in farinam redactis. *Chocoláta* hac adeo Hiſpani magiſque Hiſpanæ ineſcantur, ut, poſtquam, præſertim calidæ, aſſueverint, ſe ſine illa negent poſſe vivere, etiamſi initio aſpernati fuerint. Vnde mirandum non eſt, ſi male cœperit audire potus tam delicioſus, præſertim à quo, qui ab indigenis olim minus compoſitus ex ſolis humectantibus, & nutrientibus, cum paucis quibuſdam correctoriis parabatur, creſcente Hiſpanorum aliorumque Europæorum luxu, & ipſe cœpit excreſcere, & ingredientibus Aromaticis uſque adeo luxuriare, ut laſciviæ potius fovendæ ſit, quam reſtinguendæ ſiti. Quam ob cauſam, &, ut mihi videtur, non præter rationem exorta eſt inter cordatiores Hiſpanos controverſia non jejuna, An ſalvo Monachi jejunio concedi poſſit potus ex paſta tam alimentaria, & ſaporata atque aromatica confectus? Quam litem componere non eſt otii mei, neu falcem mittere in meſſem Eccleſiaſticam. Itaque eam D. Antonio de Leon, qui prolixe utriuſque partis argumenta ventilavit in libro quodam ſuo Hiſpanice conſcripto, cui titulus

titulus eſt, *Queſtion moral ſi el Chocolate quebranta el ayuno Eccleſiaſtico*, decidendam relinquere malo, quam male ob periergiam audire. Interea, ſi libere mihi, & cum pace jejunantium, dicere ſententiam licet, dicam hanc: videri omnes, qui ex *Chocolata*, quocunque ſub prætextu bibunt, non abſtinentiæ operam, ſed ejus famæ potius dare, & in jejunio delicias quærere, atque in numero haberi poſſe eorum, quos Proſper Aquitanicus lib. 11. cap. 23. de vita contemplativa deſignat. *Quotquot*, inquit, *parciores videri volunt, & gloriam ſibi velut de abſtinentia diſtrictiore conquirunt, ſic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis ac ſorbitiunculis delicatis, cæteriſque aliis cibis, immanem ſui corporis impleant appetitum.*

Sed miſſa digreſſione, ad inſtitutum redeo: baſin primo totius *Chocolatæ*, mox cætera ingredientia examinaturus; quo Compoſitionis univerſæ ſimul temperies atque facultates cum ſalubres, tum noxiæ, eluceſcant. Quas omnino expedit ſciviſſe, propterea, quod non ſolum in Occidentalibus Indiis, quibus ſuos debet natales; ſed & per totam Italiam, & Hiſpaniam, & utramque Germaniam, & facta ſit, & fiat indies magis ac magis familiaris, quin abire jam in varios abuſus cœperit, variaſque noxas dare, eoque nomine non paucos abſtinere ab uſu etiam legitimo & commendabili. Idcirco diſpiciendum imprimis, ob eorum quæ miſcentur diverſitatem, quid ad compoſitionem requiratur; quibus deinde conveniat; & quantum denique cuique ſit ex ea pro naturæ viribus bibendum; ad hoc, ut tam ſanitati, quam gulæ ſatisfiat. Quæ ut clarius & explicari & intelligi queant, age, primo vires ingredientium videamus.

CAPVT XVIII.

De Arbore *Cacavifera*.


CAcaviferas quas appellant arbores, in Hiſpaniæ Novæ locis irriguis, & præcipue in Guatimalæ ac Nicaraguæ diſtrictu uliginoſo ſponte luxuriant. Earum Mexicani Medici, alii quatuor, alii quinque conſtituunt ſpecies. Omnium interim fructus (quos vel imprimis convenit noviſſe) ejuſdem fere eſſe facultatis, ejuſdemque uſus uno omnes ore Autores fatentur, non obſtante, quod in ipſarum arborum, qua figuram, qua magnitudinem, deſcriptione non admodum inter ſe conveniant. Omnes naturæ ſunt adeo delicatæ, ut non modo alium ſoli genium aſpernentur, ſed in patrio ipſo ferendo non ſint, aut frigus nocturnum, aut tempeſtates ventorum, aut Solis etiam ardores. Vnde eſt, quod eæ, quæ ex deciduis fructibus ſponte germinant, niſi in vallibus umbroſis non appareant. Hinc illis ars, Naturæ imitatrix, in feliciorem proventum docuit incolas, patulam & umbroſam quandam arborem, quam idcirco *Cacaoquananthli*, ſive matrem Cacaviferæ appellant, apponere; ut à cæli injuriis ejus velut ſub umbone tutior ſit ipſa Cacavifera. Facile ſe cicurari patitur. Hiſpani certe integra ex ipſis arboreta, & plantant & colunt, non ſecus ac in Europa vineta atque oliveta. A ſecundo ætatis anno fructificat, & quolibet anno bis. Vindemiatur enim primum, & uberiore fructu, circa Iunium; iterum circa Ianuarium. Ab anno vigeſimo devigeſcit, & ſterileſcit. Hæc communia. Quod ad ſpecies, Prima & omnium maxima eſt *Cacava Quathuitl* dicta, quam mox dabimus. Huic proxima *Mecacauatl*, proceritate & foliorum ac fructuum magnitudine. Tertia, *Xochicacauatl* vocata, minor eſt, minoremque profert fructum, & ſemen foris rubeſcens; intus vero cæterorum colore. Quarta omnium minima, & ideo *Tlalcacahuatl* ſeu humilis dicta, fructum fert minimum, ejuſdem cum prioribus coloris. Omnium fructus eiſdem præditi ſunt facultatibus: poſtremarum tamen, potionibus magis inſerviunt. Cæterarum vero, nummis atque commerciis.

Prima autem, & facile omnium princeps (cujus iconem hic, qua ramos, & fructus atque nucleos, exhibemus) mediocri eſt altitudine & egregie frondoſa, foliis acuminatis, anguſtioribus & Aurantiæ longioribus (Antonius Herrera Caſtaneæ foliis comparat) nullo fere pediculo cauli adnatis, nervoque unico & recto præditis, & ex quo multæ obliquæ venulæ ſurſum emergunt. Flos ei magnus, & colore ex flavo albeſcens inſtar croci. Quo deciduo remanent tenuia, viridia, oblonga, lanuginoſa filamenta. Ex his deinde fructus proveniunt turbinati, quos *Cacavacentli* vocant. Hi, cum maturuere, Melonibus magnitudine, craſſitie, pondere non cedunt: coloreque ſunt croceo

CHOCOLATA.



ex luteo albidi. Pediculus cuique modicus: inciſuræ per longum variæ: nuclei viceni, ſæpe triceni; qui, racemi inſtar, medio ſtipiti adhærent, Piſtaciis aut Ricini majoris ſemini ſimiles, paulo tamen grandiores & pellicula fulva veſtiti; qua ſublata, videntur non abſimiles reni vaccino, ſecundum inciſuras, quibus erant diviſi. Subſtantia eorum intus eſt tenuis, & ſpadicei fere coloris, in diſpares diviſa particulas, ſed quæ arcte inter ſe hæreant; adeoque ſit pinguis, ut ſponte humor, quantumvis lentus, aliquando exſtillet: imo oleum ex ea abundantius, quam ex Amygdalis exprimi poſſit. Pulpa hæc ſubamari, non ingrati tamen, ſaporis, multi nutrimenti, temperamenti ſubfrigidi atque humidi, eſt. Hi ſunt decantati illi ab Indigenis *Cacahuatl*, ab Hiſpanis corrupte *Cacaó* nuncupati, quorum cauſa arbor tantopere expetita eſt; utpote *Chocolatæ* potionis caput. Merx ditiſſima, & ob id Hiſpanis æque ac Barbaris æſtimata & amata. Qua, mirum, quantopere quondam emporia ferbuerint. Ad Solem enim exſiccati fructus iſti ætatem ferunt, nec facile corrumpuntur, etiamſi navibus reconditi, uſque in Europam deferantur. Ante Hiſpanorum in ea loca adventum, ſpreto vinum conficiendi modo, (licet nonnulla vitium ſilveſtrium ac labruſcarum genera apud illos ſuapte natura copioſas & variorum colorum uvas ferant paſſim) potionem ſimplicem ex ſolis fere *Cacaciis*, & ſine tot rerum mixtura, quibus nunc ſuperbit celebris Confectio, ad ſitim duntaxat ſedandam hepatiſque fervores temperandos, Priſanæ loco ſolebant parare. Adde quod iidem *Cacacii* in tanto apud ſuos habeantur pretio, ut non potus tantum delicati, & alimentarii, verum etiam nummorum, nulli adulterio obnoxiorum vices præſtent egregie, ob durabilem, lentam tenacemque ſubſtantiam, atque iis præcipua vitæ præmia, cum opus erant, comparabantur. Quem fructus uſum vere πολυχρήστου admiratus Petrus Martyr, merito exclamat: *O felicem monetam! quæ ſuavem utilemque præbet humano generi potum, & à tartarea peſte avaritiæ ſuos immunes ſervat poſſeſſores, quod ſuffodi aut diu ſervari nequeant.* Huc quoque illud Franciſci Hernandez, alludentis ad hoc, quod per arborem hanc Cacaviferam detegan-



,, tur magna humanæ ſortis volumina. In veteri ſiquidem orbe, perque priſca illa tempo-
,, ra, quæ vitæ hominum erant neceſſaria, atque adeo apud alios, cum deeſſent, quærен-
,, da, non rependebantur ære. Nondum aureus argenteuſve nummus circumferebatur,
,, aut pecudum, Regumve aut Principum ſimulacra metallis cernebantur inſculpta. Re-
,, rum vivebatur permutatione, ut olim factum cecinit Homerus, & fructuum, quos re-
,, condebant, facta aliis copia, mutuum ferebatur auxilium. Tandem æra percuſſa at-
,, que ſignata ſunt, & mille rerum effigies numiſmatis impreſſæ conſpiciebantur. At in
,, novum hunc Mundum nunquam avaritiæ ſigna penetraverant, aut caput exeruerat am-
,, bitio, donec noſtri velis ventove devecti, impetum fecere, &c.

Sed revertamur in viam, & veniamus ad *Cacacii* qualitates intrinſecas. Has equidem ex effectibus cæteriſque indiciis conſtat eſſe temperatas. Subſtantia ei ex craſſioribus ſimul & tenuioribus partibus compoſita eſt prorſus, ut in infinitis aliis vegetabilibus obſer-

obſervatum eſt, diverſas omnino ſub eadem forma ſubſtantias contineri. Noſter autem *Cacacius* in pulverem redigitur primum, & ſola mox, etſi frequenti, tuſione pinſitur, & in maſſam cogitur. Quod cum fiat ſine ullius rei admiſtione, ratio arguit aliquid eſſe in eo tenacis & bituminoſi inſtar humoris, aëris elemento reſpondens. Multa inſuper eidem quibuſcum ſuapte natura immiſcetur, inſunt ignea, quæ neceſſario incidere atque reſerare debent corporis meatus, non vero præcludere, ut quidam voluerunt; niſi hoc intelligant de crudo, vel toſto, vel Saccharo condito, quo mulieres in Indiis nimium veſci amant, unde uteri, alvi & hypochondriorum obſtructiones incurrunt difficillimas. Verum totum hoc oritur, quod interior ejus ſubſtantia dentium inciſione non exacte comminuitur nec perfecte commiſcetur; requiritur enim artificioſa molæ verſatilis contritio. atque tunc demum, ſi quid noxiæ ſuperſit frigiditatis, aliorum calidorum commiſtione temperatur, communicata ſingulis partibus hac intimæ ejus ſubſtantiæ qualitate: ea tamen adhibita proportione, ut ſimul omnia Aromata ſive Indica ſive noſtratia aromatica, mox recenſenda, vix mediam partem, cum fructibus *Cacaciis* in confectione *Chocolata* obtineant: adeo, ut ex actione illa & reactione partium (quod quoque in contrariis medicamentorum qualitatibus, ad certam quandam temperatamque διάθεσιν redactis, apparet) *Cacacii* frigidorum & calidorum ingredientium *Chocolata* ipſa emergat temperatæ facultatis. Hinc etſi *Cacacius* quantitate cætera excedat ingredientia, illius tamen partes frigidiores calidioribus coadunatæ retunduntur, atque vim ſuam priſtinam, remiſſam licet, videntur retinere. Atque hæc de arbore, ejuſque nobiliſſimo fructu, *Chocolatæ* baſi, dicta ſufficiant. Reſtat, ut breviter percurramus ſubordinata ingredientia alimentaria atque aromatica, non ſolum huic confectioni conterranea, ſed etiam eorum ſuccedanea exotica.

Primo occurrit Maizium, Mexicanis *Tlaolli*, vulgo frumentum Turcicum, vel potius Indicum, omnibus mundi partibus, ſi non familiare, ſaltem notiſſimum: cujus iconem, & culturæ deſcriptionem, utpote nemini, credo, incognitam, prætermitto. Hoc autem huic imprimis potioni ~~magnum quid ſuppeditat, unde & laudes ejus~~ adeo paſſim extollunt graviſſimi, qui in Indiis vixerunt, Medici, ut non patiantur Ptiſanam, ex cremore ejus confectam, Hippocratis Ptiſanæ quicquam concedere: præſertim quia Maizium in Indiis negant ſubſtantiæ eſſe adeo terreſtris difficilioriſque concoctionis, ut vulgo audit in Europa: tum quod ex illo, aqua dumtaxat ſubacto, inque ea ad modum pulticulæ diſſoluto (*Atoli* vocant) potionem cum vel ſine *Cacáo* conficiunt, quam mille experimentis compertum habent, inſigne ſolatium æſtuantibus, & febricitantibus, imprimis autem nephriticis doloribus, & urinæ retentionibus, adferre. Sed in conficiendo hoc *Atoli* ea eſt diverſitas, quod alii duas Maizii partes cum una fermenti capiant, cumque *Xoco-atole*, id eſt, acidum, vocant, idque cæteris facile præferunt: alii Maizium crudum, & tantummodo molitum: alii prius coctum cum calce ſumunt, atque in varios uſus applicant, tum ſimplex, tum noſtræ *Chocolatæ* mixtum. Quæ omnia accurate & prolixe deſcripſit Franciſc. Hernandez in Hiſtoriæ Medicæ Mexicanæ lib. 7. c. 40. ubi plurima de iſtius frumentacei generis natura, mixtura & uſu quotidiano interpretatus eſt: quæ etiamſi lectu digniſſima, quia brevitati ſtudeo, ex profeſſo hic denuo repetere ſupervacaneum putavi.

Ordine & dignitate ſuccedit *Achiote* arbor, ab Oviedo & Cluſio *Bixa*; à Braſilianis *Vrucú* dicta. Cujus planta in mea Hiſtoria Naturali, fol. 132. & in Fr. Hernandez lib. 3. c. 41. utraque ejuſdem faciei, exhibita eſt, Ea per omnes fere Americæ regiones ſponte luxurians, à barbaris æque ac Europæis, tam propter uſus medicos, quam tincturam rubram expetitur & circa illorum prædia cicuratur: materies ejus, ſi lignum ligno fricetur, utilis eſt igni veluti è ſilice excitando; cortex vero funibus texendis, qui ſunt cannabinis firmiores. Fructuum grana rubra, de quibus potiſſimum agendum, frigida ſunt & ſicca, cum modica aſtrictione; ex quibus placentulas efformant, projicientes grana jam matura in aquam calentem, agitanteſque continenter, donec totus pene color aquæ adhæreat: hi paſtilli non ſolum medicamentis contra quoſvis fluxus ſanguinis inordinatos, ſed & cibariis immiſcentur, gratumque ſimul ſaporem & colorem iis ſuppeditant; imprimis autem, omnia hæc beneficia præſtant confectioni noſtræ *Chocolatæ*, ſi ea certa quantitate, ut infra docebitur, addantur; tutius enim tunc bibitur, & citra ſatietatis & nauſeæ incommodum, adde quod ſanguinem magis purificet, & viſcera corroboret.

Hactenus tria *Chocolatæ* ingredientia temperatiora, & ad frigidum inclinantia recenſui.

ſui. Quartum, quod *Chilli*, ſive Piper Americanum, vulgo Braſilianum, dicitur, qualitate multum diſcrepat à præcedentibus, & primum locum videtur obtinere inter correctoria aromatica calidiora; proinde caute *Chocolatæ* ſolet indi ad orexin tantum excitandam, non vero tanta quantitate, ut ſanguis inde poſſit inflammari, ſicut iis contigit, qui ejus uſui modum imponere neſciverunt.

Sequitur nova & peculiaris Piperis ſpecies, quæ *Mecaxochitl* dicitur Mexicanis, quibus ſolis, quantum conſtat, natales ſuos debet. Volubilis eſt herba, teſte Franciſco Hernandez, (qui in Hiſtoria ſua plantarum Iconem ejus dedit fol. 144.) binos dodrantes longa, per terram repens, foliis magnis, oblongis, pinguibus, fragrantibus, & acris ſaporis: caulibus teretibus, contortis; radicibus fibratis, & filamentoſis. Fructus ſunt teretes, longi, longo Piperi ſimiles, bini vel terni junctim, ex unico caule ſurſum nati: qui quarto gradu calidi, & tertio ſicci habentur. Induntur *Chocolatæ*, non ſolum quod gratum illi concilient ſaporem; ſed quod obſtructa reſerare, frigora, & ex iis ortos dolores, mitigare, lentos humores attenuare, ventriculum roborare, oris halitum commendare, atque venenis adverſari, credantur.

Tertia inter calidas vocatur *Xochinacatlis*, ſeu flos auriculæ. Arbor eſt longis & anguſtis foliis, virore exaturato tinctis, & è pediculo veluti marcido, flores grandiuſculi ex longo pediculo incurvato deorſum tendunt, eorum foliola interna parte ſunt purpuraſcentia, externa herbacea, auricularum pene forma, odore jucundo. Fructus ſunt ſiliquæ, ſex unciarum longitudine, digiti craſſitie. Semina intus multa, & ex mutua compreſſione anguloſa, ſuntque coloris ſanguinei. Nullæ hujus arboris partes *Chocolatam* ingrediuntur, exceptis floribus, qui in magno apud Incolas habentur pretio; nec quicquam frequentius eſt invenire in Indorum emporiis, quod celeberrimæ potioni gratiſſimum ſaporem & odorem, & ſalubrem prorſus efficaciam concilient. Quia autem ejuſdem gradus temperici cum præcedenti habeatur herba, ejuſdem quoque cenſetur operationis. Icon exſtat in opere Fr. Hernandez fol. 30.

Quarta inter calidas eſt herba Mexicanis *Tlilxochitl* dicta, quam Franciſc. Hernandez Araco Aromatico comparat. Volubilis herba Hederæ more arbores conſcendens. Foliis eſt unciis undecim longis, ſex latis, figura Plantaginis, ſed pinguioribus, ſaturate viridibus, ſingulis ex utraque parte caulis alternatim exorientibus, floribus nigricantibus. Siliquis ſex uncias longis, anguſtis, & pene teretibus, nigris, olentibus Muſcum aut Balſamum indigenam, quas vulgus Hiſpanorum à vaginarum ſimilitudine *Vaynillas* appellat. Hæ ad tertium ordinem habentur calidæ, addique ſolitæ potioni *Chocolatæ*, ob ſuavem non ſolum odorem, & ſaporem; ſed quod urinas & menſtrua moveant, cerebrum confortent, flatus diſcutiant, humoreſque crudos concoquant, & attenuent. Icon exſtat in opere Fr. Hernandez fol. 38.

Inter *Chocolatæ* ingredientia, licet remiſſiori gradu calida, celebratur polychreſtus ille liquor reſinoſus, quem Indi *Holli*, Hiſpani *Vlli* nominarunt: deſtillat ex arbore *Holquahuytl* dicta, ſeu arbore *Chilli*, quæ ſtipite eſt levi, fulvo, medulla lenta referto; flores habet candicantes, late expanſos, cum orbiculis ſtellatis, ex pallido rubeſcentes, hi ipſis ramis & trunco ſine pediculo adnati ſunt, dein ſphærulæ emergunt pleni fructibus candidis avellanarum inſtar, qui cooperiuntur tela fuſca, ſapore amaro, ſicut & cortex arboris, ex quo emanat ſuccus, primo lacteus, mox luteus, ac tandem niger evadens, quem in pilas rotundas cogunt, eaſque non ſolum in varios medicos uſus, ſed etiam ad petauriſtarum ludos reſervant: de quibus videre potes Fr. Hernandez, lib. 3. fol. 50. qui laudes ejus proſequitur. Ego paucis attingam quomodo, & qua quantitate *Chocolatæ* inſerviat; nam hoc gummi minus familiare eſt ingrediens reſpectu cæterorum enarratorum, ſed tunc potiſſimum quando Diarrhoeis & Dyſenteriis mederi volunt, nucleiſque quatuor *Cacacii*, uncia unica hujus reſinæ *Holli* miſcetur: verum *Cacacii* nuclei ob pinguedinem, & gummi *Holli* ob tenaciſſimum gluten, primum debent torreri, ne viſcera obſtruant, & cachexias producant. Iconem arboris dedit Fr. Hernandez, lib. 3. cap. 10.

Hæc aliaque vegetabilia, Novæ Hiſpaniæ patria, non idcirco putavi recenſenda, quod omnis potio *Chocolata* ſimul ea recipere debeat; ſed ut ex iis quiſque ſibi maxime conveniens eligat. Imo vero, quia maxima ingredientium pars, excepto *Cacacio*, in Europam non deferuntur, ſubſtitui poſſunt & ſolent, vel vulgaria illa Indiæ Orientalis Aromata, vel alia aliqua ſemina aut flores cuique regioni & individuo convenientia.

Quod

Quod & fieri ſæpe in Belgio vidi, & ipſe cum voluptate viriumque reſtauratione hic confectam guſtavi. Porro non memini, aliquem noſtratium (modo non fervērent illi hypochondria) ex quotidiano uſu hujus potus male habuiſſe. Multis contra morboſis medelam potius attuliſſe ſcio, præſertim hecticis, catarrhoſis, aſthmaticis, quibuſque præcordia languerent.

Quia autem placuit excellentiſſimo Medico Romano Paulo Zacchiæ, in tractatu ſuo de malo hypochondriaco, Italice conſcripto, *Chocolatæ* quoque compoſitionem & facultates notare, ibique ſuccedaneorum etiam meminiſſe, non abs re fore putavi, tanti Viri Iudicium hic annectere.

Mentionem, inquit, nunc faciam medicamenti cujuſdam, paucis abhinc annis è Portugallia, quod Indis acceptum refert, ad nos *Chocolatæ* nomine adferri cœpti. Hoc ingredientium indicio, non obſtante eo, quod temperatam ejus naturam plerique aſſerant, calidum magis eſt, prætendentibus iis licet *Cacao* frigiditatem, quæ calidorum admiſtione obtuſa, moderatam confectionis efficiat qualitatem. Ego contrarium ſentio, ſemenque ipſum nullatenus frigidæ, ſed temperatæ potius conſtitutionis judico, judicandumque cuivis id guſtanti & examinanti relinquo. Quoniam vero hoc novum aliquod eſt atque peregrinum medicamenti genus, ejus componendi modum non abs re fore duxi tradendum. Recipiunt *Cacao* (fructus eſt, aut, ſi mavis, ſemen grandiuſculum, Piſtaciam magnitudine referens, cortice tenui, ſapore Amygdalæ ſimili) excorticati, bene mundati, ſeduloque triti, 12. lib. *Cinamomi* ſubt. pulv. lib. 1. *Aniſi* ſelecti & ſtudioſe pulv. lib. ſemis, *Vanillas* (ſunt baculi longi, anguſti, ſubtiles, coloris fulvi, odoris balſamici, ſaporis ſubacris) comminutorum, & per ſubcerniculum transactorum n°. 6, *Mecacuce* (ſemen Avellanam nucem repræſentans) manipulos 4. (aut, ſi libeat, in locum *Vanillas* & *Mecacuce*, *Moſchata Nux*, & *Caryophylli aromatici* 12. aſſumi poſſunt) *Maiz* (Indicum frumentum eſt) contuſi, cretique per ſetaceum, floris ſeparati lib. 3. *Ajonzoli* confracti beneque triti lib. 1. (aut vice *Ajonzoli Amygdalarum Ambroſin.* piſtarum lib. ſemis) *Achiotes* (grana ſanguinei coloris inſtar Santali rubri) unciam ſemis. Sacchari, pro libitu, ad lib. 4. Subigunt Saccharo *Achiotes*, omniaque adinvicem bene miſcent; ex maſſa tabulas conformant foliis Mali aurei impoſitas. Qui proinde hac uti gaudent confectione, ejus unciam dimidiam cum quinque Sacchari drachmis, bullientis aquæ ſex unciis injiciunt, beneque contemperant, &, quam poſſunt calide, bibunt. Id quoque obſervare ſolent, ut ſi parum Sacchari *Chocolatæ* admiſtum fuerit, doſin ejus, dum potant, adaugeant. Matutino bibunt tempore, quatuor dein horis aut pluribus à cibo abſtinentes. Plurimi magnopere ejus in confortando ſtomacho, & adjuvanda ciborum digeſtione virtutem deprædicant, quod eximie nutriat ob ſeminum & frumenti, *Maiz* præcipue, quæ inſigni ſatis quantitate compoſitionem ingrediuntur, facultatem atque ſubſtantiam: non tamen, ne pro medicamento multum calido habeam, adduci patiar; hinc ejus uſum apud illos, quibus hypochondria calent, prudenter nec abſque judicio admittendum cenſeo.

Sequitur & alia *Chocolatæ* deſcriptio ex Ant. de Ledeſma, in India & Hiſpania maxime familiaris. *Centenis*, inquit, *quibuſque Cacacii Chiles duo miſcentur, quos majores eſſe diximus, Chilpatlaqua vocatos, vel præ his Indiarum Chilis accipi poteſt Hiſpanorum Piper, omnibus majus atque calidius. Recipe dein tantum Aniſi, quantum manu capere potes, Orichelas, quæ Dinataldides nuncupantur, atque duo Mecaſuchil. Et niſi alvi anguſtia premat, Alexandrinas roſas in pulverem redactas, item Vanillam unam, Cinamomi uncias duas, Amygdalas duodecim, totidemque Nuces Avellanas, mediam Sacchari libram: Achiotes vero, quantum ſatis eſt, ad hæc omnia conglacianda.*

Methodus conficiendi.

Cacacius cæteraque ad mixturam hanc pertinentia pinſuntur lapide quodam *Metatis* nomine dicto, ad hujuſmodi uſum excavato; animadvertendum autem eſt primo, ut omnia, quo melius frangi poſſint, ante coquantur ingredientia, præter *Açeotem*. Secundo, ut diligentia adhibeatur, ne adurantur, nigrumque contrahant colorem; aut nimio admota calori inſitam ſuam exhalent virtutem, amarumque acquirant ſaporem. Præcedunt in comminutione *Cinamomum* & *Chile*, quæ ſimul cum *Aniſo* moluntur; poſtremo autem loco *Cacacius* ipſe, qui paulatim confringendus reſtat; ſingulis quippe vicibus, quoties quid de eo molæ ſubjicitur, circumagatur lapis, ut facilius diſſiliat, meliuſque conteratur: deinde in ahenum poſt *Cacacii*

cacii comminuti ingredientium pulveres injiciuntur, qui lignea quadam ſpathula eidem permiſcentur. Coacta in unum maſſa lapidi rurſus ſubdita, cui ſubjectæ candentes fuerint prunæ, perquam optime diluitur. Cavendum tamen eſt, ne vehementior ſupponatur ignis, ut butyroſus nimio calore efferveſcens humor effundatur. *Achiotem* velim *Cacacio* admiſceas, ut cum eo molatur, coloremque melius acquirat: cæteri pulveres cribro, antequam confundantur, ſecerni debent. ſicut & *Cacacii* cortices removeri longe melius eſt. Quod ſi ſufficiens facta fuerit contritio (quod videbitur, cum nulla amplius putamina apparuerint) ſpathula maſſæ pars eximitur, quæ ſtatim fundetur in orbem, atque in arculas tunc reponitur: cumque congelaſcit, dura conſiſtit. Notandum autem hic, *Cacacii* maſſam Papyro, ſeu latis arborum frondibus, quales ſunt Platani, ſuperimponendam eſſe, in quibus gens Inda dictos efformat orbiculos; vel ſaltem, ut dixi, papyrus accipitur, ſi extenditur maſſa, duplicata, poſitaque ſub umbra obdureſcit: Duplicata deinde papyro iterum exſiccatur: papyrus etenim, quam habet pinguedinem, attrahit. Si vero tabulæ infundatur, integra colligi atque reponi non poterit.

Duplici modo ab Indis aſſumitur, alio eoque frequentiore, quo igni admota bibitur, *Acolle* immixta. Atque hæc olim potio in uſu fuiſſe traditur. *Acolle* vocant Indi maſſam ex *Maiz* farina collectam, quam deinde *Chocolatæ* immiſcent. Vt vero ſalubrior ſit potantibus, exterior corticis pars, quæ flatus excitat, bilemque commovet, removetur, eaque ſaltem, quæ melior ſanitatique conducibilior, remanet. Sed revertamur ex iis diverticulis ad ea, quæ hactenus à nobis aliis occupatis intermiſſa fuere. Referam novam, poſtquam apud Hiſpanos inclaruit, potionis methodum, quæ duplici ab ipſis fieri ratione conſuevit. Primo quidem modo diluitur *Chocolata* cum aqua frigida, ſpumeuſque ejus humor cuidam infunditur pollubro, id vero, quod remanet, igni admovetur una cum Saccharo; Hoc poſtquam incaluit, cum ſpumea illa, à qua ſejuncta fuit, iterum confunditur parte, atque ita ebibitur. Alter autem modus vult calefieri aquam, & in vaſe repoſitam *Chocolatam*, quantum ſatis eſt, haberi, ſuperque illam parum aquæ fundi, ac verſatili diſpergi mola; tunc ſtatim, atque bene diluta eſt, reliquum calidæ cum ſaccharo in eadem *Chocolata* diffundi & hauriri. Si placuerit frigidam potare *Chocolatam*, quam à præcipuo ingrediente *Cacacium* appellant, quo ad æſtum hepatis attemperandum utuntur, dilues *Chocolatam* in aqua, molæque verſatilis ſubſidio ſpumam elicies, quæ magis augebitur, quo diutius *Cacatius* ipſe comminuitur: effuſam in aquali ſpumam paulum ſepones; id, quod remanſit, miſcebis cum Saccharo ſupraque ſpumam immittes, frigidamque potabis. Verum hoc potionis genus ob nimiam, qua prædita, frigiditatem omnibus conducere nequit. experientia ſi quidem conſtat, ſtomachi dolorem eodem cieri. Quæ detrimenta mulieribus pariat, afferrem lubens, niſi brevitatis rationem habens longiorem detrectarem relationem. Similem fere frigidam potandi *Chocolatam* habebis modum, qui talis. Addatur *Chocolatæ* dilutæ *Maiz* toſtæ & in pulveres redactæ reſpondens quantitas, quæ adinvicem bene permiſta ſpumeum dabunt liquorem, qui perinde ſupradictum, frigidus hauritur.

Reſtat nunc ut pauca de quantitate *Chocolatæ* aſſumenda, item de modo, tempore utendi, à quibus uſurpari queat, diſquirere. Ne itaque immoderatus *Chocolatæ* potus ob pinguiores, quibus pollet, partes, venas meſaraïcas oppilet, quinque vel ſex unciæ mane tutiſſime ſorbentur omni fere anni tempore. Ea tamen perpetua cautela, ut quiſque evitet terreſtrem illam & craſſam *Cacacii* portionem, quæ fundum vaſis petit; præterquam enim quod vehementer obſtruat, vim quoque ciendi bilem inſignem habet, & nauſeam excitat: Idem cogita, ſi quis incaute potionem *Chocolatam* recenter factam potaverit: cum è contra, ut ægris æque ac ſanis proſit, ad menſem vel ultra requieſcat oportet, ut contrariæ ingredientium qualitates infringantur. Atque tunc omnibus exinde bene fit, & corpora acquirunt lacertoſa, & vegeta. Idem quoque probatæ fidei & experientiæ vir Ant. de Ledeſma de ſe ipſo teſtatur; Motus enim iis, inquit, quæ in Indiis fieri ſolent, cum illuc perveniſſem, ægrotantiumque domus aëris calore ferventes percurrerem, aliquando hauſtum aquæ petere ſolitus, vitales reſtinguendi faces gratia, Indorum ſuaſu *Chocolatam* ſiti compeſcendæ convenientiorem bibi; ſæpiuſque id factum, leniebatur exinde ardens bibendi deſiderium; etiamſi jejunus aſſumſiſſem, ſtomachi tamen vires refectas ſentiebam. Ex cujus potionis continuato uſu alii mecum impinguefacti ſunt: cum tamen pleraque ingredientia excepto *Cacacio* & *Maizio*, quod calida & ſicca ſint ordine tertio, ad extenuationem corporis

ſacere videantur, ſed conſtat ratio, butyroſæ enim *Cacacii* partes pingue reddunt corpus: calidæ vero, quæ confectionem ingrediuntur, pro vehiculo inſerviunt, quo pinguis iſta ſubſtantia ad jecur deferatur, & inde in cæteras dimanet partes, tandemque ad carneas demum derivetur.

CAPVT XIX.

De *Tavarcaré* ſeu Nuce Medica Maldivenſium.

CLutius noſter, ſpectatæ fidei Vir, multa ſine dubio Nuci Maldivenſi tribuit, quæ hactenus, ut mihi perſuadeo, plurimis ſunt inexperta: ſed multa, quæ noſtrum non pauci jam ſumus experti. Quod enim attinet ad ſpecificam facultatem promovendi partum difficilem, ac reſiſtendi inſultibus epilepticis, ejus non unam experientiam habent ſpectatiſſimi aliquot apud nos Medicinæ Coryphæi, & teſtari de feliciſſimis ſucceſſibus queunt.

Præter vero Nucis iconem, quod nihil à Clutio, nihil etiam à nobis exhibeatur eorum, quæ ad cæterorum arboris notitiam pertinent, hæc cauſa eſt, quod Inſulæ iſtæ, in quibus olim ſolis creſcebant, à mari abſorptæ ſubſederint altitudine minimum ſedecim orgyarum. Vnde eſt quod non niſi ſingulari fortuna à ſupernavigantibus & linum demittentibus Nux capiatur. Exorditur ſupra nominatus Autor, hunc in modum.

INter immenſa beneficia quibus humano generi poſtremis hiſce ſeculis divinum NUMEN affulſit, non poſtremas obtinet tot Pharmacorum ad tuendam hominum valetudinem inventio, cum poſt animæ ſalutem humani corporis ſanitas primum locum ſibi vendicet. Quod enim ad machinarum æ nearum inventum attinet, quibus ſupra antiquitatem noſtra ætas gloriatur, eas potius ad hominum perniciem quam ad bonum publicum comparatas dixerim. Typographia vero, quanquam conſervandis literarum monumentis imprimis idonea, nihilominus ſcribentium Kakozeliam & literatorum ineptias plerumque fovet, nec eſt etiam quod Ærythræi maris ſpolia, aut exhauſtæ Atlantidis pallida viſcera tantopere jactemus, cum ex mente cordatiſſimi Poëtæ fulvum metallum ſit chalybe nocentius. Naſo Metamorphoſios primo:

Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat; prodit bellum, quod pugnat utroque.

Verum enimvero Argonautarum Europæorum gloria nunquam ſatis extolli poteſt, quorum ſolertia patefactus novus orbis tot ſeculis latitans, aperta maris clauſtra, & tot inſularum chiliades in Indico pelago ſparſæ.

Horum enim opera effectum eſt, ut propemodum
—— *Omnis ferat omnia tellus.*

Et pharmaca exotica eximii & rariſſimi uſus, noſtro Orbi illata ſint. Inter quæ, ſive raritatem ſpectemus, ſive pretium & æſtimationem, ſive uſum nunquam illaudatum, ſive incertitudinem originis, NUX MEDICA MALDIVENSIS jure ſummo primatum obtinet. De qua acturus, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi de Inſulis apud quas reperitur, earum ſitu, latitudine & opibus, pauca præfatus fuero.

INſulæ, de quibus ſermo eſt, inter Inſulam Madegaſcar ſeu Sancti Laurentii & Promontorium Indiæ Commori vulgo dictum, ſitæ ſunt, à Continente centum & quinquaginta leucis diſtantes. Latitudo ſe extendit ab octavo gradu cis Æquatorem ad quartum trans eundem; quod maris ſpatium complectitur ducentas circiter leucas à Borealioribus nempe ad Auſtraliores: & poteſt ejus Regni longitudo dici, petita à Septentrione ad Auſtrum. Earumdem vero latitudo, ſi maris ſuperficiem ſpectemus, ultra triginta aut triginta quinque leucas non extenditur. Cenſentur numero ab Indigenis duodecies mille, (fides appellat autorem) diviſæ in Provincias tredecim, brevibus vadis ſeu anguſtis fretis vel Euripis diſtinctas. Harum ſingulæ, abruptis ſcopulis, tanquam naturali muro cinguntur, & in complures alias iterum ſubdividuntur: quaſdam cultas & luxuriantes Naturæ bonis, citra hominum laborem divites, alias culturæ expertes,

& ſolis volucrum cubilibus relictas. Quæ magis accedunt ad Septentrionem, fœcundiores ſunt; quæ ad Auſtrum vergunt, ſteriliores, & noxiorum ſeu damnatorum exilio plerumque deſtinatæ. Tanta eſt cæli & ſoli bonitas, ut omnium rerum copia, non ſolum ad uſum humani generis, verum etiam ad luxum & delicias exuberent; quamquam fruges & animalia Europæ noſtræ illic rara aut nulla. Verum benigna mater Terra vel Natura bona noſtra compenſans Indigenis & Advenis affatim ſuppeditat. In harum Inſularum littoribus Nux hæc, de quâ agimus, ſolummodo reperitur, non alibi terrarum conſpicua, allabente enim maris æſtu non ſecus ac Ambarum fuſcum (Ambra griſea Medicorum filiis dicta) in littus ejicitur, nec cuiquam tollere fas eſt, niſi ſtatim delaturo ad Regem, vel miniſtros Regios, cum,

Quicquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto eſt,
Res Fiſci eſt, ubicunque natat. Iuvenalis Sat. 4.

Quod eſt argumentum æſtimationis admirandæ Nucis, cum conferatur Ambaro, imo præponatur; adeo ut ſi quis exiſtat repente dives, vulgo exiſtimetur *Tavarcaré* inveniſſe (id huic *Nuci* in iis Inſulis nomen). Nihil inter Gazam Regiam aliud majore cura conſervatur, ſiquidem in cohoneſtandis amicis Regibus, Satrapis, vel Thalaſſiarchis ornandis, non alio pretioſiore dono utitur harum Inſularum Rex.

Quemadmodum locus inventionis certus; ita origo anceps & incerta. Vulgus Indigenarum ex arboribus in mari latentibus, vel olim inundatione demerſis, vel intra aquas in avito ſolo radices agentibus, fructum hunc provenire autumant, non ſecus ac Ambra videtur eſſe ramus arboris vel ſtipitis in bitumen induratus. Religioſiores ſecus exiſtimant; in Inſula ſiquidem *Palloys* dicta, quærentibus abditâ, ignaris obviâ, Nucem hanc gigni arbitrantur, inde caducum fructum poſt maturitatem pelagi æſtu & reciprocatione huc illuc jactatum, in oras Maldivenſium Inſularum tandem ejici, huic Palloy proximius utpote adjacentium. Inſula hæc creditur Maldivenſibus eſſe omnium terrarum beatiſſima, quam Kakodæmonis vel mali Genii invidia & artibus humano aſpectui ſubtrahi perſuaſum habent, quanquam nonnunquam ignaris ſeſe offerat videndam.

Fidem facit, quod ſæpius tentata Regis Maldivenſis auſpiciis, illibata permanſerit, & rariſſime, imo nunquam, Regiis miniſtris nauticis, teſte *Franciſco Pyrard de Laval*, comparuerit. In appulſu quippe gravibus procellis & tempeſtatibus conflictantur, & quotquot illuc appuliſſe contigit, à ſpectris & Kakodæmonibus ſpecie viſibili torquentur & cruciantur, ut ut eſt, ubicunque terrarum hæc Nux naſcatur, hoc loci ſolum reperitur, reliquis orbis partibus ignota, niſi hinc deferatur.

Nuſquam conſpicitur niſi gemina, cujus utraque pars ovalem & oblongam figuram exhibet. Quæ etſi unico obtutu præ ſe ferat gemellos duos Melones lateraliter cohærentes, nihilominus naturali vinculo uſque adeo ſunt colligatæ, ut nullo pacto divelli poſſint. Nucleus ſeu medulla excreſcens in altum tegit interiora utriuſque putaminis, aſſurgens ad figuram rotundam ſeu fabaceam aut renalem, ex una nucum in alteram permeans, ita ut non injuria tota hæc nux gemina aſſimilari poſſit duabus ſcaphis, vel ſcaphæ duplici, communi onere gravatæ. Ad nuclei tutelam naturale & ingenitum munimentum Natura largita eſt tunicas quaſdam, ſpecie licet inter ſe diſſimiles, non tamen à tunicis, iiſque velamentis diſcrepantes, quibus Iuglandes ante maturitatem extrinſecus tectas cernimus, aut ad majorem convenientiam tunicæ illi ſimiles, qua Caſtaneam marinam opertam aliquoties vidimus. Cyathus vero expolitus binis alveolis geminam quaſi formam exprimens proxime accedit ad Cymbia duo (quorum in ſacris olim uſus) lateraliter cohærentia, vel ad Sambucas (ſi ſcalas exceperis) queis in expugnatione Syracuſarum Marcellum olim uſum legimus. Ad ſcyphi autem hujuſcemodi pretium & æſtimationem augendam totus nucleus ſeu medulla non excernitur, verum exigua pars relinquitur accreta & adglutinata baſi ipſius Nucis, in duritiem ætate, non abſimilem ipſi Cocco, verſa, interveniente tenui quadam cortice, ſeu integumento, haut impare medianæ Ilicis, Quercus, aut Fagi exaridæ. Conſervatur autem in uſum medicum internum, velut è catenula aurea per artem appenditur, ut liquori immergatur, in eam præcipue gratiam, uti etiam ſuas in uſu virtutes coacervet accumuletque. Quod ſi negetur & caſu medulla à baſi abſceſſerit, arte, uti infra dicemus, ſuppletur.

Dividitur autem hac ratione nux gemina, ſi per intervallum illud, quo lateraliter altera

altera alteri cohæret, & iterum harum quælibet diſſecetur ſerra ſecundum priorem aperturam, ex utraque ſigillatim fieri poſſint duo pocula. Quod ſi utraque ſimul & ſemel bifariam dividatur, per latus alterutrius externum principio ſectionis ſumto, habeantur pocula gemina bina. Cujus poculi gemini, niſi extrema Cymbiorum auro aut alio metallo conjungerentur, exiguus aut nullus in bibendo eſſet uſus ob periculum effuſionis: verum pyxidis vices ſupplere poteſt. Hoc autem genus ſcyphorum virtutes & remedia contra morbos habet plurima, quæ ſuis ſingula locis docebimus.

Expolitæ autem Nucis putamen naturali quadam cælatura, quam ars ægre adſequatur, ſculpta & elaborata cernitur colore nigro, ſaturato. Magnitudo huc adlatarum Nucum, ut & figura, non à majorum Melonum ſpecie & magnitudine recedit. Perpoliri poterunt pulvere lapidis Tripelæ dicti: teritur, Tripela ſubtiliſſime in mortario æreo, piſtilloque ferreo, affuſa frigida; Et ne alterationem ſubeat Cocci putamen, laneo panno, ſæpiuſcule liquori huic intincto, ipſi teſtæ affricatur: non autem oleo, quod inferret noxam & graveolentiam.

D. Rudolphus II. Roman. Imperator &c. qui dignitate, majeſtate, ingenio, variaque rerum omnium cognitione cæteros omnes Principes antecellebat, percepta Nucis præſtantia, eam quatuor millibus florenorum in poſſeſſionem ſuam redigere conatus eſt. Sed quia Familiæ Wolferdianæ traduces alio tranferri negarent, in loculamentis ſolitis ſtationem ſervavit. Quo autem modo Nucis copia Wolferdo facta ſit, tribus peragam verbis Hiſtoriam. Kalendis ipſis Ianuariis anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, D. Wolferdus Harmanides Archithalaſſus, viſis fortuito navigiis Luſitanorum, civitatem Bantam obſidione cingentibus, inter ipſum velificationis tenorem prius anchora naves infrænavit ſuas, dein laxato velis ſinu ad curſum eas præparavit, prora in Luſitanorum claſſem verſa; quos licet numerus frequens animaret, pauculis tamen manipulis Batavorum, quinque nimirum navibus, in fugam egit, everſa ad non exiguum numerum ſubſidiariarum claſſe: Ita Civitati & Regno Bantam libertate reſtituta, magnifice à Rege exceptus eſt; qui præter laudes fuſe dictas decoravit eum fructu, cujus imago in appendicem venit. Dolore autem non parvo perculſus erat, quod ob anni ſterilitatem Piperis proventu victoriam jam partam huic *Wolferdo* plene compenſare non poſſet. Decrevit interim ut acceſſu libero Batavis quævis coëmendi ac collectandi copia foret; quod experientia deinceps fida teſtatum reddidit.

Verum ut obſervatu dignum, ita ſilentio non prætereundum eſt, à Rege ſummam faciem fructus, lineamentorum ductu impudice laſcivientis, ſerra ablatam eſſe, ne, Clariſſ. Wolferdo offerenda, honeſti viri oculis offenſam præberet. Refert enim rugarum ambitu muliebre pudendum cum podice & interfeminio, à quibus verſus gibbam partem cælaturæ inſtar ſubalternant acclivè & declivè in laxitatem ſenſim accreſcentem, uti unda undam trudit, non ſine gratia oculis acceptiſſima, quæ ipſa iterum terminatur in aperturam germini ſuperne annato dicatam, non abſimiliter concomitatam duobus ſpiraculis ſeu foraminibus, uti in Indica Nuce ſive vulgari Cocco tam majore quam minore, pluribuſque ejuſdem familiæ & congeneribus, videre eſt. Spiracula porro illa in margine aperturæ poſita uſum atque emolumentum ſuum nacta ſunt. Obducuntur enim introrſum tenellis medullæ portiunculis ut ſpiritibus in germinatione tranſitus detur, ſicut Natura in fœtu elaborando, (quum ſint Iovis omnia plena) polypragmos & ſollicita eſt.

Rogatus à me Clariſſimus D. Realius, ut ſuam ſententiam ſuper dubiis quibuſdam meis communem facere dignaretur, non invita Minerva (mira enim Viri tractabilitas) præſtare aggreſſus eſt, in Aphoriſmos & Theoremata conciſa ex tempore eam digerens, quæ ex ordine à me in contextu depromuntur, in Latium tranſlata.

Aphoriſm. I. Nux Indica vulgaris tantæ utilitatis, tamque fructuoſæ eſt, ut omnia quæ jus vitæ conſervant, velut eſcam, potum, condimenta, cultum, amictum, ædificia, & naves, proferat. Nux vero Maldivenſis Medica omnia adverſæ valetudinis amuleta in ſe continet.

Scholion. Palma coccigera vulgaris omni, tempore fert nuces, viretque toto anno, fructibus ſemper aliis ſubnaſcentibus, dum alii matureſcunt: & quod *Pontanus* alibi in Heſperidum hortis, de Malis Citriis teſtatur, de hac Palma dici poteſt,

Flore novo ſemper, ſemper quoque fœtibus aucta.

Nec injuriè pronuntiare licebit, nihil aliud Coccum Medicum eſſe, quam Coquum Panaceæ, vel Orphea miri ab interitu receſſus artificem, Fatiſque imperare ſolitum, cum multi, ad vitæ deſperationem ducti, eo mirifice convaleſcant.

Quæ autem commoda è vulgari Nuce proficiſcuntur, ea habentur apud *Cardanum, Scaligerum, H. Linſchotanum, Franciſc. Pyrard de Laval, M. Ignatium.* Videantur obſervationes eorum, cum non ſit hujus loci plura recenſere.

Aphoriſm. II. Tenelli Cocci Indici vulgaris compago per fructus adoleſcentiam cultri acie facile divaricatur, & è vulnere humor clariſſimus & potui aptiſſimus eliquatur, qui tractu temporis in vegeto ac illæſo fructu, poſt concoctionem, digeſtionem, & ſegregationem è craſſioribus ac terrenis partibus internos parietes inveſtit. Serum vero omne in centro locatur, & quaſi caſeatione facta medium locum occupat, ſicut ruſticum artificium in lacte vaccino demonſtrare ſolet. Pari ratione conjectari fas eſt, humorem Nucis Medicæ coagulando in ſolidiorem maſſam redigi, quod tamen nullus autopſia aut oculis ſuis dimenſus eſt, quoniam in maris profundo acceſſum humanum non tolerat.

Scholion. Quæſtio à quibuſdam inſcita movetur, habeatne Coccus Maldivenſis ortum homonymum, ut quædam animalia ex limo ſine ſpermate? gemma ſeu germen negat, quod nucis involucro clauſum Palmæ arboris partu originem ſumit, & ex principiis arbori inſitis velut animalia ex ſanguine, ſemine & calore innato, augmentum capit, & adoleſcit in eum formæ ſtatum qui naturæ decreto illi præfixus eſt. De arboris vero ipſius generatione tutius cavillari licet, an ex limo prodeat, poſtquam in maris profundo radicata eſt, in quo germinis acceſſus recipi nequit, mari perpetuum motum explicante, neque natatilis rei in imo ſui permanentiam ferente. Hinc Cocci ipſi, ad maturitatem perlati in aquæ ſuperficiem velut eructantur. Neque veriſimile eſt, ubi ſublunari aëre inaruerunt, ponderis gravitatem, ut ſubmergi poſſint, induere. Ex terra ergo, velut plantæ (ut infra dicimus) & marini frutices, generantur; aut potius ex terrâ in limum maris uligine diluta. Qui limus velut ſeminis eſſentiam nactus, arborem ſui generis educit. Speciei autem perpetuatio fit, nunquam ceſſante in profundo maris opifice Natura.

In plantis unius animæ vegetantis tria officia ſunt; generant, nutriuntur, & creſcunt. Non tamen omnia una Naturæ lege progenerantur, quandoquidem è terra, ſucco, ſitu & ſole variantibus, diverſimode pullulant. Marini frutices duabus ſolum vitæ functionibus pollent; nutriuntur, & creſcunt; ſimile ſui non gignunt. De vita & nutricatu plantarum ſentiendum quod de animalium alimonia, trahunt ſuccum ſibi familiarem, retinent, concoquunt, ſegregant, & recrementa expellunt, beneficio caloris & ſpirituum, quibus perfunduntur. Quod doctiſſimis Aphoriſmis Cl. *Petrus Laurembergius* Ph. & Med. D. & Profeſſor in Gym. Hamb. declarat. Cl. *Realius* caſeationis exemplum, quod manuum opera præſtatur, aptiſſime applicuit.

Aphoriſ. III. Cocci vulgaris cortex induratus, ſerræ aut mallei vi ad apertionem opus habet. Ferro autem tranſciſſus ac diſruptus omnia velut in proſcenium educit, ſolidiorem nempe medullam, intermedium corticem, & humorem limpiditate abblandientem paulo ante, jam vero potui ineptiorem & olei ferme facie indenſatum. Medulla vero, nucleo Avellanæ noſtratis duritie graphice aſſimulatur; quare limæ contumaciæ ex facili cedens ad lac & emulſiones temperatur, è quibus omnia coquinæ neceſſaria, velut oleum, vinum, acetum, melliſque & ſacchari æmula colligi ſolent. Idem de Maldivenſi ſentire, non eſſet piaculum; verum quum ea non niſi indurata & in littus, poſt longam moram, ejecta reperitur, humanæ mentis caligine conjecturæ tantum locus remanet; quod definite in apricum exiret, ſi ſublucata arbore fructum manu carpere liceret.

Scholion. Cocco vulgari, Arecæ & conſimilibus fructibus involucra multa circumpoſita ſunt; haut ſecus ac fœtui membranæ ad tutelam. Vulgaris Cocci nucleus variis uſibus aptus, ſed medico uſui inconcinnus; uti Garçias, Sepulvedam Autorem & ipſos Indos increpans, Paralyticos, è vaſculis vulgaris Cocci bibentes, nunquam juvari ait. Variam Cocci indolem hucuſque enarratam vides, ſed non hiſce tantum differentiis conſtringendam, poſt quam alia quoque Coccorum propago in aliis territoriis invenitur, prout Natura Polydædala unicuique Regioni peculiare ſuum eſt elargita.

Aphoriſm.

Aphoriſm. IV. Uſus medullæ vulgaris Nucis eſt multifarius: verum Maldivenſis Medicæ apud Indigenas, Reges, Magnates Indos non unus, ſed infinitus ferme, & ſuperſtitione non vacuus; cum hic ſanitati conſervandæ, ille vitæ ſuſtinendæ, privilegio Naturæ, conſecratus feratur.

Scholion. Medulla utriuſque Nucis eſt potior pars. Vulgaris, culinariæ; Maldivenſis autem, medicamentariæ rei, quod infra docebimus, peculiariter deſtinata, quare de vulgaris medulla plura dicere ſuperſedeo, cum citra meum ſit inſtitutum.

Aphoriſm. V. A nemine, quod quidem ſcire licuit, ſcripto hactenus teſtatum eſt, germen ſeu gemmam promi, quæ Piſi formam repræſentat, ſubinde Fabæ effigiem exprimit, è rotundo longiuſcula, aliquantum acuminata, è mediis liquoribus nata, prædulci ſapore linguam afficiens. Hoc germen in ſpeciei conſervationem adoleſcit; & à ſide alienum non eſt, aliorum quoque fructuum nucleis à natura id datum eſſe. Ut jure à Plinio majori Trogus taxetur his verbis: Nam folia Palmarum apud Babylonios ſeri, atque ita arborem provenire Trogum credidiſſe demiror. Uno tamen inſigni noſtrum prævalet, quod in gemmam lapillis aut margaritis nitore ſuo & lævore æmulam ſubinde transfiguratur. Sed Naturæ ſeu decreto ſeu invidiæ tribuendum eſt, è decem millibus fructuum vix unum tam fauſti puerperii & fœcunditatis participem eſſe. Eadem vero in Maldivenſi Medica uſu venire poſſe, judicio non aberrante dicere licet. neque à ratione abſonum eſt, quum in fructu *Pinang*, *Arecca*, *Palma-Pino* & conſimilibus experientia magiſtra veritatem adepti ſumus.

Scholion. Lapillus hic vel gemma ipſiſſimum & purum putum germen eſt, quod partibus internis (aperturæ nimirum) quamdiu adhæret, ſpiritibus atque alimento communi fruitur; donec ad juſtam magnitudinem perlatum, naturæ decreto, non caſu aliquo, aut aperturæ vitio, extra ſolitum locum ſubinde movetur. In cavitatem vero Nucis receptum germen ſuis ſe igniculis ſuſtentat, quos Natura formatrix ad fomentum illi indidit, velut fœtus humanus exacto noni menſis ſpatio ad lucis uſuram extra uteri receptaculum ~~amandatur; ſcilicet adminicula vitæ, ut adoleſcat, ad~~ plenum nactus. Quæ hic prolixius recenſere alieni muneris fore judico. In duritiam vero nativam non frigoris ambitu concreſcit, & (quis enim in latebris nuclei occultus eſſe queat?) ſed ſeminio interno, quod illi à matris velut utero remanſit, ut vi efformatrice in ſpeciem ſuam, quæ oculis obvia eſt, & virtutes illi debitas, quæ occultæ ſunt, effigietur. Quod rationi conſentire, ſanguinis extra venas effuſio evincit; qui ex quo aſſimilationem aut (ut Medici aiunt) appoſitionem effugit, deſtitutus fomentis ſolitis coagulatur, vel in putredinem degenerat. Noſtrum vero germen architectonem internum ſecum ferens, magis magiſque ad perfectionem adoleſcit; velut fœtus nuper editus ad ſtatus ſui complementum perducitur. Quocirca neque germinationi ineptum eſſe, etiam in aliquo duritiei rigore una hac ratione deduci poteſt. Neque eſt ut ab hac ſententia recedamus ob duritiæ aliqualem habitum, poſtquam occultis naturæ ſpiraculis, quicquid humanis ſenſibus abditum aut impoſſibile videtur, in actum experientiis ſuis comitandum deduci ſolet, non ſine miraculo & judicii humani ſtupore. An vero arboris primitivæ, unde ortum eſt, ſpeciem edere queat, multæ dubitandi rationes affirmare vetant; quas hîc ſuperfluorum ſerie comprehenſas præterire libet, etſi in Scholio ad Aphoriſmum ſecundum bona earum portio inveniatur.

Ad lapillos noſtros ſeu ingemmatas gemmas revertamur, quarum numerum aliquem habeo in loculamentis meis, eas dico præ laxitate aperturæ (quod aliquando fieri conſuevit in exſiccatis & neglectis, aut è natali loco tranſlatis Coccis) intro redactas & coactas, atque ita, cum non ſit magna germinis diuturnitas, eſſe in lapillos converſas; quod auctoritate clarorum virorum varie docebo & non abſimilibus exemplis. Lapillum habeo ſingularem, articuli majoris digiti magnitudine & forma, pondere dragmarum trium (cum vulgarium Coccorum, dragmæ dimidiæ pondus non ſuperent) lævore & nitore ſplendentem, & in ſumma parte acuminatiore, tranſparentia unionis dotatum, mirum in modum oculos oblectantem. Hic ſua quadam gratia foliolorum primitivorum idæam quandam oblique contortorum (ſicuti in gemmis pluribus grandium plantarum videre eſt) promittit; quare mihi & delicatioris ſenſus viris acceptior eſt. Illud interim non prætereundum hanc foliolorum diviſionem acta radice ſpargi, & lateraliter aſparagis aut turionibus adhæreſcere, & è terra exſurgere aliquamdiu, tandemque, ut inutilia, decidere alimento deſtituta. Omne fabaceum & Pha-

 ſeolorum

ſeolorum genus, nec non Indicarum ſtirpium aut arborum grandiores fructus meo hortulo commiſſi, vivum exemplum afferunt. Faba ex Wingandacow, Cola alba, rubraque, & ejus generis plura; quarum Theſaurus noſter utriuſque Indiæ plantarum aliquando fidem faciet.

Aphoriſm. VI. Verum in quibuſdam Coccis, coagulatum, quod à caſeatione remanſit, maſſulam dixeris, ceu pomulum exiguum leve & ſpongioſum, & maſculæ Palmæ proprium eſſe dicitur, dulcedine excellens, nivemque albedine adæquans, in mediis liquoribus fluctuans. Vulgo etiam germinis nomine inſignitur, eſui perquam aptum. Cujus in Maldivenſi forte ſimilitudinem nunquam videris.

Scholion. Fr. Pyrard arbitratur liquorem tantummodo in germen abire & verti, medullamque germinationi in ſolum fomitem adaptatam eſſe, quod ex plantationis modo videtur probare: verum rationem ſuam infirmam facit, cum paulo infra in tractatu peculiari de commodis Nucis Indicæ vulgaris, maturam & ſiccam Nucem terræ mandandam dicit; & è maſſula quadam interna ex ſucculentia aut liquore concreta nempe figura pomuli, extrorſum ſublutea, introrſum candida, tenella atque ore detenta ſolubili, veram Coccorum propaginem ſeu gemmam ipſam eſſe affirmat, cum ipſiſſimam ignoret: quod autopſia propria & ex relatu clarorum virorum Generalium habui, qui ad plantationem Nucum decem mille in acervos cumularunt, è quibus trium hebdomadarum circiter ſpatio elapſo ſeligere eas jubebant, quæ germen jam ante numeris ſuis abſolutum, & nunc in promptu ut exeratur & exertum gererent, terræ gremio committerent, & reliquas huic fini ineptas ad alios uſus relegarent. Quo verborum ſenſu facile germinis aperturæ inſidentis præſentiam non fruſtra à Natura fabricatam, docet Caſtanea marina & noſtra ipſamet domeſtica. Omnis gemma ſolitaria ſi in terram deprimatur, radicum fibras tantum non materias creat. Egregie Doctiſſ. Thobias Roelſius in Epiſtola ad Cluſium his verbis germinis naturam explicat.

Habui hujus Palmæ Nuces aliquot integras (intelligit vulgaris) cum ſuis villoſis corticibus, quæ in itinere vaſi incluſæ, germinare cœperunt. Harum tibi binas mitto. Alterius Nucis corticem ſuſtuli, ut germinis exortum & ejuſdem radicationem poſſem videre commodius: tertiam cum germine Nucem penes me ſervaveram, cujus prædurum & ligneum putamen internum aperiens ex hujus medulla germen traxiſſe initium obſervavi. Nucleus ſive Medulla concluſam in ſe non habebat aquam (quæ nucibus Indicis recentibus & non germinantibus ineſt ſemper); ſed aqueum illud in materiam fungoſam excreverat, dum forte in germinis alimentum converti cœpit. Germen exit è Nucum harum foramine tertio, & mox extra foramen ſtatim ab exortu per corticem exteriorem craſſum ac villoſum quinas ſenaſve radicum fibras dimittit in terram, per quas alimentum ſuæ naturæ conveniens attrahat. Germen quod per foramen emergit unicum, ſimiliter perforat villoſum corticem, atque in unius Nucis ſtolone veſtigia foliorum arundineorum conſpiciuntur, quæ bifida vel bina ſunt, & vix aliquam videntur habere latitudinem, quod quinque vel ſex plicis commiſſa ſint: folia primum in vagina latuiſſe videntur, è qua prodierunt necdum expanſa, ſed plicis commiſſa, utimet ipſe hæc omnia in altera hac, quam mitto, Nuce contemplari potes, cujus germen in longum exceſſiſſe videbis trium palmarum menſuram. In hoc argumento prolixior ſum præter morem; quod autem ſpectat ad ſexum Palmarum, Cl. Realius aſſcribit maribus germinationem eſſe propriam. Palmæ perdite ſeſe amant, quod & ruſticis ipſis notum eſt; & conſtat, rebus ſurdis & ſenſu carentibus odia & amicitias ineſſe, ſicuti etiam errores in animalibus & plantis inſunt.

Aphoriſm. VII. Spiracula autem illa duo in vulgari Nuce, inſervientia forte exhalationi recrementorum, ſede paulo inferiore locata aperturæ germinis aſtant. Ea habent in Medica Nuce etiam locum; non inſimiliter ejus germen, quod vere in gemmam ſeu pretioſiſſimum lapillum verti poteſt, cum diutius ab alvo natali magnæ matris ſemota, & cælo ſoleque patre fruſtrata in lucem fertur.

Scholion. Apparet ex facili in quem uſum illa foramina Nuci indita ſint, ſcilicet ut alimentum ſuum & ſpiritum Opificis Naturæ vehiculum ex nuclei ubere & ſubſtantia in ſe reciperet. Vbi autem faſtigium incrementi ſui nacta gemma aut germen à nucleo aliquomodo deſertum, veſtigia tantum foraminum quæ ſenſim obturata ſunt, prætendit; non jam alieno nutricatu opus habens, ſed intra ſe claudens quo in propriæ

priæ ſubſtantiæ ſpecimen & formam mutari poteſt. Quod aliorum quoque fructuum exemplis ſtabilire facile eſt, qui nucleis inter ſe clauſis, prægnantes ſunt, ut hoc velut parente arboris congeneris ſpecies aliquando naſcatur. Etſi non omnes fructus nuclei neceſſitate ad propagandum opus habent; quod in Scaligeri Exercitationibus fuſe probatum invenitur.

Aphor. VIII. Coronidis loco addam, Lapillos, præcipue hos è germinibus utriusque Nucis ortum ducentes, uti & è *Pinang* &c. fructu, Panacæam, ſententia Indorum, in ſe habere; quocirca præter internum uſum, Indi eos annulis etiam aureis & argenteis includunt, foramine relicto, per quod Lapillus carnem humanam contingat, quod pro amuleto adverſus incantamenta non abſque ſuperſtitione ſeu humanæ mentis ludibrio aſſervant. Pronum enim natura ad vanitatem genus Barbaricum.

Scholion. Opinio, cum in Idiotas cadit, indelebilis eſt dicente CL. V. C. Bartholino, horum autem gratia non explodenda ſunt, quæ à priſcis aut neotericis accepta, ſeu de occultis Naturæ viribus ſive inauditis, licet fidem ſuperare videantur, à me in medium afferuntur: ſicuti & ſententiis adverſariorum occurrere, probabilitatemque fulcire, levidenſis operis erit. Redeo ad gemmarum quarumlibet & plantarum, imo ſeminum, præcipue exoticorum, hiſtoriam. Senna Alexandrina, Lithoſpermon, Lacryma Jobi ſata, vertuntur in lapillos dentibus examinandos, amicis propoſita pluries in horto meo, licet pars horum excreverit. Certe mira in viſceribus terræ efformantur, quorum cauſa ignoratur, teſte eodem Bartholino, in opuſculo de unicornu ejuſque affinibus & ſuccedaneis, qui diſerte omnia enarrat huc ſpectantia. Quare in ſolidiſſimæ compaginis gemmam Cocci Maldivenſis, ut & vulgarium, germen verti poſſe, Naturæ privilegiis ad eam formam concipiendam dotatum, affirmo. Atque hæc de utriuſque Nucis germinibus in lapillos verſis dicta ſunto.

Alterum non vulgare æſtimationis exemplum reddetur, quo Clariſſimus SPECCIUS inſtitutum noſtrum decorare dignatus eſt. Epiſtola enim, propria manu exarata, in publicum profert non inſignia tantum, ſed & utilitates rariſſimæ Nucis, quæ ægritudines humanum corpus affligere ſolitas, velut Averruncus, depellere conſueverunt. Ita de Medicinæ hac parte optimus & excellens Vir bene mereri voluit; Quadringentis inſuper ad ſplendorem Facultatis attinentibus Theſauris orbem ditaturus, qui nondum uſu comperti, aut ab aliis neglecti & male deſcripti hactenus infuſcantur. Quos petitioni illius obſecundans in ordinem digerere aggrediar ubi otium animi mei gaudio allubeſcere volet. Epiſtolæ vero tenorem non de verbo ad verbum, ſed quantum Latinitas permittit, ſenſu illæſo explanare levitas laboris eſt, ſed ea cura, necubi fides interpretis vacillet, vel legentium ſtudio turbæ fiant. Apographum vero in ſequentium ſerie proferre non piget.

Cl. V. D. CLUTI. Inſtinctum tuum boni & magni zeli expertus ſum, poſt nuperum ex India reditum iteratis tecum colloquiis, non tantum humanæ ſalutis curioſis, ſed etiam de honore patriæ ſolicitis. Quocirca velut aculeo me propulſaſti, ut memoriæ meæ arculas eventilarem, indagaturus quantum in iis ſupereſſet, quo Cocci de Maldiva, atque aliarum minoris pretii Nucum, genus elucidari poſſet. Quod etſi ejus monetæ aut valoris non reperio, ut appetitui tuo acriter flagranti ſatisfieri queat, ne quid tamen officio meo deeſſem, ſermonis breviario quicquid memoriæ meæ velut poſthumum remanſit, tibi conſecrare aggreſſus ſum, in quo te promumcondum eſſe jubeo, eorum quæ materiæ tuæ & propoſiti terminos ampliare queant. Et in prima quidem ſerie, Anteſignani partes occupat, legitimum de Maldiva Coccum, qui in aulis Indorum Principum, atque inter Nobilioris gradus viros, ob rara inſignia & Medicinæ efficaciam, tanto honoris pretio attolli ſolet, peculiaris arboris ſobolem & fructum eſſe, longo diſſipio à vulgarium Coccorum atque nuciferarum arborum indole remotum. Quemadmodum experientia duce, anno milleſimo ſupra ſexcenteſimum & octavum, in litore & maritimis Indiæ locis addidici, occaſione navigii ex Inſulis Maldivenſibus adventantis, ut veterum Coccorum proventu ferax Calecuticam terram aut aliam conterminam ſublegeret; quod prætoriæ noſtræ curſu interceptum, & nautica gens explorata intelligendi anſam præbuerunt ſcapham eam cum omni armamentorum genere penes mercimoniorum congeriem, atque ipſum cibi & potus penu, totam ex ligno, foliis, cortice, fructibus Cocci arboris conſtare, pauculo tantum oryzæ adjuncto. Popellus vero hic affirmando rateſcere jubebat, negotiationem ſuam hoc fructu circum-

ſcribi, atque ejus vecturam certis anni temporibus in Continentem ſe facere, veſtium atque aliorum neceſſariorum verſura eam commutantes, quorum penuria Inſulanos ſuos torquet. Quo occaſionis ductu ad ſtudium tam appretiati Cocci de Maldiva excitatus ſum, quem plebecula illa in paucis Inſulis & numero contracto reperiri, & diligenti cuſtodia à territorii proceribus ad poſſeſſionem ſuam rapi aſſerebat; ut raro, & non niſi, aut titulo munificentiæ ad Malabarenſes, alioſque Principes, aut furti aſtutia in peregrinas regiones, transferatur. Adeo ut mirari ſe dicerent, noſtros tam ſolennem Cocci Maldivenſis proventum in pauperculo rerum ſuarum ſtatu inter proletarios & rureſtres Coccos indagare, aut antitheſin aliquam comparandi inſtituere velle. Horum omnium perſuaſu, penes ea quæ experimentis propriis in prænominato & genuino Cocco adhauſi, adducor ut credam & ſententia à me feratur, ſui generis arborem & fructum eſſe, longe à ſemitariis Coccis recedentem; eo magis, quod nunquam niſi inter Summates magna pretii æſtimatione aſſervari intellexerim, in quorum fidem memoria mihi ſuggerit, me anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto menſe Maio à Moluccis ad Bantamenſes reverſum, juſſu Archithalaſſi *Bothii* P. M. cum jam defuncto *Coenio*, eo tempore Præſidis munus adepto, auctoratum eſſe, ut, quædam Societatis negotia ibidem procurantes ſenem Pangoranum *Ariſam Mangaca*, jam tum Regis ſceptro Bantamenſibus imperantem, conveniremus. Eum vero in Regiæ ſeceſſu, inſtrumentis ad tornum paratis, & adminiſtrorum frequentia, circa magnæ molis Coccum Maldivenſem adeo deſudantem offendimus, ut longo temporis diſpendio curas noſtras ſuſpendere coacti ſimus, atque in vicem de prædicto Cocco colloquii textum ordiri; quem manibus Pangorani verſatum, memoria aſtipulante, magnitudinis raræ, & magis in longitudinem extenſæ, quam rotunditatem convolutæ, eſſe pronuncio; ſed ſubtilis ſubſtantiæ teſtam inciſura aut fragmentis atram, cæterum vulgaris Cocci tam externe quam interne, non abſimilem colore. Is in fruſta varia diſperſus erat, ut ſciendi apud nos difficultas remanſerit, caſu inaugurato, an ſtudio humano, in eam formam redactus eſſet. Ea tamen Principis adminiſtratio fuit, ut non minori cura minutas particulas, quam magnas cuſtodiret, poſtquam eas ſpeciatim ad uſum ſuum proprio digeſtu diſpenſaret, ne quid à particulis, imo ipſo ramento & bracteolis à torno relictis, deperiret. Animadvertendo delineabam, minora fragmenta ab eo appropriari caliculis, ſcyphulis & cochlearium atque ejus generis aliis formis, quibus ſiccus, humidus, & ſuccoſus cibatus depromi poſſet, maximam ejus portionem, quæ Nucis pene dimidium accomplebat, intactam ſinente. Quæ omnia, in arbitrio oculorum & conſpectu noſtro facta, facile evincunt, neque Principem operis ſui circa Coccum Maldivenſem puduiſſe, neque nos veritatem obtorto collo trahere. Ea, tam curioſe inſtituta, adminiſtratio, Præſidis *Coenii* linguam diffibulabat, ut Principis mentem modo variegato pertentaret, cujus ſcilicet energiæ nux ea foret, in qua tantæ ſublimitatis Pangoranus & Princeps ſe diſtrictum tenebat, omnia propriæ cuſtodiæ tradens. Ad quæ reſponſum dedit, eam Nucem legitimi & pretioſiſſimi Cocci de Maldiva progeniem eſſe, quam Codiacti aliquot Mercatores, nempe Mauritani, ante longum temporis ſpatium parenti ſuo magni muneris inſtar advexerant, eamque inter Iavanenſes, Malayenſes, Malabares, nec non alios Indici natalis populos præſentiſſimæ Medicinæ laude cenſeri, ad omnem toxici hauſtum, & morbos divinos, febreſque magni diſcriminis. Ita præſidi *Coenio* mirum videri non debere (poſtquam ſanitati nullus Theſaurus prævalet) ſi ipſe manu propria verſaret, & pervigili cura omnia illi inſervientia cuſtodiret. Intra hunc reſponſi tenorem, tornando ſe occupabat, tam ſtudioſe omnia deſignans, ut Legationis noſtræ propoſitum exequi nulla ratione liceret. Quæ cauſa Præſidem *Coenium* inſtigabat, ut, dum ille ſermonis filo inſiſteret, fruſta quædam Nucis oculari inſpectione uſurparet, & manibus ſuis insereret, velut mihi quoque ſpectaculi commoditas non deerat. Atque in hoc ſermonis curriculo *Coenius* petere inſtitit, num fruſtulenta quædam, in uſum Generalis *Bothii*, corradere illi liceret, quod aulico ritu accomplete præſtabat; quo audito in habitum ridiculi furoris verſus Pangoranus fragmina ea ex manibus *Coenii* eruebat, reſponſum interim bucca follicante ſupplens, ſupercilio nubilo & in rugas caperata fronte, felicitatis & favoris affatim eſſe, tantam majeſtatem Cocci, oculis peragrari poſſe; abſonum inſuper videri, mendicando inde aliquid extorquere velle. Ad quæ Cl. *Coenius* verbis bene digeſtis reponebat, non proprii commodi ſe Oratorem eſſe, ſed petitionis ſuæ cardinem in eo verſari, ut Generali *Bothio* doni gratiam faceret,

ceret, qui, Vir præcellentia celebris, &c, velut ipſe Princeps fama accepit, jam in procinctu eſt, ut in patriam revertatur; & proinde doni iſtius magnum meritum illi fore. Quæ omnia Pangoranum adeo non ad liberaliorem habitum perducebant, ut reſponſi vicem præberet, in procaciam verbis adaptatis, Coccum Maldivenſem ejus pretii, apud Reges & Principes, non minorum gentium Generales, diverti debere. Quo reſponſo mirifice genio ſuo litabat, poſtquam, intra Belgarum & Anglorum apud Bantamenſes moram, oraculi inſtar ſanciverat, ne quis Generales aut alterius ordinis Rectores, utriuſque Nationis, inter Principes & Aulicos adminiſtros numeraret; quod Mercurio vota facerent & lucri cupiditate turgerent, eoſque viliori reſpectu & ſpretu majori ſemper dignatus eſt, quam territorii ſui Dynaſtas & Inquilinos, quorum curæ circa Principum & Regni negotia limitarentur. Quibus ita decurſis Pangoranus ritus ſuos in aliam faciem mutare occepit, Cocci Mald. fruſta ſeponens, noſque ad auditorium ſuum expeditionis ergo admittens, nulla ratione ſe induci paſſus, ut tantillum Cocci Mald. Generali *Bothio* admetiretur. Quæ omnia domum reduci *Coenio*, recenſendi occaſionem præſtabant, ut de dignitate Cocci Maldivenſis & aviditate Pangorani colloquium texens in cachinnos genas laxaret. Tam raram Cocci Mald. dignationem ex Pangorano ubi percepiſſem, atque oculari inſpectione aſſecutus eſſem, qua ſolicitudine eum tantus Princeps verſaret & cuſtodiæ ſuæ traderet, cupiditatem in me & curam ingeneravit Coccos ejus notæ aut ſaltem taleolas aliquot acquirendi, velut deinceps poſt bonam temporis menſuram minutula Nux Maldivenſis ad dominium meum tranſlata eſt, in totum differentia à jam dicta aberrans; poſtquam ea anſerino ovo major non eſſet, compagine teſtæ craſſior & ſcabroſior, nec non ratione proportionis magis extenſa in longitudinem, quam in præcedentibus enarrata. Multoties lima aliquid abraſi, & ſubinde in gelidam, ſubinde in calidam, demerſi, explorandi induſtria, quæ varietas coloris, odoris aut ſaporis contra ordinarii Cocci indolem ſe propalaret; atque experimento comperi, eam ſimili quantitate, & doſi liquoris, in æquilibrio ſoliti Cocci, ~~ſaturatiorem Cocci colorem, *fragrantius*~~ ferientem odorem, & acutioris ſenſus ſaporem manifeſtare: quod cum me interni farctus aut medullæ deſideroſum efficeret, Nucem meam ad digiti latitudinem in ſuperficie ſerra detruncavi, quod ipſum non niſi ſubtili acie & poſt multos labores effectum dare potui, poſtquam ſecundum jam dicta, teſta craſſa admodum & immenſa duritiei contumacia reſiſteret. In aperta, contra genium & naturam vulgarium Coccorum, medullam albam deprehendi, quæ, communi velut lege, teſtæ coaluit, non diſſolvendo pene nexu, qua à calyce ſeparata, offendi, ſolidam velut medullæ maſſam, ad paleæ latitudinem à circuitu teſtæ diſſitam, ſui quaſi juris, ad teſtæ effigiem concluſam, & excitato motu ſtrepere ſolitam, tanta ariditate refragantem, ut cultro aut novacula exiguum modo ramentum ſeparare liceret, quod ipſum duritie cum oſſe certabat; nihilominus aliquales aſtringentis amaroris vires promebat.

Atque hæc præcipua ſunt, quæ tibi V. Cl. de Cocco Maldivenſi communicanda novi, hac quidem temporis occaſione. Cæterum non mihi deeſt ampliora, de communi Coccorum atque aliarum Palmarum genere, participandi, poſtquam experientia, proprio ſatu parta, talem eorum cognitionem mihi largita eſt, qualis ſpecierum deſcribendarum modulis neceſſaria eſt. Quoniam vero præſens operis tui tractatus de ſolo Cocco Maldivenſi lapidem verſat, quicquid reliquum eſt, in futuram commoditatem differemus. Tuum interim erit ea cordis propenſione jam communicata amplecti qua tibi oblata ſunt. Tuus animo totus I. SPECX.

Scholion. [Tornando ſe occupabat] Mira naturæ ſedulitas in ferinæ propemodum nationis Principe, ſed quam cultioris ſeculi exemplis probabilem reddere licet. Quippe Imperator quoque Rudolphus II, noſtra ætate Toreutices avidiſſimus fuiſſe dicitur, manus ſuas fabrili opere occupare ſolitus. Ne tamen in mundi ſenecta eum morem invaluiſſe quis arguat, poſtquam Iulium quoque Cæſarem in ipſo Orbis pene natali ſtudium ſuum tornando detinuiſſe conſtat, vel Suetonio teſte, qui in ejus vita aſſerit Cæſarem gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſime comparaſſe. Vtinam pejus collocatæ operæ nemo rationes reddere cogatur! Quippe otio intervallum largiente plurimi voluptati & Feſcenninæ licentiæ ſe dedicare ſolent, Alea & Fritillo potiorem ætatis partem oblimantes; unde tandem res domeſticæ franguntur, ſanitas labefactatur, honos proſcinditur, dum iſtis

S 4 frugiferæ

frugiferæ manus gloriæ immortalitatem, familiæ & ſalutis, imo & ſeculi temperiem parare ſolent.


LVcem in tenebris quærere, neque unius, neque plurium ſimul eſt negotium, qui quidem vel oculorum caligine laborant, vel mentis acie hebeſcunt. Quod in Botanices campo exertis indiciis documentum præbet, qui licet fertilitate hilari, & extricabili copia abundet, humani tamen ſtuporis vitio atque intellectus impervio tranſitu diu neglectus jacuit, imo pedibus varie diſperſus eſt. Antiquorum autem induſtria coli cœptum Seplaſiarii, atque his pejores Monachi, velut irreptione facta, radicitus everterunt. Quippe tenebrarum alumni, atque inſcitiæ propagines, divinorum arcanorum incuriam ad Medicinæ lanienam tranſtulerunt, ſcilicet in delegato ſibi munere inertes, in aſcititio atque alieno ingenioſi, ſi dîs placet. Tanta vero male rem gerentium efficacia fuit, ut Europæ, imprimis Italiæ, non ſolum literatos, verum & Aſiæ, Arabiæ, atque Africæ incolas traductionibus iniquis non ſine flagitio confundentes, ad quiſquilias ſuas & gerras pertraxerint. Quam fundi Medici calamitatem nitori ſolito reddere æquanimi & ſolido judicio præditi hominis res eſt, quique varia per orbem jactatione, linguarum adminicula, quibus Botanica ſuſtentatur, & herbationum, rerumque naturalium arcana penetravit. Ego autem licet eruditione & ingenio gregalis, pro viribus tamen effectum dabo, ut aliquam perniciei ſuæ maculam tam ſalutaris ſcientia deponat. De Coccis vero & Palmarum generibus ſtudium meum brevi intendere voveo, poſtquam ad illuſtrandum à probis viris faces mihi prætenſas non diffiteor. Quippe & noſtri ſeculi in communicando liberalitas & ſuperioris non averſanda diligentia, rei Botanicæ locupletiorem me eſſe volunt. Quos omnes ad inquirendi ſtudium preſſo veſtigio ſequi me fateor, ut ſi non æqualis aliquando, ſaltem parvo intervalli ſpatio ab iis avellar. Quod effutitione in audaciam laxata à me dictum qui putabit, candoris noſtri patrocinio adductus, boni interpretis habitu excipere debet. Neque enim eruditioni meæ, quæ tenellas dotes habet, palpum facio, ſed diligentiæ merita apud ſtrenuos quoſcunque ad abbacum vocare non erubeſco. Hac ſola ordinem aliquem tueri me invenient, qui Herbariæ quoque rei notitiam, jam longa temporis ſerie partam, apud me vigere non ignorant. Neque plura in acceſſum aut augmentum convaſare libet, ne operi noſtro brevitas conſecrata, verborum abundantia in Pandectas aut longitudinem immenſam evagetur. Rem vero negotii & difficultatis plenam propenſa animi alacritate decurrere ſtatui, quæ una multorum laborum exantlatrix eſſe ſolet. Si tamen propriis ingenii viribus ſuccumbam, ad eruditorum virorum ſcripta confugiens pedamentum mihi præbebo. His quoque alibi defectum ſuum quiritantibus, ad Exoticorum theſaurum à me receptus fiet, quem proprio Marte ex ſcriptis & quandoque colluvie (ut ita dicam) Auctorum corrado, ut mihi & poſthumis ſubſidii loco ſervire poſſit. Quippe ex umbris domeſticis in claram cæli lucem aliquando exauſpicabit, modo pari vitæ & ſanitatis beneficio frui nobis dabitur. Quod D. O. M. largiri nobis dignetur, ut quæ verbis hactenus fucata apparent, in veram operis effigiem perduci poſſint.

Quemadmodum nihil efficacius aut probabilius docet, quam Icones ad res propoſitas adhibitæ, ita omnino neceſſarium duxi noſtræ huic Medicæ Nuci tabellis fidem & auctoritatem afferre, quod verbis non ſatis convenienter fieri potuit. Ex libris enim ſolis neminem aut Anatomicum aut Botanicum inſignem deveniſſe conſtat. Quia autem oculi miniſterium quod ingenii acumine & præcellentia dirigitur, pictorem ſubinde facit; nunquam rejiciendi videntur, qui in utroque officium præſtiterunt, ſcilicet rem verbis dilucidatam figuris exprimentes; poſtquam, velut mutuum muli ſcabunt, ita oculus exterior internam mentis aciem illuſtrare ſolet. Quippe *Scaligero patre* Auctore, Exerc. 75. Sect. 2. *Imago rerum nihil agit præter impreſſionem in ſenſus vel exteriores vel interiores, ad cognitionem.* Quæ impreſſio niſi facta eſt, otioſam figuræ oſtentationem dicere licet. Ait enim paulo ante, *Quippe imagines, ſpecies, repræſentationes, amota ſpecie omnes abeunt: niſi quæ in ſenſibus recipiuntur. Sunt enim horum picturæ illæ.*

QVandoquidem Nucis Medicæ diviſionem in partes, quibus facies diverſæ figurantur, præfatus fui, non inconcinnum judicavi, poſtquam ad vivum delineatas tabellis offerre licuit, paucula notatu neceſſaria depromere, quo plus lucis afferatur.

A lite-


TAVARCARE' ſive NUX MALDIVENSIUM.



A.

A litera denotat geminam Nucem. Hæc figura Nucis Maldivenſis, non oblique intuenti, ſed è directo introſpicienti, & manibus contentæ viſuique oppoſitæ, duplicatæ pyxidi comparanda venit.

TAVARCARE' ſive NUX MALDIVENSIUM.



B.

B. Seſſilem & ſummam partem exhibet, quæ ſenſim declinat in modum interfeminei, facie oculis pudicis aſpicienti horrida &c. Hanc etſi æqualiter per latus alterutrius diviſam exhibeo, nihilominus, ne Lectoris animo dubium aliquod offeratur, monendus eſt, beneficio ſectionis, quæ ſerra facta eſt in præcedente A, extrema orificia conjungi B. & partibus reſectis extimis, nos integram Nucem oblaturos. Conſideratis tantum tribus; nempe partis ſummæ acuminatioris præſertim habendam eſſe rationem, in cujus baſi apertura eſt, paulo ante à me dicta, quæ ſedes eſt germinis ſeu gemmæ, quam podici non inique accomparavi. Dein Spiracula duo conſideranda eſſe lateraliter in parte hac ſuprema regione locata, quæ cæteris paribus magnitudine etiam non ſuperant vulgarium Coccorum ſpiracula. Ea ad ſcyphum conſolidandum obturantur, quod videre eſt in minore Cymbio Maldivenſi honeſtiſſimi Mercatoris

Samuelis

Samuelis de Bendana, qui duo poſſidet, ab artifice quondam Antwerpienſi, argento affabre inveſtita. Tertium vero non eſt prætereundum, in integra Maldivenſi Nuce, colliculum quaſi Veneris, fœmineæ pubis faciem dextre æmulari, quæ ſerræ molimine tranſadacta deperditur.

His ita in præliminari operis diſpoſitis, auctoritates quoque alienas velut in depoſitum addere non vanum judico. Garciæ præſertim ab Horto & aliorum Medicorum ſententiæ non præterlegendæ, quæ ejus roboris Clariſſimo Cluſio viſæ ſunt, ut eas in Latium ex Luſitana lingua transferre non ſubterfugerit. Quas ipſiſſimis CLUSII verbis repræſentare operæ pretium eſt, ne interpolando, aut mutando, alienæ diligentiæ fraus fiat, aut publico uſui aliquid derogetur, dum verborum, ut ita dicam, foliis attenta mens inſeneſcit.

Garcias apud Cluſium pagina 190.

“ Laudatur hic Coccus aut Nux (ſed præſertim ejus medulla) adverſus venena ab ipſis
“ earum Inſularum Incolis. Et à viris fide dignis accepi, ad Coli dolores, Paralyſim,
“ Epilepſiam alioſque nervorum affectus ſe utilem ſenſiſſe: à Coli quidem doloribus, quod
“ vomitum excitaret, ab aliis vero ægritudinibus immunes reddi ægros, ſi aquam in iis
“ Nucibus (adjecto medullæ momento) aliquamdiu conſervatam ebiberent. Sed cum
“ non ſim id expertus, minus fidei his tribuo. Nullam autem periculum faciendi, oc-
“ caſionem habui, quod uti malim medicamentis, quorum facultates jam mihi per-
“ ſpectæ, & multa experientia comprobatæ ſunt: qualia Lapis Bezar, Theriaca, Sma-
“ ragdi, Terra ſigillata, & alia pleraque medicamenta (de quibus ſuo loco), quam re-
“ centibus, minuſque certis. Nam quod nonnulli dicant, ſe hujus uſu commodum ſen-
“ ſiſſe, an id perſuaſione & imaginatione factum ſit, ignoro: hinc fit, ut nihil affirmare
“ poſſim. Sed ſi quid certius cum tempore exquiſivero, ſententiam revocare non pude-
“ bit. Niger eſt autem hujus Cocci cortex, & nitidior vulgari Cocco, figura ovali ma-
“ gna ex parte, nec ita rotunda ut vulgaris. Medulla ſive pulpa interior, quæ ſiccata
“ dura eſt admodum & candida, non nihil tamen ad pallorem inclinans, in ſuperficie ri-
“ moſa eſt & valdè poroſa, nullo ſapore excellens. Doſis vero eſt hujus medullæ ad gra-
“ na decem cum vino aut aqua, pro morbi ratione & natura. Inveniuntur autem hi Coc-
“ ci grandes admodum, interdum etiam exigui, omnes autem in litus ejecti. Vulgari
“ porro fama accepimus, Inſulas Maldivas aliquando Continentem fuiſſe, ſed inunda-
“ tione maris ſubmerſas has Inſulas effeciſſe, in quibus obrutæ Palmæ fuerint, quæ hos
“ Coccos protuliſſent, qui terra indurati, in hunc modum conſpiciuntur. Sintne vero
“ ejuſdem generis cum noſtris, facile judicari non poteſt, cum hactenus nemo folia aut
“ arboris truncum videre potuerit; ſed ſoli Cocci in litus ejiciantur, nunc bini conjun-
“ ctim, nonnunquam vero ſinguli ſeparatim. Sed hos nemini colligere licet, niſi cum
“ capitis periculo; quoniam Regis eſſe aſſerunt quidquid è mari in litus ejicitur; quæ,
“ res majorem auctoritatem huic Nuci conciliavit. Eximitur autem ex his Coccis pul-
“ pa ſive medulla, deinde exſiccatur eadem ratione qua Copra, atque indureſcit eo,
“ quo venditur, modo: diceres eſſe caſeum ovillum. *Ad hæc verba Cluſius adnectit*: Vidi-
“ mus tum Uliſſiponæ, tum aliis in locis vaſcula ex Cocco de Maldiva confecta, oblon-
“ giora plerumque iis, quæ ex vulgari Cocco parantur, magiſque nigra & nitida. Quin-
“ imo ipſam medullam Nucis ſiccatam Uliſſiponæ venalem reperire licet, cujus facul-
“ tates mirifice extollunt, atque omnibus fere alexipharmacis præferunt; ob quam cau-
“ ſam ingens ejus pretium. Quam vero parum fidei ſit adhibendum hujuſcemodi fabu-
“ loſis & commentitiis facultatibus, ex noſtro Autore ſatis liquet.

Refert porro Cluſius *hiſtoriam vaſis ex Cocco Maldivenſi confecti & argento incluſi, quod Ia-*
“ *cobo Gareto acceptum ferebat.* Magnitudine (*inquit*) illud ſuperabat reliqua vaſcula ex ſi-
“ mili Cocco confecta; repertum erat in prætoria illa navi, M. D. XCII. ab Anglis oc-
“ cupata: longum erat uncias quatuor & decem, latum ſeptem, ovalis inferna parte fi-
“ guræ, ſuperna paulo planioris, latere dextro magis rotundum & tumens, externa par-
“ te calcei pedi inducti pene inſtar. Color qualis in Cocco vulgari lævigato & expolito.

Chriſtophorus à Coſta apud eundem Cluſium, *Fol.* 270.

“ Coccus de Nalediva (*ita quibuſdam dicere placuit*) cognominatus, adeo commenda-
“ tus ab ipſis Incolis & à Malabarenſibus, non modo à plebe, ſed à Regibus & Principibus
“ viris, ut in omni fere morborum genere ad eam confugiant, tanquam ad ſacram an-
“ choram. Fiunt in eam gratiam ex illo pocula quæ auro vel argento excipiuntur, &

in

in navium triremiumque figuram efformantur, ad aquam bibendam, in qua ex catenula, medullæ ipſius Cocci fragmentum pendere ſinunt: ſibique certo perſuadent, illis qui aquam ex ſimilibus poculis hauriunt, nullum venenum nocere poſſe, futuroſque immunes à multis morbis; in quos ſane memini multos incidere qui ex iis poculis bibere ſoliti erant. Et licet omnem diligentiam adhibuerim, nunquam tamen obſervare potui, ſimilia pocula aliquem ex morbis curare, ad quos utilia eſſe creduntur: potius igitur arbitror tantam laudem obtinuiſſe à vulgi opinione.

Nonnulli, ex hujuſmodi vaſculis bibere ſoliti, mihi affirmarunt ſeſe experientia didiciſſe, jecur incendi, renes noxam contrahere, & calculum generari: nihilominus tamen magnum eſt eorum pretium, longeque pluris æſtimantur iis locis ubi inveniuntur, quam aliis procul inde diſſitis: nam interdum ejuſmodi Nuces nudæ, neque auro aut argento exornatæ, quinquaginta aut amplius nummis aureis æſtimantur. Nigrior autem, nitidior, longior, majorque eſt hic Coccus, quam aliæ Nuces Cocci communis.


Hactenus *Chriſtophorus à Coſta*, qui potiorem commenti ſui partem ex Garciæ aromataria hiſtoria deprompſit; quod facili oculorum tranſenna animadvertendum, qui Palmæ Indicæ deſcriptiones ab utroque editas conferre dignabuntur. ſed neque heterogenea ſcripſerunt, quotquot calami opera in hac arbore deſudarunt; in quorum choro *Martinus Ignatius*, ordine Franciſcanus, non poſtremas occupat, qui in tertia hiſtoriæ Sinenſium ſeu Itinerarii Novi Orbis parte, capite octavo, hæc non perfunctorie tradit. *Ioannes* autem *Hugo Linſchotanus*, folio exemplaris noſtri 17.18. cap. 13. eodem mutui privilegio hæc ad ſe derivavit; ibidem promittens Nucis Medicæ arborem integra hiſtoria enarrare, in quo tamen velut corvos hiantes nos eludit; vulgarem vero pertractate decurrit, ſubſidiis in hanc mentem non excuſſus. Sed neque à more meo alienum eſt ſcriptis mutuatis opellam meam ditare, cum ne ipſe quidem *Iulius Cæſar* gregarios milites ad rei certitudinem vocare non erubuit, fruſtra Aſinio Pollione Imperatoris ſtudium criminante. ~~Rivulis enim ex *Franciſco Pyrard de Laval*~~ ad me ductis omnia ea digeſſi, quæ capitis ſecundi & tertii confiniis detinentur, ſed idiomatis Gallici veſte in Latini ſermonis habitum mutata: velut neque oſcitando præterlabi paſſus ſum, quibus Inſularum ſpatiis, quove limite, ea Nucis colligendæ meſſis fieri ſoleat, non dimiſſa cæli temperie & ſoli dotibus, magnam in genio deſcribendo laudem ſibi arrogare ſolitis; ubi de earundem Inſularum latitudine (quæ poli elevationem adæquat) ſermocinamur, eodemque filo diſpoſitionis efficaciam ad plantas, fructus, flores promanantem, detexere libuit. Nucum vero legendarum artificia, aut piſcandi modum, neglectum jacere permiſi, in qua ſerie, anni quoque tempeſtas ordinem ſuum non invenit, velut extimæ quoque faciei delineatio penicillo noſtro caret, ſi qua integatur, ut vulgaris. Inquiſitione vero ſua dignatus ſum, an Medicæ Nucis gemini ſemper alvei à cæſura circumacta, ut in Baſilica ſeu Iuglande. De reliquis in fidei tutelam muſſitabundus ſedere malui, quam otioſa proferre, quæ ipſis forte indigenis non obvia, aut inveſtigationis labori tam in aviis ſita terra, difficultatem afflare ſolent. Hoc mihi liquido conſtare fateor, Nucis Maldivenſis exemplo adductus, aliam aliarum eſſe formam, quippe noſtra (cujus in præfatione ad Lectorem memini) ſummis labiis argento recipiendo ſedem præbuit, in circumactum cruſta ducta, pro vaſis figura: Wolferdiana autem ſerræ ſpatium cum injuria fuiſſet paſſa; quare duplicatæ tantum capſulæ pronam habilitatem aptavit, quarum cuſtodia *Betel*, Calx oſſium, *Siri*, *Pinang*, *Arecca* &c. quorum apud Indos uſus Maſticatorii vicem præbet, ab aëris injuria vindicantur; velut his clauſtris Ambra Griſea à ſordibus libera aſſervatur. Quanta vero Nucum capedo ſit, ex Linſchotani ſedulitate cognoſcere licet, qui ad Regem Hiſpaniarum deferendas, duarum circiter amphorarum capaces fuiſſe ait, ſed in dimidiatis tantum eam menſuræ rationem probabilem videri, poſtquam integrarum circuitu duplam liquoris condi poſſe aſſeverat, ſimili dimenſo, imo largius excurrente, noſtra celebratur. Eam vero Gemmis (quæ ad uſus diverſos ſalutiferæ vocari ſolent) adornatam volui; quarum pars mobili aptitudine neceſſitati urgenti inſervire valet, utpote Nephritico & Carneolo lapidibus, pars in cera radicem agens, aut firmiter inſerta argento, tranſlatitia fieri pernegat. Vt autem varietatis illicio indulgerem, vicenis ſpeciebus, imo pluribus, copiam eam diſtinxi, in quibus ſplendoris gratia non vulgaris & ſuas delicias oculi curioſi invenire gaudent. Cymbium vero ea forma edolatum eſt, ab Artifice ingenioſiſſimo

nioſiſſimo *Hermanno Martens*, argentifabro & cive Amſtelædamenſi, ut inter avem & piſcem medium animal referat. Gloſſopetra etiam linguam exertam animalis mentiens, obfirmat epiſtomium, quod in effundendo liquore intro recepto aperitur. Rhinocerotis autem affabre elaboratum cornu, operimenti claudentis vaſis aut Cymbii inſuper & vitri excipuli effundendum & ebibendum liquorem locum dat: Ita Philoteſias & Iatrices poculum habes. Hactenus Nucem noſtram Medicam enucleavimus, ea in fronte operis congerentes, quæ neceſſitas & filum rei exigere videbantur, nunc in poſticam reliqua trahere libet, ſine quibus tractatum mutilari contingeret; quare ſilendo non decoquentur.

Putaminis raſura & pulviſculus concinnatus nulla ſaporis idea inſignitur, dum linguæ vehiculum, deglutienti tranſitum præbet, neque odoris ullam ſpeciem naſo admotus imprimit, ſed neque ventriculo exceptus nauſeæ occaſionem ulla qualitatis repugnantia irritat, nullo vomitus incitabulo infeſtus, neque alvum aſtringendo ſiſtens. Quæ omnia non tantum fide ab aliis mutuata affirmantur, ſed domeſtico etiam in me exemplo auctoritatem invenerunt. Quod cum veniæ præfatione *Ch. à Coſta* & *Cl. Cluſio* dictum volo; qui rem male perpendentes juſto rationis æquilibrio non inſerviunt. Veritas enim hoc ſolo, velut dictatore, enucleatiſſima prodit, dum experimentorum indago menti tenebras involvit. Nux vero noſtra incertæ fidei teſtimonium præbet, quod promptuariis alienis rariſſimo uſu inſeratur, apud paucos duntaxat in orbe Europæo reperiri aſſueta, ut infrequens effecti exploratio ſit, & ſi maxime ad uſum manus tranſeat, mentis humanæ caligine difficilis ad veritatem acceſſus detur.

Color autem putaminis Maldivenſis natura ſua ater eſt, & non abſimilis Ebeno. Vulgaris autem tinctura & ætate ater redditur & pulligine tantum levi aſpicientium oculos detinet.

Tabella hæc Medullam, atque integumentum, ſeu corticem intermedium exhibet.



Liquorem vero putamini committere alieni arbitrii rem facio; velut neque hoc præmanſo opus habet, quo temporis intervallo ſcyphum obturare deceat, quove loci, calore an frigore conſervandus veniat, poſtquam liberam unicuique ex re nata judicii aſſertionem facio. Neque enim periculoſa indago eſt, poſtquam præter unam ſiccitatis notam, nihil ſenſui objicit, quod ſaporis ingratitudine Naturam aut guſtum offendat, frigiditatis enim temperamento ab exceſſu immoderato avellitur; etſi ſuæ quoque caloris particulæ adhæreant, ita Elementis inter ſe commiſtis, ut fida ſubſtantiæ permanentia reddatur. Quod exemplo vaſculorum & doliolorum quorundam, & medicamentoſis cornibus levi opera probare licet. Ex Thamariſci præſertim ligno & corticibus fabricata fidem indubitatam faciunt, à multis uſque ſeculis veritati nihil detractum eſſe. Quippe ne in continuo quidem uſu doliola ea nativam virtutem exuunt, operi ſuo jugiter ſtudioſa natura. Quod Medicinam factitanti experientiæ adminiculum præbere poteſt, poſtquam ſcyphulus, ex Antimonio arte Chymica factus, neutiquam ſuæ energiæ dotes deponat, ut ut frequens ejus adminiſtratio ſit. In Nuce autem noſtra clarum documentum erit, quæ non minorem leptomeriæ guſtuſve gratiam habet, quam Thamariſcus, qui roborando, atque reſerando, aliiſque modis ſtrenuus eſſe ſolet. In toto autem Naturæ opere multa ſenſibus obvia, rationi occulta ſunt, quæ deinde uſu adhibito velut ſplendeſcere conſueverunt. Quare Medici rationalis munus eſt, abditas qualitates non rejicere, quas conſervandæ vitæ & pellendis morbis utibiles eſſe multorum ſalus declarat.


Supereſt Medullæ quoque effecta & virtutes incomparabiles enarrentur. Quippe non ſolitaria tantum, ſed aliis etiam ſimplicibus admiſta, valenter ſe exerit. Hæc cornea duritie limam reſpuit, ſed cultro internæ parti adacta & malli percuſſu fiſſa, mortario & piſtillo ferreo in pollinem redigitur, qui ἄοσμος καὶ ἄποιος. i, inodurus & inſipidus eſt, non ſecus ac Lapis Bezoar Occidentalis, cui ſtriis, minus tamen viſibilibus, & colore affinis eſt. Ovilli autem caſei cruſtæ veteri aſſimulanda videtur, cujus pars interna

interna rimoſa viſitur, externa qua parietibus Cocci interius adhæſit, ſoliditatis firmæ, interventu corticis intermedii ſtabilita, à quo ſpano aut noctuino afficitur colore extrinſece; materia albida cum dentium humanorum duritie certans. Pulvis nullum moleſtiæ comitatum habet, cum aſſumitur. In actum vero à calore & ſuccis ventriculi velut fermentando diſſoluta ſubſtantia perducitur, atque ea operis efficacia eſt, ut fidem requirenti ſufficere queat.

Hinc ad integumentum internum, ſeu corticem intermedium tranſitus fiat; Qui oculorum arbitrio in capſis meis tenellum ſe declarat; coloris ferruginei aut ſpani, inſtar corii hircini in calceorum uſu craſſus, fibris quibuſdam à centro aut umbilico ad convexa ſuperficiei exteriora variegatim diſtinctis præditus, velut à Iocinore venæ & à Corde arteriæ ad omnia humani corporis membra derivantur. Hic autem è craſſioribus partibus contextus videtur, ſapore (quem Græci *ἄτονον τῆς γεύσεως* vocant) ignave ſubaſtringens. Intra mandendum non ſe colligit & conglobatur, ſed per univerſam linguæ capacitatem ſe ſpargit. Quorum omnium conſenſu & ſuffragiis facilis deductio eſt, qua temperie vigoretur, & quam indolis habilitatem ſortitus ſit.

Gemmæ porro ſeu germinis Hiſtoriam in Aphoriſmis Cl. *Realii* & Scholiis noſtris digeſtam reperies; quæ eo manus libramento à me conſcripta fateor, ut publico uſui prodeſſem, non inani verborum oſtentatione turgerem, modum ſervans, ut potius infra rem quam ſupra, aſtrictius quam effuſius dicere videar. Quid enim me moveret corticoſum aut villoſum integumentum, uti Nucis vulgaris eſt, in Maldivenſi noſtra fingere, cum forte ea deſtituta reperiatur? ita non exceſſiſſe, ſed potius non impleſſe materiam dici malui, nec aliis ſcribendi poſt me anſam præripere; imo ſententiam meliora edoctus revocare non pigebit. Hæc quantum per mediocritatem noſtram licuit, Rei Medicæ & Naturæ ſtudioſis ſtrictim delibaſſe ſufficiat.

Hæc autem Tabella Germen, aut Gemmam in lapillum Gemmæ capitoris verſam, icone viva delineat, quibus Cocci Medici partibus lapillum è Cocco vulgari Indico adjicere non pœnituit; ut fides & veritas intra tutelam ſuam exempli allegatione conſiſterent.



Quandoquidem opuſculum hoc abſque Hiſtoriis non legendum eſt, obſervationes & experientias noſtras ad firmandum inſtitutum adſcribo; à Collegis enim meis ſubinde rogor, ut præter ea, quæ à Garcia recitantur, generatim, alia experimenta peculiaria aliquot, in quibus ægritudinis & curationis ſeries ſingulatim conſiſtit, explicarem; quo non modo quanta in hujuſmodi præſidio vis & poteſtas inſit, ipſis innoteſcat, verum etiam utendi modus, tempus & alia id genus. Horum igitur rogatu, auctoritate & conſilio paucos ægritudinum caſus ſubjungere haud gravabor. Qui vero infraſcriptas perpeſſi ſunt affectiones, eorum pars adhuc ſuperſunt & fidei indubitatum teſtimonium dabunt. Interim ne præter ordinem videar agere, ad *κριτήρια* reſpicio, ut rite judicem; quæ ſunt *Experientia*, qua Epicurus, atque Empirici eam ſolam ſequentes, nitebantur: præterea *Ratio*, cui Academicorum princeps Ariſtoteles tantum tribuebat, ut nunquam ab ea ſecedere viſus ſit, ſed cum Galeno ut rationem non deſpiciendam, ſic neque experientiam dimittendam dixerit. Quare (ut ad penſum redeam) exemplis aliquot proferam eas ægrorum Hiſtorias, apud quos nulla humorum præparatio, evacuatio, aut venæ ſectio &c. locum habere potuit; utpote veneno manifeſto affectis, ſerius Medicina paratur: nec non ægrorum quorumdam, quibus & venæ ſectionem adminiſtrare, aut lenientis, aut ſolventis uſu, humorales dictas ægritudines blande per alvum educendo lenire & ſolvere conatus ſemper ſum, inducias nactus. Neque enim unquam vomitus, à veneni pravitate, aut morbi divini excitus ferocia, impediendus venit, quo Naturæ beneficio forte medicamentum, tamque nobile Alexiterium impar reſiſtendo & corrigendo poſſet eſſe. Tepidam vero, oleum amygdalinum, lac, vinum, præbium aut doſim Cocci noſtri antecedentia, concedo; & licet ſemel exhibitum non fungatur ſuo munere, bona mente ut conſtantiſſimo patrono munitus, repeto eadem, ſubinde paulo mutata; neque ſexus, ætatis aut

 virium

virium multam rationem habeo, cum in doſi non peccetur, quæ, exempli gratia, ſit à dimidia dragma ad integram, aut ſcrupulos quatuor in appropriato liquore.

I. *Lucas à Salingen* eſu jocinoris piſcis Aſelli, quod inter devorandum fœtore quodam fauces illius obſederat, in dubium venit, num patella qua uxor fuiſſet uſa in excoquendo eo, nova eſſet. Paulo enim ante pulticulam, muribus interficiendis adparari juſſerat. Is ſolo pectore (quod mirum & nunquam mihi ante conſpectum) extemplo adeo intumuerat, ut crepaturæ vel diſploſionis periculum videretur præſens, & intoxicatus præ difficultate reſpirationis ſubinde animo pene deficeret, pulſu varie agitato, ſic uti thorax ſolus ſyſtoles & diaſtoles motibus cum livore faciei & totius pectoris, mortem violentam minaretur. Ab hoc vocatus, etſi inviſendi munus non abſolveram, rei tamen certitudinem ex relatu filii cum haberem, confugi ad raſuram quam ex interna parte noſtræ Nucis inter poliendum uſibus medicis reſervaram. Eique ʒ ß pondus, ad oculi (quod vocant) dimenſionem cum Hiſpanici vini hauſtulo, præ feſtinatione exhibui: moxque domum me contuli, cum viderem ægrum citra nauſeam ventriculi aut vomitum paulatim ad ſe redire. Præſcripſi enema commune malacticum cum acumine ſalis gemmæ, ſtatim injiciendum; quod cum recuſaret, ſe fluidam habere alvum dicens, exhiberi juſſi hauſtulum ex majore doſi corticis ſeu Cocci & ipſius etiam medullæ momento. Exempli gratia.

℞ Raſuræ Cocci ℈ ij. Medullæ ejuſdem ℈ j. quibus in pollinem ſubtiliſſimum redactis, adde ſyrupi ex multiplici Infuſione florum Caryophyllæorum ſeu Tunicæ hortenſis (quem tunc forte fortuna præ manibus habebamus) ℥ j. aq. Meliſſæ ℥ j. ß. Cinnamomææ ʒ iij. F. Hauſtulus. Eo aſſumpto convaleſcere cœpit, ſtatim poſt bihorii ſpatium, quo præ fatigatione & corporis agitatione incredibili, quiete & ſomno ſupervenientibus, integre reſtitueretur.

II. Non vereor alta voce, & explanata oratione prædicare hiſtoriam ſecundam, in *filia Tibicinis & Muſici magiſtratus Amſtelædamenſis, Magiſtri Cornelii*, oblatam.

Hæc Arſenici intoxicatione varie ſe jactans, ſymptomatibus huic veneno conſuetis affici cœpit. Mater ad me cucurrit querula quod citra notitiam filiæ Arſenici aliquantillum gliribus interficiendis alicui farinæ portioni commiſtum, filiæ ad manus veniſſet; quæ, pro more virginum, pica, ſymptomate depravatæ ac vitioſæ appetentiæ, laborantium lambendo avida lingua tertiam quaſi partem abſorpſerat: Ilico ad olei amygdalini recenter expreſſi unciæ unius doſim confluxi, cum ſyrupi violati ſeſquiuncia & duabus aquæ Meliſſæ ſtillatitiæ: Quam potionem ubi vomitu rejeciſſet poſt horam aſſumptionis, & ſtatim alvo turbata laboraret, ilico ſub manu conſilium capiens propinavi.

℞ Raſuræ nuclei, & medullæ ejuſdem Cocci Maldivenſis, an. ʒ ß. Syr. ex infuſione multiplici Violarum, ℥ j. aquæ Bugloſſæ, q. ſ. F. Potiuncula. Huic poſt horam ſubſequentem denuo exhibui.

℞ Medullæ Nucis noſtræ Medicæ, ʒ ß. Syrupi de Mentha ℥ j. olei Amygdalarum rec. expreſſi ℥ ß. aquæ Cinnamomi ʒ iij. aq. Roſarum ℥ ß. F. brevis Potiuncula. Qua cordi, ventriculo, inteſtinis & ſimul alvo ſatisfactum judicavi, cum nullum grave ſymptoma ſequeretur, fuitque reſtituta citra fœdam macularum eruptionem, juvante D. O. M.

Exempla autem eorum in quibus eſt ἀδόκιμος νοῦς. i. mens perverſa, quæ non regitur luce & affectu temperato, ceu Satanæ mancipia præterire malui, quod triſtis ut plurimum eventus eos ſequatur, licet quibuſdam ex conſternatione animi & culpæ erga Deum immortalem vera recognitione proſper extiterit; quia cum ſtudium internecandi ſeſe adfuit, nominum eorundem innominatæ plebis nullam mentionem facere propoſui; licet major pars ſanitatem recuperarit, non ſine macularum fœdarum impreſſione & reliquiis, quod ab auripigmento. i. Arſenico luteo aſſumpto ad ſex menſium ferme ſpatium miſeros occupavit.

III. *Cuſtojour Eques Lemovix*, Regis Galliarum & Reginæ Matris nomine in Belgio Legatus anno 1625. ob Colicam paſſionem à bile graviſſimis ſymptomatibus conflictatus, frigidam præ ſiti ferme inextinguibili ingurgitare avebat; quod cum recuſaremus, ſeſe hydropotam naturæ ſympathia & uſus frequentia declaravit. Præmiſſo itaque enemate, & quæ ejus generis morbus requirebat; aquam putealem (cum fontana deficeret, cui potus generi à tenera ætate aſſuetus fuerat) voluit ſibi porrigi: Nobis vero, Experientiſſimo nimirum Medico *D. Ioſepho Buoeno* Luſitanæ nationis, & mihi in mentem

tem venit, Ægrum jugiter viſitantibus, potabilem aquam coctam frigidamque è Nuce noſtra Maldivenſi propinare, dantes conſuetudini & ætati, ſecundum dogma Hippocraticum, quantum per artem licet. Quo facto ſanitatem adeptus eſt, doloribus atrociſſimis fugatis, & à Mordexi, i. e. torminum morſibus, liber factus.

IV. *Idem Eques* capitis pertinaciſſimo dolore infeſtatus anno 1626. poſt proviſionem ab indicatione factam, clyſtere & ſanguinis detractione, uſus noſtro conſilio, ex Medica Nuce manum quaſi Dei Pæoniam præſtolatus eſt. Cui inſuper ſyrupum è cochleari deglutiendum præſcripſimus:

℞ Syrupi de ſucco Betonicæ ℥ iiij. pulv. Medullæ & Nuclei Maldivenſ. ana ʒ j ß. F. Mixtio pro ſex doſibus biduo abſorbendis. Cephalæa in exilium ablegata, & Ophthalmia, quæ, ut graviſſimum ſymptoma, lucem diei aut candelæ ferre eum non permittebat, præ gaudio, ſaltu & cantu, Gallorum juvenum more, animi alacritatem recuperata ſanitate manifeſtavit.

V. Denique anno 1628. veris initio, idem Iuvenis ex multi-jugo & inſatiabili eſu fragorum, frigida aſperſorum cum ſacchari pulvere, nihil vini in temperamentum admiſcens, ventriculi tonum ad atoniam omnimodam deduxit, & monitis noſtris haud obſecundanti, toto habitu mutato cachexia pituitoſa ſubſequuta eſt, atque ita, temperamento qui fuerat ſanguineo præditus, in hydropem mediante cachexia, curabilem quidem, incidit. Tandem ad ſacram anchoram ſeu ſcyphum noſtrum confugere, ut liberaliter potare poſſet, voluit; quod veriti, ne bibendo ſibi officeret, recuſavimus. Æger interim impatiens, nobis vale dicto, æſtatem morbi ſui curatricem fore exiſtimavit. Interea vini uſum & potum dubia adhuc & crepera valetudine ſupra omnem modum aggreſſus eſt, & tremoribus convulſivis, Paralyſeoſque prodromis imprimis Hemiplegia, affectus eſt; tandem Epilepticis inſultibus, ferme quovis momento percuſſus in terram proſternebatur. Convocatus denuo, deſperatis licet rebus, deveni ad Elleboriſmum, ex Ellebori nigri veri tota planta chymice apparatum, conſentiente ornatiſſimo ~~Doctiſſimoque *D. Theodoro Schuttio*, Amesfortii~~ Medico Practico; nec non Magiſtralia ex Maldivenſi noſtra Nuce propinavi; quæ ante Epilogum, hiſtoriis recitatis aliquot, ſubjungo. His præſtitis omnibus, prorſus in integrum reſtitutus fuit.

VI. Æger quondam meus *Tongerloo* P. M. civis Amſtelædamenſis, dum decumberet & febre laboraret acuta, obtulit mihi intermedii corticis ſeu integumenti interni cruſtacea aliquot fruſtula, voluitque eorum dragmæ pondus apud Pharmacopœum potioni ſudorificæ Theriacali à me præſcribendæ immiſceri. Id quod ego iniquius ferens, cum mihi ignotam prorſus rem obtruderet, medicamentum pro rei exigentia exhibenti, reſpondi, me non induci poſſe ut admittam hunc medianum & intermedium corticem, quin alicujus in Medica facultate præſtantis Practici auctoritatem afferret: retulit, ſalutarem ſemper inventum fuiſſe in febribus acutiſſimis, quibus laborarat, cum in India Orientali degeret, & imprimis in difficultate partus eſſe Indis fœminis probatiſſimum. Interim impulſus ſeriis monitis curavi quod poſtulavit, & feliciter, miti paroxyſmo, febris terminavit, & me majore parte corticis ſuperſtite donavit; qua miſellis parturientibus (ſenis ad minus) opem ſubinde tuli, cum Creatoris ſummi laudibus. Huc ſpectant exempla duo ornatiſſimi ac doctiſſimi *Ioannis à Grol*, M. D. & Collegæ noſtri, quæ reticere non volui; & ita ſe habent.

VII. *Bernhardi à Lunnickhuyſen* aurifabri honeſtiſſima uxor in platea vitulina, cum triduo parturiendi doloribus cruciaretur, & ferme totam viciniam clamoribus impleret, exhibitis exhibendis, nihilque proficientibus, ab aſſumpta Cocci Maldivenſis Medullæ ſemidragma, ex ſyrupo & aqua Artemiſiæ exhibita, feliciſſime peperit.

VIII. Ejuſdem Nucis raſura eodem modo propinata mirum in modum acceleravit *Annæ Gulielmi* filiæ, *Ioannis Calcearii* uxori excluſionem demortui fœtus: huic ab obſtetrice imprimis, dein à nobis poſt, exhibita varia & admota incaſſum, perſeverantibus graviſſimis ſymptomatibus à febre ortis, tandem ad ſalutarem hanc Panacæam Maldivenſem confugimus. Et breviſſimo intervallo fœtum in utero materno extinctum Natura excluſit, quem magno cum gaudio excepit obſtetrix.

IX. In eadem vicinia uxor *Georgii Nauwingii* acupictoris, viri humaniſſimi & perquam induſtrii, ipſis Maii Kalendis me vocari juſſit, voluitque ſibi è Cocco Maldivenſi Medicinam apparari, mota felicibus ſucceſſibus ægre parturientium vicinarum, qui-

 bus

bus affuerat, cum Collega meus medicinam Maldivicam adminiſtraret. Verum tridui ſpatio elapſo ruptis membranis ichoroſus ſuccus excuſſus erat, atque fœminei fœtus πιμμέλιον foras exceptum ad necroſim perductum, non ſine maximis anguſtiis, annoſiorem puerperam ad mortis limen vocarat papaverculo jugiter ferme muliebria fœdante. Ego rogavi obſtetricem, num aliquid ab illa præſtitum aut exhibitum eſſet: quæ, animo ferme deficiens, aiebat ſeſe ſpem in anchora ſalutari Maldivenſi locaſſe, neque aliud apud illam ſupereſſe parturitionis votum, cum triduo fœtus certo certius extinctus & præter naturam ſitus videretur. Venimus ad hauſtulum hunc.

℞ Putaminis & Medullæ Mald. utriuſque ℥ ß. Diaſcordii Fracaſtorii ℥ ij. aq. Cinnamomi ℥ iij. Boracis & Trochiſcorum de Myrrha ana ℈ j. ſ. cum aq. fœniculi. Potionem hanc ad duas doſes præſcriptam ægra moræ faſtidio impatiens facta, una doſi aſſumſit, & forti animo præter expectatum enixa eſt, demortuum infantem, grandem decem ad minus librarum pondere, una cum puerperalibus: & gaviſa maximopere cum laudibus Magni Parentis, qui tantarum virium advenam Maldivicum donaſſet.

X. Illuſtriſſimus *Princeps de Guimené, Ducis de Monbaſon* filius, Amſtelædami anno 1625. æſtate media incidit in Dyſenteriam, qua miſerrime excruciabatur. Ego primus vocatus præſtiti quæ ars & res poſtulabant; quatuor deinde convocati Medici ſunt, quibus ab amicis in tanto morbi furore perſona illuſtris, pro juſtiſſimis meritis commendata erat; quod etiam illuſtris *Mauritii Principis* cura effectum, cui conſanguinitate junctus erat. Ita ut non defuerimus ægro Principi, omnis generis præſidia & auxiliares manus afferendo, &, juvante Medicorum ſummo Medico, reſtituendo ſanitatem. Hic Æger ſummopere exhilaratus, cum vidiſſet noſtrum monile Maldivicum tam ſpecioſum, jam paulatim convaleſcens, voluit ſuam hordeaceam, qua vinum rubellum dilueret, eo contineri & ſibi exinde bibendam dari; quod recuſare nulla ratione potuimus, poſtquam novitate rei pellectus & ſpe reconvaleſcendi accenſus nobis videretur. Itaque cum reliquiis morbi, ventriculum & inteſtina roborando, adeo ſtrenue pugnatum eſt, ut brevi ſanitatem priſtinam recuperarit.

XI. Generoſus *Dominus des Gouttes* Eques ordinis Melitenſis, in Cardialgia anno 1627. pluries excellentiam pulveris intermedii corticis & raſuræ nuclei eſt expertus, ex conſervis Roſarum rubrarum, aut florum Tunicæ hortenſis, Lavendulæ, Pæoniæ, & Meliſſæ; prout res & occaſio requirerent.

XII. Nuperrime *viri Dordraceni, annorum viginti-ſeptem*, intricati morbi negotium, nobis anſam præbuit ad medullam Mald. Cocci confugiendi, cum omnia viderentur fruſtra applicata & exhibita. Vocatus ego & Cl. D. *Tulpius* Collega noſter, reperimus in ætatis flore & poſt laudatiſſimam temperiem ægrum, qui primis binis diebus Spaſmo compoſito, ſeu tremoribus convulſivis, truculenter afficiebatur; ac dein ſingulis ferme horis poſt præludia, modo in articulo pollicis pedis ſiniſtri, modo pollicis dextræ manus prodroma, conſtante perpetuo mente, membra omnia conquaſſari ille ſenſit, & nos vidimus toto fere biduo. Sed quicquid à nobis tentaretur, pro ratione temporis ſucceſſive, id omne à morbi & ſymptomatis ferocia ſuperabatur. Tandem cum non eſſet derelinquendus, ad ſpecifica occultæ proprietatis devenimus, dantes ex ſimplice cereviſia dragmam unam medullæ ſupraſcriptæ in pollinem redactæ; hauſtulo vixdum ebibito, continuit ſeſe perquam quiete, & ſomno ſuperveniente ſudoribus copioſis toto corpore maduit; neque, uti ante, morbi tam gravis ſymptomate oppreſſus eſt, verum leviculis, ubi expergiſceretur, præmonitionibus incitatus ab articulis in manu & pede altero; quo interim tempore quietem ſibi ipſe imperare poterat, & reſiſtere ſimul huic venienti malo. Quare quater iteravimus hauſtulum, & uſualibus ac ſpecificis pulverem medullæ immiſcuimus, & adeptus eſt ſanitatem. D. O. M. ſit gloria.

Magiſtralia, Compoſitiones noſtris Officinis vocantur, quæ ex diverſis ſimplicibus paulo accuratius conſtruuntur; ut plurimum eæ, quæ Antidotariis publicis receptæ non ſunt, neque baſim ullam expreſſe agnoſcunt, & ex ſpecificis concinnantur pro arbitrio uniuſcujuſque Medici. Hoc autem loco eas tantum Compoſitiones proponemus, quæ ex Maldivenſi Nuce concinnantur, ſolo pulvere medullæ, nuclei, aut intermedii corticis interveniente. Res vero ſupervacua eſſet, ſi horum pulverum alicui, aut omnibus ſimul, menſtruum aliquod Chymicum, quod reſolvat, affundatur, ut inde

Magiſte-

Magiſterium formetur, veluti in Margaritarum, Coralliorum &c. præparationibus conſuetum eſt fieri.

Magiſterium enim eſt (dicente *Theoph. Paracelſo*) quod ex rebus extractum eſt, ſine ſeparatione & præparatione elementali, quod fit additione aliarum rerum. Vide Archidoxa de Magiſteriis. Quandoquidem horum pulverum indubitatum ex tota ſubſtantia commodum expectatur. Non autem opus eſt, ut hiſce immoremur, exemplo Bezoartici lapidis edocti, qui ventriculum ingreſſus, à ſuccis acidulis ibidem contentis, & calore nativo, ſolvitur, ut quam primum operationem ſuam proſequatur. Noſter enim pulviſculus eandem quoque ſubit alterationem citra magnum moræ diſpendium, & ab iiſdem ſuccis & calore fermentatus in actum ducitur.

Hac autem ſerie pro rei exigentia Medicus præſens induſtrie diſponat, habita ratione præcepti noſtri, ſupra à me memorati.

Cocci Maldivenſis Medullæ pulveri, ut & putaminis, nec non corticis intermedii,
Dragmæ unius pondus admiſceri poterit.

- I. Syr. de Betonica, Violaceus, Capill. Veneris, infuſ. Fl. Tunicæ, Iulepus roſatus, Syr. Limonum, de Alth. Fernelii, Borraginis, è ſucco Citri, è ſucco Card. Scabioſæ, Granatorum, Myrtin. de Mentha &c. ℥ j. ſ. pondus.
- II. Aqua Cardui-bened. Menthæ. Meliſſæ, Portulacæ, Acetoſæ, Artemiſiæ, Borraginis, Bugloſſæ, Ruthæ, flor. Tiliæ, Roris Solis, Roſarum, Agrimoniæ, florum Liliorum convallium, Primulæ veris. Vel decoctum ex hiſce, ℥ ij. aut circiter.

Atque ex hiſce ſimpliciſſimam medicamenti è Cocco compoſitionem colligere eſt.

Immiſcetur porro compoſitis.

- I. Opiatis, Theriacæ, Mithridatio, Diaſcordio, — Paribus doſibus cum aquis & ſyrupis requiſitis.
- II. Pilulis, Cephalicis, Stomachicis, Hepaticis, Pectoralibus, de Cynogloſſa, & Ladanis Chymicis, — Doſibus juſtis.
- III. Conſervis, Cephalicis, Cardiacis, Pectoralibus, Hepati, Ventriculo, Veſicæ, — dicatis.
- IV. Electu.
  - Solidis, Rotulis cum pulver. El. Cordial.
  - Liquidis, Reſtaurantib. ſuccis è cochleari. Conf. Alkermes, Conf. Hiacynthorum, — paribus doſibus.

Ex ſimplicibus præterea ſpecificis & Alexipharmacis ſeligere licebit ea, quæ prudenti Medico ad conſtructionem Bolorum, Electuariorum, Rotularum ſeu Tabellarum facere videbuntur: quibus Medullæ Cocci Medici, Corticis intermedii, & ipſius Putaminis pulviſculus adjungi poſſit. Veluti ſunt:

Acetoſæ ſemen deglubatum, quod piſtillo ligneo in marmoreo mortario præſtatur à religioſioribus Pharmacopœis,
Ambræ griſeæ grana tria quatuorve,
Antithoræ radicis pulviſcul. ℈ j. Vide Ant. Guainer. de peſte.
Bolus Armenus verus,
Bezoarticus Lapis utriuſque Indiæ,
Biſtortæ radix,
Cornu cervi, præparatum ut infra docetur.

T 3 Cornu

Cornu Aſini Indici, cujus præconia C. Barthol. profert.
Cinnamomum electum.
Caryophyllon Plinii. Quod ſi veterum dixerim eſſe Amomum, non multum aberrarem: alibi,
Caſſia lignea.
Croci ℈ j. non ultra.
Ceraſorum dulcium nuclei.
Drakenæ radicis pulveris ℈ j. vocatur Contrayerva.
Ebur nativum & foſſile. videatur C. Bartholin.
Hiacynthus gemma. pondere ℈ ß præparatus.
Ligni aloës ℈ j.
Lapilli pretioſi ferme omnes, præparati, pondere ℈ ß. quales ſunt, Topaſius, Rubinus, Granatus, Sapphyrus, &c.
Moſci Orientalis grana ij. aut iij. ſit doſis.
Monocerotis cornu, præparatum ut infra dicetur.
Margaritæ præparatæ vulgari modo.
Marga ſelecta ſeu Bezoar minerale. Vide Bauhin.
Pæoniæ maris radix, ejuſque ſemen mundatum, ʒ ß pond.
Petaſitidis radicis pulviſculi ℈ j.
Perſici nuclei.
Smaragdus ad ℈ j.
Santalum citrinum.
Scorzoneræ radix.
Scordium.
Rhinocerotis cornu. Vide Ant. Schnebergerum in Cat. Med.
Terra Lemnia.
Tormentillæ radix.
Tiliæ florum pulviſculus.
Viſcus quercinus.
Vngula Alcis exhibita & adplicata.

Adverbia porro tria *Cito*, *Tuto*, *Iucunde*, plus opis & auxilii præſtabunt, quam tres inſtructiſſimæ officinæ. Ego ingrata omnia illubens immiſceo alexipharmacis, cum *tutius* & *jucundius* ſuavia quam βαρύοδμα operentur, & cordi robur potentius afflent. Porro venenum aſſumptum, aut ejus ſaltem ſuſpicio, dilationem, minus quam venter famelicus, imo nullam, patitur. Quare quod præ manibus eſt quam *citiſſime* in uſum vocandum. Simplicium autem memoratorum, quibus ponderis ſignum additum eſt, habenda ratio, cum doſim unam tantum hoc nomine intellexerim. Cæterorum vero in doſi non peccatur.

Formularum porro magiſtralium diverſitatem adnecto.

In Capitis vitiis gravioribus, uti & nervorum, Epilepſia, Paralyſi, Convulſionibus, Tremoribus crudelibus &c.

℞ Pulveris Medullæ Cocci Medicæ (utpote potioris partis) ʒ j. Confectionis Alkermes & Hiacynthorum ana ʒ ß. Viſci querni & ungulæ alcis ana ℈ j. cum Syr. de Stœchade, Betonica, aut julepo roſato. F. Bolus una vice aſſumendus, & repetendus ubi viſum fuerit.

Aut F. Potiuncula cum aq. meliſſæ, & Syr. limon. &c. ſeu Conditum Magiſtrale cum ſyrupis & conſervis cephalicis & pulveribus.

In Dyſenteria cruenta, & Torminibus: facta ante præparatione debita per Rheum & Clyſteres.

℞ Corticis intermedii Nucis Medicæ ℥ j. (ſi deſit, Medulla aut Putamen vicem ſuppleat) Terræ Lemniæ, Lapidis Bezoartici Orientalis & Biſtortæ radicis ana ℈ j. Syr. de ſucco Portulacæ parum, ad conſiſtentiam. Bol. F. & inſuper adjectis requiſitis, Conditum, Potio, & ſimilia.

In

In difficili Partu.

℞ Pulveris Medullæ aut Corticis intermedii, aut Putaminis ʒ j. Borracis ʒ ß. Caſſiæ ligneæ aut Cinnamomi ſelecti ℈ j. Croci Orientalis, & Ambræ griſeæ, ana grana v. Syrupi de Artemiſia ℥ j. Decocti radicum Tormentillæ, aut Caryophyllon Plinii, q. ſ. F. Potio.

In Peſte & Febribus malignis Contagioſis.

℞ Cocci Maldivenſis ʒ j. Seminis Acetoſæ mundati ℈ j. Syrupi è ſucco Granatorum acidorum, aut Scabioſæ, aut florum Tunicæ ℥ j. Diaſcordii Fracaſtorii ʒ j. Decocti radicum Petaſitidis, Scordii & Scorzoneræ, aut aquarum Borraginis, Bugloſſæ, q. ſ. F. Potio.

In Coli doloribus & aliis Inteſtinorum vitiis.

℞ Medicæ Nucis noſtræ quantum in præcedentibus dictum eſt (ea enim doſis eſt concinna) Mithridatii Damocratis ʒ j ß. Pulver. Drakenæ radicis & nucleorum Perſici Mali aut Ceraſorum ana ℈ j. Syr. de Mentha majori ℥ j. Decocti aut Aquæ Meliſſæ, Ruthæ, aut ſimilis, q. ſ. F. Potio.

In Veneni aſſumptione variæ formulæ pro natura veneni.

1 ℞ Ol. Amygdalarum dulcium rec. expreſſi ℥ j. aut ℥ j. ß. Lactis Ovilli aut Vaccini aut Caprilli ℥ v. pulveris Eboris nativi, aut foſſilis, aut præparati per vaporem Cordialium ʒ ß. F. Potio cum ʒ j. Cocci.

2 ℞ Theriacæ & Cocci Maldivici ana ʒ j. Pulv. Bezoartici Occidentalis, aut mineralis, ſeu margæ ſelectæ ʒ ß. aquæ aut decocti Cardui benedicti q. ſufficit. F. Potio.

3 ℞ Pulveris noſtri Cocci cujuſ-tandem-cunque partis ʒ j. pulv. Smaragdorum aut è pretioſis quinque ℈ j. Emulſionis ex frigidis Seminibus, Amygdalis amaris, ſ. a. aq. florum Tiliæ factæ ℥ v. F. Potio cum Syrupi violati ℥ j. ß. ad ſaporis gratiam & mitigationem. Hactenus.

Hiacynthorum Confectio noſtra, huc ſpectans.

Vere cardiaca, cumprimis utilis: cujus dragma una commiſceri poteſt pulveri noſtro, Cocci Putaminis, Medullæ, aut Corticis intermedii.

Hujus autem accuratam excerpſi ex Mercati, Venetorum & Montiſpelienſium Antidotariis deſcriptionem, noſtræ patriæ aptatam & à D. D. Collegis meis omnibus approbatam & Antidotario ſpeciali noſtro aliquando inſerendam; cujus ſpecimen Doctiſſ. *N. Fontanus* Collega noſter anno præcedente exhibuit.

℞ Hiacynthorum præparatorum. ʒ vij.

Boli veri Armeni, Coralliorum rubrorum præparatorum. Terræ Lemniæ. Bezoartici lapidis Orientalis. Smaragdorum. Rubinorum. Granatorum. Sapphyrorum. & Topaſii, præparatorum. ana ʒ ij.

Coriandri præparati aceto. Cortic. rad. Pentaphylli. Tormentillæ. Coralliorum alborum præparatorum. Ligni aloës præſtantis. Granorum Kermes. Spodii præparati. Rad. Diptami. Sem. citri mundati. Roſarum rubrarum ab unguibus purgatarum. Rad. Caryophyllatæ odoratæ. Summitatum Scordii. Caryophyllorum. Seminis Acetoſæ mundatæ. Portulacæ. Florum Bugloſſæ. Violarum. Raſuræ Eboris. Sem. Endiviæ. Margaritarum præparatarum. Cornu cervi citra uſtionem præparati. Santali Rub. Albi. Citrini. Radicum Scorzoneræ. Carlinæ. Oſſis de corde cervi, & Vincetoxici. ana ʒ j. ſ.

Caphuræ. Ambræ griſeæ, & Moſci Orientalis ana ℈ ß. Bractearum auri. num. xxx.

Syrupi de ſucco Citriorum aut Limoniorum, q. ſ. aut ℥ xxiv. F. Confectio.

Hæc tempore æſtatis à fermentatione, quæ menſis ſpatio peragitur, ſyrupi præſcripti

Vnciarum trium aut circiter augmentum requirit, & vitreo vaſe adſervatur, citra ſitum aut ullam corruptelam.

Atque hæc Officinæ artificiis ad habilitatem idoneam transferuntur; quæ ſequuntur, naturæ ipſius induſtria commoditatem fere acquirunt. Obſervatu enim non indignum, quod à Ruſciæ Imperatore quodam, ante annos forte centum, dens Elephanti multis Alcis coriis circumvolutus, & conſutus, terræ gremio commiſſus eſt; cujus tandem copia (caſu ita ferente) huic Imperatori facta dicitur; qui fundamina ædium in Regia ſua jaciens Theſauro ſe beari credebat, cum erueretur: multijugis autem coriis hic ſolutus Theſaurus, dentem aperuit librarum forte quadraginta; cujus oſſea prius & quaſi lapidea (qualis dentium eſt) ſubſtantia, tota ferme converſa erat in medullæ compagem ſaxorum margæ non abſimilem, dentibus friabilem, atque manu ſolubilem; denique in Bezoartici lapidis ſubſtantiam Medicinæ aptam. Quibus gaviſus Imperator, & poſteritati eodem munere proſpectum volens, novum ejuſdem rei experimentum conditorio facto ſumere ſtatuit. Accedit & hoc, quod in Boruſſia in ſummis cereviſiarii ædibus cornu cervinum fuit repertum, cujus, ob continuum quinquaginta circiter annis vapidi halitus afflatum, cornea durities in mollem & pulpoſam verſa erat. Ita experiundi & Medicinæ dotes inveſtigandi anſam caſus præbuit; etſi non ſemper lubrica ſors ſe interponit, poſtquam Naturæ potentia limitibus nullis circumſcripta, in perficiundis miraculis nunquam ignaveſcit. Sed hæc Naturæ effecta, multo ad maturandum tempore opus habentia, artis adminiculo velut præcocia reddi queunt, ſi legitima adminiſtratione opus inſtituatur. Quod ſequenti exemplo documentum invenit, quo oſſa, cornua, dentes, trium ſeptimanarum ſpatio in aliam ſubſtantiam verti poſſe declaratur. Modus autem accelerandæ præparationis, ſequentium digeſtu apparet. Oſſa enim, Cornua, Dentes, Cranium, ſcilicet Humanum, Lapides è piſcis Phocæ aut Manati capitibus, & Balenæ inſtrumentum auditus, lapideæ prorſus duritiei, quod à forma Anatomicis Concha apte dicitur; ea, inquam, caput Alembici filis æneis conſtringere debent, ut firmiter inhæreant. In Veſicam vero ſubjectam induntur Cardiaca, velut Meliſſa, Mentha, quælibet denique herbæ, & flores aut ligna odorata; quæ juſtam aquæ multitudinem nacta eâ cautione locari debent, ne Alembici interiorem partem ebulliendo contingant. Ignis vero continuo alimento fovendus eſt, ut in opere hoc nullo moræ interpoſitu perpetuari poſſit. Ita totum tranſlationis in aliam ſubſtantiam negotium trium hebdomadarum ſpatio abſolvitur; & quæ ob duritiem contumacia reddebantur, in teneram compagem tranſvecta cernuntur. Cujus ſecreti tanta hactenus majeſtas fuit, ut participes futuri juramento ſe obſtringere coacti ſint, nunquam illorum opera myſterii arcana in lucem ventura.

Lectorem diutius detinere non fert animus, cum quæcumque curioſo naturalium rerum indagatori non minus ac Medico Theorico & Practico ſufficere valent, pro viribus meis obtulerim; & proſperè ſemper quaſlibet Cocci Maldiv. in morbis exhibitiones aut præbia (ut cum Feſto loquar) evenire animadverterim, dotes illius non ſolum efficaces admodum, ſed etiam tutæ, admirabiles incredibileſque celebrantur. Quare vera cum gloria prædicare non dubito, Antiſtitem Alexipharmacorum Coccum noſtrum eſſe, experimentis indubitatis non fallacem. Quæ ſtentorea voce ex veritatis ſuggeſtu deprompta à me cum dicantur, nemo conſternato animo eſſe debet, velut pueri vocum terricula menta exhorreſcere ſolent, poſtquam facilis ad fidem acceſſus in rem eunti pateſcit. Iure autem merito, dixerim Cocci, noſtri maris accolæ & velut novi coloni, acceſſu, rei medicamentariæ pomœria immenſum dilatata ornatius ſplendere. Quod ipſum ſi de Ephemero Inſecto affirmem, nulla veritati laniena inferetur: Etſi ob veneni pervicaciam minus tuta illius adminiſtratio eſt, in morbis præſertim & tædiis viſcerum internis, in quibus ſumma cautela, magis ut deſeratur, quam ut applicetur, opus habet. Nam in externis ad explorationem non adeo intuta experimenta offeruntur. Sed Ephemerus noſter in aliud diarium transferri debet, poſtquam præſens laboris noſtri peculium eſt, Cocco nominalia ſua & luſtricum diem ſtatuere. Quod ſerotino quidem ſtudio aggredi contendo, ſed non contemnenda ratione impulſus. Quippe levicula nominis explicatione operis frontiſpicium obſidere non volui, dum majoris momenti res ſe calamo noſtro ingererent, in quibus Medicus & Naturæ indagator ſolers, non grammaticus, aut locutuleius oſcitabundus, armos ſuos experiri poſſet. Palma Coccifera Indica, non fuit Veteribus nota. Videatur Clariſſimus *Salmaſius* qui rationes affert, Pag. 1321. exercitatio-

citationum Plinianarum. Indi Nucem Indicam vulgarem *Caré* & ſubinde *Cocoihne* & *Coc* vocant; quod nomen Luſitani ſyllabæ augmento bearunt. Hiſpanico enim flexu Cocco eam indigitant. Sed neque rationis expers appellatio eſt; quippe ideo huic fructui nomen hoc dederunt, quod tria foraminum veſtigia in ſummitate perpetuo monumento conſervat, quibus Cercopitheci aut ſimilis animalis faciem repræſentat, quæ oculorum cavis atque oris rotunditate diſtingui ſolet. Quod ipſum Garcia adſtruente roboratur, qui hac Etymologiæ ratione commentum ſuum defendit. Minus firmum vero eſt ideo Nuci vulgari, Cocco, nomen datum eſſe, quod Simia talis ſoni vocem gutturis applicatione, præcipue irritata, promere ſolet. Si enim ne ipſa quidem Simia ob hanc vocis articulationem Coccus nuncupatur, iniquius in fructum, qui foraminum modo veſtigiis Simiæ aſſimilatur, onomatopœia hæc transferetur: ſed quid diutius quam par eſt, circa hanc levitatem diſtringimur? poſtquam ex Græcorum armario vera nominis ratio derivari poteſt. Κόκκος enim illis non omne granum, ſed rotundum aut ovi forma effigiatum denotare ſolet. Etſi *Ant. Nebricenſis* in Dictionario ſuo Latino-Hiſpanico affirmat, generali ſignificatu granum ita deſcribi. Qui vir Græcarum literarum cum Latii ſecretis experientiſſimus fuit, unico in fidem vocando Iuvenale, cujus Satyras commentariis ſuis olim illuſtriores reddidit. Quo verborum complexu definiri poteſt, Cocci nomen ex Græcorum abundantia ad Latinorum penuriam derivatum eſſe. Aquitani *Cocco del you, ou eſcrovello*, ovi putamen aut corticem, & *Cocco in grano*, excrementum illud Ilicis bacciferæ, granum infectorium, κόκκον βαφικὸν, vermiculis etiamnum prægnans, vocitant. Κόκκαλοι Nuclei Pini indigitantur. Ricini grana χολόκοκκα dicuntur Græcis, quod bilem evacuent. Hebræorum *Coac*, quaſi *Cac*, Coccum denotat, referente *Guicchardino* in Harmonia Etymologica ſua. *Care* fructus ſeu Coccos inſularibus Mald. eſt nuncupatus; quid *Tavar* ſignificet, ignoratur: Si noſtra Nux Medica *Tavarcaré* in *Tamarcaré* mutari poſſet, Coccorum palmam denotaret per excellentiam, unius literæ mutatione. Coccorum arbor, ut & Dactylorum, Palmæ denominationem habent, ut Principes inter congeneres: Palma autem quaſi Parilema à pariendo nuncupatur, *Varrone* teſte, & *Carolo Stephano*, in Vineto ſuo, pag. 5. Gemma ὀφθαλμὸς Botanicis autoribus oculum & germen ſignificat, tranſlatione à Lapillis pretioſis. Germen interim dupliciter accipitur; primo ut Gemma quæ ſolubilis è carne Nucis eximi poteſt, quam *Pyrard* Gallice *l'amande*, totam nempe medullam, vocitat; ſecundo ut apex Palmæ vulgaris. Garcias Indos dicit Palmarum germinibus veſci, quorum collectio præcipue fit, cum cæduntur arbores ad ædificia fabricanda, ut eſui ſint. Expetuntur & Dactyliferarum à Formicis, teſte *Plinio*, cum jactura arboris, quia non ferunt decacuminationem: gratiora longe ſunt palato, quam aut Caſtaneæ molles, aut humiles Palmæ, quas vulgo *Palmites*, Itali *Ceſaglioni* vocant. Quo etiam vetuſtior eſt Palma, eo tenerius & delicatius germen producit; at eo ſublato perit Palma. Hinc fit, ut qui hujuſmodi germen edit, non immerito Palmam vorare dicatur. Datur, teſte *Pyrardo*, ſpecies quædam Palmæ ſeu Nucis Indicæ præter vulgarem; cujus primitivus fructus, ad inſtar Pomi noſtratis, tota ſubſtantia edulis, teneritate & ſuavitate acceptiſſimus; verum inventu rarior & quanto antecellit vulgarem primis incrementi menſibus, tanto, ubi maturitatem conſequitur, deterior & ineptior uſibus. *Molluſca*, ex ſententia *Ruellii*, molliore ac teneriore carne fructus dicitur, aut Malum cum primum fugax, quale Perſicum eſt. *Geſnerus* Nucem Molluſcam inter Iuglandes ponit quæ molliore eſt putamine; quod Amygdalis quibuſdam etiam familiare, cum ex leniſſima digitorum compreſſione frangantur. Et quandoquidem hæc ſola *Pyrardi* inter Indicas Nuces putamen ipſum molle & veſcum habet, mihi in Lexico Botanico meo bilingui necdum evulgato *Molluſca* cognominatur: è contra *Moracia*, *Moracilla*, vulgaris Indica Nux, propter durum putamen, à frangendi mora. Palmarum quotquot ſunt ſpecies, exhilarantur flore; ſecus ac triſtes arbores, quæ ſine eodem annorum gaudia non ſentiunt. Flos vulgaris luteo fulget colore, magnitudine fructui æqualis. Quid autem de Maldivenſis Medicæ flore dicendum ſit, adhuc ſub Iudice lis eſt, poſtquam nulli plantam & florem vidiſſe contigit. Impellor ſubinde ab amicis, ut Mald. minorum ſpecies aliquot proferam; quia fama percrebuit, apud plurimos Noſtrates, qui in Indiæ diverſis locis vixerunt, dari varietatem aliquam Coccorum, eoſque Maldivenſium titulo, forte ob effecta aut faciem, beari volunt. Ego, ut verum fatear, non agnovi, neque in muſæo meo coacervavi fructus Palmarum aut Coccorum congeneres, præterquam quinos

aut

aut ſenos; quos tamen minus Maldivenſi conferre, quam Murem Elephanto comparare licet: quorum deſcriptiones præſentis laboris non eſſe volui. Exempli gratia, Famigeratiſſimi *Mathioli* Cuciophora, nec non alterius Palmæ fructus, vere bacciferæ, huc advocandi non ſunt; quorum amborum & plurium præconia cum iconibus mecum (ut ſpero) non moritura ſunt. Neque inconcinne ad Palmarum claſſem referendus fructus, quem tabella exprimit Clariſſimus *I. de Laet*, duriſſimo & lignoſo putamine, quo duæ Nuces continentur, mole pugni unius; nec non alter, *Totocke* dictus, cujus idem accuratiſſimam deſcriptionem profert: Hujus autem fructus integri vicenis nucibus prægnantis iconem ſum exhibiturus, ſi Deus vitam protrahat. *Theophraſti* vero, *Plinii*, *Abinzennæ*, *Serapionis*, tam Medicorum, quam Hiſtoriographorum, atque etiam Neotericorum ſententiis ad amuſſim perpenſis, & ipſiſſima rerum indagine ſervata, penſum meum cum bono Deo abſolvere conor. Interim Pæonio Medicamento noſtro Maldivico, maximopere utiliſſimo, ſuaviſſimo, imo manui quaſi Dei operantis *tutò*, *citò*, *jucundè*, ſatisfactum pro viribus opinor.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
In Hiſtoria Nat. Ind. Orientalis Notabilium.

A.

ABada. 50
Abrus Alpini. 136
Acajù arbor. 193
Acetoſa. 114
Achar Condimentum. 183, & 186
Achiote arbor. 199
Acolle. 202
Aër matutinus. 4
Aëris temperies calida & humida. 3
Aëris inſalubritas. 3
Æſtatis & hyemis differentia. 4
Æſtatis initium pluvioſum. 4
Alburnus. 7
Alkanne. 142
Alkekengi fructus. 149
Amphisbena Serpens. 77
Ananas fructus. 145
Anguilla. 76
Anguillarum uſus ſuſpectus. 7
Anni tempora non niſi duo ſunt. 4
Aquæ potus qualis eſſe debeat. 8
Arac potus qualis. 19
Arbor ſpinoſa. 92
Argentei ſtyli efficacia mira. 85
Aromatum uſus. 9
—— Abuſus. 184, & 185
Arundo Mambu. 185
—— Rotang. 188
Aſellus piſcis. 77
Aſſa fœtida ſive Altith. 41
Aſtacus. 83
Atrophia. 20
Auræ marinæ ſalubritas. 4
Avis montanæ ſalubritas. 5
Avis amphibiæ ſalubritas. 5

B.

BAby-rouſſa quadrupes. 61
Bambus Arundo. 185
Banda Inſula. 173
Betele herba. 91
Beribery, ſpecies paralyſis. 16
—— Curatio. 17
Betonica fruticeſcens. 146
Billing-bing. 133
Boa-Tſingring. 135
Bongo-Pala. 173
Borealis populi vivacitas. 5
Bryonia. 108

C.

CAcavifera arbor. 197, & 198
Cacao fructus. 198
Cacap piſcis. 74
Cæcitas in Indiis. 31
Calumbac. 43
Carambolas fructus. 102
Carandi fructus. 93
Cardamomum minus. 126
—— Majus. 127
Caryophyllum vulgare. 177
Caryophyllum ſpicatum. 179
Caſſiæ & Canellæ differentiæ. 166
Caſſia Caryophyllata. 169
—— Natale ſolum. 171
Cauſa frequens morborum. 5
Cayman. 53
Celebes Inſula. 85
Cervi. 6
Çeylon Inſula. 167
Chamæleon. 58
Champidaca fructus. 199
Champacca flos. 140
Chilli. 200
Chocolata. 196
Cholera morbus. 21
Colocaſſia planta. 144
Compoſitio Chocolatæ. 201
Conger. 75
Conger monſtroſus. 76
Conifera arbor. 97
Coquo. 45
Cornu Alcis planta. 121
Corvus. 62
Corvus Cornutus. 64
Coturnix. 65
Courap ſive Impetigo. 32
Cranium Rhinocerotis. 51
Crocodilus. 55
Croci extracti laus. 20
Curcuma. 116
Cynara. 145
Cyperus. 134
Cyprinus ſaxatilis. 74

D.

DElphinus. 72
Diſſertatio de morbis Endemiis. 40
Doulontas frutex. 113
Dronte avis. 70
Duriones fructus. 118
Dyſenteria. 19

E.

EMeu avis. 71
Empyema. 28
Errores veterum circa aromata. 163, & 164
Eryngium. 151
Eſula. 153
Exercitia corporis. 13
Extractum Guttæ gemou. 25

F.

FAuſel Nux. 90
Febres in genere. 29
Febres familiares. 30
Fluxus alvi hepaticus. 20
Focky-focky planta. 123
Formica. 56
Fraxinus. 104
Fructus Iavanis familiares. 11
Frutex incognitus. 147

G.

GAlanga. 191
Gecco animal. 57
Gemma Nucis Maldiviæ. 217
Gentianella. 154
Gingiber alias Gingibil mas. 189
—— Fœmina. 190
Goſſampinus Plinii. 105
Gramen cruciatum. 148
Guanambanus fructus. 155
—— Africanus. 156
Guoianæ terræ fertilitas. 171, & 172
Gutta Gemou. 153

H.

HAlicacabus. 149
Hepatis Apoſtema. 23
Herpes. 32
Hirundo aquatica. 78
Holli liquor. 200
Holothuria. 9, & 80
Hydropis frequentia. 24
—— Curatio. 25
Hyſtrix. 54

I.

IAaca fructus. 118
Iambos arbor. 191
Iangomas planta. 111
—— Altera. 112
Ican-banda piſcis. 6
Ican-ſetang piſcis. 79
Icterus. 25
Inflammatio & curatio Hepatis. 22, & 23

L.

LAcerta Gecco dicta. 57
—— Leguan dicta. 56
—— Volans. 59
—— Squamoſa. 60
Lada Chili planta. 130
Lamiæ jecur. 30
Lance fructus. 101
Lanigera arbor. 159

Laurus

Laurus. 99
Legumina. 135
Liguſtrum. 142
—— *Alterum.* 143
Lupinus. 139
Lyſimachii ſpecies. 159
Lycium ſeu Cate. 92

M.

Macandon. 97
Macer Veterum. 175
Macis. 175
Maizium. 199
Mala Aurea, Citrea, &c. 12
Mala Cydonia. 98
Maldiviæ Nux. 203
—— *ejus vis antidotalis.* 211, & 214
Mandragora. 10
Mangam fructus. 116
Mangifera arbor. 94, & 95
Mangoſtan fructus. 115
Mecaxochitl. 200
Melonifera arbor. 96
Milium Solis. 152
Molanga ſive Piper. 180
Moluccenſes Inſulæ. 177
Moly flos. 142
Montes ignivomi. 85
Mugil. 7
Muræna. 7
Myrobalanus. 110

N.

Naphtha. 17
Naturæ miracula. 85
Nautilus piſcis. 79
Nidi hirundinum. 66
Nimbo. 99
—— *Altera.* 100
Ninzin Radix. 194
Notæ in Garciam ab Orto de Aſſa fœtida. 41
—— *De Opio.* 41
—— *De Gummi Benzoin.* 42
—— *De Lacca.* 42
—— *De Tutia.* 43
—— *De Ligno Aloës.* 43
—— *De Santalo.* 43
—— *De Maci.* 44
—— *De Pipere.* 44
—— *De Nuce Coquo.* 45
—— *De Nardo.* 45
—— *De Coſto.* 46
—— *De Ligno Colubrino.* 46
—— *De Lapide Bezahar.* 47
—— *De Lapide Porcino.* 48
—— *De Arbore triſti.* 49
Nucis Myriſticæ noxa. 10
—— *Laudes.* 173
Nux Myriſtica mas. 176
Nymphæa. 128

O.

Obſervatio De Spaſmo. 35
—— *De Phthiſico.* 35
—— *De Dyſenteria.* 36
—— *De Empyematico.* 36
—— *De Cranii fractura.* 36
—— *De Chronicis morbis.* 37
—— *De Vena Cava adipe repleta.* 37
—— *De Apoſtemate Hepatis.* 38
—— *De Vulnere Capitis.* 38
—— *De Catarrho Suffocante.* 38
—— *De Vulnere Pectoris.* 39
—— *De Dyſenteria Epidemica.* 39
—— *De Febre ardenti.* 40
Obſtructio Hepatis. 22
Olera Iavana. 12
Onocrotalus. 67, & 68
Oryzæ uſus ſuſpectus. 7, & 31
Oſtracoderma. 84
Oſtrea. 83
Ourang Outang, homo ſilveſtris. 84

P.

Pala. 173
Pala Metſiri. 176
Paliurus Aegyptius. 111
Papaio. 97
Papulæ rubentes. 33
Paris arbor. 49
Paſtinaca marina. 6
Pavones. 63
Phaſeolus quadratus. 137
Pimpilin ſive Piper longum. 182
Phyllitidis ſpecies. 122
Piper Aromaticum mas. 180
—— *Fœmina.* 181
—— *Album.* 182
—— *Canara.* 182
Piſces marini. 6
—— *Fluviatiles.* 7
—— *Teſtacei.* 7
Piſciculus cornutus. 79
Plantago Aquatica. 129
Polypodium. 195
Potus compoſitus. 8
Potus ſimplex ex arboris ſucco. 9
Profluvium alvi. 19
Pſittacus parvus. 63
Pulmonis vitia. 27
—— *Curatio.* 28
Purgatio humorum. 13
Pynang nux. 90

Q.

Quercus. 107

R.

Raiæ. 6
Rampoſtan fructus. 109
Raphanus. 12
Rhinoceros. 50, & 51, & 52
Rhomboïdes piſcis. 6
Ricinus. 130
Roſa. 141

S.

Sacar. 185, & 186, & 187
Sago placenta. 34
Saguer potus. 34
Salvia arboreſcens. 157
Sambucus. 108
Sanguinis miſſio qualis. 13
Scabioſa. 158
Scarabæi. 56
Scarus piſcis. 73
Scolopendra. 56
Scorpio. 56
Secamone Alpini. 138
Sedum arboreſcens. 124, & 125
Sentiens herba. 119, & 120
Sepia. 80
Serpentes in genere. 76
Simber planta. 121
Sirii pinang. 90
Solani ſpecies. 123
Somnus meridianus. 13
Sorbi ſpecies. 103
Spaſmus popularis. 18
Spinoſa planta. 106
Squilla. 81
Sturnus. 67

T.

Tabaxir. 185, & 186, & 187
Tamarindi. 93
Tavarcare. 203
Telephium. 132
Teneſmus. 21
Teſtudo ſquamata. 82
The ſive Tchia. 87, & 88, & 89
Thſinka. 177
Thynnus. 72
Tigris. 52, & 53
Tinca marina. 78
Tlaolli. 199
Tlilxochitl. 200
Tophi Endemii. 33
Tovar potus. 9

V.

Vaynillas. 200
Veneni mira efficacia. 85
Verbena. 150
Veronica. 129
Veſpertilio monſtroſus. 69
Vinea Taminea Plinii. 108
Vinearum in Iava ubertas. 12
Vini Hiſpanici prærogativa. 8
Vlli reſina. 200

X.

Xochinacatlis planta. 200

FINIS.

Marcq
see Smellie, p 400, on monkeys in Brazil

— Marcgrav


106 PERUCCI, FRANCESCO. Pompe funebri di tutte le nationi del mondo. — Verona, Franc. Rossi, 1639. Folio. 98+(8) pp. With engraved title, 23 large engravings showing funeral rites, 9 smaller engravings of objects; numerous woodcut ornaments and initials. Contemporary vellum. £28.

The main series of 23 large engravings consists of reversed copies after Girolamo Porro's fine illustrations to a similar work, Porcacchi's Funerali antichi (first published in 1574). The text does not follow Porcacchi, and a.o. contains an extensive reference to American Indian customs, particularly in Peru.
Spine damaged. Some thumb marks, otherwise a good clean copy.

FIRST ILLUSTRATED WORK ON THE NATURAL HISTORY OF BRAZIL

107 PISO, WILLEM. Indiae utriusque re naturali et medica. MARCGRAF, GEORG. Tractatus topographicus et meteorologicus Brasiliae, cum observatione eclipsis solaris . . . BRONTIUS, JACOB. . . . Historia animalium . . . . quibus sparsim inservit G. Piso annotationes & additiones. — Amsterdam, Louis & Daniel Elzevir, 1658. Small folio. (12) ff.+39+329 (misnumb. 327)+(5) +226 pp.+ one leaf of index. With fine engraved title showing a Brazilian forest and five hundred and ninety-eight wood-cuts, mostly of Brazilian animals and plants, in the text. Vellum. £225.

The Brazilian Botany by Willem Piso and the account of the flora and fauna of Brazil and Chile by Georg Marcgraf were compiled under the inspiration of Jan Mauritius Count of Nassau (1604-79) who was Dutch governor of Brazil from 1638, having undertaken an expedition to Chile in 1644 and himself made drawings of natural history in Brazil. Piso seems not only to have been the physician of the governor, but also head of a scientific mission sent to Dutch Brazil, by the West Indies Company at Nassau's request. Marcgraf travelled to Brazil in 1638 and under the governor's protection, compiled the most notable scientific work done in Brazil in the 17th century.
Marcgraf's work may be divided into two parts: The studies of natural history (the 8th book contains a Brazilian grammar), and the astronomical studies made at Nassau's observatory in Recife. These observations, including that of the solar eclipse in 1640, were the first ones made in America. This work is the only illustrated work on the natural history of Brazil to appear before the 19th century. It is here in its second edition containing in addition Brontius' Natural History of the Far East edited by Piso.
Edges of blank margins lightly frayed in engraved title with a neat repair in top corner, otherwise a very good copy.
Barba de Moraes, Bibliogr. Brasiliana, 2: pp. 152-3. Le Clerc 451. Willems 1236. Nissen 1533. Pritzel 7157.



"OURANG OUTANG"

profits. One of the earliest was James Edwards (1757-1816), whose first achievements were to bring back from Venice the Pinelli library (sold by auction on 2 March 1789 and 1 February 1790) and from Paris the *Bibliotheca Parisina* . . . "—De Ricci, p.89

AN EARLY ILLUSTRATED WORK ON BRAZILIAN NATURAL HISTORY AND MEDICINE

497 **Piso,** Willem. **Marcgraf,** George. **Bontius,** Jacob. DE INDIAE UTRIUSQUE RE NATURALI ET MEDICA LIBRI QUATUORDECIM, . . . [Containing: I. Piso, *Medicina Brasiliae* and Marcgraf, *Historiae rerum naturalium Brasiliae.* II. Marcgraf, *Tractatus topographicus et meteorologicus Brasiliae.* III. Bontius, *Historiae naturalis et medicae Indiae Orientalis.* IV. Piso, *Mantissa aromatica.*] *Amsterdam, L. and D. Elzevir,* 1658 £185

Folio, four parts in one volume, engraved title, pp. (xxii), 327 (5); 39; 160; 161-226 (2), NUMEROUS WOODCUTS THROUGHOUT, including fishes, animals, birds, plants, etc., slightly browned in places and two library stamps, contemporary calf, gilt spine, hinges and corners repaired.
R.B. de Moraes, *Bibliographia Brasiliana,* II, pp. 153-4. Sabin, 63030.
Garrison and Morton 1825, "Piso introduced ipecacuanha into Europe".
The second and much enlarged edition of Piso and Marcgraf's important work on Brazilian natural history. Part of the work had appeared in 1648 in their *Historia Naturalis Brasiliae* but because of unsatisfactory editing by Laet, Piso "decided to re-organise it entirely and publish it anew". (Moraes). The *Medicina Brasiliensi* by Piso and the *Historiae rerum naturalium Brasiliae* by Marcgraf were both completely revised for the present edition.
Waller, 7472. Casey A. Wood, p.520.